UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-80695

Visual Library



Th. 862 a.

G VIII
15.

ESCOBAR
Theol: Mor:
Tom: V. VI. VII.
E. IV
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 862a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

E. SCOLAR
Theol. Mor.
Tom. VI. VII.
E. IV
6

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis Iesv Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE Lite Sententiæ nec-non Controversæ Disquisitiones,

TOMI SEXTI PARS PRIMA: VIRTVTES THEOLOGICÆ.

LIBRO TRIPLICI FIDEI, SPEI, & Charitatis materias expono.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIII.

CVM APPROB. ET PERMISSV.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis Iesv Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS, RECEPTIORES ABSOVE

Lite Sententiæ nec-non Controuerſiæ Diſquiſitiones,

TOMI SEXTI PARS PRIMA:

VIRTVTES THEOLOGICÆ.



LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD,
PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.



EXCELLENTMO D.D. CAROLO

BARONI DE BATIBILE,

COMITI DE CORBIERS, Marchioni de Husia, Regis Catholici à Consiliis in Supremo de GVERRA, Flandriæ & Burgundiæ statu, Guipuzcoanæ Prouinciæ Generali Duci, Hispanus apud Angliam pacis ac belli curatori.

NAVD tempus, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, in longa atauorum tuorum serie recensenda, stemmatibusque ostentandis inutiliter teram, sciens, ex tua magnitudine, &

decore non ſolum Tibi abundare gloriam, ſed ad poſteritatis incrementum, & ornatum nobilitatem exundare, cuius clariſſimæ proſapiæ hæreditarium decus progenitoribus tuis ita perſoluis, vicémque generosè rependis, vt non minus illis de poſtero, quàm tibi de parentibus liceat gloriari. Vt enim cecinit Græcus Periander, *ſuprema nobilitas eſt, cum tanta in viro fortitudo, tanta ſapienta, virtus tanta nitet, vt ad eius encomia nihil nobilitas addere videatur.* Tanta fortitudine Te præditum video, tam ſapientem Te annoto, adeo virtutibus fulgentem Te contemplor: vt Tuæ egregiæ nobilitatis mihi iubar obnubiletur.

Attamen tuum illuſtriſſimum auitum ſtemma video eſſe tuæ fortitudinis, ſapientiæ, ac virtutis hieroglyphicum. In his enim clariſſimis ſtemmatibus tres volitantes *Alas* Aſpicio. Quas quidem non aquilæ volucrum Reginæ eſſe voluerim, ſed *Cherubini*, qui perſpicuum eſt triplicis præfati elogij documentum. Theodoretus enim quæſt. 40. in Gen. aſſerit, nomen *Cherub* ſemper *potentiam* ſignificare, nam *Che* idem eſt Hebræis, quod *Quaſi*, & *Rub fortem* ſignificat, *Quaſi fortis*, Ideo Cherubino flammea armato machæra paradiſi cuſtodia traditur.

Stemmatis ALA prima. Te profectò, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, Cherubinum merito vocitarim, cuius fortitudo terra marique hoſtium fuit horror. Te Hiſpania,

Te

Te Italia, Te cuncta orbis Regna Martem fortissimum agnoscunt. O quantam in acie admirationem comparasti, nihil à cæteris militibus, nisi robore ac præstantia differens! cum eminus libero Marte tela vibrares, nunc vibrata suspiceres, alacer virtute militum, & lætus, quoties aut cassidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret. Laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisque, vt auderent; sed, non audebant, cum spectator, moderatórque ineuntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, & ad robur ostendendum vehementer vrgeres. Hæc fortitudo Te ad præclara bellica munia omnium præconio euexit. Ait Nazianzenus Posthumio fortissimo Duci, & Tibi vniuersus orbis: *In sublime euectus es haud ita mediocri Principatus gloria, nam acceptos à Te Principatus sublimes reddidisti. Non est hoc fortunæ munus, sed hanc potestatem tanquam fortitudinis premium adeptus es: vt & ipsa redderetur glorioſior, & Rex propter iudicij sui de te sententiam, laudem acquireret.*

Philo verò lib. 3. de vita Mosis affirmat, nomen *Cherub* scientiæ plenitudinem in se includere. Vnde Propheta Ezechiel cap. 28. v. 17. alloquens Regem Tyri, eumque Cherub appellans, fatur: *Perdidisti sapientiam tuam.* Fuisti profectò ô PRINCEPS, regalium negotiorum lex præfulgens, munia tibi credita eximia prudentia tractasti: & nisus es tuis consiliis tempora facere, quę

ALA secunda.

meritò laudarentur in Principe. Teſtor regias CHRISTIANISSIMI REGIS POTENTISSIMI cum SERENISSIMA THERESIA AVSTRIACA nuptias, & initam inter Hiſpaniæ, ac Galliæ Reges optatiſſimam pacem. Quid tunc non geſſeris, quod tuum perſpicax ingenium, tuam ſublimem prudentiam, non oſtentaret? Mitto circa humaniores litteras eruditionem, cognitionem linguarum, quarum Tu intelligentiæ, & loquelæ non quaſi aduena, ſed indigena.

ALA tertia. Profectò in Vaticanis Bibliis *Cherub Quaſi Magiſter* appellatur. Ideo Anonymus apud ſapientiſſimum noſtrum Alcaſar ad cap. 4. Apoc. annotat in Moſis Cherubinis figurari eos, qui à Deo edocti, eumque amantes, alios virtutum exercitamenta docent. Te quidem hoc ex capite, præcipuo plane, eſſe quis non videat egregium virtutum, quæ virum ſæcularem exornant, magiſterium? Te humaniſſimum cuncti Hiſpani proclamant. Suauiſſimum Itali viderunt, cum Neapolitanorum animos non ferro, ſed prudentiſſima ſuauitate deuinxiſti, diuinam fortitudinem æmulatus. Religioſiſſimum Te efferunt Templa, Religionumque Conuentus. Munificentiſſimum quilibet indigentes experiuntur. Morum compoſitione egregium omnes Te profitentur: quem nec aurum cæcat, nec alea maculat, nec voluptas infamat. Poſſem ſimul omnia merita virtutum, & cognonima attexere:

&

& quidem vt Ausonius suo Gratiano ait, *Tanquam qui terrarum orbem vnius tabulæ ambitu circumscribunt, aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis.* Parco tamen tuarum virtutum magnitudini, ne illarum fulgentissimo iubare patiantur meæ de virtutibus Theologicis lucubrationes, quod stellæ sub solis luce patiuntur. Recedunt igitur à luce tanta, & ad vmbram Tuæ protectionis se recipiunt, vt sub nominis Tui Cherubici *potentia* defendantur: sub *sapientia* corrigant errores : sub *virtutum* magisterio ediscant saltem prudentiam, vt sciant inter oblatrantium voces silere, si aliquis extiterit adeo ferox, vt audeat eas sub tanti Mecænatis protectione ferire.

TVI HVMILLIMVS SERVVS.

ANT. DE ESCOBAR ET MENDOZA.

Facultas

Facultas P. Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Caſtellanæ.

PETRVS Pimentel in Prouincia Caſtellana Societatis IESV Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à R. admodum P. Noſtro Goſuinio Nickel Generali Præpoſito, facultatem facio vt *Tomi 4. 5. 6. & 7. Theologiæ Moralis à P. Antonio de Eſcobar Theologo eiuſdem Societatis* compoſiti, grauium Doctorumque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo munitas dedimus Valliſoleti die 1. Octobris anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

R. *P. Antonij de Eſcobar Societatis IESV Tomos Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, & Septimum vniuerſæ Theologiæ Moralis* attente perlegimus nos infra ſcripti facultatis Pariſienſis Doctores Theologi nihilque in illis occurrit, quod non ſit planè conſentaneum tum fidei Catholicæ, tum probis moribus; adeoque luce publica dignos. Actum Lugduni die 9. Februarij *1663*.

Fr. CYRILLVS MOREL *Carmeli Lugd. Prior.*

Fr. STEPH. MOLIN *Carmelita.*

Approbatio Ordinarij.

CVm hos quinque Tomos, nempe *Tertium, Quartum, Quintum, Sextum & Septimum Vniuerſæ Theologiæ Moralis*, quorum Author eſt *R. P. Antonius de Eſcobar Societatis IESV*, ſe attentè perlegiſſe ſuprà nominati Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi teſtentur, nihilque in illis deprehendiſſe, quod non ſit planè conſentaneum tum fidei Catholicæ tum probis moribus. Idcircò quinque præfatos Tomos typis mandari & in lucem prodire non abnuimus Lugduni die 15. Februarij *1663*.

DE-NEVF-VILLE *Abbas S. Iuſti Vic. Gen.*

Conſenſus Procuratoris Regij.

LIbrum inſcriptum R. P. Antonij de Eſcobar, & Mendoza Societatis IESV Theologi, *Theologia Moralis*, typis mandari & in Lucem edi, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, GVILLELMI BARBIER, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 16. Februarij *1663*.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis Conſenſu, Librum huncce typis mandari à prædictis Bibliopolis Lugdunenſibus, concedimus, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat inhibemus, Datum Lugduni. Die 20. Februarij *1663*.

DE SEVE.

INDEX

INDEX
CAPITVM ET DVBIORVM,
Quæ in hoc Tomo Sexto continentur.

LIBER XLVII.

Fides.

SECTIO I.

De Fide Receptiores sine lite Sententiæ. pagina 1.

Caput 1. DE Fidei Essentia, & obiecto formali, ac materiali. p.1
Caput 2. De Fidei Certitudine eiusque obiecto. p.2
Caput 3. De fidei necessitate. pagina 3.
Caput 4. De externa, ex præcepto affirmatiuo, Fidei, professione. pagina 5.
Cap. 5. De externa ex præcepto negatiuo professione fidei. p.6
Caput 6. De Disputatione circa Fidei Mysteria. p.7
Cap. 7. De infidelitate. ibid.
Cap. 8. De hæresi. p.9
Caput 9. De Hæreticorum libris. p.10
Cap. 10. De Absolutione ab hæresi. p.11
Cap. 11. De Hæreticorum Pœnis. p.13
Cap. 12. De Confessario ad Venerem solicitante. p.14

SECTIO II.

De Fide, & Infidelitate Dubia. pag. 16.

C.13. CIrca Fidei Obiectum? ibidem.
D.1. An stante cognitione euidenti de aliquo obiecto possimus de illo fidem habere. ibid.
2. AN DEUS secundum se, vt DEUS sit fidei subiectum. p.17
3. An DEUS sua ratione DEITATIS, & non vt reuelans sit obiectum seu motiuum fidei diuinæ. ibid.
4. An reuelatio, qua res aliqua priuatim reuelatur, sufficiat quantum est ex parte reuelationis, ad fidem diuinam rei sic reuelatæ, sicut sufficit reuelatio publica. ibid.
6. An propositio, quæ in se ipsa non est reuelata, sed virtualiter continetur in duabus propositionibus immediatè reuelatis vel in vna immediatè reuelata, & in altera lumine naturali nota, possit fide diuina credi. p.18
6. Reuelatio falso diuina existimata, quantum est ex parte reuelationis sufficitne ad obiectum formale Fidei. ibid.
7. An possit esse euidentia reuelationis Dei: non viso Deo ipso reuelante. p.19
8. An necessarium sit reuelationem esse in se obscuram, vt sit é formale

formale fidei obiectum, ibid.
9 Idem obiectum materiale potestne simul ab eodem intuitiuè videri, & credi. ibidem
10. An reuelatio possit esse obiectum formale Fidei circa obiectum abstractiuè sumptum. pag.20
Cap. 14. De conditione ad Fidem prærequisita. ibidem
11, An ad assensum Fidei diuinæ prærequiratur assensus aliquis fidei humanæ reuelationis illius veritatis, ibidem.
12. An iis quibus reuelatio non est immediatè facta à Deo, necessarium sit vt assensus fidei humanæ reuelationis diuinæ prærequisitus ad fidei diuinæ assensum, habeatur ob Ecclesiæ testimonium. pag.21
13. An actus fidei diuinæ generetur per discursum. ibid.
Cap. 15 Circa fidei diuinæ habitum. p.22.
14. An de fide sit esse habitum fidei à solo Deo infusum. ibidem
16. An actus fidei possit potentia Dei absoluta absque concursu habitus fidei infuso elici. ibidem
17. An habitus infusus fidei sit virtus intellectualis. pag.23
18. An habitus infusus fidei amittatur vno vel altero peccato infidelitatis, si quis in aliis positiuè credat. ibidem.
19. An possit quis certo euidenter cognoscere se fidei diuinæ actum habere. p.24
20. An fidelis certo cognoscat actu fidei diuinæ se actum fidei habere. ibidem.
Cap 16 Circa Ecclesiæ propositionem, quo fidei obiectum indiget, ibidem.
21. An de fide sit Pontificem errare non posse in Sanctorum canonizatione. pag.25
22. An beatificatio distinguatur à Canonizatione, eo quod Canonizatio obligat totam Ecclesiam, vt Canonizatum veneretur, beatificatio verò totam Ecclesiam non obligat. p.26.
23. An Pontifex possit in beatificatione Sanctorum errare. ibidem
24. An cum conceditur Religioni cuidam Sanctum beatificatum ritu in beatificatione præscripto venerari die, quo è vita discessit, possint Clerici sæculares Sacrificium in illius honorem offerre. pag.27
25. An Pontifex secundum leges prudentiæ possit in Religionum approbatione errare. ibidem
26. An Concilium generale sumptum pro omnibus Patribus Concilij in rebus Fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem sit infallibilis veritatis. pag.28
Cap. 17. Circa Fidei subiectum. pag.29
28. An primus parens in statu innocentiæ habuerit Fidem diuinam. ibidem.
29. An Angeli in statu viæ habuerint Fidem diuinam. ibidem
30. An circa alia obiecta à Deo distincta sit in Beatis Fidei actus. pag.30.
31. An damnati tam Dæmones, quam homines habeant Fidem? ibidem,
32. An hæreticus possit actum Fidei habere. ibidem
Cap. 18. Circa Fidei ad salutem, necessitatem p.31
33. An actus fidei sit medium ad iustificationem necessarium? ibidem.
34. Ad iustificationem actus fidei Dei existentis generaliter est ne omnibus medium necessarium. p.32
35. An ad iustificationem sit necessarius actus fidei explicitus Dei remuneratoris remuneratione supernaturali. ibidem
36. An ante aduentum Christi Domini fides explicita ipsius fuerit necessaria, vt mediũ ad iustificationem. 33
37. An in lege Euangelica fides explicita Christi Domini sit medium ad iustificationem necessarium. ibid.
38. An fides explicita Christi Domini in lege Euangelica sit medium necessarium ad ingressum gloriæ. p.34
39. An in lege Euangelica fides explicita mysterij Trinitatis sit medium ad iustificationem necessarium ibid.
40. An ex necessitate præcepti debeat omnis Christicola scire explicitè & credere, quæ in Apostolico Symbolo continentur. p.35
41. An necessarium sit præcepti necessitate scire, & credere Deiperam semper mansisse Virginem. ibidem.

42. An necessarium sit ex præcepto fidelibus scire explicite, ac credere articulum de Christi Domini ad inferos descensione. p. 36
43. An explicitè sciendum, ac credendum sit Christum Dominum ad Patris dexteram sedere. ibid.
44. An explicite debeat quisque scire, ac credere articulum de Communione Sanctorum. ibid.
45. An Mysteria plura extra Symbolum contenta, nempe Circumcisio, Transfiguratio, Præsentatio in Templo, &c. scienda, & credenda sint explicite à fidelibus. p. 37.
46. An necessarium sit te explicitè scire, credere Sacramenta Confirmationis, Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij. p. 37
47. An sub graui culpa debeas, Dominicam Orationem scire. ibid.
48. An dari possit ignorantia inuincibilis eorum, quę quis scire tenetur ad salutem. p. 38
49. An cum primum quis rationis vsum inierit, teneatur Fidei mysteria edisscere, quæ necessaria sunt. ibidem.
50. An si fidei mysteria proponantur infideli, vt magis credibilia tametsi non credibilia euidenter teneatur eis ante articulum etiam mortis assentiri. p. 39
51. Infans fidelis inter Infideles, vel hæreticos enutritus, si post vsum rationis adoret Idola, vel hæreses contra ius naturæ proferat, peccatne contra fidem. ibid.
Caput 19. Circa externæ Fidei confessionis obligationem. ibid.
52. An teneatur quisque fidelis Fidem manifestare, quoties à potestate publica (quæcumque illa sit,) de fide rogatur etiamsi secreto rogetur, vel generalis examinatio fiat. pag. 40.
53. An licitum sit celare fidem verbis, vel signis per se contrariam Religionem significantibus, casu quo non instet præceptum positiuum fidem manifestandi. ibid.
54. An licitum aliquando sit vestibus, aut signis propriis infidelium, vel hæreticorum vti, vt quis Fidem occultet, cum non vrget præceptum Fidei confitendæ. p. 41
55. An liceat, fideli ad se occultandum vti vestibus, vel signis infidelium institutis, non ad discernendum eos à fidelibus; sed ad profitendum, protestandumve eorum falsam Religionem, si grauis causa adsit. ibid.
56. An liceat omittere signum, (aut vestem) ex præscripto Regis impositum, ad significandum eum esse fidelem. p. 42
Cap. 20. Circa Professionem Fidei ex decreto Tridentini faciendam. ibidem.
57. An teneatur quis si aliquo titulo, verbi gratia, Canonicatus, vel Dignitatis Fidei professionem fecit, illam rursum agere, alium distinctum Canonicatum obtinens. p. 43
58. Si quis intra bimestre ad faciendam Fidei professionem assignatum, obtineat cum Canonicatu dignitatem, satisfacitne obligationi vnica Fidei professione. p. 43
59. An possit quis per Procuratorem Fidei professionem agere, cum absens est, vel impeditus. p. 44
60. An omittens fidei professionem, nulla expectata sententia saltem declaratoria criminis, teneatur fructus perceptos restituere. ibid.
61. An fructus, quos restituit, qui fidei professionem omisit, sint pauperibus, fabricæ aut pio loco applicandi. p. 45.
Caput 21. Circa infidelitatem vitium fidei contrarium. ibid.
62. An diuisio infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim sit generis in species: Et an Paganismus, Iudaismus, Hæresis aut essentialiter vitia distincta. ibid.
63. An diuisio Infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim comprehendat omnes infidelitatis species. ibid.
64. An subditus infidelis possit à Principe Christiano ad audiendam fidem compelli? pagina 46.
65. An possit Ecclesia vi, & armis compellere infidelem Principem, vt permittat apud ditionem suam Euangelij prædicatores fidem publicare, si aliqui sint, qui velint audire, quando Princeps prædicationi blasphemiis, & irrisione non

resistit, sed solum non permittendo Fidem prædicari. p.47
66. An quilibet infidelis, postquam ei fides sufficienter est proposita possit ad eam recipiendam compelli. ibid.
67. An possit Christianus Princeps sua, vel Ecclesiæ authoritate infidelibus sibi non subditis prohibere idololatriam, & peccata contra naturam, quæ specialiter Religioni Christianæ aut innocentibus contraria non sunt. p.48
68. An Princeps infidelis priuari possit dominio circa seruos fideles ob bonum & honorem Fidei, etiam cum nullum adest peruersionis periculum. p.49
69. An sit peccatum mortale, violare quodcumque ex præscriptis, quæ iure communi continentur circa fidelium cum infidelibus communicationem. p.50
70. An prohibitiones circa Christianorum cum infidelibus communicationem, intelligendæ sint de solis Iudæis. ibid.
71. An breuis scriptura, oratio, concio, quæstio, Epistola contineantur sub prohibitione Bullæ circa infidelium, ac Hæreticorum libros. ibidem.
72. An qui prohibetur libros vetitos legere sub censura; Vitet censuram, si ipse non legat, sed alium legentem exaudiat, quem non induxit. p.51
73. Excusaturne quis à censura, ac delicto lethali ex lectione libri prohibiti ob materiæ parpitatem si intentione plura legendi incepit. ibidem.
74. Excusaturne à censura, qui ad confutandos errores, sine periculo peruersionis libros Hæreticorum retinet. p.52
75. Potest quis mox librum hæreticum Inquisitori tradere, & tamen illum breui tempore, nempe per vnam, vel alteram diem retinet, excusaturne à peccato ac censura. ibid
Caput 22. Circa Hæresim, & Apostasiam à Fide. p.53
76. Vt propositio Hæretica sit, sufficitne esse ex diametro oppositam propositioni Fide credenda, si accedat in proferente illam pertinacia. ibid.
77. An cum ignorantia vincibili, & crassa, vel affectata stet Hæresis peccatum. ibid.
78. Errat quis ex ignorantia affectata, sed monitus ab Episcopo, vel Inquisitore, vel alijs viris Doctis de suo errore, adhuc in illo perseuerat, credens non esse contra Ecclesiæ definitionem. Hic estne verè hæreticus. ibid.
79. Dubium voluntarie habens de Fidei mysterijs, censenduſne est Hæreticus. p.54
80. Dissentiens speciali reuelationi ei sufficienter ad credendum propositæ, estne Hæreticus. ibid.
81. Hæreticus hic (de quo dubio proximo) inciditne in excommunicationem, & alias hæreticorũ pœnas. p.55
82. An negans fidem verbo, vel facto tantùm interius retinens assensum, committat hæresim ab Ecclesia punibilem. ibid.
83. Qui propositionem Theologicam abnegat estne hæreticus. ibid.
Cap. 23. Circa obligationem denunciandi hæreticum. p.56
84. Teneturne quis denunciare hæreticum, cum solus delictum nouit. ibidem.
85. An possit quis denunciationem iudicialem de hæretico facere, si delictum, est occultum, & sperat correctione secreta emendandum. ibid.
86 Si delinquens iam emendatus est, debetne quis eum Inquisitoribus denunciare. p.57
87. An ratione damni emergentis quis excusetur, à denunciatione de hæresi facienda. ibid.
88. An filius possit teneatúrve patrem hæreticum denunciare. ibid.
89. Teneturnè quis Tribunali Inquisitionis Religiosos exemptos denunciare, præcipuè cum apud Pontificem eos deferre possit. p.58
Cap. 24. Circa Fautores hæreticorum. ibid.
90. Qui semel, aut bis ad audiendas conciones hæretici adeat, estne, vt credens illi reputandus. ibid.
91. Sitne fautor hæresis, quando solum ex speciali Inquisitorum mandato, & non ratione officij tenetur fautorem Fidei causæ præstare. p.59
92. Vt quis fautor hæreticorum verè dicatur, sufficitne eum in fauorem hæresis

hæresis auxilium præstare. ibidem.
93. An fautores hæreticorum incurrant pœnas iure præscriptas antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint. p.60
Caput 25. Circa spirituales hæreticorum pœnas. ibid.
94. An sufficiat declarari aliquem esse hæreticum, quin declaretur, esse excommunicatum, vt vitandus sit. ibid.
95. Qui citatus ad respondendum de fide, integro anno in excommunicatione insorduerit, potestne mox post elapsum annum declarari esse hæreticum. p.61
96. An nomine Episcopi, qui possit in foro conscientiæ de occulto crimine hæresis absoluere, intelligendum sit sede vacante Capitulum. p.62.
97. An intelligendi sint nomine *Episcopi* ad effectum absoluendi à crimine occulto hæresis Abbates, & alij Prælati inferiores, iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem sua in Diœcesi habentes. ibidem.
98. An Prælati Regulares etiam Conuentuales exemptorum Ordinum intelligantur, *Episcopi* nomine ad potestatem absoluendi ab hæresi occulta ex decreto Tridentin. pagina 63.
99. An Episcopus, si in hæresim labatur, possit præfato Tridentini indulto absolui. ibid.
100. An verba illa Concilij: *In Diœcesi sua*, sint restrictiua facultatis Episcopo concessæ ad absoluendos ab hæresi occulta subditos, ibidem.
101. Delictum hęresis occultum, ad cuius absolutionem Episcopus habet potestatem, estne illud, quod verè probare non possit. p.64
102. Si delictum ad forum contentiosum deductum sit, & ibi punitum, poteritne Episcopus, tunc absoluere, vel impedimento inde proueniente dispensare. ibid.
103. An absolutio hæresis, possit ab Episcopo alteri committi. pagina 56.
104 Potestas absoluendi ab hæresi cõcessa Episcopis à Tridentino estne per clausulam Bullæ Cœnæ reuocata. ibid.
105. An Domini Inquisitores possint, in fore conscientiæ ab hæresi absoluere. p.66.
106. Sub facultate generali, quam per Bullam, vel Iubilæum Pontifex concedit absoluendi ab omnibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ, venitne intelligendum crimen hæresis in illa contentum. pagina 67.
107. An infamia afficit perfecte hæreticum ipso iure, sed postquam eius delictum sit notorium. pagina 68.
108. Hæreticus ipso iure priuaturne Beneficiis rite possessis, sed per sententiam. ibid.
Caput 26. De temporalibus Hęreticorum Pœnis. pag.69
109. Quæ acquirit Hæreticus tempore medio inter delictum, & sententiam publicantur. ibid.
110. An cadat sub confiscationem maioratus, & fideicommissum ob crimen hæresis, & Sodomiæ. ibidem.
111. An maioratus ex Regia facultate institutus ex omnibus bonis, (qui tamen in tertium, & quintum ne illa poterat institui,) subiaceat confiscationi quoad tertium, & quintum. p.70.
112. An peculium aduentitium filij hæresis rei veniat in confiscationem bonorum factam, reseruato patri vsufructu. p.71
113. An bona castrensia vel quasi castrensia publicentur ob hęresim filij? ibid.
114. An reseruanda sint bona filiis perpetrantis parentis crimen læsę maiestatis diuinę, vel humaaæ. p.72
115. Filij parentum, quorum bona publicata sunt ob hæresis crimen, possuntne in foro conscientiæ abscondere ad sui sustentationem alimenta, si illis non reseruentur, & graui necessitate sint afficiendi. ibid.
116. Si mulier scienter hæretico nupsit, debetne, non solum in priuatione dotis condemnari, sed etiam in priuatione aliorum bonorum, quæ vxoris sunt propria, & quæ ob mariti hæresim obnoxia non

sunt publicationi. p.73
117. Maritus ducens fœminam quam certo nouit hæreticam esse priuandusne est, ob hoc delictum, sicut de muliere resolui? ibidem.
118. An quoties publicatur dos ob delictum vxoris, publicaturne quoad visum fructum, cum ei pœna mortis non imponitur, sed viua viro traditur. p.74
119. An possit confiscari quoad proprietatem, & vsumfructum, si pactum esset inter virum, & vxorem, vt perpetrante vxore hæresis delictum, eo ipso ad virum proprietas, & vsusfructus dotis deueniret. ibidem.
120. An quando delictum confiscationem habere annexam, delinquens ipso facto priuetur suorum bonorum dominio. ibid.
121. An confiscatio obliget delinquentem, cui bona sunt ipso iure confiscata, ea fisco ante sententiam tradere. p.75
122. An confiscatio ipso iure ob delictum hæresis imposita, impediat vt delinquens valide possit sua bona alienare. ibid.
123. Vt valeat quis retinere, quod à delinquente (cuius bona publicata sunt) alienante ante sententiam accepit, potestne se præscriptione defendere, id an illa debeat necessario esse quadraginta annorum. p.76
124. Cum certum sit si pretium alienationis, quod hæretico soluit quis bonis diuenditis formaliter, vel æquiualenter in potestate delinquentis existit, debere à fisco reddi cum alienatio rescinditur pretium in potestate non existere, si id in necessariis ad vitam insumpsit. ibid.
125. Rem à delinquente venditam potestne fiscus ab emptore vendicare, quando hic non probat, rem in delinquentis cessisse vtilitatem. p.77.
126. An confiscatio bonorum delinquentis condemnati in contumaciam ob causam fidei sit facienda à tempore latæ sententiæ, an à tempore, quo probationes signant, delictum fuisse perpetratum. ibid.
127. Hæreticus pœnitens, & Ecclesiæ reconciliatus, potestne testari de bonis acquisitis post abiurationem. p.78.
128. An hæreticus tempore hæresis priuetur successione ex testamento vt incapax illius, an vt indignus solum. ibid.
129. An attento rigore iuris, hæreticus incapax sit donationis, sicut incapax est hæreditatis, & legati. pagina 79.
130. An serui Christiani exempti ex præscripto legis ab obsequio domini hæretici, tunc obtineant absolutè libertatem, an debeant in fisci dominium transire cum reliquis bonis confiscatis. ibid.
131. An requiratur sententia declaratoria criminis, vt debitores excusentur à solutione debiti hæreticis præstanda. p.80
Caput 27. Circa Corporales pœnas hæreticorum. ibid.
132. Abiurauit quis hæresim, primo postea verò incidit in illius vehementem suspicionem, tunc fictione iuris diciturne relapsus sæculi gratiæ. ibid.
133. An requiratur quem labi in hæresim prius abiuratam, vt relapsorum pœna afficiatur, casu quo abiurans hæresim, in quam incidit, omnes simul hæreses generatim non abiurauit. p.81
134. An hæresiarchæ, & Dogmatistæ sine vlla misericordia tradendi sint sæculari brachio, cum signa exhibent conuersionis? ibidem.
135. Hæretici pœnitentes tardè tamen conuersi, debentne ad reconciliationem admitti. p.82
136. Quis eductus è carcere, & in tabulatu existens sententiam auditurus conuertitur, recipiendusne est ad misericordiam? pagina 83.
137. Violans pœnitentias ab Inquisitoribus iniunctas, nempe fugiens è carcere, habitum pœnitentialem non deferens, non ieiunans, &c. debetne vti relapsus condemnari. ibid.
Caput 28. Circa pœnas suspecti de hæresi, & hæretici filiorum. ibid.
138. An

138. An ſuſpicio leuis ſufficiat ad reum condemnandum ? pagina 84.
139. An leuis ſuſpicio ſufficiat ad inquirendum ſpecialiter contra aliquem ipſumque interrogandum. ibidem.
140. An filij, ac nepotes hæreticorum inhabiles ſint, ad beneficia acquiſita antequam pater declaratus fuerit hæreticus. p 85
141. An pœna infamiæ afficiat hæreticorum filios. ibid.
142. An ob ſolam contumaciam parentum pœnis à iure impoſitis afficiantur filij, vel nepotes ? ibidem.
143. An infamia, priuatio beneficiorum, & officiorum, ac reliquæ pœnæ filiorum hæretici propriæ afficiant filios natos, aut conceptos ante parentum crimen. pagine 86,
Caput 29. Circa Confeſſarium ad venerem incitantem. p. 87
144. An Bulla Gregorij XV. ſit in Hiſpania recepta. ibid
145. An ante denunciationem præmitti debeat fraterna correctio, ſi Sacerdos ſolicitator emendandus credatur. ibid.
146. An teneatur quis Confeſſarium ſolicitantem denunciare, ſi credat iam eſſe emendatum ? ibidem.
147. An denunciatio poſſit omitti, ſi Sacerdos aliquo modo de huiuſmodi delicto infamatus non eſt. pagina 88.
148. Denunciandusne eſt Confeſſarius ſolicitans in Confeſſione ad turpia, ſed ad alia peccata, ibidem.
149. Denunciandusne eſt, qui in vſu aliorum Sacramentorum, verbi gratia, Matrimonij, fœminam ad venerea ſolicitat. p. 89
150. Denunciandusne eſt Confeſſarius ad actus ſolum venialiter inhoneſtos. ibid.
151. Denunciandusne eſt qui in actu Confeſſionis fœminam à pulchritudine laudat. p. 90
152. Confeſſarius in actu confeſſionis tradit fœminæ chartam, qua eam ad turpitudinem ſolicitat, poſtea legendam, eſtne denunciandus. ibidem
153. In Confeſſione quis fœminam incitat, vt alium ad venereos actus admittat, eſtne ſolicitatio denunciada. ibid.
154. Confeſſarius ſolicitat pœnitentem, vt medici cum alia fœmina, vti ſe ad actus impudicos admittat, delictumne eſt in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. comprehenſum. p. 91.
155. Eſtne denunciationi locus, cum Confeſſarius ſolicitatus in Confeſſione à fœmina ſolicitationi conſentit. ibid.
156 Confeſſarius à fœmina ſolicitatus ad congreſſum renuit volens ſolummodo tactibus inhoneſtis frui, ad eas illam prouocans, eſtne denunciandus. ibid.
157. Fœmina ſimulans ægritudinem Confeſſarium ſe ventitare curat, cumque minis ſolicitat ad turpia, illéque conſentit: eſtne denunciandus ex Bulla Gregorij, ſi conſenſus fiat in confeſſione, vel proximè ad illam. p. 92
158. Conueniunt Sacerdos & fœmina, vt ſe tali hora ad audiendam confeſſionem vocitet, non vt peragatur confeſſio, ſed vt eius prætextu inhoneſtè ſe gerant: eſtne Sacerdos denunciandus. ibid.
159. Denunciarine debet Confeſſarius, qui poſt auditam fœminæ confeſſionem, ad illius mox domum accedit, vel in itinere eam ſolicitat. ibidem.
160. Fœmina ad confeſſionale accedit bono animo alia negotia tractanda, & confeſſarius eam ibi ſolicitat ſine ſimulatione confeſſionis : eſtne denunciandus. pagina 93.
161. Debetne denunciari Sacerdos, qui in confeſſionario ſedens fœminam ſtantem, aut ſedentem ſolicitat. ibid.
162. An obnoxius ſit denunciationi Sacerdos, qui in Confeſſionario ſedens extra occaſionem Confeſſionis fœminam coram ipſo flexis genibus conſtitutam ſolicitat, ſi ipſe non ſimulet Confeſſionem. p. 94.
163. An ante Gregorij XV. conſtitutionem debebat denunciari Confeſſor

fessor, qui adolescentem in Confessione ad turpia solicitauit. ibidem.

164. Petit quis Sacerdos te confessarium, vt pro se tuam pœnitentem fœminam solicites: estne denunciandus. p.95

165. Laicus quis, vel Diaconus se presbyterum simulans, iniquissime quidem audet confessionem excipere, & fœminam bona fide accedentem ad confitendum, solicitare, estne ex vi harum constitutionum denunciandus. ibid.

166. Comprehenditurne in his decretis Sacerdos, qui iurisdictione caret ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, confessiones excipit, in eisque pœnitentem solicitat. ibid.

167. Fit quis sæcularis aut Sacerdos confessionis interpres, & in actu illo, vel immediate post pœnitentem ad Venerea solicitat, Debetne ex vi horum decretorum denunciari. p. 96

168. An fœmina ia confessionis actu confessarium solicitans sit ab ipso, vel ab aliis qui id nouerint, denunciauda. ibid.

169. Fœmina solicitata à confessario, consentit, teneturne illum denunciare. ibid.

170. Pœnitens aliquod graue damnum timet probabiliter, si Confessarium denunciet solicitantem, excusaturne à denunciatione facienda. p.97

171. Tibi secreto naturali, commissum est, fœminam fuisse ab aliquo Confessario solicitatam, excusarisne à denunciatione gerenda. ibid.

172. Fœmina solicitata Episcopo loci Confessarium denunciat, excusatur ne eum Inquisitoribus denunciare. ibidem.

173. Scit solicitata fœmina Confessarium fuisse iam ab aliis pœnitentibus de hoc crimine denunciatum, & ab Inquisitoribus punitum, Excusaturne à gerenda denunciatione. pagina 98.

174. Confessarius potestne pœnitentem absoluere, quin prius Sacerdotem solicitantem denunciare pergat. ibidem.

175. An Episcopus solicitans sit Inquisitoribus denunciandus. ibidem.

176. Inquisitor solicitans estne Generali Inquisitori denunciandus. ibidem.

177. Probaturne sufficienter solicitationis crimen duarum fœminarum delatione. p.99

178. Sex dies, qui pro termino in Edicto Inquisitionis ad gerendam denunciationem dantur, debentne à die, & hora publicationis annumerari. ibid.

179. Fœmina solicitata Edicti Inquisitionis ignara intra sex præfixos dies denunciationem non gessit, teneturne statim, ac sciuerit, Confessarium denunciare. ibid.

180. Fœmina solicitata Edicti fuit conscia, sed ægritudine saucia, vel aliunde impedita non potuit assignato tempore confessarium denunciare, teneturne denunciare statim ac commode possit. ibidem.

181. An fœminis leuibus haud fide dignis quis audiuit, Confessarium quendam solicitasse pœnitentem, debetne eum denunciare. pagina 100.

182. Si Edictum à Tribunali S. Inquisitionis non publicetur, solicitata fœmina teneturne sub excommunicationis pœna Confessarium denunciare. ibid.

183. Audit fœmina solicitata Edictum, sed ante impletionem sex dierum præscriptorum iter debet agere ad Oppidum, vbi non est opportunitas denunciandi, teneturne denunciationem agere priusquam sex dies compleantur, ac se accingat itineri. ibid.

184. Absolent Ecclesiastici nonnulli sententiæ contra confessarios solicitantes Inquisitorum iussu interesse, tenenturne hi sub lethali delinquentem non manifestare. p.101

185. An confessarius ad turpia in confessione solicitans sit de hæresi vehementer suspectus. ibid.

186. An Confessarius solicitans debeat de vehementi abiurare. ibid.

LIBER XLVIII.

Spes.

SECTIO I.

De Spe receptiores sine lite sententia. pag. 103.

Caput 1. DE Spei essentia, obiecto, ac subiecto. ibid.
Cap. 2. De Præcepti Spei obligatione. p. 104
Caput. 3. De Peccatis contra Spem. pag. 105.

SECTIO II.

De Spe Dubia. pag. 106.

Caput 4. CIrca Naturam, seu Essentiam Spei in communi. ibid
Dub. 1. An Sperare sit actus voluntatis. ibid.
2. An actus sperandi addat aliquid suprà id quod sufficit ad boni futuri desiderij rationem. p. 107
3. An bonitas obiecti, quod speratur Spei sit obiectum formale. ibid.
Caput 5. Circa Naturam, seu Essentiam Spei Theologicæ. p. 108
4. An obiectum materiale & immediatum Spei Theologicæ, sit nostra beatitudo formalis. ibid.
5. Sperare nos alijs beatitudinem, & alia bona, vt bonorum ipsorum ex ipsa complacentia, sitne ex eadem Spe, ex qua nobis illa ex complacentia nostri speramus? ibidem.
6. An actus spei Theologicæ sit sua substantia supernaturalis. p. 109
7. An actus Spei in esse moris sit actu Fidei perfectior. ibid.
8. An actus Spei pendeat in sui generatione ab actu Charitatis. ibid.
Caput 6. Circa personas, in quibu actus spei insit. p. 110
9. An in beatis sit actus Spei circa corporis beatitudinem. ibid.
10. An in beatis maneat habitus Spei infusus. p. 111
11. An in Christo Domino in hac vita existente fuerit Spes quoad habitum. ibid.
12. An animæ in purgatorio existentes habeant propriissimum Spei actum. ibid.
Caput 7. Circa Timorem. ibid.
13. An Timor initialis sit timor filialis incipiens, habens secum vel potens habere seruilem timorem. ibid.
14. An timor seruilis eliciatur ab habitu Spei. p. 112
15. An timor ortus à virtute Spei sit in Beatis secundum proprium actum. ibid.
Caput 8. Circa Præcepti Spei obligationem. p. 113
16. An sit directa eliciendi actum Spei obligatio cum primum rationis vsum quis assequitur. ibid.
17. Obligaturne quis actum Spei elicere, quoties graui desperationis tentatione vexatur nisi animum actu Spei contrario obfirmet. ibid.
18. Teneriſne Spei actum habere quoties obligaris, aut vis aliquid à Deo petere. p. 114
19. An sit præceptum de actibus timoris filialis, & seruilis formaliter exercendis. ibid.
Caput 9. Circa Desperationem virtuti Spei contrariam. p. 115
20. An Desperatio consistat aut in nolitione beatitudinis, aut intellectus, quo quis iudicat, se non esse saluandum. ibid.
21. Possibiliſne est casus de eo, cui Deus fore damnandum reuelaret. ibidem.
22. Posito, quod Deus alicui suam dãnationem absolutam reuelasset, peccaretne ille desperando. p. 116
23. An ille, cui Deus suam damnationem reuelasset, posset licite desperare, sequereturne eum non posse ad beatitudinem conari, & non peccare, tentationibus consentiendo. ibidem.
24. Præsumptionis peccatum corrumpitne spem. p. 117

LIBER

Index Capitum,

LIBER XLIX.

Charitas.

SECTIO I.

De *Charitate Receptiores sine lite sententia. pag.*118.

Caput 1. DE essentia & obiecto Charitatis. ibid.

Caput 2. De Præcepti Charitatis erga Deum obligatione. p.119.

*Cap.*3. De Præcepti Charitatis erga proximum obligatione. ibid.

Cap. 4. De Inimicorum Dilectione. p.120.

*Cap.*5. De Ordine in Charitate asseruando. p.121

Cap. 6. De Misericordiæ operibus. p.123.

Cap 7. De Eleemosyna. p.124

Cap. 8. De Correptione fraterna. pagin.126.

Cap. 9. De peccatis contra Charitatem erga proximum. Vbi de Amore proprio inordinato, de Discordia, seditione, Rixa, Contentione, &c. p.128

*Cap.*10. De Odio. p.130

*Cap.*11. De Bello. p.131

*Cap.*12. De Duello p.134

*Cap.*13. De Scandalo. p.135

SECTIO II.

De *Charitate Dubia. pag.*138.

Cap 14. CIrca Charitatis præceptum erga Deum. ibid

Dub.1. An sit speciale præceptum de aliquo actu interno Charitatis, quo Deum quis aliquando amet. ibid.

2. An hoc speciale præceptum Charitatis sit partim de dilectione naturali, partim de supernaturali. pagin.139

3. An præceptum affirmatiuum dilectionis obliget cum primum quis vsum rationis assequitur. ibid.

4. An præceptum dilectionis obliget pro fine vitæ solum. p.140

5. Qui semel in vita huic dilectionis præcepto satisfecit, teneturne alium actum elicere. ibid.

6. An obligetur quisque quolibet die festiuo dilectionis huius actum elicere. ibid.

7. An obliget Charitatis præceptum, actum dilectionis elicere, cum quis adultus Baptismum recipit. pagin.141.

8. Quoties Sacra Eucharistia sumenda est, teneturne quis implere præceptum. ibid.

9. An obliget Charitatis præceptum, cum quis aliquod egregium opus, difficile quidem, est aggressurus. ibidem.

10. An debeas dilectionis Dei super omnia actum gerere, cum magnum à Deo accipis beneficium. ibidem.

11. An præceptum Charitatis obliget, quoties quis blasphemantes exaudit. ibid.

12. An huius præcepti exequutio instet cum graues insurgunt, maxime odij Dei tentationes, & illis consentiendi periculum adest. p.141

13. Instante mortis periculo, etiamsi peccati mortalis conscius non sit, imo etiamsi illius conscius Sacramentaliter confitearis, obligatusne es Deum super omnia diligere. ibid.

14. Quilibet adultus teneturne annis singulis actum dilectionis elicere ex præcepto Charitatis. ibid.

Cap. 15. Circa præceptum Charitatis erga proximum. p.143.

15. Obligamurne ad aliquem amorem internum erga proximum ex Charitate procedentem. ibid.

16. Si proximus offensor vltra humilem veniæ petitionem veniæ iniuriæ tibi illatæ satisfactionem offerat sufficientem, vel iniuria talis sit conditionis, vt nequeat reparari, vt in nece filij aut parentis contingit: poterisne actionem iniuriæ coram Iudice prosequi. ibid.

17. An peccet quis contra Charitatem, si constitutus in æquali necessitate bono-

bonorum,quæ ex obligatione conseruare debet,vt vitæ, & corporis, cedat sui conseruationi, vt vita, & corpus proximi conseruationi. p. 144.
18. Teneturne quis vnum proximum præ alio diligere. p. 145
19. An coniunctio spiritualis sit naturali præferenda in spiritualibus. ibidem.
20. An cum consanguinei minus sancti, vel fortè peccatores sint extraneis sanctioribus præferendi. ibidem.
21. An frater amico, & benefactori præferendus sit in extrema necessitate. pag. 146
22. An mater sit patri in dilectione præferenda. ibidem
23. An vxor sit præferenda parentibus. ibidem
24. An filij sint parentibus præferendi. ibidem
25. An filij sint præferendi vxori. p. 147.
26. An possit quis peccatorem extrema necessitate laborantem iusto eadem affecto præferre. ibidem
Caput 16. Circa externum Charitatis affectum, qui est Eleemosyna. ibidem.
27. An in extrema necessitate ex necessariis statui, & superfluis naturæ, teneatur quis proximo subuenire. p. 148
28. Extra necessitatem extremam obligaturne quis eleemosynam facere sub graui piaculo. ibidem
29. An in casibus in quibus quis obligatus est eleemosynam facere, teneatur ex iustitia. pag. 149
30. Proximus in extrema necessitate versatur, neque habet aliunde bona, quibus sibi traditum valeat reddere, neque spem habendi illa sine magna difficultate, teneríne ei gratis dare: satisfaciné ei mutuum offerendo. ibidem
31. Afficitur quis graui, vel communi necessitate sufficitne ei ex mutuo succurrere. pag. 150
32. In his casibus, in quibus quis debet eleemosynam mutui facere, potestne lucrum cessans in pactum deducere. ibidem
33. Cum certum sit, beneficarios teneri sub mortali eleemosynam facere, vel in alja pia opera expendere omnia, quæ ex beneficij fructibus suæ congruæ sustentationi supersunt: Quo Clericus est nobilior, & doctior, eóne plus est illi pro congrua sustentatione assignandum. ibidem
34. An Beneficiarij sint domini reddituum, qui sibi applicantur. p. 151
35. Clericus teneturne ex iustitia, quæ ex sua suæque familiæ congrua sustentatione supersunt, egenis exhibere. ibidem
36. An Pensionarius teneatur sicut beneficiarius quæ ex congrua sustentatione de Ecclesiasticæ pensionis fructibus supersunt pauperibus erogare. p. 152
37. Episcopus Religiosus habetne dominium reddituum beneficij eodem modo quo Episcopi sæculares. ibidem.
38. An qui graui necessitate premitur, possit inuito domino aliena surripere. p. 153
39. Rem alienam quis ante necessitatem ex delicto furti, vel rapinę habet, eamque, superueniente necessitate, consumit, ad pinguiorem fortunam veniens, teneturne similem domino restituere. p. 154
40. Eleemosyna data pauperi simulato transfertne in illum dominium. ibidem.
41. Qui fingens paupertatem eleemosynam accipit debetne eam ei, qui dedit, restituere. ibidem
42. Regulares Mendicantes possuntne ab Ordinario impediri, nè pro suis conuentibus eleemosynas petant. p. 155.
Caput 17. Circa externum Charitatis effectum, qui est fraterna Correctio. ibidem
43. An præceptum fraternæ Correctionis oriatur ex Charitate Dei, & proximi. ibidem
44. Proximus in peccato habituali existit, absque periculo iterum actuale aliquod committendi: estne nobis Correctionis gerendę obligatio. 156
45. An sub veniali teneamur proximum in occasione peccandi venialiter constitutum corrigere. ibidem
46. An cognitio certa de peccato proximi requiratur, vt quis eum corrigere teneatur. p. 167

47. An

47. An si proximus ex ignorantia inuincibili peccat, sit necessario corrigendus. ibid.
48. An spes probabilis fructus sufficiat ad præcepti Correctionis obligationem. p.158
49. An peccator, dum in crimine existit, teneatur proximum delinquentem fraterne corrigere. ibidem.
50. Qui ob peccatum proprium ineptus est ad proximum in extrema necessitate existentem corrigendum, tenetur pœnitentiam de crimine agere, vt aptus ad corrigendum reddatur. p.159
51. An peccent r lethaliter Concionatores, aut Iudices, delicta proximi in peccato corrigentes. ibidem.
52. An ordo Correctionis à Christo Domino assignatus *Matth.* 28. sit in præcepto. ibid.
53. Potestne iuri suo quis renunciare, ne secum hic ordo seruetur quando alias ex præcepto diuino erat seruandus. p.160
54. An quando existimatur, Prælatus melius delinquentem correpturus, quodlibet peccatum quantumuis secretum possit omissa secreta correctione deferri. pagina 161.
55. An mortaliter peccet Rector Collegij, qui Prouinciali subditi delictum, quem absque tali manifestatione corrigere, & emendare potest manifestat. ibid.
56. Cum Prælatus subdito, cuius delictum vt Pater agnouit, designat socium fidelem, qui eius exploret actiones, & sibi deferat, potestne socio designato significare, si male de subdito sentire, vt sic diligentius explorationi studeat. pagina 162.
57. Si proximus de delicto commisso sit iam emendatus, potestne quis Prælato vt Patri illud deferre, vt sic delinquens securior à recidiuo existat. ibid.
Caput 18. Circa Odium, Inuidiam, Schisma, Vitia Charitati contraria. p.163.
58. An in odio proximi sint plures actus specie distincti? ibidem.
59. An liceat optare mortem proximo, vel de illa gaudere ob hæreditatem acquirendam? pagina 164.
60. An inuidia solum sit mortale quando ex illa mouetur quis ad remouendum proximi bonum? ibidem.
61. An non solum qui propriè Shhismaticus est, sed etiam qui quomodolibet Pontifici est inobediens, contrahat excommunicationis pœnam. ibid.
62. Schismatici non denunciati priuanturne iurisdictionis potestate. p.165.
63. Schismaticis pœnitentibus, & Ecclesiæ reconciliaris tolliturne inhabilitas quam ad Ecclesiastica beneficia habenda contraxerant. p. 166.
Caput 19. Circa Bellum, ac Duellum, quatenus sunt Charitati contraria. ibid.
64. Potestne dari secluſa ignorantia iustus bellandi ex vtraque parte titulus. ibid.
64. Oblata ab aduersario tibi sufficienti satisfactione, teneris ne à Bello desistere, quocumque tempore satisfactio detur? pagina 167.
65. An quando pars rebellis digna est morte ob iniuriam illatam sit obligatus Dux victor aliam satisfactionem admittere. ibid.
66. Requiriturne moralis certitudo victoriæ, vt bellum possit indici ibidem.
67. An innocentes possint licitè redigi in seruitutem, cum Respublica est hac pœna digna. p.168
68. An capti bello iusto, possit aufugere, eosque possit quilibet ad fugam iuuare. ibid.
69. An bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium occupentur licitè à Principe, cum necessarium est ad finem belli consequendum. Et an vitia parta teneatur ijs satisfacere, licet ex occupatione horum bonorum ditior factus non fuerit. p. 169
70. An Monachi laici, & Clerici in minoribus Ordinibus constituti prohibiti sint propria manu dimicare. ibid.

71. Ad euitandam mortem, ad quam quis est condemnatus, licitene potest acceptare duellum. p. 170
Cap. 10 Circa scandalum Charitati contrarium. ibid.
72. An ad rationem scandali sit necessarium esse proximo ruinæ spiritualis, seu peccati occasionem. ibid
73. Inducere aliquem ad veniale peccatum ea depravata intentione, quia malum illius est, potestne solum esse veniale piaculum. p. 171
74. An qui consulit proximo aliquod peccatum, peccet eadem specie peccati, qua ipse proximus delinquit, debeat id in confessione explicare? ibid.
75. Si aliquem induxisti, vt tecum delinqueret, teneriſne in Confessione indictionem manifestare. p. 172.
76. Præfatum consilium, vel inductio indirecta ad crimen, estne speciale peccatum Scandali virtuti Charitatis, ac misericordiæ contrarium. ibidem.
77. Ex peccato publice patrato oriturne scandali malitia in confessione manifestanda. p. 173
78 Licitumne est offerre peccandi occasionem, vt te indemnem serues vel vt peccator deprehensus efficacius corrigatur. ibid.
79. Licetne persuadere minus malum, parato maius committere, 174
80. Potestne quis volenti surripere pauperi nummos, rogare, vt diuitem surripiat, non determinando diuitis personam ibid.
81. Qui consilium præbet furi, vt potius à diuite (indeterminato quidem) quam ab inope furetur, huius consilij ratione teneturne restituere, si alicui diuiti furtum sit effectum. p. 175
82. Mulier se ornans, & virorum offerens aspectui sciens ab aliquibus turpiter se amari posse, perpetratne scandali peccatum. ibid.
83. Fœmina è domo egrediens, stans ad ostium, vel fenestram sciens, ab adolescente turpiter esse amandam, nulla causa honesta existente cõmittitne delictum scandali ibid.
84. Vendit, vel subministrat quis indifferentia, quibus proximus potest sumere occasionem delinquendi, teneturne ea illi non vendere, aut subministrare, si credat, eum illis male vsurum. p. 176
85. Ministrans indifferentia excusaturne à graui scandali peccato, eo quod proximus aliàs erat præceptum transgressurus, etsi ei ille ea indifferentia non ministraret. ibid.
86. Potestne inuitare ad cœnam eum, qui paratus erat soluere ieiunium. p. 177.
87. Cum quis petit rem indifferentem, excusaturne à peccato scandali, si proximus omnino paratus sit peccare, attamen ad id petendum causa rationabilis non adest. ibid.
88 Petit dominus libidinem aggressurus famulum, vt eum custodiat, si fortè aliquis damnificare intendat, licitumne est eum custodire. ibid.
90. Cogitur quis scribere, aut deferre amatorias litteras turpia continentes, liberaturne à scandali peccato. p. 178.
91. Remigantes in Turcarum triremibus ob mortis timorem possuntne à peccato scandali excusari. ibidem.
92. An captiuis mortis timore pressis licitum sit, si à Turcis cogantur actiones per se proximo iniurioſas exercere. ibid.
93. An possit quis carius locare domum meretrici, vel vsurario, quam alijs iuste viuentibus personis. p. 179
94. Pingens imaginem concubinæ amasio vel statuam Idoli Ethnico efformans, estne peccati scandali reus. ibid.
95. Licetne ob metum vllum effingere Idolũ, vel Sacerdotalem vestem facere ad infidelis petitionem. ibid.
96 Requiriturne causa grauis, ad deponendas apud vsurarium licitè pecunias, quibus ad vsuras vti velle. p. 180.
97. Essene potest causa excusans à peccato scandali, præbenti munera Iudicis concubinæ, ad eaque petenti, vt Iudicem interpellet. ibid.
98. An præcepta affirmatiua positiua possint ob scãdalũ fratris omitti ibid.
99. Opera consilj, dimittendane sunt ad

ad vitandum scandalum proximi, qui ex ignorantia deliquit, sed adhuc tatione ei expositа, in ignorantia persistit, non capiens rationem. p.181
100. Licitumne est Comœdiis interesse. ibidem
Ad Deiparam Dominam meam Epilogus. p.183

LIBER L.

Excommunicatio.

SECTIO I.

De Excommunicatione Receptiores sine lite Sententiæ. p.185.

Cap. 1. DE Excommunicationis essentia, ac diuisione. ibid.
Cap. 2. De excommunicationis causis. p 186
Cap. 3. De Octo Excommunicationis maioris effectibus. p.187
Cap. 4 De Excommunicatione Minori. p.191
Cap 5. De Absolutione ab Excommunicatione Maiori. ibid.
Cap. 6. De Excommunicationibus in Bulla Cœnæ summo Præsuli reseruatis. p.191
Cap. 7. De Excommunicatione lata à Iure contra Clericorum percussores. p.197
C. 8. De Excommunicationibus summo Prę̃suli reseruatis extra Bullam Cœnæ & Caput *Si quis suadente Diabolo.* p.199
Cap. 9. De excommunicationibus nemini reseruatis. p.201

SECTIO II.

De Excommunicatione Dubia. p.202.

C. 10. CIrca Essentiam, & causas excommunicationis. ibid.
Dub. 1. An absolutè prolata excommunicatio semper de Maiore intelligatur. ibid.
2. Cum excommunicatio fertur obleuia multorum furta obligatne vt singuli pro minutis furtis satisfaciant. p.203
3. Omnis excommunicatus estne iure diuino vitandus. ibid.
4. Circa excommunicatos vitandos, standumne est constitutioni Concilij Basilienſis, & non Constantienſis. ibid.
5. TEneturne quis excommunicatum denunciatum, vel manifestum Clerici percussorem vbilibet vitare. p.204
6. Estne graue piaculum, secluſa necessitate, excommunicatum inducere, vt tibi Sacramenta ministret, celebret officium diuinum, vel tecum recitet. ibid.
Cap. 11. Circa Excommunicationis Maioris effectus. p.205
7. Estne licitum, in genere, & in communi pro excommunicatis orationes publicas, & Missæ Sacrificium offerre. ibid.
8. An pro excommunicatis contritis possit Sacrificium offerri. ibid.
9. Possumusne orationes publicas, & Sacrificium pro excommunicato tolerato offerre. p 206
10. An excommunicationem contra sepelientes cadauer excommunicati in Sacro loco solum subeant qui propriis manibus sepeliunt, sed & mandantes sepeliri. ibidem,
11. Excommunicatus ex ignorantia, vel obliuione non manifestat, in Confessione censuram, nec Sacerdos eũ ab ea ad cautelam absoluit, recipitne Sacramentum Pœnitentię, eiusque effectum, si omnia peccata cum vera contritione manifester. p.207.

12. Si Sacramentum Pœnitentiæ ægrotus suscepit, excommunicatus potestne ei licitè Eucharistiam ministrare. ibid.
13. Administratio Pœnitentiæ ab excommunicato vitando facta, constituine eum irregularem pag. 208.
14. Ex vi præcepti audiendi sacrum, excommunicatus teneturne absolutionem procurare, & se liberum, & expeditum, vt valeat implere præceptum, constituere? ibidem.
15. Fideles Sacrificio assistentes, si videant excommunicatum denunciatum velle Sacrificio in eodem Templo, licet in altari diuerso assistere, cogunturne recedere. pag. 209.
16. Excommunicatus priuatim recitans, si Dominus vobiscum dicat, peccatne venialiter. ibid.
17. Si excommunicatus in priuata recitatione socium secum adhibeat peccatne lethaliter. ibid.
18. A Theologiæ lectione, & interpretatione Iuris teneturne desistere, ne cum excommunicato vitando inibi assistente communicemus. ibid.
19. Excommunicato estne interdictus aquæ benedictæ & illorum Sacramentalium, quæ ex Ecclesiæ orationibus valorem habent, vsus. p. 210.
20. An sit irrita collatio pensionis, quæ simul est temporalis, & spiritualis excommunicato facta. ibid.
21. Irritane est collatio, præsentatio, seu nominatio ad iurisdictionis sæcularis officia excommunicato facta. p. 211
22. An beneficium alicui collatum excommunicationis tempore, valide ab excommunicatione liber postmodum acceptet. ibid.
23. An quæ de excommunicato dicta sunt de interdicto, & suspenso procedant. ibid.
24. An excommunicatus priuetur ipso iure beneficij fructibus, & prouentibus. p. 212
25. Si quis iniustè, sed validè excommunicatus sit, potestne fructuum priuationem repetere ab eis, quibus sunt applicata. ibid.
26. Si excommunicato alicui iuste differatur absolutio potestne fructus beneficij obtinere, si pœnitens existat. ibid.
27. An excommunicatus toleratus exerceat valide iurisdictionem à fidelibus non requisitus. p. 213
28. Validumne est exercitium iurisdictionis coactiuæ ab excommunicato tolerato factum. ibidem
27. Si in aliqua electione suffragiis gerenda excommunicati vitandi suffragium supersit, itavt reliqua sufficiant electioni: estne valida electio. ibidem.
30. Præsentatio laica ad beneficium irritane est si ab excommunicato fiat vitando. p. 214.
31. Validumne est Pontificium rescriptum ab excommunicato tolerato impetratum. ibid.
32. An rescripta Imperatoris, & Regis sint nulla, si ab excommunicato impetrentur. p. 215
33. Denunciationis probatio in priuatione communicationis forensis (excommunicationis effectu) sufficitne pro exceptione peremptoria. ibid.
34. An si iudex sæcularis excommunicatus vitandus sit, eius acta sint valida, si à partibus non excipiatur. ibidem.
35. An procurator excommunicatus validè instituatur ac mandatum acceptet. p. 216
36. An excommunicati testis validum sit testimonium, dum à parte non excipitur. ibidem
37. Si Tabellio excommunicatus vitandus sit, validáne scripturas conficit. ibid.
38. An reus excommunicatus possit se in iudicio comparare, si vitandus sit. p. 217
39. An excommunicatus exerceat licitè, & validè tutoris, curatoris, hospitalarij, ac similium officium. ibid.
40. An assistentia Parochi excommunicati non tolerati sit valida contrahentibus Matrimonium. ibid.
41. An licentia à Parocho excommunicato alteri Sacerdoti ad assistendum matrimonio sit valida. p. 218
42. An contractus ab excommunicato initi semper habeāt firmitatem indu-

inducantque obligationem tam ex parte excommunicati, quam aliorum quibuscum celebratur. ibidem.
43. An contractus Matrimonij ab excommunicato vitando initus sit validus ibidem.
44. Estne validum testamentum ab excommunicato vitando confectum. pag. 219
45. Licetne salutatio, quæ non fit salutandi animo, sed ne quis inurbanus videatur, ibid.
46. Cómunicatio in officio diuino priuatim recitato estne lethalis. ibid.
47. An maritus possit eum vxore excommunicata communicare pagin. 220.
48. Filij emancipati possuntne cum parentibus excommunicare, sicuti possent si emancipati non essent. ibidem.
49. An seruientes alteri gaudeant cõmunicandi priuilegio, si suas operas domino iam excommunicato conduxerint. p. 221
50. An excusentur vasalli à communicatis. ibid.
Cap. 12. Circa Excommunicationem minorem. ibid.
51. An pœnitentia ab excommunicato excommunicatione minore, sit valida. ibid.
52. Sacerdos excommunicatione minori innodatus peccatne lethaliter Sacramenta ministrans. pagin. 222.
53. Estne veniale piaculum Sacramenta administrare Sacerdotem, qui excommunicatione minori illigatur. ibid.
54. Irritane est ipso iure electio ad beneficium, si electus excommunicatione minore innodatus existat. ibid.
55. Vt electio illius, qui excommunicatione Minori illigatus erat, ad beneficium irritari debeat, necessumne est in electoribus scientiam huius excommunicationis adesse. p. 223
56. Simplex Sacerdos potestne ab excommunicatione Minori absoluere. ibidem.
Cap. 13. Circa Excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ continentur p. 225.
57. An Bullæ Cœnæ Excommunicationes à iure, non ab homine sint vocitandę. ibid.
58. Assensus, seu dubitatio interior contra Fidem si verbis ambiguis, vel indifferentibus declaretur exterius, estne excommunicatione prima Bullæ vindicatus. ibid.
59. Appellantes ab ordinationibus seu mandatis Pontificis ad Concilium futurum, non qua Pontifex est, sed qua est temporalis Princeps, liganturne excommunicatione. ibid.
60. An appellantes ad Concilium generale præsens, vel ad Prouinciale futurum incurrat hanc excommunicationem. pagina 225.
61. Necessariumne est aliquam deprædationem à pyratis committi, vt excommunicationem contra eos latam incurrant. ibidem.
62. Spoliãtes infidelium nauim à Christianis assecuratam, subiciunturne huic excommunicationi. ibid.
63. Auxiliantes eos qui bona naufragantium surripiunt, vel consulentes suntne quartæ huic excommunicationi subiecti. pag. 226.
64. Subiicituine huic excommunicationi, qui potestatem habet gabellas imponendi, licet iniustas imponat. ibidem.
65. Qui imponit gabellam, ex se iustam, sed personis exemptis nempè Clericis, aliisve priuilegiatis, subiicituine huic excommunicationi. ibidem.
66. Iuducitne hanc excommunicationem quælibet litterarum mutatio. p. 227.
67. Si in litteris Apostolicis correctio, vel immutatio fiat iuxta Pontificis mentem, eritne falsarius, huic Excommunicationi subiectus. ibidem.
68. An sub hac prohibitione comprehendantur vestimenta, pecuniæ, & victualia. ibid.
69. Incurrine Censuram hanc, qui arma, equos, relinquave in hoc Canone vetita ex vno loco infidelium ad alium, vel ex vnius infidelis Principis dominio, in dominium alterius, infidelis defert. p. 228.
70. Huiene

70. Huicne Censuræ subest, qui in terris Principi Christiano subiectis, arma infidelibus vendit. ibidem.
71. Catholicus Princeps bellum iustum cum alio Principe Catholico, gerens, potestne infideles, aduocare, eisque in sui auxilium arma exhibere. ibidem
72. Sub hac Censura comprehenditurne tabellarius deferens litteras infidelibus, secretum Christianæ Reipublicæ continentes, cum ipse probabiliter conscius est iniquitatis. ibid.
73. Reuelans secretum Christianæ Reipublicæ fidelibus, quos credit infidelibus reuelaturos. comprehenditurne sub hac Censura. 229
74. Ob periculum vitæ, alteriusue grauissimi damni excusanturne consulentes, & fauentes infidelibus in Christianæ Reipublicæ damnum. ibidem
75 Impediens pergentem ad Romanam curiam deferentemque victualia in proprium vsum, vel in vsum particularis personæ inibi commorantis, inciditne in hanc Censuram. ibidem.
76. Vt hæc excommunicatio contrahatur, sufficitne offendere accedentem ad Pontificem causa alicuius negotij temporarij expediendi pertinentis ad Pontificem, sed qua Dominus est temporalis. p. 230
77. Ad hanc Censuram incurrendam requiriturne offensio ad Sedem Apostolicam animo accessum huiusmodi impediendi. ibid.
78. Hæc Censura extenditurne ad eos, qui infideles ad Sedem Apostolicam accedentes diuexant. p. 231.
79. Incurritne duplicem excommunicationem, qui peregrinum accedentem ad vrbem, vel in ea commorantem, vel ab ea recedentem interficit aut vulnerat. ibid.
80. Qui inchoato ad Vrbem causa deuotionis itinere, domum reuertitur, vt aliquid agat, vel accipiat pertinens ad eandem peregrinationem, dum domum repetit gaudetne huius Canonis protectione. 232
81. Debentne Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi esse consecrati, vt offendentes eos hanc Censuram incurrant ibid.
82. Qui actiones prohibitas in hoc Canone circa recurrentes ad Romanam Curiam suorum negotiorum causa ratas habet ligaturne hac Censura. ibid.
83. Vt recurrentes ad Romanam Curiam pro negotiorum expeditione hoc Canone, protegantur, debentne necessario personaliter recurrere. p. 233
84. Qui delicta hoc Canone prohibita non impedit, cum facile possit, inciditne in Censuram ibidem
85. An ob quamlibet appellationem ab executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem hæc excommunicatio contrahatur. ibidem.
86. Impedientes, seu prohibentes executionem Apostolicarum litterarum innodanturne hac Censura, si de facto executio non est impedita. p. 234
87. Actiones quæ hac Censura prohibentur nempè auocationis, impeditionis compulsionis suntne præstandæ à potestate laica ibid.
88. An præfatæ actiones sint gerendæ exemptionum, gratiarum, aliorumne priuilegiorum Sedis Apostolicæ prætextu, vt huic subiaceant excommunicationi. p. 235
89. Vt auocatio prohibita hoc Canone excommunicationi subiaceat, debetne necessario esse causarum pendentium coram Apostolico iudice. ibid.
90. Innodanturne decima quinta excommunicatione Consiliarij disponentes statuta facta libertati Ecclesiæ contraria, & præcones voce publicantes p. 236
91. Vt vtés huiusmodi statutis excommunicatione feriatur debetne esse persona publica necessario. ibid.
92. Vt hãc excommunicationem quis incurrat debetne necessario authoritate publica impedimentum apponere, ne Prælatus Ecclesiasticus sua iurisdictione vtatur. ibid.
93. Recursus ad sæculare tribunal occasione impediendi decreta Ordinarij, puniturne hac excommunicatione. p. 237
94. Ad hanc Censuram incurrendam

necessariumne est omnes tres actiones adesse, scilicet, recurrere ad sæculare tribunal, obtinere prohibitionem, seu mandatum contra Ecclesiasticos iudices, & illud exequi. ibid.
95. Vsurpatio, vel sequestratio illegitima bonorum beneficij vacantis comprehenditurne sub hac Censura. ibidem
96. Vt vsurpans ea bona hac feriatur Censura debetne ea vsurpare, vel sequestrare ex eo, quod sunt bona Ecclesiastica. p. 238
97. Sufficitne ad hãc Censurã incurrendam, vt quis ea bona vsurpet, vt sunt Pontificis tanquam temporalis Domini ibid.
98. Qui vsurpat Ecclesiam, Monasteriũ aut beneficium Ecclesiasticum, comprehenditurne sub hac Censura. p. 239
99. Vsurpatio pecuniæ, ob quam beneficij fructus venditi sunt, comprehenditurne sub hoc Canone. ibidem.
100. An tributum Clericis impositum, vel ab eis exactum debeat necessario esse in graui materia, vt imponens, vel exigens hac censura afficiatur. ibid.
101. In hoc Canone innouantur decreta super his à Sacris Canonibus lata. Et quidem ex vi huius innouationis Censuræ, & pœnæ in decreto innouationis contentæ obtinentne huius Bullæ reseruationem. p. 240
104. An hanc Censuram contrahant Iudices, Magistratus, Notarij, Scribæ, Executores, qui suo auxilio, consilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processant, banniunt, &c. ibidem
103. Vt qui Romanæ Ecclesiæ terras inuadit, huius Canonis excommunicatione innodetur, requiriturne vt illas hostiliter inuadat. p. 241.
104. Supremam iurisdictionem Pontificis offendãtne qui Legatos, Commissarios, aliosque Gubernatores à Sede Apostolica constitutos impedit, & perturbat ne sua iurisdictione vtantur. ibid.
105. Obligatio habendi transumptum huius Bullæ sit sub mortali? ibid.
Caput 14. Circa Excommunicationem Canonis *Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. de Clerici percussione. p 242.
106. Clerici criminosi, ioculatores, incorrigibiles amittuntne ipso iure fori priuilegium, si sint in Sacris constituti. ibid.
107. Omnia requisita, vt Clericus fori priuilegio gaudeat, requiruntne vt priuilegio Canonis perfruatur. ibid.
108. Clericus se ipsum vulnerans, afficiturne hac Excommunicatione. p. 243.
109. Si quis post mandatum, vel consilium Clerici percutiendi, id reuocet ante patratum delictum, liberaturne ab hac censura, etiamsi mandatario sit huiusmodi reuocatio ignota. ibid.
110. Mandauit quis, vel consuluit Clerici percussionem, sed postea sufficiente prudentis arbitrio reuocauit mandatum, vel consilium. Hæc reuocatio sufficitne, vt ab Excommunicationis incursione liberetur. ibid.
111. Ad hanc Censuram incurrendam satisne est non impedire percussionem cum possis, sed debes esse ex iustitia obligatus? pagina 244.
112. An Paterfamilias possit filium etiam in Sacris constitutum moderatè punire sine huius Censuræ incursione. ibid.
113. An Magistri Clericos discipulos possit per laicos punire? pagina 245.
114. Vt percutiens Clericum cum vxore, matre, sorore, aut filia inuentum ab hac Censura excusetur, debetne eum incontinenti percutere. ibidem
115. Qui Clericum turpiter cum vxore, matre, filia, aut sorore acturum ex industria obseruat, & secreto expectat, venientemque percutit, liberne est ab hac censura. p. 246.
116. Si superior Religiosi exempti potestatem habeat, eum ab hac Censura absoluendi, & renuat absolutionem impertire, potestne eo inconsulto, pro absolutione impetranda

tranda Episcopo subisci ? ibidem.
Cap. 15. Circa Excommunicationes summo Præsuli reseruatas. ibidem.
117. Si Iudex Incendiarium excommunicatum publicet, eiusne absolutio est Pontifici reseruata. ibidem.
118. An omnis incendiarius sit ipso iure excommunicatus ? pagina 247.
119. Vt incendiarius excommunicationem hanc contrahat sufficitne factam esse generalem incendiariorum publicationem. ibid.
120. An effractores spoliatoresque Ecclesiarum sint *ex cap. Conquesti.* excommunicati. ibid.
121. Spectato iuris rigore, nomine Ecclesiæ effringendæ intelligunturne Hospitalia, Monasteria, aliaue similia loca. p. 248
122. Mandans, vel præcipiens aliquam actionem, qua diuexentur ij, qui Censuras excommunicationis, suspensionis, vel interdicti tulerint, innodanturne excommunicatione *Cap. Quicumque de sent. excommun. in 6.* ibid.
123. In Clement. *Religiosi de priuileg.* excommunicantur Religiosi Sacramentum Extremæ vnctionis vel Eucharistiæ absque Parochi licentia ministrantes sub nomine Religiosi comprehendunturne Nouitij p. 249.
124. An nomine Religiosi intelligantur soli Religiosi exempti. ? ibidem.
125. An vt Religiosi hac excommunicatione innodentur, debeant necessario esse Sacerdotes. ibidem.
126. Religiosus asserenti, se habere licentiam, vt sibi Eucharistiam, vel Extremam vnctionem ministres potest nesidem adhibere. ibidem
127. Huius Clementinę excommunicatione etiam innodatur Religiosus, qui sine facultate Sedis Apostolicæ quemquam præsumit, absoluere à culpa, & pœna, eamne contrahit qui non animo indulgentiam concedendi, sed dicipiendi præstat absolutionem ? p. 250.
128. In Clement. *Grauis, de sentent. excomm.* excommunicantur Domini temporales, qui in terris suis curant interdictum violari, singularis reuocatio, & secreta ad diuina audiendi sufficitne ad hanc censuram incurrendam ? ibidem.
129. Vt impedientes excommunicatos, aut interdictos exire ob Ecclesia, dum Sacra peraguntur, debentne moneri, vt exeant ab Ecclesiis Ecclesiastico interdicto suppositis. p. 251
130. In Extrauag. Bonifacij VIII. excommunicantur, qui aliquid dant, vel recipiunt pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia. Qui promittit animo non se obligandi, vel non adimplendi, inciditne in hanc Excommunicationem. ibidem.
131. Promissio hæc debetne acceptati, vt promittens hac excommunicatione alligetur ? pagina 252.
132. Quælibet res, quæ in materia furti peccatum lethale constitueret, sufficitne in huius Extrauagantis præscripto ad Censuram incurrendam. ibidem
133. Incurritne huius Canonis Censuram, qui, si iustitia certa sit, donat aliquid, vel donandum promittit, pro illius expeditione absoluta, siue maturiori absque vllius præiudicio. ibidem
134. Qui pro auferenda, vel differenda alterius iustitia, iudici largiatur, incurritne huius extrauag. excommunicationem ? pagina 253.
135. In hac Extrauag. nomine Sedis Apostolicæ intelligiturne solum Pontifex seu eius Ministri, vt iurisdictionem spiritualem exercentes. ibidem
136. An obligentur extra Romanam Curiam existentes reuelare intra triduum Pontifici eos, qui pro obtinenda gratia, vel iustitia, prętium promiserunt, donarunt, aut acceperunt. ibidem
137. An sub huius Extrauag. pœnis Cardinales, & Episcopi comprehendantur ? pagina 254.

138. Excommunicatio lata in Bulla Pij V. 83. contra Officiales Sacræ Pœnitentiariæ, afficitne non solum recipientes aliquid à partibus vltra stipendium assignatum, sed etiam stipendium assignatum, cum absque legitima causa absunt, & per se officium non exercent? ibidem.

139. In decreto edito à Cardinali Milleno Romæ Vicario, ne è Cæmeterijs Romanæ Vrbis Reliquiæ extraherentur, comprehendunturne exteri Romam venientes. p.255

140. Excommunicationem latam ab Vrbano VIII. contra extrahentes frumentum ex statu Ecclesiastico, contrahuntne farinam extrahentes. ibidem

241. Panis coctus comprehenditurne sub frumenti nomine. pagina 256.

141. Sub nomine olei, cuius extractio ex statu Ecclesiæ eodem Bullæ Vrbani VIII. decreto interdicitur, continenturne oleæ, ex quibus ipsum conficitur? ibidem.

Cap. 16. Circa Excommunicationes non reseruatas. ibidem

143. Excommunicatio *Cap. hanc consuetudinem* 10. *quæst.* 1. aduersus vsurpantes obligationes intra Ecclesiam factas estne ipso iure lata. ibidem.

144. Censura, quæ continetur in *Cap. Quoniam, de offic. Ordinar.* aduersus eos, qui in Diœcesibus diuersarum linguarum contra formam ibi præscriptam se gubernatores ingerunt comprehenditne solos Episcopos, p.257

145 Excommunicatio lata *in Cap. Clericis.* prohibentte, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis: afficitne omnes Clericos in Sacris constitutos. ibidem.

146. Censuram latam in *Cap. Non magnopere* & *Cap. Super Specula. Ne Clerici, vel Monachi.* Incurruntne Religiosi è suo Monasterio egressi animo audiendi Leges, vel Medicinam, eas autem non audientes ob impedimentum sibi appositum, si ad Monasterium intra duorum Mensium spatium non redierint. p.258

147. Excommunicationem eodem *Cap. Super Specula. Ne Clerici vel Monachi.* incurritne Religiosus, & Clericus, qui Leges, vel Physicam exaudit priuatim. ibidem

148. Excommunicationem latam in *Cap. vbi periculum*, contra eos, qui contra Pontificis electionem Cardinalibus nuncium vel Scripturam mittunt, incurritne qui nuncium, vel Scripturam secreto non mittit. p.259

149. Hæc excommunicatio afficitne Cardinales recipientes nuncium, vel scripturam, aut cum aliquo secrete colloquentes. ibidem

150. Censuram latam *Cap. Absolutionis*, contra extorquentes absolutionem, vel reuocationem Censuræ alicuius incurritne qui metum leuem incusserit? ibidem.

151. Sub sententia excommunicationis, de qua hic *Cap. Absolutioni*, agitur comprehenditurne excommunicatio Minor, ita vt extorquens huius absolutionem, vel reuocationem, excommunicatione Maiori illigetur. p.260

152. Excommunicatio lata *Cap. 2. Vt periculosa. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* contra Doctores, & Magistros qui Religiosos habitu dimisso leges, vel Physicam audientes scienter docent vocabulo Doctoris, & Magistri idemne significatur. ibidem

153. Censura lata in *Capit. Quicumque, de hæretic. in 6* contra eos, qui scienter præsumunt hæreticos eorumque defensores sepelire vt incurratur opusne est, vt hæretici, eorumque defensores sint nominatim denunciati. p.261

154. Censuram latam in *Cap. Pro humani 1. de homic. in 6.* contra eos, qui per assassinum aliquem Christianum fecerint interfici: incurruntne qui aliquem pecunia inducunt, vt officium assumat alium interficiendi. ibidem.

155. Excommunicentur in Clement. 1. *Religiosi, de Decimis*, Religiosi vsurpantes Decimas, si intra duos menses damnificatis Ecclesiis

tlesiis emendam non fecerint: Terminus duorum mensium computandusne est à die vsurpationis. ibidem.
156. Decretum Tridentini *sess.* 13 *can.* 11. ligatne existentes in Anglia aliisque partibus, vbi Concilium non est receptum. p. 262
157. An excommunicationem latam à Tridentino *sess.* 25. *c.* 18. aduersus cogentes fœminam ad Religiosam vitam, Reges, ac Reginæ incurrant. ibid.
158. Hoc Tridentini decretum comprehenditne parentes fœminæ illius, quæ ad Religionem cogitur. ibidem.
159. Qui cogit fœminam Monasterium ingredi, non vt ibi profiteatur, sed vt educetur, & de statu assumendo deliberet, afficiturne excommunicatione. d. 263
160. Sub Gregorij XIII. constitutione prohibente, ne Clerici taurorum agitationi intersint, includunturne Religiosi, qui nullo Ordine sunt insigniti? ibid.
161. Extra Hispaniarum Regna an interdicta sit assistentia taurorum agitationi beneficiario cuilibet, etiamsi exiguos reditus habeat. ibidem.

LIBER LI.

Suspensio.

SECTIO I.

De suspensione Receptiores sine lite Sententia. p. 265.

Caput 1. DE Suspensionis Definitione, ac Diuisione? pagina 265.
Cap. 2. De Suspensionis Causis. pag. 266.
Cap. 3. De Suspensionis effectibus. ibidem.
Cap. 4. Nonnullas ex quinque præfatis Suspensionis effectibus illationes deduco. pagina 267.
Caput 5. De Suspensionis Duratione. p. 268.
Cap. 6. De Suspensionis Absolutione. ibidem.
Cap. 7. De Suspensionibus, quæ ipso iure contrahuntur Catalogum indico. p. 269
Cap. 8, De Degradatione. pagina 270.

SECTIO II.

De Suspensione Dubia. p. 271.

Caput 9. CIrca Essentiam, & causas suspensionis. ibidem.
Dubium 1. Sub nomine personæ Ecclesiasticæ comprehenditurne fœmina Religiosa, cui iurisdictio spiritualis commissa est. ? ibidem.
2. Qui Suspensionem fert, debetne necessario esse Clericus. ibidem.
3. Persona, in quam Suspensio ferenda est, debetne necessario esse Clericus. ibid.
4. Sub decreto generalis Suspensionis comprehendunturne Episcopi electi, & confirmati, sed nondum consecrati. p. 272
5. An Religiosi comprehendantur sub generali Suspensione aduersus Clericos lata ? ibidem,
6. An ob alienam culpam possit aduersum te suspensio ferri. ibid.
7. An ob culpam suspensio possit iniungi. p 283
Cap. 10. Circa Suspensionis effectus. ibidem.
8. Suspensus absolutè ab officio potestne ad beneficium eligi licitè. ibidem.
9. Beneficij collatio facta suspenso estne irrita ipso iure. ibid.
10. An

10. An suspensus ab officio sit eo ipso à beneficio suspensus. pagina 274.
11. Debenturne fructus beneficij suspenso ab officio Sacramenta Ordinis ministranti, aliaque diuina officia exercenti? ibidem.
12. Suspensus absolutè ab officio habetne vocem in Capitulo. ibidem.
13. Suspensus ab Ordine inferiori, estne à maiori suspensus, etiamsi maioris vsus possit præstari sine minoris exercitio. ibid.
14. Episcopus suspensus à collatione Ordinis inferioris, censeturne à superioris collatione suspensus. pag. 275.
15. An suspensio à beneficio inhabilem reddat ad beneficium suscipiendum. ibidem
16. Sub suspensione à beneficio comprehendunturne distributionesquotidianæ. ibid.
17. Sub nomine fructus beneficij, quo suspensus à beneficio priuatu, comprehenditurne collatio, & electio ad beneficium titulo beneficij competens? pagina 276.
18 Si suspensio alternatiua ab officio, vel beneficio feratur, producitne effectum ipso iure. ibidem.
19. Pro violatione suspensionis ab Ordine Sacro, pro determinato tempore appositæ incurritne irregularitas. ibid.
Caput 11. Circa suspensionis suspensionem, & absolutionem. pag. 277.
20. Suspensio ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ absolutè lata, & incursa, si postmodum à iudice pro aliquo tempore suspendatur per appellationem interpositam illo medio tempore, habetne effectum. ibid.
21. Suspensio ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ, quæ non est Censura, sed pura pœna, suspenditurne per appellationem. ibidem.
22. Manente suspensione, alij à Pontifice illam ferentes possuntne eius effectum, & obligationem tollere, ac si de facto illa sublata esset. p. 278
231. Suspensio lata à iure absolutè ad comprimendam alicuius contumaciam, indigetne absolutione, contumacia recedente. ibidem.
24. Si suspensio in puram pœnam delicti commissi à Iure sit lata sine vlla temporis determinatione, potestne ab Episcopo tolli. ibidem.
Caput 12. Circa suspensiones in particulari. p. 279
25. Si quis recipiat ordinem, vel consecrationem Episcopalem ab Episcopo excommunicato ignorans cum defectum: suspenditurne ab Ordinis sic suscepti executione. ibidem
26. Suspensionem latam in *Cap. Cum illorum, de sentent. excommunication.* contra eum qui excommunicatione maiori ligatus Ecclesiasticos Ordines suscipit, incurritne qui Ordines minores sic recipit. ibidem.
27. Suscipiens Ecclesiasticos Ordines suspensione, vel Interdicto innodatus subijciturne huic suspensioni, ac si excommunicatione maiori affectus susciperet. ibidem.
28. Excusaturne ab hac *Cap. Cum illorum* suspensione, qui Ordines suscipit excommunicatione innodatus, si ignarus probabiliter suæ excommunicationis, vel prohibitionis huius Ecclesiæ sit. pagina 280.
29. Suspenditur ab executione Ordinis in *Cap. Si quis ausus fuerit*, quis Ordinem suscipit ab alieno Episcopo absque proprij Ordinarij facultate. Hæc suspensio estne ipso iure lata ex vi præfatæ constitutionis. ibid.
30. Suspensionem latam in *Cap. Episcopum, 9. quæstion. secund. & in Tridentin. sess. 6. cap. 5.* aduersus eum, qui ab Episcopo proprio exercente Pontificialia in aliena Diœcesi sine Episcopi illius loci licentia: Ordines suscipit, an incurrat qui solum primam tonsuram recipit. p. 281
31. Suspensionem latam contra ordinatum

ordinatum non seruatis temporum interstitiis, contrahitne qui duos Ordines Sacros eodem die absque Pontificis dispensatione recipit. ibid.

32. Ferturne ipso iure suspensio aduersus eum qui per saltum promouetur, hoc est, qui in ordinem superiorem, prætermisso inferiori ascendit, ibid.

33. Suspensio lata à Tridentino *sess. 24. cap. 1.* contra Parochum vel alium Sacerdotem qui alterius Parochi sponsos sine eorum Parochi licentia iungit, aut benedicit estne non solum ab officio, sed etiam à beneficio suspensio. pag. 282.

34. Excommunicatio lata in Clement. 1. *de priuileg.* contra Sacerdotem Regularem, qui matrimonio assistit absque Parochi licentia, cessatne ob impositam hanc à Tridentino suspensionem. ibidem.

35. Suscipiens Ecclesiasticos Ordines suspensione vel interdicto innodatus subijciturne huic suspensioni, ac si excommunicatione maiori affectus susciperet. ibid.

36. Excusaturne ab hac *C. Cum illorum* suspensione, qui Ordines suscipit excommunicatione innodatus, si ignarus probabiliter suæ excommunicationis, vel prohibitionis huius Ecclesiæ sit. ibid.

37. An prædicta pœna sit excommunicatio, non suspensio. pagina 283.

38. Suspensio lata in Concil. Toletano, qua refertur in *Cap. Relatum, de consecr. dist. 2.* contra Sacerdotem Sacrificantem, & se communione suspendentem: estne propriè suspensio? ibidem

39. In *Cap. Tanta, de excessib. Prælat.* lata estne suspensio ipso iure cõtra eos, qui Ordine vtuntur in loco interdicto. ibid.

40. Suspensionem in *Cap. Quisquis, de electio.* ipso iure incurritne elector, qui per abusum sæcularis potestatis aliquem ad beneficium Ecclesiasticum eligit, suspensionem inquam, seu priuationem potestatis eligendi. p. 284

41. Suspensio contenta in *Cap. si quorumdam 2. de solutionibus* aduersus Clericos beneficium habentes, qui Ecclesiam alienis debitis grauant &c. estne summo Præsuli reseruata. ibid.

42. Suspensio lata in *Cap. Hac constitutione, de offic. & potest. Iudicis delegati*, contra exercentes munus conseruatoris si de aliis, quam manifestis iniuriis, & violentis scienter se intromittat, estne solum suspensio ab officio. ibidem.

43. Suspensionem latam in *Cap. Exigit, de censib. lib 6.* aduersus Clericos inferiores Episcopo, qui occasione visitationis Ecclesiarum aliquam pecuniam &c. tempore visitationis acceperint: incurruntne recipientes esculenta & poculenta domo sua postmodum insumenda. p. 285

44. Episcopus per Oppida Diœcesis cursitans, vt Confirmationis sacramentum conferat, vel alia similia exerceat, si procurationem visitationis tempori designatam recipit, inciditne in hanc suspensionem. ibidem

45. Si Ecclesia, vel Rector visitandus potestatem habeant soluendi visitatori procurationem, possuntne laici compelli ad eam soluendam. ibid.

46. Ecclesiæ Ciuitatis, vbi Episcopus Cathedram habet, vel illarum Rectores debentne eum visitantur, procurationes soluere. pag. 286.

47. Episcopus, vel eius substitutus plures Ecclesias eodem die visitans, potestne à suspensione liber à singulis integras procurationes recipere, ac si vnam tantum visitaret? ibidem.

48. Qui recipit procurationem à locis priuilegio vel consuetudine exemptis ab onere eam soluendi, subiiciturne pœnis latis in *Cap. Exigit.* ibid.

49. An suspensioni subiiciatur visitator in euentu quo laici procurationem soluunt, & ab ipsis aliquod munus vltra victualia recipit. p 287

50. Infamatus

50. Infamatus de crimine adulterij, periurij, ac falsi testimonij suspenditurne à susceptione ordinum eorumque exercitio. *Cap. fin. de tempor. ordinat.* ibid.

51. Clericus publicus concubinarius suspenditurne *in Cap. Quæsitum vltim. de cohabit. Cleric. & mulier.* ibidem.

52. Clericus sodomiæ crimine infectus siue publicè siue occultè, estne suspensione ipso iure affectus, ex Bulla Pij V. p. 288

53. Suspensio expressa in *Cap. Non solum*, & in *Cap. Constitutionem, de Regularibus*, contra Religiosos Mendicantes aliquem ad professionem admittentes, anno probationis non completo: comprehenditne Moniales. ibidem

54. An hæc pœna suspensionis habeat locum post Tridentinum *sess. 2. cap.* 15. professionem ante annum expletum irritans. p. 289

Caput 13. Circa Depositionem, & Degradationem. ibid.

55 Si Clericus incorrigibilis esse declaretur, sufficitne, vt dispositus valeat, & Curiæ sæculari tradi. ibidem.

56. An degradationis verbalis ferre sententiam, pertineat ad solum Episcopum consecratum. ibidem.

57. An degradationem actualem necessario debeat proprius gerere Episcopus. p. 290

58. An ob alia crimina ab iis, quæ à iure annumerantur possit Clericus, maximè si Sacerdos sit, vel Religiosus, degradari. ibid.

59. Cum Episcopus dispensat, vt depositus ob crimen minus adulterio ad pristinum restituatur statum: ad hanc dispensationem faciendam, indigetne Capituli consensu. p. 291

LIBER LII.

Interdictum.

SECTIO I.

De interdicto Receptiores sine pugna Sententiæ. p. 292.

Caput 1. QVID & quotuplex sit interdictum. ibid.

Cap. 2. De Interdicti effectibus? pagina 293.

Caput 3. De peccatis, & pœnis violantis interdictum? pagina 297.

Cap. 4. De Interdicti Causis. pag. 298.

Cap. 5. De Interdicti relaxatione. ibid.

Cap. 6. De interdictis in iure latis. p. 299.

Cap. 7 De Cessatione à Diuinis. ibidem.

SECTIO II.

De Interdicto Dubia. p. 301.

Caput 8. CIrca Interdicti Diuisionem? ibidem.

Dubium 1. Interdictum latum in familiam estne speciale? ibidem.

2. Interdicta Ciuitate, vel Diœcesi, Cathedralis Ecclesia censeturne esse interdicta? pag. 302.

3. Interdicta Diœcesi, Ciuitas censeturne interdicta. ibid.

4. Si

4. Si terra aliquâ diuisim sit nocentis, & innocentis, & interdicto plectatur, terrane illa, quæ ad innocentem pertinet subijciatur interdicto. ibid.
5. Si interdictum hac forma feratur: *Interdicimus omnes terras, quas Dominus habet vel possidet* comprehendunturne hæ quarum solum vsumfructum habet? ibidem.
6. Si terras interdicto suppositas Dominus vendat, & solius domini culpa interdictæ fuerint, & non incolarum, cessatne illarum interdictum. p.303
7. Exteri etsi diu in populo habitent, eximunturne ab interdicto personali generali lato. ibidem.
8. Duplex habentes domicilium, alterum in loco interdicto, alterum in loco, qui interdictus non est, afficiunturne censura personali. dem.
9. Cum interdictum fertur à summo Præsule, seu ab eo, qui in sæculares, & Regulares iurisdictionem habet, comprehendunturne Religiosi, interdicto Clero. p. 304.
10. Interdictis alicuius vniuersitatis Doctoribus, afficiunturne Doctores Clericali statu insigniti. ibidem.
11. Interdicto populo, interdictane loca eius censentur? ibidem.
Caput 9. Circa interdicti causas. ibidem.
12. Episcopus, seu Prælatus sub se Capitulum habens potestne sine eius consensu interdicti sententiam ferre. ibid.
13. Prælati Regulares iurisdictionem tantum in Religiosos habentes possuntne eos absoluto interdicto ligare. p.305
14. Vt interdictum generale locale aut personale ferri possit, vltra culpam capitis, vel communitatis requiriturne, vt delinquens iurisdictionem temporalem habeat in locum vel communitatem. ibidem.
15. Interdictum locale speciale, verb. grat., vnius, vel alterius Eccle-

siæ, potestne licitè & valide pro debito pecuniario imponi. ibidem.
16. Interdictum personale, generale potestne imponi ob retenitonem æris alieni à capite communitatis factam. p.306
17. An interdictum personale speciale possit ob culpam alienam ferri. ibid.
18. Ob culpam venialem propriam potestne ferri speciale personale interdictum. ibid.
Cap. 10. Circa Interdicti Effectus. ibidem.
19 Tempore interdicti potestne secluſa necessitate solemniter ministrari Baptismus. ibid.
20. Ad ministrandum Confirmationis Sacramentum tempore interdicti potestne si opus sit, confici Chrisma non seruata *c. Alma mater* moderatione? pagina 307.
21. An ministratio Sacramenti Pœnitentiæ à Sacerdote interdicto denunciato facta validane est. ibidem
22. Permissumne est Eucharistiam sumere, ac ministrare in quatuor festiuitatibus contentis in *Cap. Alma mater, de sent. excomman. in 6.* p. 308.
23. Illi quibus ex priuilegio competit Missæ Sacrificio assistere tempore interdicti, possuntne tunc Eucharistiam recipere laicorum more. ibidem.
24. clericis quibus concessum est, tempore interdicti Sacrificium Missæ, & diuina officia celebrare, concessumne etiam est Sacramentum Extremæ vnctionis recipere, vel ministrare. pagina 309.
25. Illis festiuitatibus, in quibus *Cap. Alma* fidelibus conceditur diuinorum participatio censeturne concessa etiam esse eis Extrema Vnctio? ibidem.
26. Sabbatho Sancto in loco interdicto possuntne Ordines conferri. ibidem
27. In casu necessitatis alicuius Prouinciæ possuntne Ordines in loco interdicto conferri. p. 310

28. Sacramentum Matrimonij poteſtne in loco interdicto,& à perſonis interdicti recipi, ac miniſtrari. ibid.
29. Benedictiones Nuptiales poſſuntne in loco interdicto recipi, aut miniſtrari ? ibidem.
30. Recitatio publica, & Solemnis Horarum Canonicarum à Monialibus præſtita, eſtne ſub officio diuino per interdictum prohibito comprehenſa. pagina 311.
31. Priuilegio conceſſo *Cap. Alma mater* Clericis, vt ſingulis diebus Miſſas celebrare poſſint, & diuina officia peragere, ſeruatis quatuor conditionibus inibi expreſſis fruunturne Clerici coniugati. ibidem.
32. Præfato priuilegio diuina celebrandi officia interdicti tempore, potiunturne Clerici exteri, ſeu alienigenæ p.312
33. Tempore interdicti poſſuntne in priuatis Oratorijs diuina celebrari ſeruatis quatuor *Cap. Alma* conditionibus. ibid.
34. Tempore interdicti poſſuntne pulſari campanæ ad deſignandum Horarum, nempe, Primæ, Tertiæ, &c, tempus. ibidem.
35. In feſto immaculatæ conceptionis Deiparæ in omnibus Eccleſiis ſuſpenditurne interdictum in tota Hiſpania. p.313
36. Priuilegia præfata, & alia quæ mox referam, circa interdicti ſuſpenſionem, ſuntne à Tridentino reuocata. ibid.
40. Sub Feſtis Natalis Domini, Paſchę, & Pentecoſtes, in quibus interdictum ſuſpenditur, comprehenditurne primus tantùm dies. p.314.
41. Initium ſolemnitatis Natalis Domini ad interdicti ſuſpenſionem, ſumendumne eſt à Laudibus Vigiliæ. ibid.
42. In feſtiuitatibus conceſſis *Cap. Alma*, ad interdicti ſuſpenſionem. licitumne eſt cadauera defunctorum publico, ac ſolemni ritu ſepelire. ibid.
43. Priuilegium Clerici conceſſum circa Eccleſiaſticam ſepulturam tempore interdicti, extenditurne ad interdictum locale ſpeciale, ſi Clericus illius loci ſit. p.315
44. Si Clericus illius loci ſpecialiter interdicti non ſit, ſed alienus, poteſt in eo ſepeliri. ibid.
45. Interdictus poteſtne in cœmeterio diuina celebrare, & audire. pag. 316.
46. Diaconus, cui eſt Eccleſiæ ingreſſus interdictus, poteſtne extra Eccleſiam exiſtens, Euangelium cantare, vel Miſſam audire. ibidem.
47. Tempore quo diuina non celebrantur, interdictus ab Eccleſiæ ingreſſu poteſtne Eccleſiam ingredi, ibique preces fundere. ibid.
48. An ex vi interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu quis prohibeatur Sacramenta in Eccleſia recipere. p.317
Cap. 11. Circa peccatum, pœnas violantium interdictum. ibidem.
49. Clericus violans interdictum officia diuina in loco interdicto celebrando, peccatne lethaliter. ibidem.
50 An laicus peccet, etſi ſecluſo Eccleſiæ contemptu, violentia, & fraude diuinis officijs in loco interdicto aſſiſtat. ibid.
51. An mortale ſit laicos diuinis ſine Eccleſiæ contemptu in loco interdicto aſſiſtere. pagina 318.
52. Violatores interdicti localis incurruntne ſuſpenſionem. ibidem
53. Clericus non interdictus, & in loco non interdicto admittens interdictos ad celebrationem, &c. incurritne interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu. Ad quod opus eſt, vt ſit à iuriſdictione Ordinaria exemptus. ibid.
Cap. 12. Circa interdicti relaxationem. p.314.
54. An quoad aliquos effectus manente interdicto ſuſpendi id poſſit à quocumque feratur. ibid.
55. Parochus Communitate interdicta, ſi aliquis ex illa ſubſiſtat, ligaturne interdicto ? ibidem.

56. Parochus

56. Parochus aliusve proprius Sacerdos potestne interdictum personale speciale non reseruatum in foro conscientiæ relaxare ? ibidem.
57. Ad interdictum relaxandum, necessariumne est iuramentum de non patrando amplius delicto, ob cuius causam interdictum est latum. p 320
Caput 13. Circa casus nonnullos, in quibus ipso iure latum est interdictum. ibid.
58. Vt interdicto afficiatur, qui impedit Legatos, vel Nuncios Apostolicos, ne suum officium libere exerceant : debetne id impedimentum apponere consuetudinis prætextu. ibid.
59. Prohibitio illa *Cap. Quicumque, de hæret.* quo locus, in quo hæreticus sepultus est, in perpetuum priuatur, ne alios recipiat, estne propriè interdictum ? pagina 321.
60. Celebrantes, vel celebrari facientes diuina in Ciuitatibus, Castris, vel locis ab Ordinario interdictis, *Cap. Episcoporum, de priuileg. in 6.* interdicuntur. At hæ actiones præstandæ necessarione sunt in interdicto locali generali, vt Censura locum habeat. ibidem.
61. Personæ hoc interdicto *Cap. Episcoporum*, comprehensæ suntne solum sæculares, vel Regulares à iurisdictione Ordinaria exempti. ibid.
Caput 14. Circa cessationem à Diuinis. ibidem.
62. An triplex Cessationis effectus sit annexus cuilibet Cessationi. p. 322.
63. Priuilegium concessum in *Cap. Alma*, extenditurne ad Cessationem. ibid.
64. Priuilegium concessum pro illis quatuor festiuitatibus in *Cap. Alma* mater extenditurne ad cessationem. ibid.
65. Ex vi priuilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti : possuntne tempore cessationis diuina audiri, vel celebrari. p. 323
66. Licetne tempore cessationis in particulari binos vel ternos recitare Canonicum officium. ibidem,
67. Inualidane est Cessatio, non seruatis conditionibus cunctis circa censuras, in *c. 1. de sent excom. in 6.* præscriptis. ibid.
68. Si Capitulum, Sede vacante, velit cessationem imponere, debetne quasdam conditiones ei præscriptas necessario obseruare. p. 324.
69. Religiosi exempti obliganturne seruare & publicare in suis conuentibus cessationem imposítam à Prælato, seu Capitulo, & in Ecclesia matrice obseruatam. ibidem.
70. Contrahiturne irregularitas à Clerico violante cessationem generalem. ibid.
71. Potestne per appellationem suspendi cessatio, si executioni mandata non sit. ibid.

LIBER LIII.

Irregularitas.

SECTIO I.

De Irregularitate Receptiores sine lite Sententiæ. p. 326.

Caput 1. QVID & quotuplex Irregularitas. ibidem.
Cap. 2. Quale peccatum requiratur, ad incurrendam irregularitatem ? p. 327
Cap. 3. Queisnam verbis soleat in iure irregularitas ferri. ibidem.
Caput 4. De ijs, quæ ab Irregularitate ob aliquam culpam imposita, excusant. p. 328

Index Capitum,

Cap. 5. De Irregularitate ex illicita Sacramentorum susceptione. ibidem.

Caput 6. De Irregularitate ob prauam ordinum vsum. p. 329

Cap. 7. De Irregularitate ob hæresim, simoniam, aliaue crimina, vel ob infamiam contracta. ibid.

Cap 8. De Irregularitate ex homicidio, aut mutilatione voluntaria. p. 330.

Cap. 9. De Irregularitate ex homicidio casuali, aut ob suam, suorumue defensionem. pagina 331.

Cap. 10. De Irregularitate ob defectum lenitatis. ibid.

Cap. 11. De Irregularitate ex bigamia proueniente? pagina 332.

Cap. 12. De Irregularitate ex Natalium defectu. ibid.

Caput 13. De Irregularitate ob corporis vel animi defectum. pagina 333.

Cap 14. Quomodo Irregularitas tollatur. ibid.

SECTIO II.

De Irregularitate Dubia. p. 334.

Cap. 15. Circa causas irregularitatis. p. 334

D. 1. An solus Pontifex possit Irregularitatem indicere. ibid.

2. Episcopus comprehenditurne sub generali lege Irregularitatem inducente. ibidem

3. Si culpa Irregularitati obnoxia lateat liberaturne ad Irregularitatis incursione. ibid.

4. Si ex circumstantia aliqua delictum à peccato lethali excusetur, eo ipso excusaturne ab Irregularitate. p 335

5. An ob causam dubiam quis censendus sit irregularis tam in foro externo, quam in conscientiæ foro. ibid.

6. Non solum in dubio facti homicidij, sed & in omnibus materijs dubius facti debetne se Irregularem reputare? pagina 336.

Cap. 15. Circa Irregularitatis effectus. ibid.

7. Irregulari prohibitane est primæ tonsuræ receptio. ibid.

8. Validane est beneficij collatio Irregulari absolutè facta. pagina 337.

9. Irregularitas priuatne Beneficiis ritè acquisitis ipso iure? ibidem.

10. Potestne Irregularis, antequam per sententiam condemnetur conscius, beneficium esse ab alio impetratum, id in alterius fauorem renunciare. pag. 338.

Cap. 16. Circa causas excusantes ab Irregularitate incurrenda, eiusque relaxationem? ibidem.

11. Si quis ignoret, lege Ecclesiastica specialiter prohibitum esse delictum sub Irregularitatis pœna, excusaturne ab illius incursione. ibid.

12. Excusaturne quis ab Irregularitate delicto annexa, si agnoscat delictum Ecclesiastica lege esse prohibitum, tametsi probabiliter ignoret sub pœna Irregularitatis prohibitum esse. p. 339

13. Episcopus potestne Irregularitatem relaxare. ibid.

14. Potestatem à Tridentino concessam Episcopis dispensandi in Irregularitatibus, ex delicto occulto abortis, possuntne exercere Archiepiscopi in subditos suffraganei Episcopi, dum eius Diœcesim visitant. p. 340

15. Sub nomine Episcopi ad dispensandum in Irregularitate ex peccato occulto proueniente veniunt ne Abbates, & alij Prælati habentes propriam Diœcesim, & in ea iurisdictionem quasi Episcopalem exercentes. ibid.

16. Potestne Episcopus dispensare in Irregularitate ob delictum contracta, in vna parte publicum, & notorium, in alia verò occultum, & quod non timetur probabiliter sciendum esse. p 341

17. Si delictum in iudicio probatum integrè fuerit, & reus condemnatus & punitus potestne Episcopus in Irregularitate

regularitate dispensare, ibid.
18. Episcopus conscius Irregularitatis, in qua dispensare potest si admittat Irregularem ad Ordines suscipiendos, vel ad beneficium censeturne cum illo dispensare. ibid.
19. Irregularis dispensatus ad Ordines minores censeturne ad beneficium simplex dispensatus. ibid.
20. Episcopus litteras dimissorias ad Ordines concedens, censeturne concedere dispensandi in Irregularitate orta ex delicto occulto potestatem. p. 342
Cap. 17. Circa Irregularitatem ex Bigamia ortam. ibid.
21. Contrahitne Bigamiæ interpretatiuæ Irregularitatem qui ignorans coniugis adulterium eam cognouit, vel à principio existimans Virginem ducere, duxit corruptam. ibid.
22. An Bigamiam interpretatiuam contrahat, qui viuente propria vxore, scienter aliam ducit, vel qui mortua prima vxore aliam ducit, qua cum est impedimento dirimente illigatus? pagina 343.
23. An interpretatiuam Bigamiam contrahat, qui post matrimonium validè contractum, aliud inualidum init, & consummat, impedimenti dirimentis ignarus. ibidem.
24. Irregularisne est contrahens duplex matrimonium, si vtrumque sit inualidum. ibid.
25. Clerici in sacris constituti contrahentes matrimonium suntne Irregulares ob Bigamiam similitudinariam. p. 344
26. An in Irregularitate ex Bigamia interpretatiua orta, Episcopus possit dispensare. ibid.
27. Quoad Ordines minores, & beneficium simplex potestne Episcopus cum Bigamis proprijs dispensare. ibid.
28. An in Bigamia similitudinaria possit Episcopus ad Ordines Sacros suscipiendos, illisve vtendum dispensare. p. 345
C. 18. Circa Irregularitatem prouenientem ex defectu natalium ibid.
29. Si defectus natalium occultus sit, excusaturne quis ab Irregularitate. ibidem.
30. Cum dubium subest de alicuius illegitimitate, estne reputandus Irregularis? Vbi de filiis expositis. p. 346.
31. Filius illegitimus dispensationem obtinens, potestne aliud Beneficium obtinere primo relicto. ibidem.
32. Si Beneficio simplici (ad quod obtinendum cum illegitimo dispensatur) annexum sit beneficium Curatum impediturne dispensatio. ibid.
33. Potestne Episcopus cum illegitimo dispensare ad Canonicatus & integras portiones Cathedralis Ecclesiæ. p. 347
34. Cum illegitimo, cuius defectus occultus est, potestne Episcopus dispensare ad sacros Ordines suscipiendos, &c. ibid.
C. 19. Circa Irregularitatem ex defectu animæ & corporis prouenientem. p. 348.
35. An Episcopus possit in Irregularitate orta ex amentia non perpetua dispensare? ibid.
36. Ignorantia quæ ministerium Ordinis exercere non permittit, constituitne Irregularem. ibidem.
37. An hermaphroditus, in quo sexus virilis, & fœmineus æque inualescit, sit iure diuino capax Ordines suscipiendi. ibidem.
38. Hermaphroditus, in quo sexus virilis prævalet, si defectus notus sit, estne Irregularis. ibidem.
39. Patiens defectum impediemtem altaris ministerium potestne alios Ordines, à quorum vsu ex vitalis defectus impeditus non est, suscipere. p. 349.
40. Si morbus, seu defectus corporis superueniat alicui Beneficio recepto, priuaturne qui defectum patitur illo, sive sit, sive non sit Curatum. ibid.
41. Potestne Episcopus in irregularitate ex defectu corporis dispensare cum Religioso, qui huiusmodi afficitur defectu. ibid.
Caput 20. Circa irregularitatem profluentem ex propriis corporis mutilatione

latione. ibid.
42. Vt quis irregularis sit ob proprij corporis mutilationem, necessariumne est, vt tam culpa, quàm ipsa partis abscissio nota sit. ibid.
43. Ex eo quod quis culpabilem causam dederit, vt sibi virilia, vel aliquod aliud membrum amputetur à Iudice, vel à marito, ob commissum adulterium, existitne irregularis. p 350
44. Irregularisne est, qui testiculos sibi abscindi facit, causa vocis retinendæ. ibid.
Cap. 21. Circa Irregularitatem procedentem ex libertatis defectu. ibidem.
45. Obligatio reddendi pro seruo alieno Ordinato duplicatum pretium, adestne ante Iudicis sententiam. ibid.
46. Si quis administrationem, quam habet, deponat, tametsi rationem illius non reddiderit, potestne ad Ordines ascendere. p 351
Cap. 22. Circa irregularitatem ortam ex homicidio, vel mutilatione publica authoritate facta? ibidem.
47. Vt accusantes in causa propria, adhibita protestatione se pœnam sanguinis non intendere, excusentur ab irregularitate, debentne necessario eiusmodi protestationem ex animo facere. ibid.
48. Si quis actionem ciuilem intentet, ad recompensationem damni illati, si accusatus paratus sit damnum compensare independenter à præcepto Iudicis euitatne irregularitatem, protestatione facta, se pœnam sanguinis non intendere, sed satisfactionem. p. 352
49. Detinet quis latronem, qui eius bona diripuit, & ab aliis superuenientibus occiditur, detentor manetne irregularis, si damnum fuit præuisum. ibid.
50. An irregularitate afficiatur Aduocatus partes accusatoris iniustè suscipiens, qui calumnia conuictus occisus est ibid.
51. Laicus ad clericatum adspirans potestne cogi, vt testimonium in sanguinis causa ferat. pagina 353.
52. Si laicus in causa criminali, vel ciuili præcepto Iudicis cõpellitur, vt testimonium ferat, ex quo reo mors, vel mutilatio sequatur, incurritne irregularitatem. ibid.
53. Si quis etiam Sacerdos ad occidendum exhortatur in bello iusto, aut propria manu pugnat, non tamen ipse per se occidit, aut deformat, incurritne irregularitatem. ibid.
54. Clericus propria manu occidit, vel mutilat in bello iusto, eius irregularitas estne ex homicidio illicito, & iniusto. p. 354
Cap. 23. Circa irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione iniusta ortam. ibid.
55. Vt Irregularitas ex voluntaria mutilatione incurratur, sufficitne ea ex qua corpus humanum non integrum sed imperfectum manet. ibidem.
56. An irregularis erit, qui ita membrum debilitaret, vt omnino arescaret, ac moreretur. ibid.
57. Eritne irregularis Clericus, qui non potest dimouere coniugatam à consilio dato aborsus. p 355
58. Incurritne irregularitatem ex homicidio casuali, qui consulit vel mandat Antonio, vt Ioannem occidat, si non Ioannes, sed ipse Antonius occisus est. ibid.
59. Ex sola ratihabitione homicidij tuo nomine facti erisne irregularis. ibid.
60. Ad dispensandum in irregularitate proueniente ex voluntaria mutilatione occulta habetne Episcopus potestatem. p. 356
61. Sufficitne culpa leuis ad irregularitatem ex homicidio casuali, vel mutilatione incurrendam. ibidem.
62. Si quis culpam leuem perpetrauit in præcauendo homicidio, quod ex opere illicito subsecutum est, contraxitne irregularitatem? ibidem.
63. Adulter ob cuius causam vxor à marito occiditur, estne irregularis, etsi mortis periculum, cui se vel vxorem exposuit præuideat pagina 357.
64. An censendus quis sit irregularis, si Antonium haud secus percussi,

percussit, sed ipse postmodum diligentiam necessariam circa vulnus non adhibens, ex sua intemperantia, vel ex Medici negligentia obiit. ibid.

65. Cum plures associatim concurrunt ad occisionem, si certò constet quisnam lethale vulnus inflixit, reliqui vulnus lethale non inferentes, eximunturne ab irregularitate non incurrenda. pag. 358.

66. Parochus vulnus lethale cuidam inflixit, ex quo tamen vulneratus mortuus non est, sed ex vulneribus à Parochianis acceptis, manet irregularis. ibidem.

67. Quis homicidium, dum potuit non impediuit, sed nullum tamen positiuum influxum ad illud patrandum adhibuit, mansitne irregularis. ibid.

68. Excusaturne quis ab irregularitate si occidat in sui defensionem, tametsi occasionem aggressori per iniustitiam dederit p. 359.

69. Estne irregularis qui inuasorem occidit, & potest eius inuasionem fugiendo declinare. ibidem.

70. Defensio directa bonorum temporalium excusatne ab irregularitate. ibid.

Caput 24. Circa irregularitatem contractam ex Baptismi iteratione. p. 360.

71. Baptizatio occulta, inducitne irregularitatem Ministro rebaptizantis, & rebaptizanti ipsi. ibidem.

72. Estne irregularis, qui rebaptizat sub conditione, nulla tamen diligentia præmissa, vt cognoscat, an prior baptismus præcessit. p. 361

73. Qui ignorans se baptizatum esse rebaptizatur, contrahitne irregularitatem? ibidem.

74. Propter iterationem aliorum Sacramentorum characterem imprimentium incurriturne irregularitas. ibidem

Cap. 25. Circa Irregularitatem ob illicitam Ordinum susceptionem, & administrationem contractam. p. 362.

75. Ob receptionem sacri Ordinis absque Confirmationis receptione præmissa contrahiturne irregularitas. ibid.

76. Absolutio Sacramentalis præstita ab eo, qui ordinatus non est, inducitne irregularitatem. ibid.

77. Exercet quis officium Ordinis, quem non habet, eritne irregularis, si illud præstet absque intentione vsum ordinis vsurpandi. ibid.

78. Præfata irregularitas indictane est solummodo aduersus Clericos officium Ordinis, quem non habent, vsurpantes. p. 363

Cap. 26. Circa irregularitatem ex crimine hæresis proueniente. ibid.

79. Crimini occulto hæresis annectiturne irregularitas. ibid.

80. Extenditurne hæc irregularitas ad eos qui exterius fidem abnegant, etsi interius illam retineant. pag. 364.

81. Hæreticorum fautores excusanturne ab irregularitate? ibidem.

82. Filij eorum, qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur, quique contritionis signa dedere, suntne irregulares. ibidem

83 Estne Neophytus irregularisque, qui infantia baptizatus, etiamsi ex patre Iudæo, vel Sarraceno descendat. p. 365

84. Vt hæretici ad fidem redeuntes in Ordinibus habitis ministrent, indigentne dispensatione. ibidem.

85. In hac irregularitate occulta potestne Episcopus virtute Tridentini dispensare p. 366

86. Inquisitores possuntne in foro conscientiæ in hac ex hæresi irregularitate dispensare. ibidem.

Cap. 27. Circa irregularitatem ex infamia prouenientem. ibid.

87. Ad incurrendam Infamię ex proprio delicto irregularitatem necessarione debet delictum esse notorium. ibid.

88. An Infames sint filij hæreticorum. p. 367.

89. An illegitimi sint inter infames

mes computari, ibidem
90. Officium Carnificum, lictorum, Macellariorum, & similium estne infamia notatum irregularitatis obnoxia? ibidem.
91. An infames ita excluſi sint à dignitatibus Eccleſiaſticis obtinendis. vt earum prouiſio ſit & non ſit irrita ipſo iure? ibidem.
92. Omnia crimina Depoſitione digna inducuntne irregularitatem, etiamſi ſint occulta. p.368
Ad Deiparam Dominam meam Epilogus. p.369

R.P.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES SINE LITE Sententiæ, Dubiæque Disceptationes.

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

LIBER XLVII.

FIDES.

DE Fide omnium Virtutum radice, ac fundamento, ac iustificationis initio, vti ait Tridentinum sess. 6. c. 8. *scripturus, eius essentiam, obiectúmque formale, ac materiale indicabo: necessitatem, & obligationem exponam: De Infidelitate, Hæresi, ac hæreticorum pœnis agam, necnon de suspectis in fide, solicitantibus in Confessione ad Venerem dissertabor.*

SECTIO PRIMA.

De Fide Receptiores sine lite sententia.

CAPVT I.

De Fidei Essentia, & Obiecto formali, ac materiali.

1 Fidei definitio.

MIssis variis fidei acceptionibus alienis ab instituto nostro considerante fidem quatenus quædam virtus est nostræ iustificationis initium, & reliquarum Virtutum radix & fundamentum, *Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, *ad Hebr.* 11. Dicitur *substantia rerum sperandarum*, tùm quia per eam quodammodo subsistunt in nobis res, quas speramus: tùm quia ipsa vt fundamentum substat omnibus aliis virtutibus, quibus via speratæ gloriæ præparatur. Vocatur *argumentum*, seu convictio

uictio *non apparentium*, ob euidentiam quam habet simul cum certitudine, quæ in ipsa authoritate diuina fundatur. Magist. Sent. *in 3. dist.* 23. Chrys. *hom.* 21. *ad locum Pauli.* Valent. *d.* 1. *q.* 4 *punct.* 1. Palao *to.* 1. *tr.* 4. *d.* 1. *punct.* 1. *n.* 1.

2 *Alia fidei vulgarior definitio.*

Aliis verbis ab aliis definitur *Fides est virtus Theologica à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei authoritatem iis, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita, vt à nobis credantur.* Quæ quidem definitio est veluti præfatæ ex Paulo definitionis explicatio. D. Tho. 2. 2. *q.* 4. *a.* 1. Sylui *q.* 1. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 1. *q.* 3. Reginal. *l.* 17. *n.* 10. Tolet. *l.* 4 *c.* 1. Filliuc. *tr.* 22. *num* 1.

3 *Obiectum formale Fidei.*

Obiectum fidei est duplex formale, ac materiale, Formale est Deus, non precisè qua Deus, sed qua verax est. Sicut enim solemus homini narranti credere, non ideo præcisè quia homo, aut nobilis, aut diues, aut doctus, sed quia verax est: sic credimus Deo reuelanti, non ideo præcisè quia Deus, aut æternus aut omnipotens, sed quia est verax. D. Tho. 2. 2. *q.* 1. *a.* 1. Valent. *to.* 3. *d.* 1. *q.* 1. & alij.

4 *Materiale obiectum.*

Materiale obiectum circa quod fides versatur sunt omnia, quæ ad Catholicam veritatem pertinent, & ab Ecclesia fidelibus credenda proponuntur tanquam à Deo reuelata. Constituuntur septem gradus huiusmodi propositionum. Primus est earum, quæ apertè, & in propriis terminis in scripturis Canonicis habentur. Secundus earum, quæ ex Canonicis Scripturis deducuntur. Tertius, earum, quæ Apostolica traditione habentur. Quartus, earum, quæ à Conciliis legitimè congregatis à summo confirmatis Præsule sunt definitæ. Quintus, earum, quæ tanquam de fide à Sede Apostolica proponuntur. Sextus, earum, quæ vnanimi Patrum consensu tanquam de fide exponuntur, & asseruntur contra hæretica dogmata. Septimus, earum, quæ euidenter ex tribus postremis gradibus euidenter deducũtur. Valent. *to.* 3. *d.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. Sylui. 2. 2. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 3. Tolet. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 7. Reginal. *l.* 17. *nu.* 12. Becan. *de fide, c.* 2. Cano *de locis l.* 12. *c.* 7. *ad* 12.

CAPVT II.

De Fidei certitudine eiusque Obiecto.

5 *Quamuis fides obscura sit, certior est quauis naturali scientia.*

QVamuis fides obscura sit, tamen est quauis sciẽtia naturali certior. Quia certitudo scientiarum est absolute fallibilis, certitudo autem fidei infallibilis est: veracitas enim diuina omnibus à se reuelatis tribuit immobilitatem, ac firmitatem simpliciter infinitam adeo, vt per nullã potentiam possint esse falsa, quæ fide Catholica credimus ac naturales rerum proprietates, similiter & effectus causarum impediri à Deo possunt, vt *Iosue* 10. 13. *Isaiæ* 38. 8. Hinc Dominus *Mat.* 24. 35. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Vnde debemus parati esse, abnegare potius omnem naturalem euidentiam, omnem experientiam sensuum, omnem ratiocinationem, quam vllo modo de illis dubitare, quæ Deus affirmauit & per Ecclesiam suam nobis credenda proposuit: vt patet in potissimis fidei mysteriis, Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis, &c. D. Th. 2. 2. *q.* 4. *a.* 8. & omnes.

6 *Actus Fidei & scientia simul non possunt consistere.*

Non possunt actus fidei, & scientiæ simul consistere. Quia actus hi habent conditiones repugnantes; vnus enim est euidens, alter obscurus, vnus necessarius, alter liber: vnus naturalis, alter supernaturalis, vnus ob rationẽ intrinsecã alter ob extrinsecã creditur. Nõ igitur simul possũt ab intellectu elici; hoc enim naturæ vires superat. At per absolutã Dei potentiã posset hoc fieri, si supernaturaliter intellectus noster à Deo corroboraretur. Quia nõ implicat cõtradictionẽ. Profecto actus sciẽtię potest cũ habitu fidei cõsistere: & habitus fidei cũ scientiæ habitu, ac proinde potest aliquis successiue, modo credere esse Deum, modo scire per euidentem demonstrationem. Sed actus fidei longe præstantior est, & certior scientiæ actu. D. Tho. & omnes.

7 *Soli viatores habent fidem, & quinam hi:*

Soli viatores hi fidem habent, qui captiuant suum intellectum in eius, siue Christi obsequium credentes firmissimè ea omnia, quæ Deus reuelauit, & per Ecclesiam credenda proposuit, qui dicuntur Catholici. Vnde Angeli creationis initio, & Adamus in paradiso fidem habuere. Quia viatores erant nondum admissi ad patriam. Qui in Purgatorio versantur, fidem retinent. Quia partim sunt in via, partim in termino: ex via habent fidem, nondum enim admissi sunt ad speciem; ex termino habent certam spem salutis; sententia enim iam est lata, Peccatores etiam grauissimi fidem diuinitus infusam retinent, quandiu peccatum infidelitatis non commiserint. Trid. *sess.* 6. *can.* 28. Hæretici non habent fidem. Quia sicut perpetratione vnius peccati mortalis tota charitas amittitur: ita etiam vnica infidelitate tota fides aboletur. Beati nõ habent fidem. Quia gloriæ lumen non potest cum fide consistere. Nec damnati. Quia in termino sunt, & nihil possunt sperare. Scio, Iacobum *Epist. cap.* 2. dixisse dœmones credere. Sed hoc intelligendum de assensu naturali, non de fide diuinitus infusa. D. Tho. 2. 2. *q.* 4. *a.* 1, & 2. & omnes.

8 *Fides explicita, & implicita.*

Fides alia implicita, alia explicita. Explicita contingit, quando aliquid creditur in particulari, & in se ipso: vnde qui credit Christum Dominum natum esse ex Deipara, dicitur fidem explicitam mysterij Natiuitatis habere. Implicita vero est, quando aliquid creditur nõ in particulari, & in se ipso, sed in aliquo alio: ideo qui credit quidquid sancta credit Mater Ecclesia dicitur habere fidẽ implicitã mysterij Trinitatis, Incarnationis, &c. quia inter ea, quæ sancta mater Ecclesia credit, sunt Trinitatis, Incarnationis mysteria: Fides aliquando accipitur pro ipsa virtute, seu habitu fidei, aliquando pro ipso actu credendi. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 6. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. Tolet. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 9. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 2. *nu.* 2. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *cap.* 8. *num.* 1.

CAPVT

CAPVT III.

De fidei necessitate.

9 *Fides quocunque tempore ad gratiã, & gloriã necessaria fuit necessitate medij.*

SI fides accipitur pro ipso actu credendi explicite aliquod supernaturale obiectum, omnibus vsum rationis habentibus quocumque tempore, ad gratiam & gloriam consequendam fuit necessaria *necessitate, medij*, seu finis, ideſt, qua prætermissa salus obtineri non potuit in vllo euentu, etiamsi inculpabiliter prætermitteretur. Quia ad *Hebr.* 11. dicuntur *Accedentes ad Deum oportet credere* & in Tridentino *sess. 6. c. 8.* sine fide nulli vnquam iustificationem contigisse asseritur. Becan. *c. 12. qu. 1. n. 5.* Bannes 2.2 *q. 2. a. 8. dub. 1. concl. 1.* Valent. 2.2. *d. 1. q. 2. pun. 2.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 8 n. 3.*

10 *Baptizati in infantia, facti adulti non possunt ejus fine fidei actu adipisci.*

Principium omnis meriti est actus fidei supernaturalis, ideoque baptizati in infantia nequeunt facti adulti absque supernaturalis fidei actu gloriam adipisci. Quia adulti nequeunt ob sola Christi Domini merita gloriam consequi, sed propriis quoque meritis indigẽt. Vnde si puer statim ac ad annos discretionis peruenerit, moriatur, ad diuinam pertinet prouidentiam, vel vt interius illustretur vel ab aliquo ei ita fidei mysteria proponantur, vt credere possit, D. Tho. *in 3. dist. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1.* Valent. 2.2. *d. 1. quæst. 2. punct. 3. concl. 1.*

11 *Fides implicita Christi post Adami lapsum necessaria fuit necessitate medij.*

Post Adami lapsum semper fuit necessaria necessaria necessitate medij ad gratiam & gloriam consequendam, fides saltem implicita Christi tanquam mediatoris, ac Redemptoris, cuius meritis hæc erant assequenda. Quia in multis Sacræ Scripturæ locis fides in Christum omnibus tanquam ad salutem necessaria commendatur. Laym. *l. 2. tr. 1. c. 9. num. 1.* Sylui. 2.2. *q. 2. a. 10 concl. 3.* Loca autem Sacræ pagiginæ inuenies *ad Rom. 3. 4. & 5. ad Corinth. 10.*

12 *Quæ sint post Christi aduentũ ad gratiam, & gloriam necessitate medij credere, recensẽtur.*

At post Christi Domini aduentum & sufficientem Euangelij promulgationem ad primam, & vltimam salutem, ad gratiam scilicet, & gloriam necessitate medij credere explicite necessum est, in primis, Deum esse, nam qui tendit in finem, debet illum præcognoscere: sed finis est visio Dei remuneratoria: Ergo debemus credere, Deum esse, remuneratorẽque existere. Deinde Trinitatis mysterium; quia fũdamentum nostræ salutis est, & sine huius mysterij cognitione nequit Christus Domini satis agnosci, vtpote qui est Patris æterni Filius, & Spiritus sancti virtute conceptus. Denique mysterium Christi, nempè Christum esse verum hominem, mortuum esse, ac resurrexisse pro totius humani generis salute. Ratio est voluntas, ac dispositio Dei, qui posuit Christum tanquam fundamentum nostræ salutis, cum per ipsum saluati, & liberati sumus. Si enim explicita fides horum mysteriorum non esset adultis necessarium ad salutem medium, sequeretur posse nunc aliquem in lege Mosaica saluari, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam, seruet legem Mosaicam quæ implicite fidem Christi continet. D. Th. 2.2. *q. 2. a. 5. 7. & 8.* D. Bonauent. *in 3. dist. 25. a. 1. q. 2.* Sylui. 2.2. *q. 2. a. 7. concl. 6.* Malder. 2.2. *qu. 2. a. 5. 7. 8.* Lorca *ibi, q. 2. a. 8. d. 22. memb. 2. n. 4.* Becan. 2.2. *c. 12. q. 3. nu. 2.* Filliuc. *tr. 22. nu. 23.* Reginal. *l. 17. n. 18.*

13 *Actualis fides necessaria est necessitate præcepti.*

Fides actualis non solum necessaria est necessitate medij, verum etiam necessitate præcepti. Quia quilibet tenetur medium sibi ad salutem necessarium assumere. Vnde Mar. *vlt, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Porro fidei præcepta in vniuersum ad quinque reducuntur. Primum, est affirmatiuum sciendi res fidei. Secundum, credẽdi certos quosdam fidei articulos. Tertium est negatiuum, quo præcipitur, vt à rebus fidei non dissentiamus. Quartum pertinens ad actum externum est affirmatiuum quo imperamur, in aliquo casu res fidei confiteri. Quintum negatiuum, quo prohibemur nũquam fidem denegare. Bonac. *to. 2. d. 3. q. 2. pun. 2. num. 7.* Filliuc. *tr. 22. n. 31.* & omnes.

14 *Tenemur scire ac credere mysteria in Symbolo Apostolorum expressa.*

Ex præcepto Ecclesiastico omnes fideles tenentur scire, ac credere mysteria in Apostolorum Symbolo contenta. Quia omnes hi prima fidei rudimenta dicuntur, quæ public e rcum feruntur in Ecclesia, & credenda omnibus proponuntur quasi explicite scienda. Verum fidei articuli possunt sciri tripliciter. Primo secundum substantiam, ideſt, secundum generalem significationem vocum, quæ in eo articulo conrinenturr, vt substantia articuli Trinitatis est Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & hos non esse tres Deos, sed vnum. Secundo, possunt sciri secundum eam declarationem quæ communiter habetur in Catechismis, præsertim Romano. Tertio, possunt sciri secundum difficultates, quæ communiter circumferri assolent circa illos, vt possit sufficiens ratio reddi eorum, quæ creduntur, præsertim contra hæreticos. Omnes fideles tenentur contenta in Symbolo scire secundum substantiam. Pastores vero, Confessarij, & concionatores, secundo modo scire obligantur: Episcopi vero & Prælati tenentur, etiam tertio modo scire. Quia debent esse parati ad reddendam rationem eius fidei, quæ in ouibus residet. D. Thom. 2. 2. *quæstion. 2. articul. 5.* Filliuc. *tr. 22. nu. 34.* Reginal. *lib. 17. num. 18. & 19.* Clauis Regia *libr. 2. capit. 9. numer. 15.* Nauar. *summ. capit. 11. numer. 22.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 6. quæstion. 2.* & alij

15 *Necessitate præcepti tenemur scire quot sint Sacramẽta, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ &c.*

Tenẽtur fideles necessitate præcepti, postquã ad rationis vsum peruenerint, scire substantiam Sacramentorum, quæ recipere obligantur, nẽpe Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Matrimonium vero inire volens, vel ad Ordines ascendere, tenetur nosse Sacramentum, quod curat recipere. Idemque multi de Confirmatione ac Extrema Vnctione affirmant. Præterea tenentur præcepta Decalogi, & Ecclesiæ scire. Quia tenentur illa obseruare. Tenentur etiam scire Orationem Dominicam. Quia vniuersa à Deo postulanda in ea continentur. Attamen non tenentur ex aliquo speciali præcepto memoriter scire præfatos articulos, vel præcepta eo ordine, vel eisdem verbis, quibus proponun

ponuntur. Sed sufficit illa quoad substantiam callere, ita tamen, vt si de illis interrogentur, recte respondeant, illaque dubito tempore seruent. Esset autem veniale graue, non mandare memoriæ Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam. Ideoque addiscendum est Symbolum, & Oratio Dominica in ea lingua, quam quisque intelligit, nam scire ea memoriter, & non intelligere, nescire est. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 6 *q.* 3. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 2. *nu.* 16. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 88. *n.* 1. Filliuc. *tr.* 22. *n.* 37. & alij.

26 *Quos articulos scire debeant rudes secundũ substantiã.*

Rudes debẽt necessario aliquos articulos explicitè dignoscere saltem secundum substantiam, vt Deum esse remuneratorem supernaturaliter, Dei Filium esse incarnatum, & mortuum, Deum esse trinum eo modo quo in signo Crucis exprimitur. Quia eorum fides necessaria est necessitate medij. Si quis vero sit tam hebes, ac obtusus ingenio, vt nequeat articulos omnes capere secundum substantiam, ratione impotentiæ excusabitur, si tantum implicitè credat. Vnde sufficit vt hi semel assensum explicite exhibuerint articulis ad salutem necessariis, dum sibi proponebantur à Confessario vel ab alio. Quia dicuntur fidei articulos noscere, quantum ipsorum, fert capacitas. Aliud enim est explicitè credere, & aliud explicitè scire: ita vt interrogatus quis sciat rationem reddere: primum enim est necessarium sola præcepti necessitate. Regin. *lib.* 17. *numer.* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 6. *q. vltim.* Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *num.* 17. & 18. Valent. 2. 2. *d.* 1. *quæstion.* 2. *pun.* 4. Malder. 2. 2. *quæstion.* 2. *articul.* 7. Becan. 2. 2. *capit.* 12 *numer.* 14. Medina *Instruct. libr.* 1. *capit.* 14. *Paragraph.* 2. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 46.

17 *Præceptum credẽdi res fideipartim est naturale, &c.*

Porro præceptum credendi res fidei partim est naturale, quatenus ad ea obiecta refertur, quorum fides est necessaria medii necessitate. Partim est diuinum positiuum respectu obiectorum, quorum fides tantum necessaria est ex præcepto, quia habet vim obligandi ex præcepto Dei, & mera ipsius voluntate. Partim etiam est Ecclesiasticum respectu obligationis, qua fideles tenentur memoriter addiscere Symbolum, & præcepta Ecclesiæ. Sanch *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *num.* 13. Filliuc. *tract.* 22. *num.* 48. 49. & 50. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 7. *quæst.* 1. Banes 2. 2. *q.* 2. *a.* 8. *dub.* 2.

18 *Obligatio hæc est sub culpa lethali.*

Deducitur obligationem hanc esse sub culpa lethali. Quia est in re grauissima, ac valde ad salutem necessaria. Vnde præfata ignorans est in peccato mortali, nisi ignorantia vel impotentia excusetur. Tolet. *libr.* 4. *capit.* 2. *numer.* 10. Nauar. *c.* 11. *n.* 22. Angel. *verb. Scientia, num.* 1.

19 *Inter fideles non datur inuincibilis ignorãtia eorum, quæ explicite credere tenentur.*

Inter fideles non datur inuincibilis ignorantia à peccato excusans fidei mysteriorum, quæ explicite credere tenentur. Quia passim in Ecclesia mysteriorum horum tractatio circumfertur, ac solemni ritu ea celebrantur. D. Tho. 1. *ad Tim.* 11. *lect.* 4. D. Bonau. *in* 3. *dist.* 25. *a.* 1. *q.* 3. Non tamen repugnat posse dari apud aliquem rusticum in particulari. Quia contingere potest, nihil eos de huius præcepti vi, & authoritate audiisse: vel si audierint, nil instar brutorum, percepisse: aut si perceperint, aliis negotiis distentos esse prorsus huius obligationis oblitos vel tempore, quo addiscere potuere, caruisse Doctore, à quo instruerentur. Azor. *to* 1. *l.* 8. *c.* 7 *q* 2. Sanci. *in select. dub.* 19. *n.* 4. & 5. Clauis Regia *l.* 2. *c.* 9. *n.* 15. Filliuc. *tr.* 22. *num.* 46.

Quinque tempora annumero, in quibus tenetur homo ex præcepto fidei actus elicere. Primum est, quando fides alicui primum sufficienter proponitur, v. gr. infideli tunc præcipium hoc ad eliciendum credendi actum obligat. Infantes vero baptizati, ac inter fideles nutriti, cum peruenerint ad rationis vsum, ac fidei mysteria audiunt necessitatem fidei agnoscunt, tenentur ex vi præcepti directe ad actus fidei eliciendos: & si eos non eliciant, graviter peccant nisi per inaduertentiam, vel inuincibilem ignorantiam excusentur. Quia quilibet tenetur assumere medium ad salutem necessarium. Sufficienter autem dicitur fides infideli proposita, vt peccato infidelitatis obnoxius sit, non credendo, quando rationibus, aut miraculis, aut signis vel coniecturis ita proponuntur fidei articuli, vt ratio dictet, fidẽ nostram esse veram, & ipsius sectam falsitate niti. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 2. *pun.* 5. Vasq. 1. 2. *qu.* 76. *a.* 2. *d.* 125. *cap.* 5. Tolet. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 2. Sanch. *lib.* 2. *Decal. c.* 1. *n.* 3. Malder. 2. 2. *q.* 2. *a.* 7. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 6. Laym. *l.* 2 *to.* 1. *c.* 10. *n.* 2.

20 *Quinque tempora, in quibus ex præcepto nemur, fidei actus elicere.* *Primum tempus.*

21 *Secundum.*

Tempus secundum est, quando homo tenetur, se ad Deum conuertere, & gratiam ante amissam recuperare. At præceptum fidei in hoc casu non obligat per se, ac directè, sed per accidens: quatenus scilicet homo tenetur se ad Deum conuertere, quod sine spe, & fide agere non potest. Porro qui hoc in casu actum fidei prætermisit, satisfacit dicendo in confessione, se non fuisse ad Deum conuersum, dum conuerti tenebatur. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 6. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 1. *n.* 3.

22 *Tertium.*

Tertium tempus est, quando adest periculum incidendi in aliquod peccatum, nisi actus fidei eliciatur. Quia quilibet tenetur medium assumere ad peccata vitanda necessarium. Valent. 2. 2. *d.* 1. *quæs.* 2. *pun.* 5. Bonac. *tom.* 2. *d.* 3. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 11.

23 *Quartum, & quintum.*

Quartum tempus est quando homo tenetur, fidem exterius confiteri, quod quidem nequit agere absque fidei actu interno. tunc, inquam, ad actum fidei eliciendum obligatur. Quia qui tenetur ad finem, ad media tenetur sine quibus finis subsistere non potest. Quintum denique est in mortis articulo, quatenus tenemur, nos tunc ad Deum conuertere per contritionis actum, qui quidem adiunctũ fidei, & spei implicitum actum habet. Malder. 2. 2. *q.* 2. *a.* 7. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 2. *pun.* 5. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 1. *n.* 3. Diana *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 19.

24 *Quos articulos debeãt Confessarij rusticos edocere.*

Ea, quæ confessarius rusticos semel & iterum edocere debet interrogando sunt, in Trinitate esse Patrem & Filium, & spiritum sanctum, nec esse tres Deos, sed vnum Deum, adhibito signi Crucis exemplo, vel alio Iesum Christum Dominum nostrum esse vere Dei Filium, verum Deum & hominem, eum quidem, qui passus est propter hominum salutem, in sanctissimoque Eucharistiæ Sacramento esse. Cætera vero, vt Deum peccata remittere, dare gloriam, omnia creare, Christum ad inferos descendisse, & ascendisse ad superos, Iudicium

dicium futurum, &c. facilius scire solent, & intelligunt eratio modo. In articulo autem mortis sufficit rustico proponere tantum credenda necessitate medij, vt Trinitatis, & Incarnationis mysteria, Deum esse remuneratorem supernaturalem, vt vel sic actum illa explicite credendi eliciat. Quia eo in statu non est ferè capax commode aliorum, potius enim parum cum fructu defatigaretur. Graf. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 8. Reginal. *l.* 2. *n.* 153. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 3. *nu.* 22. & 23. Filliuc. *tr.* 22. *n.* 57. & 58.

CAPVT IV.

De externa, ex præcepto affirmatiuo, Fidei professione.

25 *Præceptum affirmatiuũ in duplici casu obligat.*

DE fide est, externam fidei confessionem pro aliquo tempore esse in præcepto. Mat. 10. *Qui me confessus fuerit &c.* contra quosdam Hæreticos dicentes, satis esse fidem animo retinere. Profecto præceptum affirmatiuum hoc in duplici casu obligat. Primo, quando magnus honor Deo debitus subtraheretur, non confitendo exterius fidem: aut Deus magna afficeretur iniuria. Quia iure naturæ dictante, non est Deo subtrahendus honor, nec ei irroganda iniuria. Secundo, quando alioquin magna proximi vtilitas impediretur, aut illi circa fidem graue præberetur scandalum. Quia cuiuslibet virtutis actus censetur esse in præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum, vel proximum: in duplici vero casu præfato confessio fidei externa necessaria est: Ergo tunc obligabit. D. Tho. 2. 2. *qu* 3. *a.* 2. Reginal. *l.* 17. *n.* 20. Tolet *l.* 4. *c.* 2. *n.* 4. Sà *v. Fides, n.* 4. Filliuc. *tr.* 22. *n.* 62. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 4. *n.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *qu.* 7. Valent. 2. 2. *d.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2.

26 *Interrogatus de sua fide ab eo, qui publica authoritate fungitur, tenetur respondere etiã cum vitæ periculo.*

Hinc colligo, interrogatum de sua fide ab eo, qui publica authoritate fungitur, teneri ex præcepto affirmatiuo fidem confiteri, etiamsi ex confessione huiusmodi mors immineat. Quia tunc ingens honor ex fidei confessione refunditur. Rogatũ vero de fide à priuata persona, non agere contra præceptum hoc, si taceat vel interrogantem ratione aliqua eludat. Quia nec Deo honor subtrahitur, nec proximi impeditur vtilitas, nec graue scandalum excitatur: cũ inique, vel sine causa à priuato interrogetur. Non licet tamen siue rogato, siue non rogato, negare se esse Christianum. Quia id esset contra præceptum negatiuum; nisi fortè interrogaretur apudeas nationes, vbi nomen Christiani significat potius nationem aliquam quam Religionem. Tunc enim negans se Christianum non peccat mortaliter contra fidei confessionem, sed erit veniale mendacium. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 27. *q.* 1. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 2. *pun.* 3. *n.* 4. & 7. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 3. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 49. Tolet. *l.* 4. *c.* 2. *nu.* 4. Filliuc. *tr.* 22. *n.* 65. Banes 2. 2. *q.* 3. *a.* 2. *dub.* 1. *concl.* 3. & 4. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 19. *n.* 3.

27 *Non est contra fidei confessionẽ abnegare, se esse Clericũ &c.*

Contra confessionem fidei non agit negãs se Clericum, Sacerdotem vel Religiosum: & per loca hæreticorum transiens licite potest vestes Clericales, vel Religiosas deponere, vt incolumis euadat. Quia ad summum illud negare est statum Clericalem, vel Regularem, nõ autem Religionem aut fidem. Rogatus autem ab hæreticis, an Missam audierit, aut celebrauerit, in rigore non peccat contra fidei confessionem, si neget. Quia illa abnegare est tantum negare opus Catholici. Imo & Iudici hæretico ea interroganti sub iureiurando, respõdere licebit negatiue, modo debitam in mente restrictionem addat, *Ita, vt teneatur illi aperire.* Filliuc. *tr.* 21. *n.* 68. & 69. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 4. *n.* 10. & 11. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 27. *q.* 2.

28 *Tenemur confiteri fidẽ, si videamus eam aliquo modo contẽni.*

Tenetur vero Catholicus ad fidei confessionem, si aspiciat conculcari imagines vel Christum Dominum, aut fidem contemni: dũmodo credat, per huiusmodi confessionem, hęc crimina esse impedienda. Præterea tenemur fidem profiteri, quoties infidelis ob nostram cõfessionem ad fidem inducetur, nec extat aliud medium, quoad eam inducatur. Idem dixerim, quando proximus adest in negandæ fidei periculo, & huic periculo possit per confessionem fidei prospici. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 1. *dub.* 1. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 4. *nu.* 4. & 5. Filliuc. *tr.* 22. *numer.* 24.

29 *Quando & quinam ad professionẽ fidei ex Tridentini decreto teneantur.*

Ad professionem fidei tenentur ex decreto Tridentini *sess.* 22. *c.* 12. & *sess.* 25. *c.* 2. in primis Episcopi, Archiepiscopi, Primates & Patriarchæ in prima Synodo Prouinciali. Secundo prouisi de Beneficiis habentibus animarum curam, intra bimestre ab adeptæ possessionis die. Tertio, prouisi de Canonicatu, vel dignitate in Cathedrali Ecclesia, tenentur fidei professionem non solum coram Episcopo, vel eius Vicario, sed etiam corã Capitulo gerere. Porro hæc professionem fidei gerendi obligatio à Pio IV. extensa est ad Prælatos omnium Religionum etiam Militarium intra bimestre à die possessionis suæ præfecturæ. Eandem obligationem ad Pastores, Magistros, Regentes Pius V. extendit, & ad alios cuiusuis artis, & facultatis professores siue Clericos, siue laicos, siue Regulares: etiamsi priuatim in domibus doceãt seu extraordinariam Cathedram fuerint assecuti: & hoc præceptum obligat sub mortali, nisi aliter ex consuetudine sit receptum. Verum hæc fidei professio iuxta receptiorem sententiam debet fieri personaliter, siue per se ipsum, tactis scripturis. Probabile tamen est posse fieri per procuratorem, cum nullum verbum sit in Tridentini decreto significans, per propriam personam hanc fidei professionem necessariò faciendam. Forma professionis fidei habetur in Bulla Pij IV. quæ incipit, *Iniunctum nobis* iuncta Concilio Tridentino, ac compendio priuilegiorum Ordinum Mendicantium. Filliuc. *tract.* 22. *numer.* 96. Sanchez *libr.* 2. *Decal. capit.* 5. *numer.* 7. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 23.

CAPVT V.

De externa exprælepto negatiuo professione Fidei.

30 *Tenemur abstinere à dictis, vel factis, quibus fides negatur.*

EX præcepto negatiuo nunquam fidem abnegandi, tenemur abstinere à dictis, vel factis, quibus fides negatur. Vnde contra præceptum negatiuum fidei delinquit, qui se dicit Turcam, vel hæreticum esse. Qui vtitur signis, vel factis ex sua natura falsæ protestatiuis sectæ, seu Religionis, etiamsi id non faciat animo fidei abnegandæ, aut falsam protestandi sectam; sed animo propriam celandi. Quia hoc est intrinsecè malum. Et qui sacrificat idolis, aut imagines falsorum deorum ad collum appensas gestat, aut alias actiones religiosas facit falsæ Religionis ex sua causa protestatiuas. Regin. *l.* 17 *n.* 23. Malder. 2. 2. *q.* 3. *a.* 2. *memb.* 2. Valent. 2. 2 *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *dub.* 4. Sylui. 2. 2. *q* 3. *a.* 2. *con.* 3.

31 *Nõ est mortale, vti signis, aut actionibus ex sua natura indifferentibus.*

Secus dicendum, quando actiones, & signa sunt ex sua natura indifferentia: tunc enim mortale non esset contra fidei præceptum illis vti citra scandalum, & citra animum significandæ ac protestandæ falsæ Religionis. Vnde qui iusta de causa, vt metu mortis galerum gestat, vel aliud genus vestium, quo Hebræi absque peccato vtuntur, non delinquit lethaliter. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 4. *nu.* 18. 19. & 20. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 27. *qu.* 4. & 6. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 2. *pun.* 3. *nu.* 20. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 49. Tanner. 2. 2. *d.* 1. *qu.* 7. *dub.* 5 *nu.* 110. Suar. *de fide, d.* 14. *sect.* 5. *num.* 7. Laym. *l.* 2 *tr.* 1. *c.* 11. *n.* 4.

32 *Non licet vti vestibus institutis ad falsam Religionẽ profitendã.*

Non licet vti vestibus, quę etiam extra exercitium actuale falsæ Religionis adhiberi assolent, sunt tamen institutæ ad illam profitendam: vt sunt illæ, quas Princeps tali sectæ præscriberet. Quia talium vestium vsus est quidã cultus & honoratio falsæ sectæ, cui authoritas maior accrescit, quo plures iis vtuntur. Suar. *de fide, d.* 14. *sect.* 5. *n* 7. Palao, & Becan. apud Bassæum *v. Fides* 2. *n.* 6.

33 *Licet interesse hæreticorũ concionibus, animo confutandi errores.*

Non agit contra præceptum fidei negatiũ, qui concionibus, vel cęremoniis hæreticorum interest animo confutandi, aut notandi illas. Licet fieri possit, vt aliunde delinquat, nempè ratione periculi spiritualis, ruinæ propriæ vel aliorum, aut ratione alterius Ecclesiasticæ prohibitionis. Quando autem Princeps hoc præcipit sub pœna mortis, aut bonorum proscriptione, in fidei contemptum, aut vt hæreticorum sectam quis profiteatur: non licet eorum Templa ingredi, aut audire conciones, etiamsi ingrediens protestetur, se illa gerere animo non profitendi falsam sectam, sed intentione vitandi proprium damnum. Quia tunc notabilis honor Deo debitus subtrahitur, vt proprio motu definiuit Paulus V. occasione cuiusdam edicti à Rege Angliæ editum, quo præcipiebat aditum Templorum in Religionis Symbolum & ad dignoscendos Catholicos. Quia propter virtualiter censebantur à Iudice interrogari tunc de fide, & tanquam signum abnegationis fidei erat, Templa Anglicana, hæreticorumque congregationes adire: eratque Catholicorum graue scandalum cuiusuis Catholici ingressus. Azor. *tom.* 1. *libr.* 8. *cap.* 27. *quæstion.* 4. & 5. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 4. *numer.* 26. & 27. Filliuc. *tract.* 22. *num.* 85. & 86. Bonac. *tom.* 2. *d.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 21. & 22.

34 *Et abnegare se Sacerdotem esse.*

Non agit contra præceptum hoc, qui se abnegat esse Sacerdotem, vel Clericum, cum etiam laici fideles esse possint. Secus dixerim, si negat se esse Papistam. Quia Papistæ nomẽ pro Christiana Catholica Religione accipitur. Becan. *de fide, cap.* 9. *quæstion.* 3. *numer.* 4. & alij

35 *Et personatũ agere in fidelis in scenis.*

Nec qui in Comœdiis, aliisque similibus actionibus non serio fingit se infidelem. Quia fidem non negat, qui id serio non agit, nec possit ex huiusmodi repręsentatione scandalum excitari. Reginald. *l.* 17. *nu.* 23. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 4. *n.* 15.

36 *Et qui carnib. vescitur inter hæreticos metu carceris, &c.*

Nec qui metu mortis vel amissionis bonorum vel carceris, inter hæreticos die Veneris, vel Sabbato carnibus vescitur. Quia comestio carnium non est signum sua ex natura hæreseos protestatiuum, vel falsæ sectæ: aliquin Catholici nunquam possent, iusta interueniente causa, verbi gratia tempore infirmitatis externæ, vel occultæ carnibus hisce diebus vesci. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 27. *q.* 3. Sauch. *l.* 2. *Decal c.* 4. *n.* 25. Filliuc. *tr.* 22. *n.* 83. Diana *p.* 5. *tr.* 7. *resol.* 35.

37 *Fuga in persecutione est prohibita aliquando.*

Fuga in persecutione aliquando est prohibita. 1. *Ioan.* 3. 16. *Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*: quando nimirum nostra præsentia illis est necessaria, siue ex iustitia, siue ex charitate. Ex iustitia quidem, vt in Episcopis, Parochis, &c. iuxta illud *Ioa.* 10. 11. Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Vnde etiam cum periculo vitæ tenentur tempore pestis, hæresis &c. adesse ouibus, nisi per alios commode succurrere possent. Ex charitate vero, vt cum ex officio non obligamur, attamen proximorum est extrema necessitas, aut pene extrema, & nos soli possumus illis probabiliter succurrere, ne in fide vacillent. *Aliquando præcepta.* Aliquando est præcepta. Quia fieri potest præsentia mea mihi, vel gregi sit noxia, fuga vero nullum contineat incommodum: vt cum solus Pastor quæritur, & ones propter eius præsentiam patiuntur, aut ipsemet in tormentis timet inconstantiam. Tunc enim charitas præcipit, vt omnes malorum occasiones præscindantur, Ita Paulus *Act.* 9. 25. & Athanasius aufugerunt. *Aliquando est consultum illa vti.* Aliquando consultum illa vti. Quia nonnunquam vita quorumdam superiorum, vel illustrium Ciuium valde vtilis est Reipublicæ, & ipsorum absentia ad tempus non multum adfert detrimenti. Tunc ergo, quamuis quis posset sine peccato aperte fidem profiteri, consultius tamen est se in vtilitatem spiritualem multorum seruare. *Sic omnes.*

CAPVT

CAPVT VI.

De Disputatione circa Fidei Mysteria.

38 *Quadruplex ex capite potest esse illicita disputatio de fidei rebus. Primo ex fine.*

DISPVTATIO de fidei rebus quadruplici ex capite reddi potest illicita. Primo ex fine, quando scilicet quis animum habet dissentiendi, si contrariæ rationes vrgentiores appareant, eiusque intellectum magis vrgeant. Quia in eo, cui iam fides sufficienter proposita est, infidelitatis erit peccatum. Item quando nullus bonus finis ex disputatione speraretur ob hæreticorum perfidiam, otiosa esset, & ideò culpabilis. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *artic.* 7. Sylui. *ibi.* Valentia 2. 2. *dub.* 1. *quæstion.* 10. *punct.* 4. *quart. conclus.* 1.

39 *Secundò, ex parte disputantis.*

Secundò, ex parte disputantis, nempe si disputans laicus sit, quamuis doctus. Quia id illi sub excommunicationis pœna interdicitur. Nomine autem *laici* intelligitur ille, qui verè laicus est, ideſt, non insignitus prima tonsura, nec Religiosus. Non autem habet locum prohibitio hæc in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis, si laicus sit doctus: imò in locis, in quibus hæretici grassantur, prohibitio hæc laicorum est per consuetudinem abolita; & vbi esset in viridi obseruantia, non quæcumque de fide disputatio laicis interdicitur, sed sola disputatio formalis, ideſt, quæ ad fidei veritatem persuadendam assumitur, secus si materialis tantum sit, verbi gratiâ, vel ingenij acuminis ostentandi, vt fit in scholis. Verùm hæc excommunicatio non est lata, sed ferenda. *Cap. Quicumque, de hæret. in* 6. Nauarra *summ. cap.* 11. *numer.* 27. Bonacin. *tom.* 2. *dub.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. Sanchez *libr.* 2. *Decalog. cap.* 6. Azor. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 1. Diana *part.* 5. *tr.* 13. *resolut.* 21.

40 *Tertiò, ex parte auditorum.*

Tertiò, ex parte auditorum, vt si coram simplicibus, etiam exercitij gratia disputetur, ob periculum dubitationis ipsorum. Si tamen Doctor excellens esset, & se simpliciorum captui accommodaret, eisque persuasibiliter argumenta solueret, vel simpliciores huiusmodi ab hæreticis solicitarentur, tunc posset; imo teneretur, si pernersionis periculum instaret. Filliucius *tract.* 12. *num.* 105. Becan. *de fide, cap.* 15. *quæstion.* 7.

41 *Quarto ex disputandi modo.*

Quartò denique, ex disputandi modo redditur etiam illicita de fide disputatio, quando scilicet, magis verborum contentione, quam argumentorum vi, ac sententiarum pondere transigitur. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. *ad* 1. Valent. 2. 2. *d.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. *concluſ.* 4.

CAPVT VII.

De Infidelitate.

42 *Fides duo vitia contraria habet, leuitatem credendi, & Infidelitatem.*

FIDES duo vitia contraria habet, vnum per excessum, quod *leuitas credendi* vocitatur: alterum per excessum, quod generaliter *Infidelitatem* appellamus. Prius vitium est in illis, qui credunt ante euidentiam credibilitatis, ac propterea imprudenter credunt. Alterum ineſt illis, qui, fide sufficienter proposita, nolunt credere sicut par est, & authoritatem diuinam diffugiunt, siue foueant contrarium errorem, siue non. *Omnes sic.*

43 *Triplex est Infidelitas, negatiua, priuatiua, & positiua.*

Triplex est Infidelitas, *negatiua, priuatiua,* & *positiua.* Negatiua est in eo, qui potest habere fidem, & tamen non habet sine culpa suaː vn- de dici potest nuda fidei carentia, qualis est in eo, cui fides, vel non est annunciata, vel certè non sufficienter, vt fuit in Indis, & Iaponiis, priusquam Euangelij prædicationem exaudirent. Priuatiua est in eo, qui potest, ac debet habere fidem, eamque culpabiliter non habet, etiamsi nullum foueat errorem in intellectu positiuum, vt quando aliquis non vult fidem audire, vel auditam, ac sufficienter propositam acceptare omittit. Positiua seu contraria est, vel in eo, qui res fidei sufficienter propositas credere recusat: vel in eo, qui contrarium fouet errorem, in quo genere maxima pars infidelium versatur. D. Thom. 2. 2. *q.* 10 *a.* 1. Sylui. *ibi.* & omnes.

44 *Infidelitas negatiua non est.*

Portò infidelitas negatiua peccatum non est. Quia damnatur à Pio V. & Gregorio XIII. *in Bull. Prouisionis nostræ, num.* 65. hæc propositio: *Infidelitas purè negatiua in illis, quibus peccatum Christus non est prædicatus, est peccatum.* Ratio est, quia nullum peccatum sine voluntate, hæc autem ignorantia est inuoluntaria, quam depellere non est in hominis potestate. D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. & omnes.

45 *Priuatiua semper est peccatum.*

Infidelitas priuatiua semper est peccatum. Quia is, cui fidei doctrina est sufficienter proposita, tenetur eam acceptare: ergo si omittit acceptare, peccat. Et quia hæc infidelitas est in eo, qui tenetur habere fidem, & eam sua culpa non habet. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. & omnes.

46 *Infidelitas positiua sæpe est letalis.*

Infidelitas positiua semper lethale crimen est, nisi indeliberatio excuset. Quia est peccatum mortale ex genere, nec admittit materiæ paruitatem: nam authoritatem diuinam contemnere semper lethale est. Non est autem omnium peccatorum grauissimum. Quia Dei odium directissimè Deum impugnans grauissimum est omnium. Superat tamen infidelitas omnia peccata, quæ virtutibus moralibus opponuntur, vt sunt homicidium, adulterium, bestialitas, &c. Quia immediatè authoritatem diuinam contemnit. D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 3. & omnes.

47 *Tres sunt*

Tres Infidelitatis annumero species *Heresim, Iudaismum, Paganismum.* Qui perti-

Infidelitatis species.

naciter abnegat fidem Catholicam sufficienter propositam, vel profitetur Christum expresse, vel non; si expresse profitetur, erit hæreticus; si expresse Christum non profitetur, aut tunc omninò non profitetur, erit paganus: vel si profiterur Christum tantum in figura, Iudæus erit. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10 *articul.* 5. Malder. ac Sylui. *ibi.* Becan. 2. 2. *cap.* 13. *quæst.* 2. Bonacin. *tom.* 2. *dub.* 3. *quæstion.* 2. *punct.* 7. *num. prim.*

48 *Infideles baptizati possunt ab Ecclesia cogi, vt fidē retineant.*

Infideles baptizati, qui fidem aliquando susceperé, vt hæretici, & Apostatæ possunt ab Ecclesia cogi, vt eam retineant. Quia sunt subditi Ecclesiæ: possunt ergò ab Ecclesia cogi, vt ab iniuria Religioni inferenda per hæresim, ac apostasiam desistant. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10. *articulo octauo.* Malder. & Bannes *ibi.*

49 *Non baptizati nequeūt ad fidem susipiendam compelli, sed illi non possunt fidei prædicationem impedire.*

Infideles autem, qui nunquam susceperè fidem, compelli ad eam susciendam, minimè possunt. Quia vt coactio legitimè fiat, debet compellens iurisdictionem habere in eos, qui coguntur, alioquin erit potestatis vsurpatio. Ecclesia verò non habet potestatem in eos, qui nunquam susceperunt fidem. Non autem possunt illi fidei prædicationem impedire, & vt ne impediant, possunt à fidelibus Principibus compelli. Quia cum Ecclesia habeat à Christo Domino ius prædicandi per totum orbem Euangelium. *Mat.* 28. 19. *Mar.* 16. 15. consequens quod aut bello, aut aliis modis possit eos compescere, qui prædicationem impedire conantur. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10. *articul.* 11. Lorca, & Malder. *ibi.* Filliucius *tractat.* 22. *capit. quint. quæstion.* 10. Bonacin. *tom. prim. quæstion.* 2. *punct.* 8. *numer.* 4. Valent. 2. 2. *dubio* 1. *quæstion.* 10. *punct.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 23. *qu.* 18. & 19.

50 *Quandonā hæreticorum ritus sint tolerandi, quando nō?*

Infidelium, qui baptizati non sunt, ritus tolerari non debent, nisi ob maius malum vitandum, aut ne maius aliquod bonum impediatur, visum sit expedire, quod tolerentur. Prior propositionis pars probatur, quia ritus hi nihil vtilitatis adferunt & cum sint contra legē naturæ, Principis fidelis est, illos extirpare. Posteriorem partem sic probarim, quia Iudeorum ritus rectè ab Ecclesia tolerantur, etiamsi illi in eis exercendis delinquant. Ex hoc enim, quod Iudei alicubi in suis ritibus tolerentur hoc bonum prouenit, quod testimonium fidei nostræ ab hostibus habeamus: illi enim ritus mysteriorum, quæ nos credimus figuram continent. Minimè vero tolerandi sunt, quando in Principum Catholicorum potestate est, eos extirpare, vel impedire absque notabili boni communis iactura, Quia sunt maxime pernitiosi, & sermo eorum vt cancer serpit. 2. *Timot.* 2. 17. Attamen si huiusmodi ritus absque grauissimo Ecclesiæ detrimento nequeant impediri, licitum erit Iudeis publicum suæ Religionis exercitium permittere. Quia permissio quorūdam malorū est licita vel propter aliquod bonum, quod ex eis oritur, vel propter aliquod malum, quod vitatur. *leg. Nullus, C. de summ. Trinit. leg. Cuncti. C. de hæreticis* D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10. *articul.* 11. Sylui. Lorca, Malder. Valent. 2. 2. *d.* 1. *quæstion.* 10. *punct.* 7. Azor. *tom.* 1. *libr.* 8. *capit.* 23. *quæstion.* 18. & 19.

51 Quamuis Religiosissimi quique Principes hæresim omnem è suis ditionibus extorrem sine dubio vellent, quandoquidem suis edictiis illam damnant, & sibi ipsis iniuriam existimant, ideóque quoties potuerunt illam è suis Imperiis exterminarunt.

52 Vbi tamen sine graui boni publici periculo, ipsiusque etiam Religionis Catholicæ immensis incommodis, hæreticos expellere non licuit libertatem, vt vocant, conscientiæ permittere, & tolerare inuiti coacti sunt. Neque peccant hac in parte, quia ex duobus malis minus est eligendum, si vtrumque euitare non valemus. Tunc enim illud minus malum non eligitur præcisè, vt malum quoddam est; sed vt medium vtile ad maius malum euitandum. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10. *articul.* 11. Caietan. *ibi.* Molin. *tractat. secund. de iust. dub.* 335.

53 *Quādonam liceat cum infideli non baptizato communicare.*

Cum infidelibus non baptizatis communicare licet in rebus politicis, ac ciuilibus, quales sunt ciuiles contractus, politicæ conuersationes, vt emptio, venditio, conuiuia, modo absit periculum seductionis, vel scandali: cum eo autem periculo minimè licebit. Quia iure naturæ quilibet tenetur ab iis abstinere, quæ sibi vel ruinæ causam afferre possunt. Porrò communicare in iis actionibus, quæ directè ad cultum infidelitatis pertinent, nullatenus est licitum. Quia id esset eorum professori sectam, & verā fidem abnegare, fante Paulo 2. *Cor.* 6. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Licitum tamen est, infideles ad verbi Dei prædicationem admittere, non autem ad totius Missæ auditionem, sed tantùm ad Cathecumenorum Missam. *Cap. Episcopus, de consecr. dist.* 1. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10. *articul.* 9. Turrian. Sylui. Malder. *ibidem.* Filliucius *tractat.* 22. *numer.* 128. Bonac. *tomo primo, dubio tertio, quæstione secunda, pun.* 6. *num. prim.*

54 *In multis casibus communicatio cum Iudæis speciatim prohibetur.*

In multis demum casibus communicatio cum Iudæis prohibetur specialiter. Primus est cohabitatio. 2. Ne Christiani comedant azima Iudæorum, secluſa tāmen necessitate. 3. Aduocatio Iudæorum ad medendum, necessitate etiam secluſa. 4. Receptio medicinæ à Iudeis paratæ. 5. Ingressus in idem balneum, ita vt fidelis cum Iudeo communicet in eadem lotione. 6. Conuiuium cum Iudeis, saltem quando hi cibos discernunt, & aliquos respuunt: modo Catholicus non sit ad procurandam eorum conuersionem immissus. 7. Ne Christianæ mulieres filios Iudæorum in eorum domibus nutriant. 8. Ne Christiani accedant ad nuptias, vel solemnitates Iudeorum, nec cum ipsis choreas ducant, nec ipsorum Synagogas inuisant iis temporibus, queis ab eis superstitiosa celebrantur. 9. Ne Iudæi admittantur ad publica inter Christicolas officia. *Cap. Ad hæc, cap. Nullus. Cap. Etsi Iudæos. cap. Omnes* 28. *quæstion. prim.* Syluester *verb. Iudæi, num. secund.* Caietan. *verb. Iudæorum communicatio.* Bonacin. *tom. prim. dub. tert. quæstion. secund. punct.* 6. Filliucius *tractat.* 20. *capit. quint. quæstion. prim.* Sanchez *libr. secund. Decalogi, cap.* 21. *à numer.* 4.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Hæresi.

55 *Hæresis definitur.*

HÆresis est, *error intellectus voluntarius, cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem.* Dicitur *error*, hoc est assensus falsus. *Intellectus*, quia sicut actus fidei intellectu perficitur, sic etiam error fidei contrarius intellectu completur. *Voluntarius*, nam si quis circa res fidei inuoluntariè aberrat, peccatum hæresis non admittit, *Cum pertinacia*, quæ naascitur & pendet ex electione voluntatis cum certa scientia, quæ in eo consistit, vt is, qui errat, sciat Ecclesiam contrarium sentire. Porrò pertinacia non significat certam aliquam temporis durationem, nam vno temporis momento potest quis esse hæreticus: sed significat voluntatis electionem, cum certa notitia eius, quod credit Ecclesia. *Contra aliquam fidei veritatem*, qui error in aliis rebus non est hæresis: vnde in multis potest quis errare, qui tamen hæreticus non erit. Sanchez *libr. secund. Decalog. capit. septim. numer. prim.* Syluius 2. 2. *quæstion.* 11. *articul. prim.* Azorius *tom. prim. libro octauo, capite nono, quæstione prima*, Filliucius *tractat.* 22. *numer.* 152. Layman. *libr. secund. tractat. prim. cap.* 13. *num. prim.* Vasquez 1. 2. *d.* 126. *circ. tert* Bonacin. *de Censur. d.* 2. *qu.* 5. *punct.* 1. *num. prim.*

56 *Tria sunt necessaria, vt quis hæreticus dicatur.*

Tria sunt necessaria, vt quis hæreticus dicatur. Primùm, vt subiectum sit criminis huius capax. Vnde infidelis Cathecumenus, fictè, vel alias inualide baptizatus pertinaciter errantes, non dicuntur hæretici. Quia nondum potestati Ecclesiæ per Baptismum verum subiiciuntur. Secundùm, vt errorem habeat in intellectu circa fidem: & ex huius defectu qui consentit in aliquod opus infidelitatis externum sine vllo intellectus errore, hæreticus non est. Tertium, vt sit suo in errore pertinax: vnde qui errat circa fidem ex ignorantia licet crassa, si tamen verè sit paratus, se corrigere, ac fidei assentiri per Ecclesiam prædicatæ, non est proptie hæreticus. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 10. & 11. Sayr. *de Censur. libr. tert. capit quart. num.* 10. Nauarra *summ. cap.* 11. *num.* 27. Valentia 2. 2. *quæst.* 11. *d.* 1. *punct.* 1. Diana *part.* 1. *tractat.* 5. *resolut.* 1.

57 *Hinc parui hæretici eremum excusantur.*

Hinc paruuli hæreticorum, qui ab initio falsa fide à parentibus instructi fuere, videntes eam sua in Ecclesia publicari, & à maiori parte vicinorum recipi, à crimine hæresis excusantur. Quia donec illis sufficienter sit fides vera proposita, eam recipere non tenentur: illa enim ignorantia inuincibilis iudicatur. Sanchez *libr. secund. Decal. cap. prim. num. octau.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *dub. vltim.* Sancius *in select. d.* 19. *num. quart.*

58 *Is qui in ebrietate hæreses profert licet se excusarit ea ignorasse.*

Nec est hæreticus, qui in ebrietate hæreses profert. Quia sine rationis vsu pronunciantur. Imò se inebrians intentione hæreses tempore ebrietatis proferendi, propriè peccatum hæresis non committit, sed aliud peccatum infidelitatis ex praua ad fidem affectione perpetrat. Sancius *in select. dub.* 20. *numer. quint.*

59 *Inuoluntariè dubitans de fide non est hæreticus.*

Dubitans de fide, non tamen voluntariè, non est hæreticus. Quia non est pertinax suæ dubitationis defensor, sed paratus, suum iudicium Ecclesiæ iudicio subiicere. Sanchez *libr. secund. Decalog. capit. septim. num.* 13. Layman. *lib. secund. tractat prim. cap.* 13. *num.* 2. Sylui. 2. 2. *qu.* 11. *art* 1.

60 *Secus qui dubitat voluntarie.*

Hæreticus est, qui positiuè, ac voluntariè dubitat de aliquo fidei articulo, quem scit ab Ecclesia definitum, vel alias sufficienter propositum, itavt prudenter debeat, illum fide diuina tenere. Quia in *cap. Dubius, de hæret.* dubius infidelis censetur: ergo si nomen Christi profiteatur, hæreticus proculdubio erit. Sanchez *libr. secund. Decalog. cap. septim.* Sexdecim refert Doctores, queis ipse non adhæret, de quo *section.* 2. sermo recurret. Adhærent tamen Sylui. 2. 2. *quæstion.* 11. *articul.* 1. Coninch. *de dotibus supernat. dub.* 18. *num.* 102. Azorius *tom.* 1. *libro octauo, capit. nono, quæstion. quin.* Valent. 2. 2. *d.* 1 *qu.* 11. *punct.* 1. Layman. *libr.* 2. *tractat.* 1. *cap.* 13. *num.* 5.

61 *Hæreticus est, qui ex ignorantia crassa, vel affectata aliquem cõtra fidem contra fidẽ profert errorem.*

Committit hæresim, qui ex ignorantia crassa aliquem profert contra fidem errorem, quem adhuc voluntariè proferret, si sciret esse contra fidem, & Ecclesiæ definitionem. Quia talis sufficienter pertinax contra Ecclesiam censetur. A fortiori hæresis erit error contra fidem contingens ex ignorantia affectata, vt quando quis eligit res fidei nescire, vt liberius in eis erret. Quia ille error est cum pertinacia voluntarius. At si aliquis affectet, seu eligat nescire res fidei non vt liberius erret in fide, sed ex tædio, ac negligentia addiscendi, vel ob aliam causam, hæreticus non erit. Quia non errat cum pertinacia. Aragon. 2. 2. *quæstion.* 11. *artic. secund.* Sayrus *libr. tert. capit. quart. numer.* 15. Azorius *tom. prim. libr. octau. capite nono, quæst.* 8. Valentia 2. 2. *dub prim. quæstion.* 10. *punct.* 3. Bonacin. *de Censur. d. b.* 2. *quæstion.* 5. *punct. prim. num. septim.*

62 *Alius hæreticus internus, externus alius. Externa autem hæresis alia occulta, alia manifesta.*

Alius hæreticus est internus, externus alius. *Internus*, seu purè mentalis est ille, qui licet internè in mente sua errorem pertinaciter foueat, hæresim tamen suam nullo exteriori signo manifestat. *Externus* dicitur ille, qui hæresim, quam mente tenet, aliquo verbo, vel signo externo profert, etiam nemine audiente. Perrò hæreticus mentalis purè, excommunicationem non incurrit, ac proinde potest absolui à quocumque Sacerdote, qui à peccatis mortalibus non reseruatis absoluere potest: imò iuxta receptiorem sententiam, non potest per Ecclesiam contra talem excommunicationis sententia ferri. Quia Ecclesia non iudicat de actibus purè internis, sed illos iudicio Dei relinquit. Ipsa verò exterior hæresis in manifestam, & occultam diuiditur. *Manifesta* dicitur, quæ ita foris per signa, & actus manifestata est, vt iam vel publicata, vel publicanda censeatur ex circumstantiis. *Occulta* dicitur, quæ etsi signis, & actibus exterioribus fuerit declarata, illa tamen signa in secreto, aut coram pauciſſimis ostensa sunt, ita vt non censeantur forum publicum, vel publicam notam sortiri. Toletus *libr. quart. capit. quart.* Nauarr. *sum. capit.* 27. *num.* 56. Malder. 2. 2. *quæstion.* 11. *art.* 1. *memb.* 2.

memb. 2. 3. & 4. Vinald. *part.* 1. *de absol. num.* 10. Diana *part. quart. tractat. quart. resol.* 240. Sayr. *de Censur. libro tertio, capite quarto, numero* 10. & 21. Valentia 2. 2. *dub.* 1. *quæst.* 11. *punct. tertio.*

63 *Quando hæreticus Bullæ Cœnæ.*

Hæreticus, qui aliquo actu externo erroris manifestatiuo, etiam occultissimo, hæresim suam manifestauit, excommunicationem Bullæ Cœnæ contra hæreticos latam incurrit. Vndè non incurritur ab eo, qui mente reuoluens suam hæresim caput suum Diuorum imaginibus non aperit. Nec qui profert verba imperfecta, aut indifferentia signa, nullam hæreseos suspicionem indicantia. Sanchez *libro secundo, Decalogi capite octauo.* Azorius *tomo primo, libro octauo, capite* 9. & 10. Bannes 2. 2. *quæstione prima, articulo quarto*, Filliucius *tractat.* 22. *num.* 186. Layman. *libr.... tractat. prim. capite* 14. *numero quarto*, Diana *part. tert. tractat. quart. resolut.* 143. Toletus *libro primo capit.* 19. *numer.* 5.

64 *Quando ab excommunicatione excusetur.*

Hæresis exterius manifestata in aliquibus casibus excommunicationem non inducit. Primò, si hæreticus purè mentalis solum in Confessione Sacramentali hæresim solùm Confessario manifestat. Secundò, si hæreticus suam hæresim recognoscès illam coram Inquisitoribus confiteatur, vel alicui fido, & pio animo reuelet, vt ab eo consilium, vel auxilium pro relinquenda hæresi quærat. Tertio, si quis hæresim suam bonorum operum exercitio, vel abstinentia ab operibus malis exprimat. Quartò quando per iocum narrat, se hæreticum esse, vel fuisse. Quia talis manifestatio peccatum hæresis non est. Bonacin. *de Censur. dub. secund. quæstion. quint. punct. secund. numer. septim.* Azorius *tom. prim. libr. octau. capit.* 10. *quæstion.* 5. & 6 Layman. *libr. secund. tractat. prim. capit.* 14. *nu.* 1. & 2.

65 *Quinam sint dicendi credentes.*

Excommunicatio in Bulla Cœnæ lata contra hæreticos, extenditur ad eorum receptatores, fautores, defensores, effectu sequuto, & ad eorum credentes. Porrò nomine credentium intelliguntur, qui hæreticorum erroribus fidem præstant, modo illam verbis, aut signis exterius exprimant: & qui licet distinctè erroribus his assensum non exhibeant, confusè tamen putant eorum doctrinam esse veram. At *receptatorum, fautorum*, ac *defensorum* nomine intelliguntur, qui recipiunt, fauent, vel defendunt hæreticos formaliter, siue quatenus hæretici sunt, vel ex motiuo hæresis, vel fauendi hæresi intentione. Vnde qui beneficium in hæreticum confert ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, vel metus, non dicitur hæretico fauere, vt hæreticus est. Demum dixi, *Sequuto effectu.* Nam si quis intentionem habuit, fauendi hæresi, sed fauor non est sequutus, excommunicatione non percutitur. Nauar. *summ. cap.* 27. *num.* 55. Sylueſt. *verb. Hæresis*, 1. *num.* 10. Toletus *l. in explic. Bull. Cœnæ*, § i. Sayrus *libr.* 3. *cap.* 5. *numer.* 1. Graff. *part.* 1. *libr.* 4. *capit.* 18. Suar. *de Censur. dub.* 21. *section.* 2. *num.* 8. Filliuc. *tr.* 16. *num.* 30.

CAPVT IX.

De Hæreticorum libris.

VI scienter absque Pontificis licentia publicè, vel occultè legit, aut retinet, aut imprimit, aut alio quouis modo defendit hæreticorum libros continentes hæresim, aut de Religione tractatum, excommunicationem Papæ reseruatam incurrit, quamuis legat, retineat, vel imprimat curiositatis gratia, & prauum animum non foueat. Tria inquam, sunt necessaria ad hanc excommunicationem incurrendam. Primum est, vt libri sint hominum hæreticorum. Secundum vt contineant hæresim, vel de Religione tractationem. Tertium, vt scienter legantur. Vnde qui ex ignorantia crassa, vel etiam affectata legit, vel retinet tales libros, non incurrit Bullæ excommunicationem: modo ignorantia illa affectata coniuncta cum ingenti temeritate non sit; tunc enim scientia censeretur adesse. Ingentem autem temeritatem dixerim, quando magna suspicio prauitatis libri habetur. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 18. *numer.* 40. Sanchez *libr. secund. Decalog. cap* 20. *numer.* 38. 66 *Legens, retinens, vel imprimens.*

67 *Potest legi liber.*

Liber continens hæresim potest sine excommunicationis incursione legi, si hæresis in libro deleatur publica authoritate, quæ reliquit totum reliquum librum liberum ad legendum, retinendum, vel cudendum. Diana *part.* 6. *tractat.* 6. *resolut.* 55. citans Fagundez.

68 *Vt excommunicationem qui incurrat.*

Porrò vt hæc Bullæ excommunicatio incurratur, requiritur, vt per te legas, vnde si à famulo, vel ab aliquo legi audias, quamuis causa sis, vt famulus, vel alius, te audiente, legat: censuram non incurris; modo per huiusmodi audientiam fauorem hæresi non exhibeas; famulus autem incurrit, nisi metu graui ad id compelleretur. Excusatur etiam ab excommunicatione, qui librum hæreticum legit, illum autem non intelligit. Quia cum finis prohibitionis sit, ne legès, hęresim imbibat, qui hoc in euentu locum habere nequit, hæc prohibitio à sui principio casum hunc minimè comprehendit. Filliucius *tractat.* 16. *numero* 45. Sanchez *lib. secund. Decalog. cap.* 10. *num.* 48. & 51.

69 *Quinam dicatur, libros hæret. retinere.*

Libros hæreticos retinere dicitur, qui illos retinet siue curiositatis gratia, siue ad eos cõfutandos, siue eos propria in domo, siue in aliena retineat, siue proprio, siue alterius nomine. Potest tamen ab excommunicatione excusari, qui eos libros ad breue tempus detinet, vt ad vnam, vel duas horas, vel etiam ad vnum, vel duos dies, quamuis adsit, eos Superiori consignandi opportunitas. Quia hæc retentio in hac materia modica censetur. Qui verò retineret vnum libri folium, (mei Sācij venia) ab excommunicatione non excusaretur. Quiā sicut legens vnum folium, in censurā incidit, ita & retinens incurret. Porro licet quis longiori tempore

pore apud se volumen retineat, donec opportunum tempus tradendi offeratur, excommunicationem non incurret, neque delinquet, si absit scandalum. Sayrus *libr. tert. capit. quint. numer.* 16. Diana *part. quint. tract. at. quint. resolut.* 43. Graff *libr. quart. capit.* 18. *numer.* 48. Layman. *libr. secund. tract. t. prim. capit.* 15. *numer. septim.* Reginaldus *libro nono, numero* 256. Bonacin. *de Censur. dub.* 2. *quæstion.* 5. *punct.* 4. *numer.* 15.

70 *Quinam dicantur imprimere.* Censentur libros hæreticorum imprimere, quicumque ad eorum impressionem propinque cooperantur, vt sunt dominus officinæ, cuius voluntate, seu authoritate cuduntur, qui impensas pro editione facit, qui typos ordinant, qui torculari premunt, vel madefaciunt atramento chartam, qui exemplar impressum corrigunt, &c. Suarius *de Censur. dub.* 21. *sect.* 2. Filliucius *tract. t.* 16. *numero* 46. Toletus *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 20. Layman. *lib.* 2. *tract. at. prim. cap.* 15. *num.* 7.

71 *Quinam dicantur defendere.* Dicuntur verò libros hæreticorum defendere, qui affirmant, illos non esse prauos, non esse comburendos: vel qui impediunt, ne ab Inquisitoribus inueniantur. Quod quidem etiam extenditur ad eos, qui defendunt hos libros gratia disputationis. Sayrus *de Censur. libr. tert. capit. quint. numer.* 18. Sanchez *libr. secund. Decalog. capit.* 10. *numer.* 55. Bonacin. *de Censur. dub. secund. quæstion.* 5. *punct. secund. numer.* 17. Graffis *part. prim. libr. quart. cap.* 18. *numer.* 50. Layman. *libro secundo, tract. at. prim. cap.* 15. *numer. septim.*

72 *Qui legit, vel retinet libros Auctoris.* Excommunicationem incurrit, qui libros hæreticorum, vel alterius damnati Auctoris, atque prohibiti ob hæresis, aut falsi dogmatis suspicionem legit, aut retinet. Quæ excommunicatio fertur in regula decima Indicis librorum prohibitorum. Nulli tamen est reseruata. Eadem censura afficiuntur legentes libros, & scripta, quæ continent diuinationes, sortilegia, vt sunt tractatus Geometriæ, Hidromantiæ, Hydromantiæ: siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, & incantationes Magicæ artis. Quia volumina eiusmodi prohibita sunt ob hæresis, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem. Azorius *tom.* 1. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 5.

73 *De propositionibus hæresim sapientibus.* Profectò libri illi suspicione hæresis notãtur, qui continent propositiones hæresim sapientes, male sonantes, temerarias, vel scandalosas, ex quibus error oriri, aut inferri potest. Propositio verò dicitur *hæresim sapere*, ex qua, etsi per euidentem consequentiam hæresis nequeat inferri, per consequentias tamen probabiles, ac moraliter certas potest deduci. Dicitur *male sonans*, quæ etsi sensum duplicem patiatur Catholicum scilicet, & hæreticum: in sensu tamen hæretico accipi consueuit. *Temeraria* nuncupatur, quæ in rebus fidei, & morum aperte terminos rationis, & authoritatis legitimæ excedit. *Scandalosa* verò dicitur, quæ ex sui ratione alicui offendiculum erroris in rebus fidei, vel morum subministrat. Ad hæreticorum libros reducuntur libri Astrologiæ iudiciariæ, Thalmudi, Cabalistici, ac alij nefarij libri, quos similiter legere, aut retinere nemini licet sub lethali piaculo, & aliis pœnis, de quibus Clemens VIII. const. 20. & Vrbanus VIII. Denique peccat etiam lethaliter legentes, ac retinentes libros in Indice Romano absolutè prohibitos, etiamsi propter hæresim prohibiti non sint vel eius suspicionem: siue sint Hæresiarcharum libri de materia indifferenti, aut moraliter bona tractantes, qui ob Auctorum abominationem prohibentur: siue sint volumina materias inhonestas, pernitiosas, scandalosas, aut malè sonantes in re morum, aut virtutis continentia. Id quod de libris, & Auctoribus in S. Inquisitionis Expurgatorio prohibitis dictum existima. Regulas Indicis vtriusque consule.

74 *De legentibus scholia hæreticorum in Catholicos libro.* Præterea legens scholia, seu additiones hæreticorum, quæ in Catholicorum voluminibus continentur, excommunicationi latæ in Indice subiacent. Quia legunt scripta damnata ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem. Sanch. *l.* 2. *c.* 10. *num.* 25.

75 *De libris hæreticorum approbatis authoritate.* Hæresiarcharum libri, tam eorum, qui hæreses inuenerunt, vel suscitarunt, quam qui hæreticorum duces fuere, vel sunt, qui de Religione non tractant, approbati à Doctoribus Catholicis Episcoporum iussu, permittuntur. At vbi Bulla Cœnæ non est vsu recepta, vt in Gallia, Anglia, Germania, Catholici legentes libros hæreticorum continentes hæreses, vel de Religione tractantes, excommunicationem non incurrunt, si legerint studio dignoscendi, ac confutandi eorum errores. Azorius *tomo primo, libro octauo, capite* 16. *quæstione sexta.* Layman. *libr. secund. tract. at. prim. capit.* 15. *numero quarto.* Becan. 2. 2. *capit.* 15. *quæstione octau. numer. quint.* Sanchez *libr. secund. Decalog. cap.* 10. *num.* 42. Diana *part.* 2. *tract.* 11. *resolut.* 35.

76 *De licentiarum legendi, vel retinendi hæreticorum libros reuocatione.* Cum noscereturr, lectionem librorum prohibitorum magno esse sincerę fidei cultoribus detrimento, ac licentiæ libros huiusmodi legendi nimium excreuissent. Gregorius XV. motu proprio in Bulla, quę incipit Apostolorum *officium* 30. Decemb. 1622. omnes, ac singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis cuiuscumque gradus, ac conditionis existentibus antea concessas reuocauit, cassauit, & annullauit. Et declarauit, libros per huiusmodi licentias permissos legentes, aut habentes pœnas in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere. Præterea præcepit illis, qui aliquos similes libros habere scinerint, vt eos denuncient. Demum vt de cætero similes licentiæ nonnisi à Congregatione S. Officij, quæ singulis hebdomadis coram Pontifice haberi assolent, concedantur. Hæc Gregorius.

CAPVT X.

De Absolutione ab hæresi.

77 AB hæresi interna tantum, vel externa solùm, potest absoluere quilibet Confessarius

Ab hæresi interna tantum, vel externa tantũ quilibet Cõfessarius approbatus absoluit.

Ab interna & externa simul, Papa solus.

sarius ad confessiones audiendas approbatus. Ab hæresi autem interna, & externa simul, quæ sit publica, ex iure solus Papa absoluit. Ratio prioris est, quia hæresis solius excommunicationis ratione reseruatur: at hæresis solùm interna, vel externa solùm absque errore interno, excommunicationi non subiacet, cum de internis Ecclesia non iudicet: nec censura contrahatur nisi ob delictum consummatum ex errore intellectus. Posterius autem ex Bullæ Cœnæ contextu liquet. Nauarra *summ. cap. 11. numero 27.* Toletus *libro quarto, capite quarto, numero sexto,* Sayrus *in Claui, libro quarto, capite quarto, numero 11.* Suarius *de Censur. dubio quarto, sectione tertia, numero 22.* Fagundez *præcepto secundo, Decalogi libro octauo, capite octauo, numero 39*

78 *Tria requiruntur, vt hæresis censeatur.*

Potrò vt hæresis dicatur externa tres conditiones requiruntur in verbo, signo, vel facto manifestante. Prima vt ita illud sufficienter manifestet internam hæresim, quod si aliquis adesset, posset illam percipere, siue ex sola talis signi natura, siue ex circumstantiis loci, temporis, & aliorum concurrentium. Quia si per illud hæresis deprehendi non potest, hæreticus manet non solum occultus, sed internus, vnde non potest excommunicationem irrere. Secunda, vt actus sit de se malus, & lethalis non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundum operis externi qualitatem, & quantitatem: Quia excommunicatio, & similes graues pœnæ non imponuntur nisi propter actum externum, qui ex natura sua, & secundum quod externus est, mortalis existit. Tertia, vt actus ille externus sit hæresis confessio. Vgolinus *de Censur. Papæ reseru. parte secunda, capite primo, Paragrapho primo, numero 17.* Bannes *2.2. quæstion. 11. articulo quarto, dubio secundo,* Vasquez *1.2. disputat. 160. capite quinto. numero 20. & 21.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite octauo, numero septimo,* Manuel. *tomo primo, summ. capite 80. numero octauo,* Gutierrez *qq. Canon. libro primo, capite quinto, numero 13.*

79 *Quid circa absolutionẽ ab hæresi possint Episcopi.*

Episcopi possunt ab hæresi occulta absolue- re ex Tridentin. *sess. 24. cap. 6.* Neque per subsequentes Bullas Cœnæ fuit eis hæc sublata potestas. Portel. *verb. Episcopus, numero primo,* Crourers ad *caput septimum, regulæ S. Francisc. lect. 11.* Putean. *2.2. quæstione 11. articulo quarto, dubio secundo,* Fagundez *præcepto secundo, Decalogi libro octauo, capite octauo, numero 32.* Imò pro hęresi manifesta etiam concedit Episcopis hanc potestatem in regionibus septentrionalibus Layman. *libro primo tractat. quint. parte secunda, capite quinto, numero secundo,* propter frequentiam casuum, & difficultatem adeundi Pontificem. Vnde Episcopis Belgij, (verbi gratiâ,) Gregorius XIII. Bullam expediuit anno 1576. die 25. Februar. cuius vi possunt ab hæresi manifesta absoluere, & ab aliis casibus Papæ reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ: hancque potestatem possunt etiam cuilibet Sacerdoti idoneo delegare. Bassæus *verb. Hæresis, numero 18.*

80 *Quid Domini Inquisitores.*

Domini Inquisitores habent facultatem absoluendi ab hæresi non solùm in foro externo, sed & in foro conscientiæ. Et huiusmodi facultas competit cuilibet Inquisitori, & non toti Consistorio. Lorichius *verb. Hæreticus, §. 12.* Putean. *2.2. quæstion. 11. articul. quart. dubio secund.* Sanchez *libr. 2. Decalog. cap. 12.* Diana *p. 1. tract. 5. resol. 3.*

81 *Quid Confessarius electus virtute Bullæ aut Iubilæi*

Bullæ, & Iubilęi in quibus conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, Confessarius electus potest à crimine hæresis absoluere, nisi contrarium à Dominis Inquisitoribus ex speciali indulto exprimatur. Et ita declaratum fuisse in Sacra Pœnitentiaria Romæ testatur Filliucius *tractat. 8. numero 265.* & docent Reginaldus *libro octauo, numero tertio,* Fagundez *præcepto secundo, Decalog. libro octauo, capite octauo, num. 38.* Diana *p. 1. tract. 5. resolut. 1.*

81 *Quid Prælati Regulares.*

Possunt Prælati Regulares subditos suos absoluere ab hæresi occulta ex Pij V. priuilegio. Quia si probabile est, authoritatem Episcoporum non esse reuocatam per Bullam Cœnę, sine dubio Superiores Regulares ex præfato Pij priuilegio apud Rodriguez *tomo primo, qq. Regul. quæstion. 61. articulo nono,* possunt ab occulta hæresi absoluere; nam extensio Pij generalis est quoad omnes facultates. Imò in partibus Vltramontanis, in quibus non viget Sanct. Inquisitionis Officium, ex nouo decreto Regularibus concesso à Paulo V. possunt Prælati Regulares causas ad Sanct. Inquisitionis Officium attinentes cognoscere: ita tamen vt postea quæcumque per ipsos acta fuerint Sanct. Inquisitionis officio indicentur. Sanchez *de matrim. libro octauo, dubio secundo, numero tertio,* Suarius *de Relig. tomo quarto, tractat. 9 libro secundo, capite 20. numero 11.* Coriolan. *de casibus reseru. parte prima, sectione prima, articulo 23.* Diana *parte prima, tractat. quint. resolut. sext.* Ex qua concessione constat, Prælatos posse absoluere subditos etiam in foro externo ab hæresi in præfato casu, & per consequens à reliquis casibus Bullæ Cœnæ, Crousers *ad c. 7. regulæ D. Francisc. lect. 12.*

83 *Quid Religiosi Mendicantes.*

Ex probabili sententia asserente, non derogari Mendicantium priuilegiis per annuam Bullæ Cœnæ publicationem, possunt Mendicantes approbari iuxta formam iuris sæculares absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi, modo sint occulti. Quia ex concessione Vrbani IV. apud Rodriguez *tomo primo, qq. Regul. quæstion. 61. articulo tertio,* possunt Patres Carmelitæ ex licentia Prælatorum Ecclesiæ, siue ab ipsis approbati, confessiones omnium Christi fidelium ad eos recurrentium causa deuotionis audire, nisi talia commiserint, propter quæ esset Sedes Apostolica merito consulenda. Sed pro hæresi, nisi illius sit, qui in hæresim coram Iudice competenti abiuratam sit relapsus, non est merito consulenda Apostolica sedes. Quia Sixtus IV. provt habetur in libro *Monumenta Ordinum, concess. 345.* declarauit, solùm esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos hæreticos relapsos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent. Ergo ab hæresi occulta possunt præfati absoluere. Potrò per Tridentini decretum *sess. 24. c. 6.* casus hi occulti iam non sunt Papales, sed Episcopales. Sanchez *libro quarto Decalogi capite 54. numero 27.* Diana *parte prima, tractat. ii. resolut. 28. & parte 3. tractat. 2. resolut. 13. & p. 4. tr. 4. resolut. 239.* volens conciliare facultatem Tridentini Episcopis concessam cum Bulla Cœnę postea

pro

promulgata inquit, *Recte dici potest, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & ideo non derogari facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est.* Porro hæc sententia anno 1629. 18. Iulij, in consistorio Sacræ Congregationis Cardinalium visa, tolerata est. Et tanquam probabilis à multis Regulis Academiæ Duacensis admissa. Quid sentiam *sect. 2.* exponam. Porro non derogari per Bullam Cœnæ Mendicantium priuilegiis asseruere Rodriguez *tom. 1. q 7. Regular. q. 20. art. 9.* Suar. *de Relig. tom 4. tr. 10. l. 9. c. 20. n. 18.* Diana *p. 1. tr. 5. resol. 6.* Sousa *in Bul. Cœn. c. 23. d. 100.*

84 Potest ab hæresi absoluere quilibet Sacerdos, etiam non approbatus in articulo mortis: & iuxta probabilem admodum sententiam etiam præsente Confessario approbato, vel Superiore, cui hæresis reseruatur. Quia iuxta Tridentinum nulla reseruatio est in mortis articulo: quod verum non esset si præsente Prælato, vel Confessario approbato, ipsi, & non alteri fateri liceret, hoc enim aliqua reseruatio esset. Nauar. *l. 5. Consil. de pœnit. conf. 15.* Henri. *l. 6. c. 11. num. 4.* Manu. *tom. 1. qq. Regul. q. 56. a. 4.* Vega. *tom. 1. sum. c. 6. casu 16.* Diana *p. 1. tr. 5. resol. 5. & p. 4. tr. 4. resol. 161. & p. 5. tr. 3. resolut. 65.*

Quid simplex Sacerdos in mortis articulo

CAPVT XI.

De Hæreticorum Pœnis.

85 Duplices sunt hæreticorum pœnæ, quædam Ecclesiasticæ, vt excommunicatio, irregularitas, priuatio potestatis spiritualis, inhabilitas ad Beneficia, &c. quædam sunt ciuiles, vt priuatio bonorum, officij publici, famæ, & vitæ. Omnia autem, quæ de pœnis hæreticorum dicuntur, locum habent in apostatis à baptismo, idest, in iis, qui post baptismum receptum ad Iudaismum, vel Paganismum deflectunt. *tit. de hæreticis, in 6.* Quia Ecclesia idem habet ius in omnes ratione baptismi. *Sic omnes.*

Duplex hæreticorum pœna spiritualis, ac ciuilis

86 Prima ergo pœna spiritualis hæretici est excommunicatio maior, non solùm nunc per Bullam Cœnæ, quæ annis singulis feria quinta Cœnæ Domini innouatur; sed etiam per Innocentium III. *cap. Nouerit, de sent. excomm.*

Prima spiritualis pœna excommunicatio.

87 Secunda est Irregularitas. Colligitur ex *cap. Saluberrimum, cap. Conuenientibus, 1. q. 7.*

Secunda Irregularitas.

88 Tertia est priuatio omnis iurisdictionis Ecclesiasticæ. Vnde ipso facto est suspensus ab officio, & Beneficio; ideóque nec ligare, nec soluere potest. Quod intelligendum est de hæretico nominatim excommunicato, & publicè denũciato, & secluſa externa necessitate. Quia iurisdictio ab Ecclesia datur, & ab eius libera voluntate pendet. Ergo cum ei libet, potest illam auferre, sicut in hoc casu intendit. Retinet tamen hæreticus potestatem Ordinis, ad conficienda validè Sacramenta. Quia hæc potestas fundatur in charactere Sacerdotali, vel Episcopali, qui est indelebilis. *cap. Audiuimus, cap. Apertè, cap. Miramur, 24 q. 2.*

Tertia priuatio Ecclesiastica iurisdictionis.

89 Quarta est inhabilitas ad Beneficia. Vnde hæretici, eorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu officium publicum possunt admitti: quod si secus actum fuerit, erit inane *cap. Quicumque, § Hæretici. de hæretic. in 6.*

Quarta ad Beneficia inhabilitas.

90 Quinta est priuatio dignitatum, ac Beneficiorum Ecclesiæ. Vnde hæreticus statim post lapsum in hæresim priuatus est ipso iure titulo Beneficij, non tamen possessione. Quia non cogitur, illud dimittere, nisi postquam crimen fuerit per sententiam Iudicis declaratum. Licet possit impetrari tanquam vacans, etiam ante sententiam declaratoriam criminis. *Cap. Vt commissi, § Priuandi, de haret. in 6. Bulla cum ex Apostolatus. Cap. Licet Episcopus, de præbend. in 6.*

Quinta priuatio dignitatum, ac Beneficiorum Ecclesiæ.

91 Sexta denique est Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio. Debet tamen hæreticus esse manifestus, & in hæresi decedere; quia occultus priuatus non est. *cap. Quicumque, de hæret. in 6.*

Sexta, sepulturæ priuatio Ecclesiastica.

92 Prima vero pœna Ciuilis hæretici, qui exterius suam hæresim prodit, est omnium bonorũ confiscatio. Statim enim est priuatus in foro conscientiæ omni dominio, quod transfertur in fiscum, retinet tamen possessionem, quousque per Iudicis sententiam de crimine condemnetur; tunc enim fiscus eas ibi vendicat. *Cap. Cum secundum leges, de hæret. in 6.*

Prima pœna ciuilis est, bonorum confiscatio.

93 Secunda est priuatio omniũ officiorum publicorum. Vnde hæreticus non potest esse Aduocatus, Tabellio, aut Procurator, nec publicum aliud officium acquirere. Quia est excommunicatus, séque ab Ecclesia diuisit. *Cap. Vt commiss. de hæret. in 6. cap. Nulla officia. dist. 54.*

Secunda, priuatio publici officij.

94 Tertia est infamia. Vnde hæreticus post Iudicis sententiam declaratoriam criminis iuris infamiam contrahit. Nec enim opus est, vt Iudex reum condemnet, vt infamem; sed tantum vt crimen declaret. Attamen si hæresis crimen fuerit notorium per facti euidentiam, hæreticus infamiam facti, non iuris contrahit. *Cap. Excommunicamus, de hæret. leg. 1. ff. de iis, qui notantur infamia.*

Tertia est infamia.

95 Quarta demum pœna est capitis supplicium. Alicubi hæretici gladio necantur, vt in Flandria, & Germania inferiori. Alibi ligatis manibus in flumen proiiciuntur, vt in Geldria. Apud Italiam, Hispaniam, & Galliam igni traduntur. *leg. Arriani. C. de hæret.* Hæc omnia seruanda sunt in rigore iuris, ex æquitate tamen aliquando aliter fit, provt Prouinciarum fert vsus. Lege de his pœnis Alfonsum de Castro *libr. 2. de iusta hæreticor. punit. capit. 9.* Azorium *tomo primo, libro octauo, capite 11. 12. & 13.* Syluium *2. 2. quæstion. 11, artic. tert. quæst. tert. quart. & quint.* Sancium *libro secundo Decalogi.* Filliucium *tractatu 22. capite septimo.* Cardinalem de Lugo, & Ferdinandum de Castro Palao *sectione secunda*, passim citandos.

Quarta, capitis supplicium.

Porro pœna hæretici relapsi est, vt Curiæ sæculari tradatur sine vlla veniæ, ac miserationis spe, quamuis sui delicti egerit pœnitentiam. Ei tamen Eucharistiæ Sacramentum non denegatur. Et si pertinax persistat, vinus exuritur: vt etiam non relapsus, si obstinatè in hæresi perseueret. Verum iure Canonico relapsus dicitur ille, qui postquam publicè coram Iudice hæresim abiurauit, in eandem, aut in diuersam aliam

96 *Hæretici relapsi pœna.*

incidit. Si autem quis sæpius relabatur in hæresim, à qua tamen recesserit per cordis pœnitentiam, vel oris coram Confessario, non verò per abiurationem coram Iudice, non habetur pro relapso, iuxta communem sententiam ad *cap. Accusatus, de hæret. in 6.* Castro *l. 2. de iust. hæret. punit. c. 2.* Azor. *to. 1. l. 8. c. 14.* Director. Inquisit. *p. 2 q. 40. 55. & 58.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 57.*

97 *Per absolutionem à censura, & peccatis hæreticus non liberatur ab aliis pœnis.*

Hæreticus per absolutionem à censuris, & peccatis, ab irregularitate, & inhabilitate ad officia Beneficiáque Ecclesiastica non liberatur, nec pristinæ dignitati restituitur. Constat ex praxi Ecclesiæ, ac multis Canonib. *Causa 24. q. 7.* Vnde hæreticus, si Clericus sit, ad laicam communionem admittitur. Quadruplex verò dispensatio impetrari potest, semiplena, ad exercitium ordinum ante susceptorum admittatur: plena vt possit fieri Sacerdos; plenior, vt ordinetur Episcopus: plenissima, vt ad Superiores dignitates recipiatur, quemadmodum D. Petrus post trinam negationem Summus Ecclesiæ Pastor est constitutus. D. Th. *3. p. q. 89. a. 3.* Sylvest. *v. Hæresis, q. 14. n. 21. & v. Irregularitas, q. 5.* Azor. *tom. 1. l. 8. c. 19. q. 6.*

CAPVT XII.

De Confessario ad Venerem solicitante.

98 *Confessarius solicitans in fide suspectus.*

VM Confessarius in Sacramentali Confessione pœnitentem solicitans ad turpia, sit in fide suspectus, vt tenent Penna *p. 2. director com. 81.* Sosa *in aphoris. inquisit. l. 1 c. 34. n. 8.* operæ pretium duxi ad Tractatus de Fide complementum nonnulla hîc de hoc grauissimo crimine generatim prælibare, vt ad Dubia inferiùs apponenda via sternatur.

99 *Pij IV. circa hoc constitutum.*

Pius IV in Bulla, quæ incipit, *Venerabili Patri Archiepiscopo Hispalensi*, quæ edita fuit, & publicata die 16. Aprilis, anno 1561. solum concedit Inquisitori generali iurisdictionem puniendi per se, vel per alios à se deputatos, delinquentem Sacerdotem tam sæcularem, quam Regularem Regnorum Hispaniæ, qui Sacramento Confessionis abutuntur nempè fœminas pœnitentes ad inhonestos actus, dum earum Confessiones audiunt, alliciendo, ac prouocando, aut allicere, vel prouocare tentando. & procurando. *Super iis,* (ait Pontifex) *diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, ac tenorem procedas.*

100 *Clementis VIII. decretum.*

Postmodum Clemens VIII. vt fertur in Supremi Senatus Inquisitionis decreto edito die 3. Decemb. anno 1592. solum statuit, Inquisitorem generalem in Hispania procedere posse aduersus quoslibet Presbyteros sæculares, ac Regulares, qui in Sacramento Pœnitentiæ, seu in actu Confessionis Sacramentalis solicitauerint mulieres pœnitentes, ad impudicitiam, seu peccata carnis, sicut in aliis causis sanctissimũ Inquisitionis Officium pertinentibus, sicut hactenus fecit etiam priuatiuè quoad Superiores Regularium, cuiusvis Ordinis, & Congregationis, etiam Mendicantium existant: ipsosque Regulares non eximi ab onere denunciandi huiusmodi delinquentes eidem Sancto Officio, quemadmodum in aliis causis S. Inquisitionis, in quibus alij fideles de iure tenentur.

101 *Gregorij XV. constitutio.*

Denique Gregorius XV. die 30. Augusti anno 1622. & sui Pontificatus 2. constitutione edidit aduersus solicitantes Sacerdotes. In qua primò refert, & cõfirmat Bullam Pij IV. illamque non solum in Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, ac inuiolabiliter obseruari præcipit. Secundò, ne de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo procedendi ab aliquo possit dubitari statuit, quod omnes, ac singuli Sacerdotes tam exempti quam nõ exempti, qui personas, quæcumque illę sint ad inhonesta siue inter se siue eum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante vel post immediatè seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam Confessione non secuta: siuè extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessiones audiendas electo, simulantes ibi Confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint, in officio S. Inquisitionis seueriissimè puniantur. Tertiò apponit modum de tali delicto cognoscendi: remittit enim eius cognitionem tam Inquisitoribus, quam locorum Ordinariis simul, vel separatim. Quartò adiicit, eos, qui in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles fuerint reperti, pro criminis qualitate, ac circumstantiis puniendos esse, nempe suspensione ab executione Ordinis, priuatione Beneficiorum, dignitatum, ac officiorum perpetuæque inhabilitatis ad illa: necnõ vocis activæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, carceris perpetuæ: imo si prodelicti grauitate maiores pœnas meruerint, præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendi tradantur. Quintò impenditur facultas venerabilibus fratribus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Generalibus, Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam pernitiosum remaneat ob probationum defectũ impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari reum tradendum esse pronunciandi. Sextò imperat omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint, fuisse ab aliis solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes seu tractantes de inhonestis Inquisitoribus. Quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum confessarios solicitantes, seu tractantes, iidem locorũ Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

102 *Comprehenditur, qui fœminam, aut virum solicitat in Bulla Gregorij.*

In Bulla Pij IV. & in Clementis VIII. decreto solũ de solicitatione mulieris sermonẽ habeti. At in Bulla Gregorij XV. cuiusvis præcaueri solicitationẽ, vt cõstat ex illis verbis: *Quæcũque*

104 *quæ illæ sint, ad inhonesta, &c.*

Et qui im. Tertio, ex decreto Pij IV. & Clemediatè mentis VIII. Sacerdotem in Confessione *ante, vel* solinitantem venire puniendum. At ex decre*post Cōfes.* to Gregorij siue in Confessione, siue extra *sionem, vel* ante vel post immediatè, siue in Confessio*in Confessio.* nario, seu in loco Confessionibus audiendis *nario sinu.* deputato, simulantem audire Confessionem, & *las Confes.* pœnitentem solicitantem, aut cum eo inho*sionem, ad* nesta tractantem puniendum venire.

inhonesta Quartò, in decreto Pij, & Clementis nullam *incitat.* obligationem præter eam, quę iure naturæ in-

105 est, imponi pœnitenti Confessarium denun-*Debet Con.* ciandi. At in decreto Gregorij præsupponi, pœ-*fessarius* nitentes teneri Confessarium sic solicitan-*pœnitentem* tem denunciare: & insuper præcipi omnibus *de obliga.* Confessariis, vt eos de tali obligatione *tione denū-* moneant.

ciandi mo. Quintò in Bulla Pij, & in Clementis de-*nere.* creto committi huius delicti cognitionem In-

106 quisitori Generali Hispaniarum, & ab eo de-*Omnibus* putatis. At in Gregorij decreto omnibus to-*Christiani* tius Christiani Orbis Inquisitoribus, & loco-*orbis Inqui-* rum Ordinariis simul vel separatim cognos-*sitoribus, &* cendi facultatem impertiri.

locorum Or Sextò, Bullam Gregorij non esse in Hispa-*dinariis da-* nia receptam ex eo capite, quo Inquisitores *tur cognos.* locorum Ordinariis æquales fiunt contra de-*cendi facul.* cretum Pij, & Clementis, quo ipsi soli de hoc *tas.* crimine priuatiue cognoscunt. Equidem etsi

107 ex hoc capite acceptata non sit, in aliis rece-*Bulla Gre.* ptam esse, vt constat ex verbis Edicti ab In-*gorij non est* quisitoribus annis singulis promulgati.

in Hispania Septimò, Paulum V. die 16. Septembris anno *recepta quo* 1608. Bullam promulgasse, quæ incipit, *Dilecti* *ad Ordina.* *fili*, explicat Roderic. Acunna, in qua confir-*rij cognitio.* mat Bullam Pij IV. & concedit facultatem In-*nem.* quisitoribus, vt valeant procedere contra Con-

108 fessarios siue sæculares, siue Regulares, qui Sa-*Quid circa* cramento pœnitentiæ in Sacramentali Con-*hoc Paulus* fessione abutuntur mulieres pœnitentes ad *statuerit.* actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, ac prouocando: seu allicere, ac prouocare tentando: & eos punire prout iuris fuerit, etsi opus fuerit, illos degradare, ac Curæ sæculari committere. Cum autem hæc Bulla edita sit pro Portugaliæ, & Algabiorum Regnis, & ita hæc Bulla quam Pij IV. & Clementis VIII. generaliter non loquantur: ideo Gregorium XV. has constitutiones confirmasse, ampliásse, & extendisse ad omnes vbique locorum existentes. Et Vrbanum VIII. per Eminentissimum Cardinalem Millinum scribere mandasse literas die 1. Octobris, anno 1626. Archiepiscopis, seu illorum Vicariis Generalibus, vt cunctis Sacerdotibus Regularibus, ac sæcularibus in actu approbationis ad audiendas Confessiones legatur constitutio Gregorij XV. maxime §. cuius initium est, *Mandantes*, vt monere possint, solicitantes esse denunciandos, & si ipsi omittant possint ab Ordinariis, vel Inquisitoribus puniri. Præterea ipsum Vrbanum præcepisse, vt singulis annis, feria 6. post Octauam Assumptionis Deiparę Superiores Regulares sub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto incurrenda, in publica mensa, seu capitulo ad hoc specialiter conuocato: & in quolibet Capitulo generali, vel Prouinciali seu Conuentuali teneantur suos monere subditos circa obser-

uantiam Apostolicarum Constitutionum ad Officium S. Inquisitionis pertinentium: & in specie de hisque in decretis Pij IV. ac Gregorij XV. sunt expressa.

Enim vero ex edicto quod annis singulis 109
Domini Inquisitores assolent publicare in Vr- *Intra sex*
bibus, vbi Sacrum Inquisitionis Tribunal eri- *dies post*
gitur, satis ostenditur, quam stricta sit in pœni- *edicti pu-*
tente obligatio Confessarium sic solicitantem *blicationem*
denunnunciandi, & quam efficaciter intendat *gerenda est*
Ecclesia huic grauissimo crimini remedium *denūciatio.*
adhibere. Tenetur ergo pœnitens solicitatus, *Et quomo.*
& quiuis id sciens Confessarium solicitantem *do hi dies*
denunciare Inquisitoribus intra sex dies, com- *computādi.*
putandos quidem à die publicationis edicti, seu à die scientiæ edicti. Vnde pœnitens edicti ignarus, seu iusta causa impeditus tenetur, scientia aduentante, vel cessante impedimento, denunciare. Suar. *de Censur. d.* 20. *sect.* 1. *n.* 14. Henriquez *l.* 13. *c.* 18. *num.* 6. Porro in præfatis sex diebus non annumeratur dies naturalis publicationis, sed à die immediatè sequenti inchoandus sex dierum numerus. Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 41. citans Freitas. Acunna *q.* 21. *n.* 4. asserit, fœminam edicti ignaram non teneri denunciare Confessarium statim ac scierit, sed intra dies in edicto præscriptos; ne sit deterioris conditionis quam gnaræ. Idem dic de illa, quæ ob aliquod impedimentum excusatur, cum eadem sit ratio.

Tenetur etiam denunciare, qui audiuit à vi- 110
ris, aut à fœminis probis, & fide dignis: secus si à *Tenetur de-*
leuibus, non dignis fide. Et omnes fœminæ, *nunciare,*
ac personæ, etsi nobilissimæ, & egregiæ sint, *qui à fide*
nisi firmitas, clausura, aut alia iusta causa excu- *digno audi-*
set. Etsi Inquisitores non possint contra Reges *uit, siue sit*
ac Principes procedere non recognoscentes in *Rex, siue*
temporalibus Superiorem; ij tamen subiiciun- *fœmina*
tur Inquisitionis Edicto quoad effectum re- *egregia.*
uelandi. Acunna *q.* 22. *n.* 14. Freitas citans Trullench. *l.* 1. *Decal. c.* 3. *d.* 18. *n.* 12.

Sciens solicitationem, tenetur denunciare 111
etiam transacto sex dierum tempore, vbi pri- *Etiam trā-*
mum edicti scientiam habuerit. Quia præce- *sacto sex*
ptum est perpetuum, donec reuocetur. Suar. *de* *dierum tem.*
fide, d. 20. *sect.* 4. *n.* 11. Auila *de Censur. p.* 2. *cap.* 5. *pore.*
d. 5. Ioan. Sanc. *in select. d.* 11. *n.* 61. & 62. Pœnitens igitur, aut alius quisvis delicti conscius, & edicti gnarus non denuncians intra terminum excommunicationem incurrit, à qua absolui non potest etiam per Bullam Cruciatæ, nisi facta denunciatione, vel nisi per ipsum non stet, quin modo fiat.

Imo non existentibus decretis præfatis tene- 112
tur solicitata sub excommunicationis latæ *Licet de-*
sententiæ pœna Papæ reseruatæ solicitantem *creta hæc*
Inquisitoribus denunciare, vel Ordinariis. *non existe-*
Quia in *decreto Congregationis vniuers. Inqui-* *rent, denun-*
sit. id præcipitur circa suspectos de hæresi: at in *ciare quis*
Confessione solicitans suspectus de fide cense- *teneretur.*
tur. Diana *part.* 4. *tractat.* 5. *resolut.* 41. Decretum autem Congregationis datum est die 3. Ianua. anno 1613.

Denunciatio huiusmodi facienda est Inqui- 113
sitoribus & non Episcopo. Quia cognitio hu- *Ad inquisi-*
ius delicti priuatiuè ad eos spectat, vt ex edicto *tores, non ad*
constat, & ex Pij IV. & Clementis VIII. cōcess. *Episcopum*
sione, praxi fidelium apud nostrates comprobā. *deferenda*
te. Patet etiam ex Pauli V. constitutionibus, *est denun-*
vbi cauetur, Episcopos per se solos nō posse cri- *ciatio.*

mine animaduertere, sed simul cum Inquisitoribus. Sicut de crimine hæresis practicatur. Acunna *q.*12.*q.*18. Freitas *tr. de Confess. solicit. quæst.* 2.

114 *Solicitans non est excommunicatus.*

Profecto solicitans etsi grauissimè delinquat, non tamen ideò est excommunicatus, nec peccatum id est reseruatum: ideoque potest, seruatis seruandis, absque priuilegio absolui. Rodrig *p.*1. *sum. c.*207. *concl.* 1. Henr. *l.*3. *de pœnit c.*10. *n.*7. *lit. H.* Freitas *qu.*21. *n.*2. 13. & 22. Ant. de Sosa *Aphorism. Inquisit. l.*1. *c.*34. *nu.*62. Trull. *l.*1. *Decal. c.*3. *d.*18. *n.*16.

115 *Omittens sine causa denunciationem leuiter delinquit.*

Omittens sine causa denunciationem solicitantis, lethaliter delinquit. Quia res grauis est, vt indicat apertè excommunicationis latę sententiæ pœna in Edicto Inquisitionis apposita. Quod quidem peccatum est contra Religionem, & reuerentiam Sacramento debitam. Acunna *q.*10. *n.*1. Henriq *l.*6. *c.*12. *n.*6. Manuel *summ. c.*207. *n.*1. & *p.*2. *qq Regul. q.*27. *a.*1. Bona. *de onere denunciandi, d.*6. *pun.*3. *n.*10. Diana *p.*4. *tr.*5. *resol.*5.

116 *Vt Confessarius pœnas incurrat, & denunciari debeat, sufficit, quod solicitarit licet effectus secutus non fuerit.*

Vt Confessarius Breuis pœnas incurrat, & vt denunciandus veniat, sufficit, quod re vera solicitauerit, vel ad inhonesta prouocauerit, licet solicitationis effectus secutus non sit. Quid aperte in decretis exprimitur. *Mulieres videlicet pœnitentes, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, prouocando, seu allicere, & prouocare tentando.*

117 *Non est denunciandus Cõfessarius ad alia peccata nõ venerea solicitans.*

Denique nullo modo tenetur pœnitens denunciare Confessarium ad alia peccata, non venerea solicitantem. Quia nullibi cautum est, talem denunciationem esse faciendam neque in decretis Pontificum, neque in edictis Inquisitionis: omnia enim hęc solum de solicitantibus ad inhonesta loquuntur, ob fragilitatem enim naturæ frequentius hæc solicitatio contingere poterat, & maius in ea consentiendi periculum. Et quia in delictis non fit extensio, *cap. Pœnis, de regul. iur. in* 6. Paramus *de orig. Inquisit. l.*3. *q.*10. *n.*121. Sanci. *in select. d.*11. *nu.*23. Acunna *qu.*8. *num.*3. & 6. Palao *tom.*1. *tract.*4. *d.*9. *punct.*6. *num.*2. Diana *part.*4. *tractat.*5. *resolut.*17.

118 *Nec qui solicitauit ad Venerem in aliorum sacramenturi vsu.*

Addiderim, nec solicitationem ad venerem in aliorum Sacramentorum vsu denunciandam esse Inquisitoribus. Quia nullibi de huiusmodi delicto specialiter est cautum, fieri denunciationem. Acunna *q.*16 *n.*6. Freitas, Sancius, & Palao, quos citat, ac sequitur Trul. *l.*1. *Decal. c.*3. *dub.*18. *num.*57.

SECTIO SECVNDA.

De Fide, & Infidelitate Dubia.

CAPVT XIII.

Circa Fidei Obiectum.

DVBIVM I.

An stante cognitione euidenti de aliquo obiecto possimus de illo fidem habere?

119 *Certum suppono.*

CERTVM est, obiectum fidei, quatenus fidei est, esse non visum, ideſt, per fidem ipsam nõ videri, neque euidenter cognosci. *Hebr.*11. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ verba saltem in sensu formali vera esse debent. Item ad credendum fide diuina requiritur specialis Spiritus Sancti motio. Trid. *sess.* 6. *c.*9. At ad credendum obiectis euidentibus hæc motio non requiritur. Quæstio igitur est, nùm stante euidenti cognitione, de aliquo obiecto possimus de illo fidem habere?

120 *Non possumus.*

Non possumus. Quia ea, quæ euidenter cognoscuntur, absolutè apparent: ergo cum fides sit non apparentium, vti ait Apostolus, esse de euidentibus non potest. Sic D. Th. 2.2. *q.*1. *a.*4. & 5. Caiet. & Bannes *ibi.* Scotus *in* 3. *dist.* 24. *q. vnic.* Richard. *ibi, q.*5. Capreol. *d.*25 *q. vni. a.*2. *concl.*1. & 2.

121 *Possumus quidem.*

Possumus quidem. Quia plura proponuntur fide diuina credenda, quorum euidentiam habere potes, videlicet, Deum esse vnum, esse sapientem, esse fidelem, & potentem adimplere promissa, &c. Sed ex eorum cognitione euidẽti non potest fidei exercitium impediri, aliàs deterioris esset conditionis homo doctus indocto: ergo. Minorem probo. Nam accedentibus ad Deum siue doctis, siue indoctis proponitur fide diuina credendum: *Quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit, Hebr.*11. Sed posset contingere, quod saltem de *esse* Dei quis euidentiam habeat: Et talis euidentia obesse ei non potest, quominus fide diuina id ipsum credat. Ita albert. Mag. *in* 3. *dist.*24. *a.*9. Bonau. *ibi, a.*2. *q.*3. Gabr. *q. vni. a.*2. *concl.* 3. Valent. *tom.*3. *d.*1. *q.*1. *pun.*4. alios citans, Suar. *tom.*2. *in* 3. *p. d.*19. *sect.*2. Coninch. *d.*11. *dub.*1. *concl.*2. *n.*15.

122 *Probabilius rem hanc credo esse sententiam.*

Probabilius existimo, his Doctoribus hærens, posse nos fide diuina omnia diuina mysteria credere, quorum euidentiam habemus: atque adeò fidem cum scientia posse compati. Concedo enim, ea, quæ euidenter cognoscuntur esse apparentia, non vndequaque sed ex vi illius cognitionis, qua euidenter cognoscuntur: cum autem cognoscuntur ex alia obscura, & ineuidenti, apparentia non sunt. Quocirca cum Paulus dicit, fidem esse argumentum non apparentium, intelligendus est formaliter, hoc est esse argumentum

argumentum non apparentium ex vitalis cognitionis, & secundum rationem, qua ipsa nititur.

Dvbivm II.

An Deus secundum se, vt Deus sit Fidei subiectum?

123 *Non est, vt Deus est, fidei subiectum.*

Deus non est absolutè, & secundum se vt Deus, sed vt glorificator subiectum fidei. Quia fides ordinatur, vt Deus fideles glorificet Sic Marsil. *in 3.q.2.a.5.* Gregor. Arimin. *in prol. q.4.a.1.*

124 *Est quidē.*

Deus vt Deus absolutè, & secundum se est fidei subiectum. Quia de Deo secundùm se credimus, & ipsi, quæ de ipso credimus attribuimus: v.g. quod sit vnus, & trinus, & bonus, & reliqua ipsi Deo extrinseca. Ita Sua. *de fide, d.2.sect.1.* Turrian *d.1.dub.1.* Tanner. *d 1.qu.1. dub 2.* Coninch. *de fide, d.9.dub 1.* Vasq. *p.1.d.10. c.3.* & Theolog. communiter.

125 *Hoc mihi videtur.*

Hoc mihi indubitatum. Nam Deum esse glorificatorem potius est prædicatum, & id quod credimus, quam subiectum, & id de quo credimus. Vnde constat Deum vt Deum non tantum esse subiectum fidei, quatenus ipsa fide attribuimus ei prædicata necessaria: v.g. quod sit vnus, & trinus, & bonus: sed etiam quatenus ei attribuimus prædicata contingentia ex ipsius pendentia voluntate: v.g. quod sit creator, iustificator, ac glorificator. Ex eo autem quod fides diuina ordinetur ad hoc, quod Deus nos glorificet, tantum deducitur. Deum esse glorificatorem, seu finem fidei, non verò illius subiectum.

Dvbivm III.

An Deus sua ratione Deitatis, & non vt reuelans sit obiectum, seu motiuum fidei diuinæ?

126 *Status quæstionis.*

Certum est, apud Theologos, Deum testificantem, seu reuelantem esse obiectum formale fidei diuinæ, sicut homo testificans est fidei humanæ obiectum. Quæsierim verò, sub qua ratione Deus sit formale fidei diuinæ obiectum?

127 *Est obiectū seu motiuū fidei varie Deitatis, & non vt reuelās.*

Deus, vt Deus, seu sub ratione Deitatis, & non vt reuelans, est obiectum, seu motiuum formale fidei diuinæ. Quia obiectum formale diuinæ fidei est id, in quod vltimo fidei assensus resoluitur, & cui tanquam fundamento innititur: sed in Deum, vt Deum, & non in Deum, vt reuelantem fit resolutio vltima assensus fidei: & ipsi Deo, vt Deo innitur tanquam fundamento, & non Deo vt reuelanti: quamuis enim interroganti. *Quare credis fidei mysteria?* respondendum sit, *Quia Deus reuelauit:* ibi autem non subsistit interrogatio, vlterius namque interrogari potest, Quare credis Deo reuelanti, & respondendum est, *Quia est infinitè verus*, qui nec falli, nec fallere potest; imo hi interrogatio non fistit, quia potest vlterius interrogari, *Quare Deus est infinite verus?* est respondendum, *Quia est Deus.* Ergo Deus, vt Deus, & non vt reuelans, est formale fidei obiectum. Sic Aureol. apud Capreol. *in 3.dist.23. q.vni.a.1.* Greg. Arimin. *in 1.rol.q.4.a.2.*

128 *Est obiectum non vt Deus, sed vt prima veritas reuelans.*

Deus vt prima veritas reuelās, & nō vt Deus est obiectum formale fidei, quod significat scriptura, dùm dicit, fidem Dei testimonio niti. *Mat.16. Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Et *1.Ioann. 5. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Ratio est, quia ideò est obiectum formale, seu *quo* fidei diuinæ, quo mouemur, & cui innitimur ad credendum ea fidelesed Deus vt est primus, & infinite verus reuelans, seu testificans id, quod credimus, est id, quo mouemur, & cui innitimur ad illud credendum fide diuina: non quia Deus est Deus, sed quia Deus, qui est primus, seu infinitè verus in iudicando (ob quod falli non potest,) & indicendo (ob quod non potest fallere) illud reuelat, seu testificatur: ergo Deus vt reuelans, seu testificans, & non vt Deus est obiectum, & motiuum formale, seu quo fidei diuinæ. Ita D. Thom. *2.2.q.1.a.1.* Valent *tom.3.q.1.pun.1.* Suar. *de fide, d.3.sect.4.* Coninch. *d.9.dub.3.* Vasq. *p.1.d.7.c.4.*

129 *Probabilius hoc.*

Hanc sententiam probabiliorem esse reor. Nam resolutio assensus fidei diuinæ, quæ præfato modo fit vltimo in Deum, vt Deum, non fit in eum tanquam in medium, seu motiuum (adhuc remotum, & mediatum) in quo consistit ratio obiecti formalis: sed tantùm tanquam in radicem summæ, & infinitæ veritatis Dei, in quo non consistit ratio formalis obiecti: ac proinde Deus, vt Deus ad obiectum formale fidei diuinæ non pertinet.

Dvbivm IV.

An reuelatio, qua res aliqua priuatim reuelatur, sufficiat quantum est ex parte reuelationis, ad fidem diuinam rei sic reuelatæ, sicut sufficit reuelatio publica?

130 *Non illa suppono.*

Conueniunt contra hæreticos Catholici, præter reuelationem publicam ad fidem diuinam, seu Theologicam non esse necessariam reuelationem priuatam reuelationis publicæ, adhuc vt conditionē, seu applicationem illius. Quia reuelatio publica sufficienter proposita, & applicata, vt verè potest, absque priuata reuelatione illius media prædicatione, aut alia instructione, sufficit, quantum est ex parte reuelationis, vt moueat intellectum ad credendum Deo reuelanti. Quæsierim autem, an reuelatio priuata sufficiat, quantum est ex parte reuelationis ad fidem diuinam rei sic reuelatæ: sicut reuelatio publica?

131 *Non sufficit.*

Non sufficit, ad fidei diuinæ assensum, sed tantum ad assensum prudentiæ infusæ, aut doni prophetiæ, aut doni similis. Qui obiectum formale fidei diuinæ est reuelatio primæ veritatis per Ecclesiam, vel per Apostolos, aut per Prophetas. Quare ad *Ephes. 2.* fideles dicuntur *Superædificati supra fundamenta Apostolorum, & Prophetarum.* Ergo reuelationes priuatæ, vtpotè quæ non fiunt per Ecclesiam, neque per Apostolos, neque per Prophetas, non sufficiunt quantum est ex parte reuelationis fi-

dei diuinæ,seu Theologicæ obiectum.Sic Caiet.2.2.q.5.a.3.Sotus *l.3.de nat. & gra.c.*11.Cano.*l.*12.*de locis,c.*3.& 4.Valent.*tom.*3.*d.*1.*q.*1.*pun.*1.Bannes 2.2.*q.*1.*a.*1.*dub.*1.Et expresse D. Thom.*p.*1.*q.*1.*a.*8.*ad* 2.dum ait: *Innititur fides nostra reuelationi Apostolis, & Prophetis factæ: non autem reuelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.*

132 *Sufficit plane.* Sufficit plane. Quia reuelatio priuata non est minus diuina primæ veritatis,quam publica reuelatio : ergo reuelationi priuatæ potest tanquam obiecto,seu motiuo formali inniti fidei diuinæ assensus,non minus quam publicæ. Reuelatio priuata est eiusdem rationis,& authoritatis, quam publica, vtpotè diuina eiusdem primæ veritatis.Quod verò reuelatio diuina sit publica,vel priuata, impertinens est, ad variandam essentiam specificam fidei adhuc pro actu sumptæ: sicut etiam est impertinens ad variandam rationem motiuam assensus fidei,à qua specificatur;quia reuelatio primæ veritatis tantum mouit vt talis, & non vt publica,nec vt priuata : sicut eadem fides humana,quæ adhibetur Antonio,quando loquitur multis , & pro multis : & quando tantum loquitur vni,& pro eo vno : vtraque enim loquutio eiusdem est authoritatis Ita Vega.*l.*9. *in Trident.c.vlt.*Caterin. *opusc.de certitud.gratiæ.*Suar.*de fide,d.*3.*sect.*10.Becan.*de fide, c.*1.*q.*4.Turrian.2.2.*d.*1.*dub.*1.Coninch. *de fide,d.*9. *dub.*6.Adam.*d.*1.*q.*1.*dub.*3. & alij.

133 *Hos sequor.* Hos sequor.Nam quia fides diuina , quam fideles regulariter habemus tantum est Catholica,quia est innitens reuelationi publicæ, & est doctrinæ communi totî Ecclesiæ : ideo fideles absolute dicimur ædificati supra fundamentum Apostolorum,& Prophetarum : non quia fides requirat pro obiecto formali reuelationem publicam Apostolis , aut Prophetis factam.Et de eadem fide, quam scilicet fideles regulariter habemus loquitur Diuus Thomas *citatus.*

DVB. V.

An propositio,quæ in se ipsa non est reuelata,sed virtualiter continetur in duabus propositionibus immediatè reuelatis vel in vna immediatè reuelata,& in altera lumine naturali nota, possit fide diuina credi?

134 *Credi potest.* CRedi potest. Quia reuelatio diuina,quãuis tantum virtualis,(imò tantùm inadæquata(est tantæ auctoritatis , ac formalis , est enim eadem:ergo sufficit pro obiecto formali fidei diuinæ infallibilis, non minus quam formalis reuelatio.Sic Cano.*l.*6.*de locis,c.vlt.*Vega *l.*9 *in Trident.c.*36.Caterin. *opusc. de certit. gratiæ,assert* 6.Arag.2.2.*q.*11.*a.*2.Bellar. *l.*3.*de Eccl.c.*15.Adam.*d.*1.*q.*1.*d* 3.Vasq. *p.*1.*d.*5.*c.*3.

135 *Credi non potest.* Credi non potest Quia reuelatio mediata nequit proximè mouere,ad dandum assensum fidei propositioni mediatè tantùm,seu virtualiter reuelatæ : ergo non sufficit ad obiectum, seu motiuum formale fidei. Consequentia patet,antecedens probatur. Quia reuelatio mediata non est motiuum proximum , cui proximè innititur assensus propositionis virtualiter tantum reuelatæ:hæc enim reuelatio proximè tantùm mouet ad assensum propositionis immediatè,& in se ipsa reuelatæ:ad assensum autem propositionis in illa virtualiter contentæ tantum mouent ipsæ præmissæ obiectiuæ,ipsaque obiectiua consequentia , seu connexio prædicati , & subiecti ipsius propositionis virtualiter contentæ cum ipso medio,non diuina reuelatio,qua præmissæ obiectiuæ sunt immediatè reuelatæ : imo tantum mouent remotè tanquam causæ extrinsecæ rationales ea proportione , qua causa finalis ad electionem , & causa moralis ad effectum : Ita idem Cano *l.* 12.*de locis,c.*7.Suar.*de fide,d.*3.*sect.*11.& 4.6. *sect.*4 Turrian.*de fide d.*6 *dub.*3.Coninch.*de fide,d.*9.*dub.*9.Supponunt Valent.*tom.*3.*d.*1.*q.*1. *punct.*2.Lorca *d.*6,& Becan.*de fide. cap.*8.*qu.*3.

136 *Cum his opinor.* Cum his opinor.Fateor enim,reuelationem mediatam esse in se tantæ authoritatis , ac est immediata, est enim eadem omninò. Nihilominus quia non mouet immediatè ad propositionem respectu cuius dicitur mediata , sed media propositione obiectiua immediatè credita ob ipsam reuelationem;& media connexione ipsius propositionis deductæ cum propositione immediatè reuelata , & credita,quæ non sunt diuina reuelatio : ideò assensus mediatè innitens reuelationi diuinæ non est fidei, seu Theologicus. Discrimen ergo inter reuelationem mediatam,& immediatam,quod tantum est respectu propositionum , redundat in præfatum motiuum assensus , quia vnius propositionis est ipsa reuelatio diuina, & alterius sunt ipsæ præmissæ,& connexio ipsius propositionis deductæ cum illis , imo tantum remotum,quod potest rationale vocitari.

DVB. VI.

Reuelatio falsò diuina existimata , quantum est ex parte reuelationis sufficitne ad obiectum formale Fidei?

137 *Sufficit quidem.* SVfficit quidem. Quia rustico proponi potest à Parocho aliquid non reuelatum à Deo(siue verum,siue falsum) tanquam à Deo reuelatum eodem modo , quo eidem proponitur aliquid verè reuelatum : & tunc proculdubio rusticus potest moueri ad credendum, & aliquando credit id,quod sibi falsò proponitur tanquam à Deo reuelatum : sicut quando ipsi proponitur id,quod verè est reuelatum,& non credit alia fide,quam diuina; quia ad illud credendum tantum mouetur reuelatione sibi proposita tanquam diuina. Ergo reuelatio , diuina falsò existimata , pro obiecto formali fidei diuinæ sufficit. Sic Scotus *in* 3.*dist.*23.*q.*1.§. *Ad quæstionem.*

138 *Non suff. cit.* Minùs è sufficit. Quia reuelatio falsò diuina existimata , non est verè reuelatio diuina : ergo assensus ipsi innitens non est physicè veræ fidei diuinæ : sed est alius assensus illi similis , qui dici potest assensus fidei diuinæ putatiuæ. Sicut assensus innitens testimonio humano falsò existimato, non erit physicè fidei humanæ , sed ei similis.

Ita

Ita omnes Theologi, si Scotum excipias.

139 *Longe hoc probabilius.* Longe hoc probabilius esse reor, ne omnino Scotum reiicere cogar. Sed, si solummodo rationi hærendum sit, omnino certum esse crediderim, maxime cum Tridentinum *sess.6.c.6.* id supponere videatur, dum ait, *Fidei diuinæ non posse subesse falsum.* At si ad obiectum formale fidei diuinæ sufficeret reuelatio falsò existimata, cum hæc possit esse alicuius falsi, etiã fidei diuinæ innixe illi posset falsum subesse.

DVBIVM VII.

An possit esse euidentia reuelationis Dei, non viso Deo ipso reuelante?

140 *Non potest.* NOn potest haberi euidentia reuelationis diuinæ, (id est, quod Deus aliquid reuelauerit) extra beatificam visionem. Quia impossibile est, non viso loquente, euidenter cognoscere, eum esse, qui loquitur: non enim potest euidenter cognosci per causam, neque per effectum: Ergo Deum esse qui reuelat seu qui loquitur, nequit euidenter cognosci nisi Deum ipsum videndo. Sic Bannes 2.2. *qu.* 5. *art.* 1.

141 *Potest quidem.* Potest quidem haberi diuinæ reuelationis euidentia extra beatificam visionem. Quia Deus potest formare, seu efficere signum aliquod creatum tam spirituale, quam corporale, non solum vt effectum ipsius Dei, sed etiam vt signum significans rem, quam interius iudicat; seu signum substituens pro suo interno iudicio, seu interna loquutione, quod procedat, ab ipso Deo, non solum tanquam ab efficiente, sed etiam tanquam à loquente, quo Deus extra se ipsum loquatur. Ita Suar. *de fide, d.* 3. *sect.* 8. Vasq *part.* 1. *d.* 135. & Theologi communiter.

142 *Hic adhæreo.* His adhæreo. Nam quamuis, non viso aliquo, nequeat naturaliter cognosci euidenter euidentia metaphysica: sed ad summum euidentia morali, eum esse, qui loquitur, potest tamen, imo intuitiue, si Deus infundat speciem loquutionis vt in se est.

DVBIVM VIII.

An necessarium sit reuelationem esse in se obscuram, vt sit formale Fidei obiectum?

143 *Necessarium est.* NEcessarium est. Quia actus fidei alicuius propositionis nequit esse cum euidentia aut scientia eiusdem propositionis: at qui habet euidentiam reuelationis propositionis alicuius habet euidentiam, aut scientiam ipsius propositionis reuelatæ: nam reuelatio diuina est quasi effectus veritatis propositionis; & veritas est quasi causa reuelationis; quia hæc causalis est vera, & euidens: *Ideo Deus reuelat a quam propositionem, quia est vera*: Ergò qui habet euidentiam reuelationis propositionis, etiam habet à posteriori euidentem scientiam ipsius propositionis reuelatæ. Sic Bannes 2.2. *qu.* 5. *a.* 1. Valent. *to.* 3. *d* 1. *q* 1. *punct.* Coninch *de fi. e, d.* 9. *dub.* 8. Becan. *de fide, c.* 1. *qu.* 1. 3. Adam. *de fide d.* 1. *qu* 1. *dub.* 3.

Non est necessarium. Quia reuelatio, seu testificatio propositionis reuelatæ, quamuis sit in se euidens, & immediate applicata propositioni reuelatæ, non ostendit, propositionem ipsam reuelatam in se, & intuitiuè, vt patet: Ergo relinquit propositionem reuelatam credibilem, seu obscurè cognoscibilem ob ipsam reuelationem; sola enim notitia intuitiua propositionis, & ad summum etiam notitia euidens illius ex terminis obstat assensui fidei eiusdem propositionis. Lorca 2. 2. *dub.* 16. Turrian. *ibi, d.* 9. *dub.* 4 Vasq. *p.rt.* 1. *d.* 135. *cap.* 3. Gasp. Hurtad. *de fide d.* 2. *diffic.* 7. 144 *Non est necessarium.*

Cum his sentiens addiderim, reuelationem diuinam non solum non ostendere reuelatam in se, & intuitiue: sed neque ex ipsa reuelatione posse rem reuelatam euidenter abstractiuè cognosci. Quia notitia euidens abstractiua rei tantum potest haberi ex causa, aut ex effectu ipsi rei proprio, & non communi ipsi rei & aliis: & non ex aliquo alio quãuis necessario imo euidenter connexo cum ipsa re, (vt est visio cum re visa) quia tunc tantum res dicitur videri, seu euidenter cognosci, quando videtur in se, aut in aliquo sui, cum quo habet affinitatem, aut propinquitatem, quæ tantum reperitur inter causam necessariam & inter effectum ipsi causæ proprium; tantum enim effectus iste est aliquid proprium causæ, nempè fructus, & proles propria illius: & causa necessaria est aliquid effectus, nempe principium necessarium, seu necessaria radix illius; reuelatio autem diuina non est causa rei reuelatæ, vt patet, neque est propriè illius effectus, quamuis res reuelata, seu eius entitas, siue veritas necessario præ requiratur, & præsupponatur ad reuelationem diuinam. 145 *Idem teneo, & expano.*

DVBIVM IX.

Idem obiectum materiale potestne simul ab eodem intuitiuè videri, & credi?

146 *Potest sanè.* POtest quidem idem obiectum intuitiue videri, ac simul credi, seu quod idem est, reuelatio diuina potest esse obiectum formale fidei circa obiectum visum. Quia id Dominus Ioan. 20. significat, dum Thomæ inquit, *Quia vidisti me Thoma, credidisti* Et quia actus fidei & actus visionis non sunt assensus, & dissensus; sed ambo sunt assensus: Ergo non repugnat, idem obiectum simul videri, & credi. Nequit enim alibnde ostendi repugnantia, nisi quia vnus sit assensus, & alter dissensus: Ergo reuelatio diuina mouere potest ad assensum fidei circa obiectum intuitiuè visum.

Sic Alexand. *part.* 3. *quæstion.* 68. *memb.* 7. *a.* 2. & 3. Durand. *in* 3. *dist.* 31. *quæstion.* 4. Adam. *d.* 1. *quæ.* 21. *dub.* 6. Petr. Hurtado Sapientissimus meus Magister *de fide, d.* 30. *sect.* 2.

147 *Non potest.* Non potest idem obiectum materiale simul credi, ac intuitiuè videri: seu quod idem est, reuelatio diuina non potest esse obiectum formale fidei circa obiectum visum. Quia Paulus *Hebr.* 11. dixit fidem esse *Argumentum non apparentium*. Et quia experimur, testimonium humanũ nó mouere nos ad assentiendum rei, quam corporeis oculis cernimus, & cognitione euidenti percipimus; hoc vero non alia ratione, nisi quia testimonium humanum, vtpotè valde extrinsecum rei testificatæ est debile ad mouendum in præsentia visionis intuitiuæ, qua res in se ipsa percipitur: sed testificatio, seu reuelatio diuina est valde extrinseca rei reuelatæ eam non manifestans: Ergo in præsentia visionis intuitiuæ rei est impotens ad mouendum; ac proinde id quod videtur intuitiuè non potest adhuc fide diuina credi. Ita D. Tho. 2. 2. *q.* 1. *a.* 4 Scotus *in* 3 *dist.* 24. *quæstion. vnic.* Turrian. *de fide d.* 8. *dub.* 5. Vasq *part.* 1. *d.* 4. *numer.* 3. Gasp. Hurtad. *de fide dub.* 2. *diffic.* 9.

148 *Hoc probabilius esse credo.* Hoc probabilius esse credidero adiiciens nõ solum id, quod intuitiue videtur, haud simul posse diuina fide credi: sed neque id, quod per se, seu ex terminis est euidens. Quia in præsentia cognitionis adeo euidentis testimonii adhuc diuinum, vtpote valde extrinsecum rei, & eam non manifestans, est inefficax ad mouendum, Mecum Vasquez *citatus*.

DVBIVM X.

An reuelatio possit esse obiectum formale Fidei circa obiectum abstractiue scitum?

149 *Non potest.* IDem obiectum materiale non potest simul sciri abstractiue, seu demonstrari, & fide diuina credi: aut quod idem est, reuelatio diuina non potest mouere circa obiectum demonstratum, seu abstractè scitum. Quia id Apostolus videtur significare, dum ad *Hebr.* 11 ait, *fidem esse non apparentium*; nam quod abstractiuè scitur siue per causam, siue per effectum veiè apparet, nam euidenter cognoscitur, & demonstratur. Et quia si visio sensitiua obiecti, & intellectiua ei correspondens impedit, ne testimonium moueat ad credendum id, quod sic videtur: etiam impediet euidentia abstractiua obiecti; est enim vera euidentia, qua obiectum vere aspicitur, quamuis non intuitiue. Sic Scotus *in* 3. *dist.* 24. *quæstion. vnic.* Caiet. 2. 2. *quæstion.* 1. *art.* 5. Lorca *d.* 14. & Thomistæ communiter.

150 *Potest plane.* Idem materiale obiectum potest simul sciri abstractiue, & fide diuina credi aut quod idem est reuelatio diuina potest obiectum formale fidei esse. Quia cognitio euidens abstractiuè non est perfectè sed imperfecte euidens: est enim visio rei non in re ipsa, sed in necessaria illius causa, aut in proprio illius effectu, qua res non perfecte videtur, neque perfectè apparet: Ergo absque fundamento negabitur testimonium Dei in præsentia illius esse efficax, vt moueat intellectum, ad assentiendum obiecto scito seu viso: quamuis non sit efficax, vt moueat, ad assentiendum obiecto intuitiuè viso nec obiecto per se, seu ex suis terminis cognito: Ergo reuelatio diuina potest esse obiectum formale, seu motiuum fidei circa obiectum abstracte visum, seu scitum: quamuis nequeat esse circa obiectum intuitiuè visum: neque circa obiectum per se notum. Ita Alexand. *p.* 3. *qu* 68. *memb.* 7. *artic.* 2. & 3. Durand. *in* 3. *dist.* 31. *quæst.* 4. Adam. *d.* 1. *quæstion.* 1. *dub.* 6. Vasquez *part.* 1. *d.* 4. *numer* 3. Suar. *de fide dub.* 2. *sect.* 9. Coninch *de fide*, *d.* 11. *dub.* 1.

Verius hoc esse reor. Primæ namque sententiæ fundamentum, à ratione ex fundamento secundæ infirmatur. Dum autem Paulus ait *Fidem esse non apparentium*, tantum loquitur de perfectè apparentibus. Imo dum Patres significant *Mysteria fidei non posse ratione ostendi*, loquuntur de Mysteriis, quæ potissimum sunt fidei, qualia sunt Trinitatis, Incarcarnationis, &c. Imo id non dicunt, quia Mysteria hęc fide diuina credantur, sed quia carent causa necessaria, & effectu proprio, saltem naturali, quibus possint demonstrari, seu abstractiue cognosci. 151 *Verius hoc esse reor.*

CAPVT XIV.

De conditione ad Fidem prærequisita.

DVBIVM XI.

An ad assensum Fidei diuinæ prærequiratur assensus aliquis fidei humanæ reuelationis illius veritatis?

NOMINE fidei humanæ intelligo iudicium, seu assensum elicitum ob testimonium humanum, aut ob miraculum, aut ob motiua distincta à diuino testimonio. Quæritur itaque, an ad actum Fidei diuinæ prærequisita sit aliqua fides humana reuelationis diuinæ rerum credendarum? 152 *Status quæstionis.*

Non prærequiritur, sed sufficit simplex apprehensio reuelationis diuinæ veritatis, seu propositionis reuelatæ. Quia fidei diuinę assensus non est discursiuus, sed est tendentia in veritatem reuelatam habita immediate ob reuelationem diuinam: Ergo absque præuio aliquo assensu ipsius reuelationis diuinæ sola simplici apprehensione illius potest quis assentiri rei reuelatæ: alias actus fidei diuinæ discursiuus esset. Sic Vega *libr.* 6. *in Trident. capit.* 6. Almain. *in* 3. *dist.* 23. *quæstion.* 3. 153 *Non præquiritur.*

Ad

154 *Pro requisitum plane.*

Ad actum fidei diuinæ prærequiritur aliqua fides humana diuinæ reuelationis rerum credendarum. Quia assensus fidei diuinæ est ob Dei reuelationem tanquam ob obiectum seu motiuum formale: sed impossibile est, aliquid esse motiuum formale assentiendi, nisi ab assentiente præiudicetur, verè esse: nemo enim potest credere aliquid ob testimonium D. Augustini, (verbi gratiâ) nisi prius per suasus sit, Augustinum id dixisse: Ergo ad assentiendum alicui propositioni fide diuina, prærequiritur iudicium, quo assentiens præiudicet, Deum propositionem illam reuelasse: id autem notitia aliqua humana iudicatur. Ita Suar. *de fide, dub.* 3. *sect.* 12. Valent. *tom.* 3. *d.* 1. *quæstion.* 1. *pun.* 1. Turrian. *de fid. disput.* 4. *dub.* 1. Coninch *de fide, disput.* 13. *dub.* 1. Vasquez 1. *part. d.* 5. *cap.* 3.

155 *Hæc proba-bilius.*

Veriorem hanc sententiam esse crediderim. Nam ex eo, quod ad fidei diuinæ assensum necessario præsupponatur assensus fidei humanæ reuelationis diuinæ, quo intellectui sufficienter proponatur ipsa reuelatio diuina: non fit assensum fidei diuinæ discursiuum esse, seu per discursum genitum. De quo alibi.

DVBIVM XII.

An iis, quibus reuelatio non est immediatè facta à Deo, necessarium sit vt assensus fidei humanæ reuelationis diuinæ prærequisitus ad Fidei diuinæ assensum, habeatur ob Ecclesiæ testimonium?

156 *Status quæstionis.*

SVppono ad assensum fidei diuinæ in personis, quibus reuelatio facta est immediatè à Deo, vt in Prophetis, & in Apostolis, non præsupponi necessario fidem humanam reuelationis huius habitam ob Ecclesiæ testimonium. Quia prædicti non receperunt notitiam illius reuelationis nisi à Deo. Quæstio igitur est, an in reliquis, queis reuelatio non est immediatè facta à Deo, necessarium sit, vt assensus fidei humanæ reuelationis diuinæ prærequisitus fidei diuinæ assensum, ob Ecclesiæ testimonium habeatur.

157 *Necessariū est.*

Fides humana reuelationis diuinæ ad assensū fidei diuinæ prærequisita est ob testimonium Ecclesiæ proponentis diuinam reuelationem imo non sufficit ob testimonium Ecclesiæ secundum se consideratæ, vt scilicet est fidelium congregatio, non attenta Spiritus sancti assistentia: sed requiritur ob testimonium Ecclesiæ vt rectæ ab Spiritu Sancto ei assistente. Quia fides diuina est Catholica, ideſt, vniuersalis: Ergo requirit propositionem reuelationis diuinæ factam publica authoritate, seu iuridica Ecclesiæ: & fidem humanam dictæ reuelationis habitam ob authoritatem & testimonium seu propositionem Ecclesiæ, imo Ecclesiæ vt rectę ab Spiritu sancto, quę vt sic errare non potest. Sic Sotus *l.* 3. *de nat. & gra. c.* 11. Medina *l.* 5. *de recta in Deum fide c.* 11. & alij.

158 *Non est ne-cessarium.*

Ad actum fidei diuinæ non prærequiritur assensus fidei humanæ reuelationis diuinæ habitus ob Ecclesiæ testimonium. Quia vt quis credat aliquid fide diuina, sufficit, quod prius credat, ac persuasus sit fide humana, id esse à Deo reuelatum: absque fundamento enim amplius requiritur, cum possit quis credere fide humana, ac persuaderi, Deum aliquid reuelasse, si id audiat ab homine, quem fide dignum iudicat. Ita Arag. 2. 2. *quæstion.* 1. *articul.* 1. Turrian. 2. 2. *d.* 4 & 5 *dub.* 1. Coninch *de fide, dub.* 17. *numer.* 38. Adam. *de fide, d.* 1. *q.* 3. *dub.* 1. Vasq. 1. *p. vt. d.* 5. *capit.* 3. & 12. *d.* 110. *c.* 5.

159 *Idē opinor.*

Cum his opinor. Nam ad hoc, vt fides diuina quam regulariter habemus Catholica sit, seu vniuersalis, sufficit, quod sit ob diuinam reuelationem pro omnibus factam rerum ab omnibus credendarum; & non requiritur, quod reuelatio proponatur publica Ecclesiæ authoritate, adhuc secundum se consideratæ. Et ad hoc vt actus fidei diuinæ sit infallibilis, non requiritur, quod propositio, & assensus reuelationis sit infallibilis; quia infallibilitas, vel fallibilitas assensus intellectus tantum desumitur ex obiecto formali proposito, quod essentialiter respicit & cui essentialiter innititur: & non ex propositione obiecti formalis, quia eam non respicit essentialiter, neque ei innititur: actus autē fidei diuinæ tātum habet pro obiecto formali diuinā reuelationem verè & re ipsa factam, propositam, & applicatam, & non propositionem, & applicationem illius.

DVBIVM XIII.

An actus Fidei diuinæ generetur per discursum?

160 *Generatur per discursum.*

ACtus fidei diuinæ, quo credimus rem immediate, seu in se ipsa reuelatam generatur per discursū, seu est discursiuus. Quia qui credit rem ob reuelationem diuinam, assentitur ipsi rei, quia assentitur reuelationi: Ergo ibi est discursus saltem enthymematis, in quo semper in antecedenti subintelligitur altera propositio. Consequentia patet, quia assensus, quo assentimur rei reuelatę ob diuinam reuelationem, procedit ex altero assensu, nempe ipsius reuelationis diuinæ tanquam ex causa, vt denotatur illa particula causali. Quia in antecedenti posita. Et confirmatur, quia in eo qui credit fide diuina semper hic discursus interuenit: *Quidquid Deus dicit, est verum: sed Deus dicit, se esse trinum & vnum: Ergo Deum esse trinum & vnum, est verum.* Sic Durand. *in* 3. *dist.* 24. *quæstion.* 1. Gabri. *dist.* 23. *quæstion.* 2. *articul* 1. Almain. *tract.* 2. *Moral. capit.* 3. Becan. *de fide, c.* 3. *quæs.* 3.

161 *Non generatur per discursum.*

Actus fidei diuinæ non generatur per discursum, siue discursiuus non est. Quia actus fidei diuinæ est, assentiri propositioni à Deo reuelatæ immediate ob diuinam reuelationem, seu quia Deus reuelauit: hoc enim est,

est,credere Deo dicenti,in quo actus fidei diuinæ consistit: & non est actus fidei diuinæ, assentiri propositioni reuelatæ,eam inferendo expręmissis,in quibus reuelatio ipsa diuina sit medium, hoc enim non est credere Deo dicenti;sed est,intellectum assentiri propositioni reuelatæ absque aliquo obiecto formali, seu motiuo formali immediato ex eo solum, quod intellectus assentitur præmissis obiectiuis,& connexioni obiectiuæ propositionis à Deo reuelatæ, cum ipsis præmissis, ex quibus infertur ipsa propositio reuelata concurrentibus præmissis obiectiuis, & connexione ipsa obiectiua propositionis reuelatæ,ex illis quidé illatæ tanquam causa extrinseca remota,(quæ potest dici rationalis) seu tanquam motiuo formali extrinseco remoto. Ita Caiet. 2. 2. *quæstion.* 1. *articul.* 1. Suar. *de fide, dub.* 6. *sect.* 4. Valent. *tom.* 3. *dub.* 1. *punct.* 2. Coninch *de fide, disp.* 9. *dub.* 7. Granad. *tr.* 9.*d.*1

162 *Verius hoc mihi,*

Verius hoc mihi abneganti, eum, qui credit propositionem in se ipsa reuelatam ob diuinam reuelationem assentiri ipsi propositioni quia assentiatur reuelationi diuinæ:sed immediatè,quia Deus reuelat; ipsa enim reuelatio est quæ immediate mouet tanquam obiectum formale ad ipsum assensum fidei, quia reuelatio propositionis,est apta, vt immediate moueat ad sui assensum, vtpote relatio,seu narratio immediata,& formalis ipsius propositionis relatæ.Admitto autem in credente fide diuina interuenire illum discursum siue expresè siuè confusè, nempe *Quidquid Deus dicit, est verum: sed Deus dicit,se esse trinum, & vnum: Ergo Deum esse trinum & vnum, est verum.* Nihilominus assensus huius conclusionis vt illatæ ex præmissis non est fidei diuinæ, sed alius assensus, qui aliquando est incertus, & obscurus,quando scilicet minor est incerta & obscura:& euidens euidentia in attestante, nempe quando minor discursus est certa, & euidens. Assensus tamen dictæ conclusionis est fidei diuinæ?quando elicitur immediate ob diuinam reuelationem immediate applicatam assensu minoris,etiam quando assensus est incertus.Quia tunc assensus immediate elicitus ob diuinam reuelationem non innititur assensui incerto reuelationis, adhuc tanquam causalitati seu influxui reuelationis ipsius: tunc enim assensus iste, seu iudicium reuelationis tantum est conditio: sed solum innitur reuelationi diuinæ tanquam motiuo formali immediato, cui falsum subesse non potest.

CAPVT XV.

Circa Fidei diuinæ Habitum.

DVBIVM XIV.

An de fide sit esse habitum Fidei à solo Deo infusum.

THEOLOGI à tempore. Concilij Viennensis sub Clemente V. (in quo opinio admittentiũ habitus fidei, spei,& Charitatis à solo Deo in Baptismo infusos, approbata fuit vt probabilior) conueniunt, in homine fideli inesse habitum fidei à solo Deo per se infusum.Quia est maxime conueniens, & suaui Dei prouidentiæ admodum conforme,vt ad actus supernaturales fidei diuinę à Deo similis habitus infundatur, quo potentia informata, & adiuta,eos quoad substantiam connaturaliter eliciat. Quæsierim itaque num sit de fide, esse habitum fidei à Deo solo infusum? 163 *Certum est, in homine inesse fidei habitum.*

Est de fide.Quia id in scriptura continetur præsertim 1. *Cor.*13. *Nunc autem mænent tria hæc Fides,spes, & Charitas.* Et quia id definitur in Trid.*sess.*6.*c.*7.dum dicitur,*In ipsa iustificatione hæc omnia infusa accipit homo Fidem, spem,& Charitatem.* Quod intelligendum est de habitu, præsertim propter particulam, *Infusa*,quę non conuenit actibus,sed habitibus. Sic Vega *l.*7.*in Trident.c.*24.Valent.1.2.*d.*4. *q.*3.*pun.*4.Suar.*l.*6.*de grat.c.*3.*&* 8. 164 *De fide est, esse in homine habitum à sol. Deo infusum*

Nõ est de fide.Quia id ex traditione aliqua Ecclesiæ non constat, vt patet, neque aliqua definitione.Nam si alicubi,maxime in præfato Tridentini loco.Ibi autem(vbi tantum est sermo de adultorum iustificatione)per fidem sufficienter intelligitur actus:nã in adulterorum iustificatione semper actus fidei reperitur.Cui nõ obstat particula illa *Infusa.* Quia etiã actus dicitur infundi à Deo ratione auxilij prærequisiti, quod Deus in nobis sine nobis libere operantibus operatur. Ita Medina 1.2.*q.*110. *a.*2.Vasq.1.2.*d.*79.*c.*1.Montesin.*d.*12.*q.*1. 165 *Non est de fide.*

Profecto esse habitum fidei à Deo infusum de fide esse minime reor, neque obiectum assensus Theologici puri, nec perfecti:(& multo minus esse habitum fidei per se infusum,idest,qui sua natura nequeat produci nisi à solo Deo.)Vnde negare huiusmodi habitum hæresis non est,imo nec error. Attamen iam existimo temerarium esse. Quia est contra torrentem Theologorum sine firmissimo in oppositum fundamento. 166 *Idem asser.*

DVBIVM XVI.

An actus Fidei possit potentia Dei absoluta absque concursu habitus fidei infuso elici.

SVppono,non tantum intellectum,sed etiã habitum infusum fidei esse principium efficiens actus fidei supernaturalis:& ad id habitum à Deo tnfundi, vt iuuet intellectum, & eum ad actum fidei eleuet, qui quidem est supra eius physicas vires.Quia in actu fidei 167 *Nonnulla suppono.*

fidei non tantum est ratio vitalis, & intellectionis quæ correspondent intellectui vt principio efficienti; sed etiam in eo est ratio naturalis, quæ debet habitui correspondere, vt principio efficienti supernaturali actui ipsi proportionato; non enim est aliud, cui ratio supernaturalis correspondeat, vt principio efficienti. Quæsierim tamen, an actus fidei diuinæ de potentia Dei absoluta possit absque concursu habitus infusi elici.

168 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia actus fidei vtpote actus intellectus est vitalis, & immanens, ac proinde essentialiter dependet à suo vitali principio, & intrinseco, seu in ipsa potentia inhærente: sed non solum intellectus est principium intrinsecum actus fidei, sed etiam habitus non minus quam intellectus: Ergo actus fidei dependet essentialiter non solum ab intellectu, sed etiam ab habitu ea parte, qua est principium intrinsecum. Ergo de potentia Dei absoluta nequit elici absque habitus concursu, à quo essentialiter dependet: sicut neque absque concursu intellectus, quia ab eo dependet essentialiter. Sic Capreol. *in 4. dist. 49. quæstion. 4.* Sotus *quæstion. 1. articul. 4.* Ferrariens. *libr. 2. contra Gent. cap. 54.*

169 *Potest omnino.* Potest omnino. Quia habitus infusus fidei tantum concurrit ad actus, vt principium efficiens, & non vt vitale principium: verè enim non est tale, cum non sit potentia alicuius vitæ substantialis: Ergo potest à Deo suppleri, per se ipsum concurrente absque creato aliquo tam extrinseco, seu inhærente intellectui quod loco habitus concurrat. Quia Deus procul dubio potest se solo efficere quidquid causa quælibet efficiens non vitalis potest; quamuis illud sit immanens; & ob eandem rationē actus spei, & Charitatis possent de potentia Dei absoluta elici à voluntate absque habitibus infusis spei, & Charitatis, Deo ipso supplēte efficientiā habituū: quamuis supplere nequeat, volūtatis efficientiā, quia sūt actus vitales; qui eo ipso essēt essentialiter à principio intrinseco vitali dependentes. Ita Paludan. *in 4. dist. 49. q. 1. a. 2.* Vasq. *1. p. d. 46.* Turrian. *2. 2. d. 38. dub. 2.* Petr. Hurtad de Mendoza *de fide, d. 126.*

170 *Hanc sententiam defendo.* Hanc sententiam defendo. Nam ex eo quod actus fidei sit vitalis solum probatur, quod nequeat produci absque intellectu, qui est principium vitale: non autem quod nequeat produci absque habitu quāuis inhærente intellectui, habitui enim non correspondet peculiariter ratio vitalis neque intellectionis, sed tantum intellectui tantum correspondet ratio supernaturalis, quæ non exigit principium efficiens vitale neque intrinsecum inhærens, vt patet. Quod vero tunc, quando Deus supplet vices habitus, & concurrit, non solum vt causa vniuersalis, sed etiam vt causa quasi particularis, intellectus concurrat vt instrumentum eleuatum à Deo, non obstat, vt actus fidei sit liber, ac meritorius; quia non obstat, vt etiam tunc intellectus libere à voluntate moueatur.

Dvbivm XVII.

An habitus infusus Fidei sit virtus intellectualis?

171 *Non est virtus intellectualis.* HAbitus fidei infusus non est propriè, & strictè intellectualis virtus. Quia virtus est *dispositio perfecti ad optimum*, vt significat Aristot. *l. 7. Physic. tex. 17.* At habitus fidei diuinæ non est dispositio, neque principium ad optimam cognitionem: non enim est ad cognitionem euidentem, sed tantum ab obscuram. Ergo, &c. Sic Durand. *in 3. dist. 23. q. 6.* Et indicat. Arist. *l. 6. Ethic.* dum enumerans virtutes intellectuales, nullam fidei gerit mentionem.

172 *Est intellectualis virtus.* Habitus fidei diuinæ est proprie, & strictè intellectualis virtus. Quia ad rationem virtutis intellectualis sufficit, quod sit habitus intellectū ad verum indefectibiliter (id est, semper ad verum, & nunquam ad falsum) vti docet Aristot. *lib. 6. Ethic. cap. 2. &* 3. Habitus autem fidei diuinæ inclinat intellectum ad verum indefectibiliter, siue semper in verum, & nunquam in falsum: quamuis non attingat illud cognitione euidenti, sed tantum obscura. Ita Suar. *de fide, d. 7. sect. 1.* Turria. *d. 4. dub. 1.* Adam *q. 6. dub 2.* Granad. *tr. 12. d. 2.* Vasq. *1. p. d. 5. cap. 4.* Hurtado de Mendoza *d. 55. de fide.*

173 *Hoc verius esse credo.* Hoc verius esse reor. Porro Aristoteles ex eo quod enumerans virtutes intellectuales nullam fidei gesserit mentionem, indicat, fidē humanam quam ipse cognouit non esse virtutem intellectualem: merito quia est fallibilis & non indicat, fidem diuinam non esse intellectualem virtutem. Quomodo enim eam inter intellectuales virtutes annumeraret, quam minime cognouit? Præterea *Dispositio perfecti ad optimum* non definitur ab Aristotele virtus: sed tantum portulit illa de robore, & pulchritudine, de quibus dixit (& verè) esse dispositionem, quibus optimum nempe natura perficitur.

Dvbivm XVIII.

An habitus infusus Fidei amittatur vno vel altero peccato infidelitatis, si quis in aliis positiue credat?

174 *Non amittitur si quis in aliquo positiue credat.* NOn amittitur vno, vel alio, imo multis infidelitatis actibus habitus fidei infusus, si hæreticus, verbi gratiā, non discredat in omnibus, sed in in aliquo, vel in aliquibus positiue credat. Quia Catholicus, qui errore circa aliquod obiectum fidei sit hæreticus, cadē facilitate, & firmitate reliqua credit, qua illa ante hæresim credebat: Ergo credit eodem habitu fidei; ab habitu enim facilitas ac firmitas illa desumitur. Sic Durand. *in 3. dist. 23. quæst. 9.* Gloss. *ad c. Firmiter de summa Trinit.*

175 Amittitur quidem vel vnico infidelitatis peccato. Quia id Tridentinum *sess. 6. capit. 15.* asserit,

Amittitur quidem. asserit dum ait *in fidelitate fidem amitti.* Nomine enim *fidei* intelligitur habitus infusus fidei: & nomine *infidelitatis* illud peccatum hæresis, quo quis discredit Deo in aliquo, quãdis in aliis positiuè credat: est enim vera & absoluta infidelitas. Ita omnes Theologi præter Durandum, teste Gaspare Hurtado *de fide d. 5. disput. 8.*

176 *Longe hæc probabilior sententia.* Longe hoc probabilius. Concedo enim, Catholicum, qui errore circa aliquod obiectũ fidei fit hæreticus, si reliqua credat ob diuinum testimonium, eadem firmitate ac antea credere. Hæc autem firmitas non prouenit actui fidei ex habitu infuso, quia ex hoc non credet quousque esse infidelis desinat: sed prouenit ex diuino testimonio, ob quod credit, quia ei falsitas omnino repugnat. Item fateor credere illum ferè eadem facilitate, ac anteà, si eam antè hæresim habuit. Hæc tamen facilitas non prouenit ex habitu infuso: sed tantum acquisito actibus supernaturalibus fidei: ex quo etiam prouenit firmitas: non sumpta proinde fallibilitate, quia hæc prouenit ex diuino testimonio: sed sumpta pro immobilitate, qua habens habitum acquisitum credit: siue habitus iste acquisitus sit naturalis, quoad substantiam, vt nonnullis placet: siue supernaturalis, vti ego existimo, qui quidem quamuis supernaturalis non concurrit ad actuum substantiam, sed ad eorum facilitatem: & est diuersæ speciei ab infuso, eóque imperfectior: imo & imperfectior ipsis actibus supernaturalibus; quia ab ipsis efficienter, vt à causis principalibus æquinocis, producitur.

Dvbivm XIX.

An possit quis certo euidenter cognoscere, se Fidei diuinæ actum habere?

177 *Potest plane.* POtest quidem. Quia nihil possumus magis euidenter experiri, quam nostri intellectus actum: actus autem fidei diuinæ est intellectus nostri actus: Ergo potest quis certo cognoscere, se fidei actum habere. Sic Bonauent. *in 3. dist. 23. dub. 4.* Vega *l. 9. in Trident. cap. 37.* Fauet. D. Augustin. *lib. 13. de Trinit. cap. 1.* dum ait, *Video, me credere, si credo.* Et iterum *Fidem, quando inest nobis, videmus in nobis.*

178 *Non potest.* Minimè potest. Quia actus fidei diuinæ est assensus elicitus ob reuelationem diuinam verè, & re ipsa factam, & non tantum apparẽtem: Fidelis autem quamuis euidenter cognoscat, se credere ob reuelationem diuinam: non autem cognoscit euidenter se ob reuelationẽ diuinam credere verè & re ipsa factam: quia non habet euidentiam illius: Ergo non cognoscit euidenter se diuinæ fidei actum habere. Ita Valent. *lib. 2. d. 8. question. 4. punct. 4. Paragraph. 6.* Coninch. *de fide disp. 14. dub. 14.*

179 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam D. Augustinus solummodo asserit, & ratio primæ sententię tãtummodo probat fidelem euidenter posse cognoscere, se credere ob reuelationem diuinam non tamen euidenter cognoscit, se credere ob reuelationem diuinam verè, & re ipsa factam, vt fert nostræ sententiæ fundamentum.

Dvbivm XX.

An fidelis certo cognoscat actu Fidei diuinæ se actum Fidei habere?

180 *Cognoscit quidem.* COgnoscit quidem. Quia fidelis credit certitudine fidei diuinæ Deum esse vnũ & trinum: Ergo eadem certitudine credit actum, quo id sic credit esse ob reuelationem diuinam. Nam si fide diuina non crederet, eum actum esse ob diuinam reuelationem, posset formare, an fidei diuinæ, esset, & consequenter an obiectum illius esset verum. Sic Scotus *in 3. dist. 23.* Caiet. & Medina *1. 2. quæstion. 12. a. 5.* Bannes *2. 2. quæstion. 6. articul. 1.* Et indicare videtur Paulus *2. Corint. vltim.* dum ait, *Vosmet ipsos tentate: si estis in fide, ipsi vos probate.*

181 *Non cognoscit.* Non cognoscit. Quia non est reuelatum à Deo, me credere fide diuina, seu me actum fidei diuinæ habere: Ergo non possum fide diuina certus esse, me diuinæ fidei actum habere: cum non possim fide diuina credere nisi id, quod Deus reuelauit. Ita Valent. *1. 2. dub. 8. quæstion. 4. punct. 4. Paragraph. 6.* Coninch *de fide, d. 14. dub. 14.* Turrian. *2. 2. disp. 41. dub. 5.* Becan. *de fide, cap. 11 q. 5,* Adamus *de fide, q. 6. dub. 5.*

182 *Hanc eligo sententiam* Hanc eligo sententiam existimans, Paulum non esse locutũ de probatione infallibili fidei diuinæ: sed tantum de probatione, quæ inducit prudentem, ac moralem certitudinem. Et quidem ad primæ sententiæ fundamentũ fateor fidelem posse physicè formidare, & dubitare, an actus diuinæ fidei quos elicit, fidei diuinæ sint: & an obiectum eorum sit verum non tamen id posse licitè & absque peccato posse defendo, supposita prudente reuelationis diuinæ propositione. Sed sufficit de quæstionibus, quæ magis ad Scholas, quam ad tribunal conscientiæ spectare non abnego.

CAPVT XVI.

Circa Ecclesiæ propositionem, quo Fidei obiectum indiget.

183 *Nonnulla de Ecclesia præmitto.* SVPPONO, Ecclesiam post Christi Domini aduentum sic definiri. *Est congregatio fidelium, seu eorum qui fidem Dei sub speciali Sacramentorum signo, & sub eodem capite profitentur. cap. Ecclesia, dist. 1. cap. Firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol.* Certe Cathecumeni etsi fidem firmatam habeant, non tamen sunt propriè membra. Quia non profitentur fidem sub speciali Sacramentorum signo: esto sint ad meritum Ecclesiæ membra;

brameretur enim salutem sicuti si in Ecclesia residerent. Hæretici autem sunt intra Ecclesiam,quatenus sub speciali Sacramentorum signo fidem aliquando professi sunt & ratione illius professionis Ecclesia potest,illos punire,ac coërcere.Sunt extra Ecclesiam,quia reiiciunt fidem,in qua reliqui fideles conueniunt: tum quia Ecclesia illos à re vt membra arida, & reliquo corpori exitialia reiicit.Peccatores vero ad Ecclesiam pertinẽt,& illius sunt membra iuxta illud *Mat.*13.vbi Ecclesia comparatur sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, bonosque ac malos continenti. Demum excommunicati ad Ecclesiam spectant, & illius membra sunt , tum quia esse possunt membra viua , & Christo Domino inuisibiliter vnita per charitatem , si contriti existant . tum quia fidem non deserunt , sed solum à participatione communi orationũ, ac suffragiorum Ecclesiæ excludũtur.Proprietates Ecclesiæ ad numerum septenarium reducuntur,vt ex omnium Catholicorum doctrina constat.Est etenim. *Vna,Sancta, Catholica, Apostolica,Visibilis , ab Spiritu Sancto gubernata, & extra quam salus esse non potest.*De fide autem est,solam congregationem Romano Pontifici pro tempore existendi obedientem veram Ecclesiam esse,omnesque præfatas habere proprietates. Est enim Vna, quia ab vno Christo Deo & homine , & sub capite, & in vnum finem nempe gloriam, & sub certis mediis,præceptis,Sacramentis , ac Sacrificiis est instituta. *Sancta* , quia plures Sanctos continet, & quia Sanctos efficit , & quia ad salutem habent Sacramenta ac media Sanctissima,*Catholica*, quia per omne tempus idem docet , & docebit. *Apostolica* , quia doctrinam Apostolorum sequitur , etiamsi typis mandata non sit. *Visibilis* , quia visibiliter apparet , esse congregationem ; & quia sub visibilibus Sacramentis , ac culti visibili est instituta. Habet Spiritus Sancti assistentiam & protectionem , quod colligitur non leuiter ex eo , quod semper eadem perseuerat , nec vento doctrinæ circumfertur. Ex quibus concluditur esse vnicam salutis viam. Quæ quidem omnia sectis hæreticorum conuenire non possunt , sed solum Ecclesiæ Romanæ , vt expendenti facilè patebit , & latè ac erudite pro sequitur Valentia 2.2. *dub.* 1.*quæstion.* 1. *punct.* 6.§.20. *& seq.*

184 *In Ecclesia regula infallibilis veritatis datur.*

Profecto in Ecclesia regula infallibilis veritatis datur , quæ doctrinam credendam fidelibus proponat, sedet que fidei controuersias Porro hęc regula infallibilis in nullo alio nisi in Romano Pontifice residet. Quia eũ in aliquo residere debeat , nullus apparet , qui is sit,nisi Petri successor;nec enim alij dictum est, nisi Petro , ac eius successoribus , *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ego rogabo pro te , vt non deficiat fides tua.* Item *Pasce oues meas.* Ergo ex Christi authoritate successor Petri authoritatem habet pascendi fideles omnes infallibili doctrina tum ad fidem,tum ad mores pertinente.

185 *Pontifex viuus ne-quit in rebus fidei proponẽdis.*

Nullus Pontifex sic ab Ecclesia vniuersali reputatus potest in rebus fidei proponendis errare. Quia cum Pontifex veritatem aliquam fidelibus credendam proponit , ipsi fideles ei assentire tenentur : alias non haberet Pontifex authoritatem efficacem regendi Ecclesiam:sed Ecclesia obligari non potest falsæ propositioni assensum exhibere , alias enim posset tota Ecclesia errare , quod est contra diuinam prouidentiam , ac Christi Domini promissionẽ dicentis,Spiritum veritatis semper in Ecclesia mensurum:Ergo nequit à Pontifice summo falsum pro vero proponi. Consio est ab omnibus Catholicis recepta cum D.Tho.2.2.*q.*1.*a.*10.Vuald. *l.*2. *Doctr. antiquæ fidei,c.*47.*&* 48. Turrecr. *l.*2.*sum. à c.*107.*vsque ad* 112. Cano *de locis, l.*6.*à c.*3. *ad* Valent. 2.2.*d.*1.*q.*1.*pun.*7. Bannes 2.2.*qu.*1.*a.*10.*dub.*2. *concl.*4.

Dvbivm XXI.

An de fide sit Pontificem errare non posse in Sanctorum canonizatione ?

186 *Nonnulla certa præmitto.*

CErtum est apud omnes,Pontificem vel ex malitia, vel ex ignorantia errare posse in sententia aliqua ferenda circa res gestas.Quia potest innocentem condemnare, & reum absoluere. Deinde errare posse secundum prudentiam in multiplicandis legibus circa res agendas, quæ non ita Ecclesiæ connenientes sunt.Ex quo sæpe oritur mutare, vel abrogare Pontificem,quæ eius prædecessores statuerũt. Nunquam tamen dicendum est , in speciali casu errare.Quia esset temerarius,qui id dicere auderet:cum præsumptio semper debet esse pro tanto Legislatore. Denique certum de fide esse credo, non posse Pontificem aliquid ab vniuersali Ecclesia obseruandum statuere, quod legi diuinæ vel naturali sit contrarium. Quia de fide est , Pontificem errare non posse in ouibus pascendis : sed oues non solum doctrina fidei,sed morum institutis pascuntur:ergo de fide est,in his institutis errare non posse.Legendus Bannes 2.2.*q.*1.*a.*10.*concl.*4.*&* *concl.*2.*ad* 3.Controuersum vero est,an Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum de fide sit?

187 *De fide non est.*

De fide non est. Quia Sanctorum canonizatio fit ex testimonio habito de Sanctitate,& miraculis eorumdem : At hoc testimonium cum humanum sit fallax esse poreſt : Ergo de fide non est Pontificem non posse abrrare. Et quia si fide diuina credere teneremur canonizatum in superis esse,fide diuina credere teneremur,illa miracula, & Sanctitatem, qua motus fuit Pontifex ad canonizationem, vera esset At hoc est impossibile , quia impossibile est, fide diuina credere veritatem , quæ reuelata non sit. Sed miracula , ac Sanctitas canonizati illius,imo status illius in cœlo nullibi reuelata sunt:Ergo. Sic D.Tho.*quodlib.*9.*a. vlt.*D.Antonin.*p.*3 *tit.*12.*c.*8. Caiet. *Opusc.de indulg. ad Iuli. capit.*8. Cano *libr.* 5. *de locis, cap.*5.Bannes 2-2 *quæst.*1.*articul.*10.*dub.*7.*concl.* 2. Adiiciunt tamen ita certum esse , Pontificem errare non posse circa Diuorum canonizationem , vt temerarium sit , & scandalosum,

sum, hæresimque sapiens affirmare, Pontificem errare posse.

188 *Est de fide.* De fide est. Quia (vt suppositi) de fide est, Pontificem errare non posse in legibus vniuersalem Ecclesiam spectantibus: non enim potest aliquid statuere contrarium legi diuinæ, & naturali: sed si errare posset in Diuorum canonizatione statueret legem diuinæ, ac naturali legi contrariam: Ergo de fide est, in iis errare non posse. Minorem probo. Quia Pontifex Sanctum canonizans, obligat fideles omnes assentiri, illum in cœlis commorari, & tanquam Dei amicum cultu affici: si autem adesset error, iam fideles falsitati assentiri obligarentur & veneratione indignum venerari: quod est legi diuinæ ac naturali contrarium. Ita Valent. 2. 2. d. 1. qu. 1. pun. 7 quæstiun. 6. §. 40. Palao *to.* 1 *tr.* 4. *d.* 1. *pun.* 5. §. 4.

189 *Hanc sentiã probabiliorem esse reor.* Probabiliorem hanc sententiam esse non dubito. Pontifex enim non solum ex testimonio humano ad gerendam canonizationem monetur, sed ex speciali instinctu & assistentia Spiritus Sancti, ratione cuius eius declaratio firma, & infallibilis existit. Et quidem credenda à nobis est Diui canonizati Sanctitas fide diuina, non tamen miracula allegata. Quia à miraculis canonizatio non pendet necessario; vera enim esse potest illius Sanctitas & in superis assistentia, quin miracula allegata vera extiterint.

Dvbivm XXII.

An beatificatio distinguatur à Canonizatione eo quod canonizatio obligat totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: beatificatio verò totam Ecclesiam non obligat?

190 *Quid beatificatio.* PRæmitto, beatificationem esse quamdam facultatem concessam alicui speciali Prouinciæ, vel Ecclesiæ vel Religioni, vt aliquem tanquam Sanctum, & in superis existentem colat. Sed quia colere potest multiplici cultu, scilicet Missæ Sacrificio, orationibus, processionibus, publicis votis inuocatione illius, & Imaginis gestatione: Pontifex beatificando illũ simul etiã determinare potest, quonam sit cultu venerandus. Quæsierim autem qua ratione beatificatio à canonizatione distinguatur?

191 *Distinguitur à canonizatione.* Distinguitur beatificatio à canonizatione. Quia canonizatio obligat totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: beatificatio verò non obligat totam Ecclesiam: imo neque Prouinciam, pro qua beatificatio conceditur, vt beatificatum veneretur; sed solummodo eius venerationem permittit. Sic nonnulli, quos, presso nomine, memorat Ferdinand. de Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *dub.* 1. *punct.* 5. *Parag.* 4.

192 *Non distinguitur in eo.* Non ex eo distinguitur beatificatio à canonizatione, sed eo quod ea canonizatio est facultas concessa non alicui Prouinciæ speciali, sed vniuersali Ecclesiæ, aliquem vt Sanctum venerandi, beatificatio autem est facultas quædam concessa alicui Prouinciæ, Ecclesiæ, vel Religioni speciali, vt aliquem tanquam Sanctum colat: & cõsequenter est facultas venerandi eum eo cultu, quo solent Diui canonizati veneratione affici. Ita Palao *citatus* & Doctores communiter.

193 *Exiſtimo primæ sententiæ distinctionem non posse subsistere.* Profecto primæ sententiæ distinctionem nullatenus subsistere posse reor. Quia de ratione canonizationis non est, obligare totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: nã si ad hoc obligaret, obligaret quidẽ ad aliquẽ cultũ à tota exhibendum Ecclesia: ac proinde vt tota Ecclesia vel Missam, vel preces, vel processionem aliquam in eius honorẽ exereret: quod non fit specialiter de omnibus Sanctis. Ergo solum ex vi canonizationis facultas canonizatum venerandi: præceptum autem alicuius venerationis non fertur quoad exercitium, sed ad summum quoad speciem: hoc est, si circa Sanctum illum aliquam actionem exercere debeas, ea cultus, & venerationis sit. Quare tam canonizatio, quam beatificatio est facultas Sanctum publico ritu solemni venerandi: non tamen videtur esse præceptum de illius expressa, seu quoad exercitium veneratione.

Dvbivm XXIII.

An Pontifex possit in beatificatione Sanctorum errare?

194 *Errare potest.* ERrare potest, in beatificatione, etiamsi in canonizatione (vt vidimus) errare nequeat. Quia ex hoc errore non sequitur, vniuersalem Ecclesiam errare: siquidem non proponitur Sanctus ille vniuersali Ecclesiæ colendus. Sic non infimæ notæ in manuscripto Theologus.

195 *Errare non potest.* Minime errare potest, & scandalosum, temerariumque erit affirmare, in beatificatione Sanctorum Pontificem posse errorem admittere. Quia absque fundamento vllo, & contra rectam morum institutionem dictitabitur. Ita Doctores communiter. Lege Castrum Palao *tom.* 1. *tr.* 4. *d.* 1. *punct.* 5. §. 4. *numer.* 3. & 4.

196 *Aliorũ sententia.* Existimo, nullum Catholicum posse contrarium defendere. Vnde proculdubio doctus ille id non asseruit, sed pro ratione dubitandi apposuit. Idcirco crediderim, eadem certitudine tenendum, Pontificem errare non posse in beatificatione Sanctorum, ac in canonizatione. Quia Doctores loquentes de canonizatione & affirmantes Pontificem errare non posse, nihil de beatificatione scripsere. Ergo signum est, sub canonizatione voluisse beatificationem comprehendere. Porro Pontifex concedens in beatificatione, vt aliquod Missæ Sacrificium in Diui beatificati honorem celebretur, toti Ecclesiæ eum venerandum proponit: nomine enim totius Ecclesiæ Sacrificium offertur, ipsaque tota Ecclesia medio illo Ministro & Sacrificio ab illo oblato Sanctum illum veneratur: sed in his quæ pertinent ad vniuersalis Ecclesiæ cultum Pontifex errare non potest: Ergo. Abnego itaque non

non sequi vniuersalem Ecclesiam errare, si erret Pontifex in beatificatione. Nam licet à Pontifice non proponatur venerandus per vniuersalis Ecclesiæ Ministros, proponitur tamen venerandus ab vniuersali Ecclesia per speciales aliquos Ministros, & hoc sufficit, vt Ecclesia ipsa errare dicatur.

DVBIVM XXIV.

An cum conceditur Religioni cuidam Sanctum beatificatum ritu in beatificatione præscripto venerari die, quo è vita discessit: possint Clerici sæculares Sacrificium in illius honorem offerre?

197 *Quæstionis status.*

COnceditur (ex gr.) Religiosis nostræ Societatis venerari D Ludouicum Gonzaga, vel D. Franciscum Borgia (quos Pontifex beatificationis honore donauit) Sacrificio Missæ, & Horis Canonicis die, quo è vita discessere: poterunt ne Clerici sæculares processionem gerere solemnem Sacrificiumque in eius honorem offerre siue in sua Ecclesia, siue in nostris, siue ipso die, quo è vita recessit, siue alio?

198 *Minimè poterunt.*

Minimè poterunt. Quia nemini licet absque Sedis Apostolicæ authoritate aliquem honore publico venerari. *cap. 1. de reliquis & venerat. Sanct.* Sed Apostolica Sedes solum Societatis IESV Religiosis hos Diuos venerari concessit: Ergo nulli alij licebit eos venerari Sic Ludouic. Torres 2. 2. *disp.* 17. *dubio octauo.*

199 *Poterunt quidem.*

Poterunt quidem. Quia vna Missa in vno loco eiusdem valoris est, & æstimationis, ac plures Missæ pluribus in locis celebratæ: Ergo Sedes Apostolica concedens, vt in honorem alicuius Diui Missa aliqua celebretur, simul declarat dignum esse, in cuius honorem omnes dici possent. Sed hac declaratione facta, tollitur prohibitio relata in *cap. 1. de relig. & vener. Sanct.* in quo cauetur, neminem esse venerandum sine Sedis Apostolicæ authoritate. Nam cum hunc Sanctum ex tua deuotione veneraris, id sedis Apostolicæ authoritate geris, quæ indicauit, dignum eum esse illa veneratione. Ita doctissimi, quos consului, Magistri: Sed vt huic sententiæ adhæream sufficit mihi P. Ferdinandum de Castro eam defendere *to. 1. de fide tr. 4. d. 1. pun. 5. §. 5. n. 5.*

200 *Hoc longe plus, ac probabilius esse, defendo, & confirmo.*

Profecto longe pius, & probabilius esse crediderim, posse quemlibet Sacerdotem Missam votiuam dicere & votiuum officium recitare in honorem beatificati Diui pro quo Sedes Apostolica concessit alicui speciali Religioni, vel Prouinciæ Missam, & officium proprium aliquo die celebrare. Id ostendo exemplo cuiuslibet canonizati Diui, in cuius honorem omnes conueniunt, posse vbilibet & quolibet die quemlibet Sacerdotem Missam dicere, non quidem propriam, forte enim nec pro vno die illi est assignata, sed votiuam, iuxta Missæ votiuæ regulas, eo quod à Sede Apostolica dignus est iudicatus, cui is honor exhibeatur: sed etiam in Sancto beatificato simile iudicium fecit, cum Missam in ipsius honorem dicere aliquibus personis permisit: Ergo. Neque obstat, si dicas verum esse, Romanã Ecclesiam concedentem, vt in honorem alicuius Diui Missa celebretur, simul declarare, dignum esse, vt ab omnibus Sacerdotibus illo cultu venerari valeat: at inde non inferri, posse omnes Sacerdotes illum venerari, non quia beatificatus dignus non sit, sed quia ipsi sunt impediti. Non inquam, obstat: quia nemini publicum religiosum cultum ex deuotione alicui exhibendum impeditur, nisi quia is, cui est exhibendus, non iudicatur à Sede Apostolica dignus illo. Quod constat aperte ex his quæ dicit Alexander III. in *cap. 1. de relig. & venerat. Sanct.* Vbi occasione aliquorum, qui homuncionem quemdam in potatione, & ebrietate occisum venerabantur tanquam Martyrem, subiungit: *Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Ergo solum ad venerationem exhibendam requirit Alexander, vt prius Romana Ecclesia illum pro Sancto exponat: Sed eo ipso quod concedit Romana Ecclesia, Missam in honorem ipsius celebrari, illum pro Sancto veneratur: siquidem exhibet illi supremum cultum, quem potest exhibere: Ergo hac concessione facta, quilibet poterit eodem cultu Sanctum beatificatum pro deuotione venerari.

DVBIVM XXV

An Pontifex secundum leges prudentiæ possit in Religionum approbatione errare?

201 *Quæstionis status, & ostendo de fide esse, Pontificem in approbatione Religionũ finis, ac mediorũ non posse errare.*

CVm Pontifex Religionẽ aliquã vitæ approbat institutum sub voto Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ tanquam aptissimum & Euangelio admodum conforme ad salutem consequendam. Hoc autem institutum continet finem aliquem ad diuinam gloriam, & salutem æternam pertinentem: & media aliqua, quibus hic finis valeat obtineri. Porro fide est affirmo, non posse Pontificem in approbatione huius finis, & mediorum, quæ sibi proponuntur, errare: ita vt approbet tãquam consentaneum Euangelicæ perfectioni, quod verè consentaneum non sit. Valent. 2. 2. *d. 1. pun. 7. §. 41.* Et colligitur ex Concil. Constant. *sess. 8.* vbi damnatur error Vviclephi asserentis impudentissimè omnes Religiones indifferenter esse à diabolo introductas: cui errori non leue patrocinium esset, si Pontifex posset aliquam Religionem contrariam Euangelicæ perfectioni approbare vt conuenientem. De fide igitur est, Pontificem, quatenus talis est errare non posse in iis, quę ad fidem, ac mores vniuersalis Ecclesiæ pertinent: non enim potest vniuersalem Ecclesiam aliquod falsum edocere: alias non esset in Ecclesia promissus spiritus veritatis: At si Pontifex approbans aliquod Religiosũ institutũ tanquã Euangelicæ perfectioni conueniẽs, approbaret quod re vera cõueniẽs nõ esset, sed potius cõtrariũ: errore pernicioso

nicioso Ecclesiam obtruderet: Ergo id fieri nullatenus potest. Quare inter Catholicos solum esse potest difficultas, num secundum leges prudentiæ Pontifex possit errare aliquam Religionem approbando, cuius institutum licet malum non sit neque perfectioni Euangelicæ contrarium: est tamen minus cõueniens Ecclesiæ, vel quia nimis durũ, vel laxum sit, vel quia ex illo sequitur confusio aliqua in Ecclesia, & feruoris spiritualis in aliis Religionibus imminutio.

201 *Potest secũdum prudentiam errare*

Potest secundum prudentiam Pontifex in Religionis alicuius approbatione errare. Quia Innocent. III. in *c. vlt. de Religiosis*, & Gregorius X. *in c. 1. eodem tit. in 6.* prohibent firmiter nouarum Religionum institutionem, ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat. Sentiũt ergo Pontifices, tunc temporis conueniens non esse nouã Religionem instituere. Et quia negari nõ potest, posse Pontificem leges rerum agendarum, & quæ necessariæ non sunt ad salutem, multiplicare, vt earum multiplicatio rectæ Ecclesiæ gubernationi sit inconueniens: Ergo similiter poterit Religiones ita multiplicare, vt earum multiplicatio confusionem inducat, ac Ecclesiæ regimini præiudicet. Sic Bannes 2.2. *qu.* 1. *art.* 10.

203 *Minimè potest.*

Minimè vel in hac parte potest Pontifex errare. Quia si Pontifex Religionem admittit quam spectatis omnibus circumstantiis debebat reiicere: Ecclesiam obligat ad rem aliquã, quæ non in eius ædificationem, sed potius in destructionem credit: si quidem obligat Ecclesiam, ne Religionem illam reiiciat, sed potius accipiat, & Religiosos illius secum habitare permittat: quæ Religio, vt supponitur, spectatis omnibus circumstantiis, minus sibi conueniens est, quam esset illius carentia: sed Pontifici data non est potestas obligandi Ecclesiam in iis, quæ ipsi nociua sunt: Ergo non potest Pontifex approbare Ecclesiæ vniuersali Religionem nociuam ex quacumque parte nocumentum proueniat. Ira Valentia. *citatus.*

204 *Quid dicẽdum esse censeam?*

Ego quidem existimo dicendum, nunquam præsumendum esse Pontificem in cuiusuis Religionis approbatione minus caute, & prudenter se gessisse. Quia esset non leuis iniuria irrogati summo Præsuli, & contra debitam reuerentiam, ac subordinationem, quam debent fideles suo supremo exhibere pastori. De facto tamen & in re ipsa minus caute ac prudenter procedere aliquando potest: non quidem approbando Religionem, quæ re vera ex se sit inconueniens: sed quæ ex adiunctis circumstãtiis minus conueniat. Neque aliud probant Bannes argumenta, quibus ratio Valentiæ non obstat. Concedo enim, Pontifici datam non esse potestatem obligãdi Ecclesiam ad ea, quæ ipsi absolute nociua sint, & in illius destructionem. Alias pluries legum obligatio cessaret, neque firmi esse in illarum executione possemus. Mecum P. Castro Palao *to. 1. tr. 4. de fide, d. 1. punct. 5. §. 6. n. 4.*

Dvbivm XXVI.

An Concilium generale sumptum pro omnibus Patribus Concilij, in rebus Fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem sit infallibilis veritatis?

205 *Est veritatis infallibilis.*

Est quidem. Quia Concilium generale authoritate Pontificia coactum repræsentat totam Ecclesiam & maxime si inibi adsint sedis Apostolicæ legati, vt docuit Martinus V. in fine Concilij Constantiens. Sed Ecclesia vniuersalis errare non potest, alias aduersus Ecclesiam portæ inferi prævalerent: Ergo Concilium etiam vt distinctum à Pontifice est infallibilis veritatis, si pro omnibus Patribus Concilij sumatur: secus si pro maiori parte congregatorum. Sic Melchior Cano *l. 5. de locis, c. 5.* Bannes 2.2. *q. 1. a. 10. dub. 4. concl. 2. & ad 1. argum. circa finem.*

207 *Non est infallibilis veritatis ratione Pontificis confirmationem.*

Ante confirmationem Pontificis nullum Concilium quantumuis generale pro omnibusque Patribus congregatis sumptum est infallibilis veritatis. Quia nemini nisi Petro, ritatu aut & eius successoribus concessa est spiritus diuini assistentia, ne in rebus fidei errare possit. Sed concilium quantumuis congregatum sit Pontificis authoritate non est Petri successor, sed solum Pontifex: Ergo Concilium vt distinctum à Pontifice non est infallibilis veritatis. Profecto omnia Concilia, quæ in Ecclesia habent authoritatem, à Sede Apostolica sunt approbata, vt constat, ex *c. Significasti, de elect.* vbi Paschalis Pontifex ait: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem facta sunt, & robur acceperunt.* & in *cap. Concilia, dist.* 17. inquit Symmachus: *Quod quia non habent præsentationem,* (id est Pontificis authoritatem) *valetudinem perdiderunt:* Ideóque Concilia hanc confirmationem expostulant, vt videri potest ex his quę refert Turrecr. *libr. 3. cap. 34.* & constat ex Tridentino *sess. vltim. in decreto de fine Concilij.* ibi enim decernitur, petendam esse per legatos à Sede Apostolica confirmationem. Sentiunt ergo Concilia, absque hac approbatione, & confirmatione firmiter, & infallibiliter veritatem non posse edocere. Ita Valent. 2. 2. *dub. 1. quæst. 1. punct. 7. Paragra. h. 45.* Palao *tom. 1. tr. 4. de fide, dub. 1. punct. 5. §. 7. numer. 4.* & alij communiter.

207 *Contrariæ resolutionis dubitatem hanc esse affirmantis.*

Ego quidem hanc sententiam indubitatam esse existimo. Cum videam, à Concilio generali, quantumuis legitimè congregato dari ad Romanam Sedem appellationem: Sed à prima & infallibili regula veritatis non potest appellatio dari, vt de se constat: Ergo Concilium, seclusa Pontificis confirmatione, non est prima regula, infallibilisque veritatis. Maior propositio, in qua est difficultas, decidi-tur à Bonifacio VIII. *Extraug. Vnam Sanctam, de maiorit. & obedient. inter communes.* & latè, ac eruditè probat Turrecrem. *l. 3. sum. c. 47.* & D. Tho. *de pœnit. q. 10. art. 4. ad 13.* Addiderim, aliqua esse Concilia generalia authoritate Pontificis approbata, non tamen confirma

confirmata, in quibus aliqui errores inueniũtur: Ergo Concilium à Sede Apostolica non confirmatum infallibilis veritatis non est. Antecedens probatum ex Concilio Ephesino II. quod fuit à Leone I. indictum, non tamen confirmatum, quod errores Dioscori & Eutychetis admisit, vt tradit idem Leo *Epist. 12. 13. 21. & sequent.* Tũ ex Concilio Basileensi sub Eugenio IV. cuius defectus expendit Turrecrem. *libr. 3. de Eccles. capit.* 100. & Caiet. *tract. de authorit. Pontif. capit.* 8.

CAPVT XVII.

Circa Fidei subiectum.

DVBIVM XXVIII.

An primus parens in statu innocentiæ habuerit Fidem diuinam?

208 *Non habuit.*

RN Adamo ante lapsum non fuit actus fidei diuinæ, sed notitia quædam excellentior, media quidem inter fidem, & visionem beatificam. Quia actus fidei diuinæ est cognitio obscura, quæ in Adamo saltem in eo excellentissimo innocentiæ statu erat indecens. Sic Magist. *in 2. dist. 23.* Hugo de Sancto Vict. *l. de Sacram. p. 6. c. 14.* Alens. *in summ. de virtut.* Gandau. *quodlib. 7. quæstion. 14.*

209 *Habuit quidam.*

In Adamo ante lapsum fuit Fidei diuinæ actus. Quia Adam etiam in statu innocentiæ absque dubio habuit mysterij Trinitatis, ac Dei glorificatoris cognitionem: At non cognitionem fidei Angelicæ; non enim est verisimile, id accepisse ab Angelis; neque cognitionem euidentem, quia non intuitiuam, vt patet. neque abstractiuam, nullus namque erat effectus per se Trinitatis, vt Trinitas est, ex quo id deducere posset; neque erat aliquis Dei effectus glorificatoris, ex quo id posset colligere: Ergo id cognouit ex reuelatione Dei, ac proinde habuit fidei diuinæ actum, qui non incongruebat Adamo adhuc in statu felici. Quia in eo quamuis felici erat purus viator. Ita Theologi communiter edocent, teste Gaspare Hurtado *de fide, d. 7. diff. c. 1.*

210 *Hoc longe probabilius quod amplius expendimus.*

Hoc longe probabilius esse non dubito. Quod quidem deduco ex Paulo *ad Hebr. 11. Sine fide* (ait) *impossibile est, placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere.* Adamus autem in statu innocentiæ etiam placuit Deo, & ad eum accessit. Ergo actum fidei diuinæ gessit. Quod fuit satis cognitum, quia est conuenientissima dispositio ad Sanctificationem, seu accessum ad Deum. Quod autem Adamus in eo statu fuisset Sanctus, satis indicatur *Sap. 2.* ibi: *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Et *Eccles. 1. Deus fecit hominem rectum.* Et supponitur in Concilio Trident. *sess. 5. decre. de peccato orig. can. 1.*

dum dicitur; *Adam per transgressionem mandati, statim Sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.* Cæterum circa obiecta, quæ Adam in statu innocentiæ credidit, conueniunt Theologi credidisse explicite omnia mysteria ad Diuinitatem, & etiam ad Sanctificationem, & beatitudinem spectantia, quæ nos credimus. Sub lite autem est, num Incarnationis mysterium explicite crediderit? Lessius partem negatiuam tuetur *de prædest. Christi, sect. 2. n. 26.* At Suar. *3. p. q. 1. a. 3.* Vasq. *3. p. d. 12. c. 13.* Coninch *d. 17.* partem affirmatiuam tradunt. Quorum menti subscribo. Quia iudico fuisse maxime congruum, tantum mysterium Parenti primo in eo statu reuelari, vt ex tunc tantum miserationis diuinæ portentum veneraretur. Nihilominus ei non fuisse reuelatam futuræ Incarnationis occasionem nempe ipsius peccatum, ne ipsi in eo adeo felici statu nimia tristitia immitteretur.

DVBIVM XXIX.

An Angeli in statu viæ habuerint Fidem diuinam?

CErtum est ex Doctorum consensu Angelos prius fuisse viatores, postmodum verò ex illis alios beatitudine donatos fuisse, alios addictos damnationi. Hoc supposito, quæsierim, num Angeli in statu viatorum fidei diuinæ actum habuerint. 211 *Quæstionis status.*

Non habuere in statu viæ fidei actum adhuc circa mysteria supernaturalia: sed horum tantum euidentem cognitionem habuerunt Quia Angeli habuerunt euidẽtiam reuelationis Dei circa supernaturalia mysteria: ex reuelatione autem euidenter constante infertur euidens rei reuelatæ cognitio medio illo syllogismo: *Quidquid Deus dicit est verum, &c.* Sic Durand. *in 3 dist. 23. q. 9.* 212 *Non habuerunt Fidem*

Habuere quidem in statu viæ fidei diuinæ actum. Quia Angeli in eo statu habuerunt cognitionem supernaturalem Mysterij Trinitatis, & Dei glorificationis, non quidem euidentem: Ergo cognitionem fidei diuinæ. Ita D. Tho. *2. 2. q. 5. art. 1.* Turrian. *2. 2. d. 41. dub. 2.* Coninch *de fide d. 17. n. 16.* Petr. Hurtado de Mendoza *d. 59. sect. 1.* 213 *Fidem habuerunt.*

Huic Theologorum sententiæ communi adhæreo, adiiciens, Angelos in primo suę creationis instanti huiusmodi fidei actum gessisse, vt aduertit D. Tho. & Theologi communiter Quia in eo instanti potuere eum actum elicere: & in eodem fuere in Sanctitate creati (vti Turrianus affirmat) & gratia, quæ adultis aut quasi adultis nõ cõfertur extra Sacramentum absque Charitatis actu, ad quem necessarius illis fuit fidei diuinæ actus. Quod si in primo instanti fuere creati in gratia & Sanctitate, etiam in eo fuit illis infusus fidei diuine habitus, absque quo nunquam in Viatoribus Sanctitas & gratia reperitur: præsertim cum in eo instanti actum habuerint fidei, qui non potest connaturaliter absque habitu elici. 214 *Huic communi quidẽ adhæreo sẽtentiæ.*

Dvbivm XXX.

An circa alia obiecta à Deo distincta sit in Beatis Fidei actus?

215 *Status quæstionis.* CErtum est in beatis siue hominibus siue Angelis non esse fidei actum circa Deum Quia repugnat, Deum clarè videri, & simul obscurè cognosci. Et quia actus fidei beatos non decet, vti indicat Paulus 1. *Cor.* 13. *Cum venerit, quod perfectum est euacuabitur, quod ex parte est*, idest, cum Dei clara visione fruemur, cessauit fidei obscura cognitio. Quæsierim tamen, num circa alia obiecta à Deo distincta sit in beatis fidei actus?

216 *Est in Beatis fidei actus.* Est quidem. Quia id indicat Apostolus dum 1. *Corint.* 13. inquit, *Nunc autem manent fides, & Charitas.* id est, sunt virtutes semper permanentes. Vnde Tertullian. *libr. de patient. capit.* 12. & Irenæus *libro secundo contra hæres. capit.* 47. indicant, in patria manere fidem, & spem. Sic præter Tertullianum, & Irenæum alij Doctores, quos presso nomine, memorat Hurtad. Complut. *vbi infrà.*

217 *Minimè est.* In beatis minimè adest fidei actus. Quia ex vno capite circa alia obiecta est in eis possibilis cognitio intuitiua media propria specie eorum obiectorum, à Deo infusa: & ex altero cognitio fidei statui felicissimo ac perfectissimo beatitudinis minimè congruit. Ita Theologi communiter, quos sequitur Hurtado *de fide dub.* 7. *diffic.* 2.

218 *Hoc certũ esse credo.* Hoc certum esse reor, addens, non solum non esse in beatis fidei actum, imo neque habitum infusum. Quia incongruenter conseruabitur à Deo habitus ab ipso solo infusus, vbi actus incongruit.

Dvbivm XXXI.

An damnati tam Dæmones, quam homines habent Fidem?

219 *Habent quidem.* HAbent quidem. Quia tam Angeli, quam homines damnati recordantur reuelationis diuinæ, cuius in via notitiam habuere. Quid ergo impediet, ob eam assentiri, & credere? Addo Iacobum *c.* 2. fantem, *Credis, quod vnus est Deus, bene facis: Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sic Durand. *in* 3. *dist.* 23. *q.* 9. Salmer *d.* 3. *in Epist. Iacobi.* Et quoad Angelos damnatos probabile existimat Valent. 2. 2. *q.* 5. *pun.* 2. Quod si in Dæmonibus manet fides diuina, etiam in hominibus damnatis manebit.

220 *Non habẽt.* Non habẽt. Quia vti D. Dionys. *de diuin. nom. min. c.* 4. docet, damnati carent omnibus diuinis donis: Et, vt ait D. August. *l.* 9. *de Ciuit. c.* 2. *Dæmones cognoscunt Christum Dominum non lumine fidei, sed efficacia signorum.* Ratio est, quia absque auxilio efficaci gratiæ Dei nullus elicit fidei diuinæ actum: Damnatis autem nullum tale auxilium à Deo confertur. Addo non solum non habere fidei actum, sed neque habitum à Deo infusum. Quia nihil supernaturale illis à Deo confertur, neque conseruatur in eo infelicissimo statu, quamuis antea præcesserit. Ita D. Tho. 2. 2. *q.* 5. *a* 2. Suar. *de fide d.* 6. *sect.* 9. Coninch *de fide, d.* 17. *dub.* 2. *q.* 6. *dub.* 4. Granad. *tr.* 13. *sect.* 1. & Theologi alij communiter.

221 *Hoc longe probabilius.* Longe hoc probabilius. Damnati enim cognoscunt res nostræ fidei non immediatè ob diuinum testimonium; sed partim ex signis, & effectibus, quos experiuntur: & partim ex motiuis nostræ fidei, quæ damnati optimè penetrant, quibus moraliter conuincuntur, Deum res nostræ fidei reuelasse: & inde per discursum cognoscunt esse veras, syllogismo illo: *Quidquid Deus dicit, est verum, &c.* Porro D. Iacobus quamuis non admittat in dæmonibus fidem diuinam nostræ similem, sed alium assensum impropriè dictum fidem: tamen efficaciter argnit exemplo fidei Dæmonum, contra hæreticos illius temporis, qui existimabant, fidem vndecumque conceptam, quamuis non diuinam sufficere sine operibus ad salutem. Itaque ad actum fidei diuinæ non sufficit reuelatio diuina sufficienter applicata, si auxilium efficax gratiæ non conferatur, quod quidem damnatis minimè confertur. Vnde non credunt ob reuelationem diuinam ex defectu auxilij efficacis, & non ex defectu reuelationis diuinæ & applicationis ipsius.

Dvbivm XXXII.

An hæreticus possit actum Fidei habere?

222 *Non potest fidei actum habere.* HÆreticus, dum est talis, non potest actum fidei diuinæ habere. Quia peccatum infidelitatis & hæresis non est, quousque illi, qui discredit, sit prudenter proposita reuelatio rei credendæ: imo quousque persuasus sit, veram Ecclesia tenere eam rem vt reuelatam à Deo: sed illi, cui non vrget reuelatio diuina prudenter proposita circa vnam rem, non vrgebit prudenter proposita circa aliam: præsertim si ab eodem proponente, & æqualiter sit proposita: quia vtraque reuelatio est e usdem Dei, & circa vtramque rem prudenter proposita: imo aliquando ab eodem proponente, & æqualiter: Ergo qui est incredulus & infidelis Deo reuelanti vnam rem, qualis est hæreticus, non potest eidem alia reuelanti credere. Sic Suar. *de fide, d.* 7. *sect.* 4. Lorca 2. 2. *d.* 3. 2. & alij plures.

223 *Potest sant.* Hæreticus non credens vnum aut alterum dogma fidei, potest fide diuina, seu ob reuelationem diuinam credere alia, seu habere actum fidei circa illa. Quia ille est verè infidelis, & hæreticus, (si alias sit professione Christianus) qui sciens Deum aliquid reuelasse, aut non potens id rationabiliter dubitare, illud non credit: sed quis prudentem propositionem duorũ fidei dogmatum vt

vt Deo reuelatorum ab Ecclesia factam, postquam nequeat rationabiliter dubitare Deum illa duo reuelasse: potest persuaderi, vnum ex illis esse à Deo reuelatum, & alterum non, vel quia reuelatio circa dogma quod credit, proponitur motiuis efficacioribus; quam reuelatio circa aliud: vel quia proponitur à maioris auctoritatis persona: vel etiamsi ab eodem proponatur, & æqualibus motiuis, ac reuelatio circa alterum: potest in hoc altero dogmate peculiaris esse aliqua difficultas, ob quam quis iudicet, proponentem Ecclesiam falli circa huius, & non circa illius reuelationem: ergo poterit credere ob reuelationem diuinam, seu fide diuina vnum dogma, id scilicet, quod existimat esse à Deo reuelatum; & aliud non credere. Imo non apparet, cur ex duobus dogmatibus ab eodem propositis, vt reuelatis ab Ecclesia, & æqualiter, non possit quis pro sola suæ voluntatis libertate, credere vnum esse reuelatum, & non alterum cum pro sua libertate quis ita credat fide humana rem esse reuelatam, vt potuerit id non credere absque vlla mutatione ex parte motiui ad id credendum humana fide, quando in obiecto materiali est aliqua difficultas sufficiens ad non credendum, esse à Deo reuelatum: alias intellectus non penderet à voluntate in credendo quoad specificationem fide humana reuelationem diuinam, quod est falsum. Ita Durand. *in 3. dist. 23. q. 9.* Coninch. *de fide, d. 14. dub. 2.* Becan. *de fide, c. 11. q. 1.* Hurtad. Complut. *de fide, d. 7. diffic. 5.* Granad. *tr. 15. sect. 2.*

214 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Nam diuina reuelatio potest vrgere circa vnum dogma, & non circa alterum: vel quia reuelatio circa vtrumque non proponitur ab eodem; vel quia non proponitur æqualiter, quamuis ab eodem: vel quia ab eodem, & æqualiter ab Ecclesia proponitur: potest esse peculiaris ratio aut difficultas in dogmate vno, & non in altero, ob quam iudicetur reuelatio esse facta circa vnum dogma & non circa alterum: vel pro sola libertate voluntatis, quamuis non sit in vno, quam in altero maior difficultas.

CAPVT XVIII.

Circa Fidei ad salutem, necessitatem.

DVBIVM XXXIII.

An actus Fidei sit medium ad iustificationem necessarium?

215 *Nonnulla media, circa necessitatem medij, ac præcepti.*

RECOLO ex *sectione prima*, illa dici necessaria ad iustificationem, sine quibus eam consequi non possumus, qualia sunt auxilia præuenientia adultis, & Baptismus ipsis in re vel in voto, & Baptismus in re susceptus parvulis, & pœnitentia in re, vel in voto adultis, qui post Baptismum susceptum lethaliter deliquere. Verùm illa quæ sunt necessaria ad salutem sunt in triplici differentia: alia enim sunt necessaria *necessitate medij* tantum, idest, quæ necessaria sunt tanquam media, seu remedia conducentia ad salutem, quæ non sunt in nostra potestate, seu libertate, vt Baptismus parvulis, & auxilia præuenientia adultis. Alia sunt necessaria *necessitate præcepti* solùm, quæ ex eo solum modo sunt necessaria ad salutem, quia sunt sub præcepto graui indicta. Alia demùm necessaria sunt *necessitate medij, ac præcepti* simul, quæ vtróque modo sunt ad salutem assequendam necessaria, nempe, & tanquam media, & tanquam præfato modo, præcepta, vt Baptismus, & Pœnitentia adultis. Quæsierim igitur, vtrum actus fidei sit necessarium medium ad iustificationem? Tantum autem procedit difficultas de lege ordinaria, quia de potentia Dei absoluta non est necessarius fidei actus ad iustificationem. Nam hæc fieri potest infusione habitus gratiæ, quæ fieri potest à Deo absque præuio aliquo actu nostro.

216 *Actus fidei non est necessarium medium ad iustificationem.*

Actus fidei non est necessarium ad iustificationem medium. Quia ad iustificationem sufficit dilectio Dei super omnia: sed absque actu fidei sola notitia naturali, siue ex testimonio humano, siue aliter habita potest elici Dei super omnia dilectio, ea enim notitia potest proponi voluntati Deus vt summe bonus, seu diligibilis: ergo ad iustificationem non est actus fidei, vt medium necessarius. Sic Vega *libr. 6. in Tridentin. capit. 17.* Videtur fauere Paulus *Roman. 2.* dùm postquam dixit, *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, subdit, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* Quo indicare videtur, gentiles, seu infideles posse absque fide seruare legem, ac iustificari sola notitia lumine naturali habita.

217 *Est adultis medium necessarium.*

Actus fidei adultis est medium ad iustificationem, (& consequenter ad gloriam) necessarium. Quia iustificatio, quæ fit extra Sacramentum, tantum fit actu dilectionis Dei: ad hunc autem ex natura rei prærequiritur actus fidei diuinæ in viatoribus: in his enim nulla alia cognitio supernaturalis requiritur, ac proinde nulla alia cognitio proportionata, qua voluntas sua natura cæca proportionatè, & sufficienter ducatur, & illuminetur ad actum dilectionis Dei, vtpotè supernaturalem. Deindè iustificatio adultorum, quæ fit medio Sacramento, prærequirit ex Christi Domini institutione tanquam dispositionem necessariam, vt medium actum fidei, & spei, & pœnitentiæ. Præter hos autem modos iustificationis nullus aliis reperitur: ergo ad iustificationem, quocumque modo fiat, prærequiritur actus diuinæ fidei tanquam medium. Ita Theologi communiter. Suarius *de fide, d. 12. section. 2. numer. 10.* Coninch. *de fide, dub. 14. numer. 113. & 175.* Significat id D. Leo. *serm. 4. de Natiuitat.* D. Augustin. *serm. 38. de temp.* D. Fulgent. *l. de fide ad Petr.* D. Bernard. *Epist. 77.* Nec obscurè indicat Diuus Paulus ad *Hebræos 11.* vbi ait, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Porrò si non esset medium necessarium ad iustificationem, qua sola placemus Deo, vt ami-

ci non esset impossibile absque fide Deo placere, quando esset ignorantia inuincibilis rerum fidei.

228 *Hoc mihi certum.*

Hoc mihi certum prorsus. Fundamentum enim, quo Vega nititur, infirmum planè est. Concedens enim maiorem, minorem abnego. Quia in viatoribus nullus alius actus intellectus nisi fidei diuinæ est sufficiens, ac proportionata propositio ad actum dilectionis Dei super omnia. Certè Paulus ad *Roman.* 2. vel tantum loquitur de gentibus fidelibus, de quibus ait *naturaliter*, idest, absque lege scripta lumine naturali ductos seruasse mandata legis naturalis, & iustificatos fuisse apud Deum: sed non absque actu fidei diuinæ, ad quem obseruatione legis naturalis à Deo efficax auxilium impetrauerunt. Vel si loquitur de gentilibus infidelibus, de eis ait, absque lege scripta seruasse aliqua legis naturalis mandata, (non enim dicit omnia,) & eorum obseruatione iustificatos fuisse, non iustitia remissiua peccatorum, sed iustitia bonitatis operum; id est, eorum obseruatione factos fuisse benè, ac iustè operantes, & reputatos fuisse bonos.

Dvbivm XXXIV.

Ad iustificationem actus Fidei Dei existentis generaliter estne omnibus medium necessarium?

229 *Nonnullæ suppono de actu fidei explicito, & implicito.*

Svppono, id dici credi fide diuina, seu actu fidei diuinæ explicitè, quod in se ipso, & distinctè creditur in se ipso, sed in alio, in quo aliquo modo continetur, vel à quo supponitur. Theologi itaque, qui docent, actum fidei diuinæ esse medium necessarium ad iustificationem, communiter conueniunt, eum debere esse explicitè Dei existentis, seu eo debere credi, Deum esse, seu existere. Quia extra Sacramentum necessarius est actus charitatis Dei tanquam medium: ad eum autem necessarius est etiam vt medium actus explicitus fidei Dei existentis: actu enim charitatis Dei explicitè, & expresse diligitur Deus existens ob ipsum; quia Deus sua existentia est formaliter bonus essentialiter in se physicè, & absque ea nō est talis: & actu Charitatis Deus diligitur vt bonus in se. Ad iustificationem vero in Sacramento proculdubio exigitur à Christo actus fidei diuinæ existentiæ Dei, & officij remuneratoris, vt indicat Tridentin. *sess. 6. cap. 6.* Quæsierim tamen, num actus fidei Dei existentis sit generaliter medium necessarium omnibus etiam habentibus euidentem Dei existentis scientiam.

230 *Non est necessarius omnibus.*

Necessarius non est. Quia cum scientia euidenti nequit esse actus fidei illius: ergo non est necessarius actus fidei ei, qui huiusmodi euidentiam habet. Igitur non est generatim omnibus necessarius. Sic Caietanus, & Carthusianus *ad Cap. 11. Epistol. ad Hebræos.*

231 *Necessarius omnibus est.*

Necessarius est. Quia dum Paulus *citatus* dicit, *Sine fide impossibile est, placere Deo*, & inferius, *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est: & inquirentibus eum remunerator sit*: generaliter loquitur respectu omnium viatorum. Et id ostendunt rationes adductæ pro iustificatione extra Sacramentum, & pro iustificatione in Sacramento. Ita Suarius *de fide, d. 12. sectione tertia.* Turrian. 2. 2. *d. 26.* Coninch. *de fide, disputat. 14. dubio nono.* Becan. *de fide, cap. 12. qu. 1.*

232 *Idem affirmo.*

Idem affirmo abnegans, actum fidei diuinæ alicuius obiecti non posse simul esse cum scientia eiusdem euidenti genita per demonstrationem. Et quamuis non possent esse simul, posset demonstratio liberè relinqui, existente adhuc cognitione Dei existentis: & sic relinqueretur locus actui fidei diuinæ, vt possit fieri iustificatio.

Dvbivm XXXV.

An ad iustificationem sit necessarius actus Fidei explicitus Dei remuneratoris remuneratione supernaturali?

233 *Quæstionis status.*

Svppono, actum fidei diuinæ explicitum Dei remuneratoris esse medium necessarium ad iustificationem, quod significat Paulus ad *Hebræos 11. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus eum remunerator sit.* Quæsierim verò, an actus hic explicitus fidei Dei remuneratoris debeat esse Dei remuneratoris supernaturali remuneratione?

234 *Non est necessarius talis actus.*

Non est necessarius talis actus, sed sufficit actus explicitus fidei vnius Dei existentis, & habentis prouidentiam naturalem circa vniuersum. Quia nullo fundamento constare potest, requiri fidem alius obiecti. Nam verbis Pauli requirentis actum fidei Dei existentis, & remuneratoris, satisfieri videtur, requirendo actum fidei Dei existentis, & prouidentiæ naturalis ipsius circa vniuersum. Sic Vega *l. 6. in Trid. c. 21.*

235 *Necessaria est.*

Ad iustificationem requiritur actus explicitus fidei Dei remuneratoris remuneratione supernaturali, seu glorificatoris. Quia id Paulus significat, dum ad accessum ad Deum seu ad iustificationem requirens credere, quod Deus remunerator sit, loquitur de remuneratione supernaturali vitæ æternæ, vt ex contextu deducitur: præsertim quod post verba relata, de Patribus antiquis, qui fidem habuerunt, & ea sunt iustificati, (quorum imbi memoriam gessit, subdit, defunctos fuisse, *non acceptare promissione Patriæ cœlestis, quam appetierunt, & inquisierunt.* Ex quo constat primæ sententiæ fundamentum esse falsum. Ita Suarius *de fide, dubio 12. sectione 13.* Turrian. 2. 2. *disputat. 25. dubio quarto*, Coninch. *de fide, disputat. 14. dubio octauo.* Adam. *quæstione septima, dubio secundo*, Gaspard. Hurtado *de fide, dubio octauo, difficultat. tert.* & Theologi communiter.

236 *Cum his opinor.*

Cum his opinor indicans primam sententiam infirma ratione fulciri. Profecto actus explicitus fidei Dei existentis, & remunerationis supernaturali remuneratione ita est medium

dium necessarium ad iustificationem, vt etiam omni tempore, adhuc ante Christi Domini aduentum fuerit medium necessarium. Quod satis significet Apostolus *vbi suprà*, dum ait *Abel.* & *Enoch.* iustificatos fuisse, annotans, ad id eam fuisse necessariam.

DVBIVM XXXVI.

An ante aduentum Christi Domini fides explicita ipsius fuerit necessaria, vt medium ad iustificationem?

237 *Necessaria fuit.* FIdes explicita Christi, seu mediatoris, & liberatoris à peccatis fuit etiam ante eius aduentum necessaria, vt medium ad iustificationem. Quia maximè congruum est, vt sicut nullus iustificatur, & saluatur sine Christi meritis, nullus iustificetur, nec saluetur nisi ex eius explicita fide. Quod significare videtur Apostolus ad *Roman.* 3. dum ait, *Iustitia autem Dei per fidem* IESV CHRISTI *in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Vbi supponit, iustificationem etiam antiquorum ante Christi Domini aduentum necessario factam fuisse media fide Christi tanquam obiecti. Fides autem implicita Christi non est absolutè, & simpliciter fides Christi, sed alius obiecti, in quo continetur, vel à quo supponitur. Sic Corduba *l.* 2. *quæstion.* 5. Lorca 2. 2. *dubio* 21. Coninch. *de fide, disp.* 14. *dub.* 9. Becan. *de fide, capit.* 12. *quæst.* 2.

238 *Non fuit necessaria.* Antiquis ante Christi Domini aduentum non fuit necessaria fides explicita eius vt medium ad iustificationem. Quia fides explicita Christi non fuit illis necessarium medium ex natura rei, ad iustificationē enim ex natura ipsius sufficit fides Dei sūmi boni, hæc nāque fides sufficiens est ad actum dilectiōnis Dei, quī etiam tunc sufficiebat ad iustificationem. Neque fuit illis medium necessarium ex institutione, siue ordinatione Dei, quia de hac non constat: in testimonio enim illo ad *Roman.* 3. aut nomine fidei IESV CHRISTI (ex qua dicitur fieri iustificationem) non intelligitur fides in Christum tanquam in obiectum, vt deducitur ex eo, quod postquam dicitur, *Iustitia Dei per fidem* IESV CHRISTI, immediatè subditur, *in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*: Vbi tanquam quid distinctum subditur credere in eum, nempe in Christum, à fide IESV CHRISTI, cuius mentio immediatè præcessit: sed nomine IESV CHRISTI intelligitur fides alius obiecti, habita tamen ex meritis IESV CHRISTI, vel ex eius prædicatione. Vel nomine fidei IESV CHRISTI intelligitur spiritus fidei IESV CHRISTI, ideſt merita IESV CHRISTI. Aut si nomine fidei illius intelligitur fides Christi tanquam obiecti, potest intelligi fides implicita Christi, quæ verè est fides Christi tanquam obiecti, quamuis sit explicita alius obiecti, & magis sit huius, quam Christi. Ita D. Thom. 2. 2. *quæstione* 2. *articulo septimo*, Suarius *de fide, dubio* 12. *sectione tertio*, Turrian. 2. 2. *disputat.* 27. *dubio* 3. Petr. Hurtado de Mend. 2. 2. *d.* 44. *section.* 1. & alij communiter.

Hanc sententiam longe probabiliorem esse existimo. Ad locum vero Pauli conuenientius respondetur, si intelligatur inibi fides explicita Christi tanquam obiecti, non requiri ab Apostolo tanquam necessariam necessitate medij, sed tantum necessitate præcepti, absque cuius obseruatione non poterant iustificari, qui habebant sufficientem illius notitiam. Fateor quidem D. Augustinum *Epistol* 57. *quæstion.* 2. & sæpe *alibi*, primam sententiam docuisse, sed tanti Diui venia, rigidè existimo sensisse, & non solido omnino fundamento. 239 *Hanc sententiā longe veriorem esse credo.*

DVBIVM XXXVII.

An in lege Euangelica Fides explicita Christi Domini sit medium ad iustificationem necessarium?

FIdes explicita Christi, seu mediatoris est in Legis Euangelicæ statu medium necessarium ad iustificationem. Quia *Mar. vltim.* Dominus ait, Prædicate Euangelium omni creaturæ: *qui non crediderit* Euangelium *condemnabitur.* Ergo necessarium est credere expresse Euangelium, quod fuit expresse prædicatum, ac proinde Christum in Euangelio prædicatum expressissimè. Et quia Tridentin. *sess.* 6. *c.* 6. agens de dispositione ad iustificationem, ait homines disponi per fidem, credentes, vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt, atque illud in primis, à DEO iustificari impium per gratiam eius, *per redemptionem, quæ est in Christo* IESV. Sic Valentia 2. 2. *dubio primo, quæstione secunda, puncto quarto.* Molina *parte prima, quæstione prima, articulo primo, dubio secundo.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite secundo,* Lorca 2. 2. *dubio* 22. Pesanti. *quæstione secunda, articulo septimo, dubio primo,* Granad. *tract.* 10. *d.* 2. *sectione* 2. 240 *Est necessarium medium.*

In lege Euangelica non est necessaria fides explicita Christi, vt medium ad iustificationem. Quia *Act.* 10. Cornelius antè quam ei Petrus prædicaret Christum, & ipse eum explicitè crederet, & significatur esse iustus, vt docent communiter Interpretes, & Patres, etiamsi oppositum Diuus Augustinus, & Diuus Chrysostomus sentiant. Ratione autem probo. Quia etiam post sufficientem Euangelij prædicationem fides explicita Christi non est medium ex natura rei ad iustificationem necessarium, ad hanc enim sufficit fides Dei summi boni, cum sufficiat ad actum dilectionis Dei. Neque est medium necessarium ex Dei institutione; quia de hac non constat. Ita Sotus *in quart. distinction. quint. quæstion. vnic. artic. secund. dub. vltim.* Vega *l.* 6. *in Tridentin. capite* 22. Bannes, & Aragon. 2. 2. *quæstion. secund.* Suarius *de fide, dubio* 12. *sectione quart.* Turrian. 2. 2. *disputat.* 27. *dubio quart.* Vasquez *in manuscript. de fide, qu.* 2. *art.* 7. *dubio* 3. 241 *Non est medium necessarium.*

Cum his sentio, videns, locum Scripturæ Sacræ pro prima sententia adductum non vr- 242

gere;

Eiusdem sum mentis. gere. Illis enim verbis *Marc. vltim. Qui non crediderit, condemnabitur*, sufficienter satisfit, dicendo, in eis tantum necessitatem præcepti contineri. Quia ille, cui sufficienter prædicatum est Euangelium, violatione præcepti credendi, vtpotè præcepti grauis, condemnationi addicetur. Porrò nec Tridentinum vrget. Inibi enim est sermo de dispositione ad iustificationem per Baptismum faciendam, & non de dispositione per actum dilectionis; imo crediderim non esse sermonem de dispositione simpliciter necessaria adhuc ex præcepto ad iustificationem medio Baptismo faciendam: sed de dispositione, qua adulti baptizandi ad eam iustificationem regulariter disponuntur.

Dvbivm XXXVIII.

An Fides explicita Christi Domini in lege Euangelica sit medium necessarium ad ingressum gloriæ?

243 *Est medium necessarium ad gloriæ ingressum.* Licet fides explicita Christi non sit medium necessarium ad iustificationem: nihilominus homini iam iusto est necessarium medium ad gloriæ adeptionem. Quia fides explicita Christi, fuit medium necessarium Cornelio (vt asserit Diuus Augustinus *l. de prædest. Sanct. capite septimo*,) ad salutem æternam assequendam. Et generaliter idem videtur significari *Marc. vltim. Qui non crediderit condemnabitur*, & *Ioann. 3. Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et infrà, *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ergo quamuis fides explicita Christi non sit medium necessarium, vt peccator fiat iustus: est tamen, vt iustus vitam, seu salutem æternam adipiscatur. Sic Canus *relect. de Sacrament. part. secund. quæstion. secund.* Bannes 1-2. *quæstion. secund. articulo octauo.* Aragon. *ibid. art. 5.* Castro *lib. 2. de lege pœnal. capit. 14.*

244 *Non est medium necessarium.* Fides explicita Christi homini iam iusto non est medium necessarium ad gloriæ adeptionem. Quia absque fundamento dicitur iustificatum non posse absque fide explicita Christi, in iustificatione perseuerare. Imo id dicitur contra rationem. Quia iustus, qui vsque ad obitum in iustitia perseuerat, gloriam adipiscitur. *Matth. 24. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* & definit Tridentin. *sess. 6. cap. 16.* Ad perseuerandum autem in iustitia, & sanctitate non est necessaria vt medium fides explicita Christi, imò nec alius obiecti. Ad id enim sufficit, quòd nullum violetur præceptum, graue culpabiliter, & grauiter, quod absque dubio contingere potest absque fide explicita Christi, imo cuiuscumque alius obiecti. Ita Suarius *de fide, dubio 12. section. quart.* Lorca 2. 2. *disputat. 33. dubio septimo*, Coninch. *de fide, disputat. 14. dubio nono.* Vasquez 1. 3. *dub. 193.* & alij communiter.

245 *His hæreo Doctoribus* Ego quidem his hærens Doctoribus concesserim, fidem explicitam Christi, non esse medium necessarium ad iustificationem, abnegarim tamen, esse medium necessarium ad gloriam. Et quamuis in testimoniis ex Scriptura Sacra adductis significetur fidem expressam Christi esse necessariam ad gloriam, non tamen significatur, esse necessariam necessitate medij, de qua nostra quæstio: sed tantum necessitate præcepti affirmatiui, & negatiui in peccatore, vt violatione præcepti fidei non ponat iustificationi obicem, & in iusto, vt transgressione dicti præcepti non amittat iustitiam, absque qua non saluabitur.

Dvbivm XXXIX.

An in lege Euangelica Fides explicita Mysterij Trinitatis sit medium ad iustificationem necessarium?

246 *Nonnulla suppono.* Svppono ex communi Theologorum placito, ante Christi aduentum fidem explicitam Trinitatis non fuisse medium necessarium ad iustificationem. Quia neque fuit necessaria ex natura rei, vt patet: nam ex hac sufficit fides explicita Dei existentis, seu boni in se; neque ex Dei institutione, quia de hac minimè constat. Quæstio igitur est, an fides huiusmodi sit in lege Euangelica necessarium ad iustificationem medium?

247 *Est necessarium medium.* Est medium necessarium. Quia Trinitatis mysterium est obiectum fidei principalissimum ergo in hac principalissimo legis Euangelicæ statu fides, quæ magis principaliter requiritur, ad iustificationem tanquam medium, est fides Trinitatis explicita. Et quia Baptismus est Trinitatis professio: At Baptismus est medium necessarium ad iustificationem: ergo etiam professio Trinitatis, & consequenter etiam fides explicita Trinitatis: nequit enim quis profiteri, quod non credit. Sic Valentia 2. 2. *dubio primo, quæstione secunda, puncto quinto.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite secundo.* Lorca 2. 2. *dubio 20. numero sexto, & dubio 22.* Becan. 2. 2. *capite 12. quæstione tertia*, Granad. *d. 2. sectione secunda*, Adam. *disp. 1. quæstion. 7. dubio secundo.*

248 *Medium necessarium non est.* Medium necessarium non est. Quia credere explicitè mysterium Trinitatis non est medium necessarium ex natura rei; non enim est necessarium ad Dei dilectionem, quæ ad iustificationem sufficit. Neque est medium necessarium ex Dei institutione: quasi Deus actum dilectionis Dei, & susceptionem Sacramenti iustificantis (quibus solis fit iustificatio) alligauerit actui explicito fidei Trinitatis: id enim non constat firmo aliquo fundamento. Ita Scot. *in tert. distinctione 25. quæstion. prim.* Azor. *libro octauo, capite sexto, quæstione sexta*, Coninch. *de fide disputat. 14. dubio 9.* Vasquez *in manuscript. de fide, quæstion. 3. artic. 7. dubio 3.* & alij plures.

249 *Verius hoc mihi.* Hanc sententiam veriorem esse iudicarim. Nam quod Trinitas sit obiectum principalissimum fidei, non conuincit, quod adhuc in statu principalissimo legis Euangelicæ, fides explicita illius sit necessarium medium ad iustificationem. Quamuis enim sit obiectum fidei principalissimum, potuit non institui fides explicita illius medium necessarium: & non constat fuisse sic institutam. Præterea quod Baptismus

mus sit Trinitatis professio, minus conuincit, fidem explicitam Trinitatis esse medium necessarium. Quia quamuis sit professio Trinitatis, & sit medium necessarium ad salutem: potuit fides explicita Trinitatis non sic constituí, & non constat fuisse sic institutam ex Scriptura, aut Patribus; nam qui dicunt fidem Trinitatis esse necessariam, facile de necessitate præcepti exponuntur.

Dvbivm XL.

An ex necessitate Præcepti debeat, omnis Christicola scire explicitè & credere, quæ in Apostolico Symbolo continentur?

250 *Quæstionis status.* OMitto quorundam Iuristarum errorem affirmantium, sufficere Christiano credere fidei articulos implicitè, credendo scilicet quidquid tenet Ecclesia: & requiro, num teneatur omnis Christicola credere, & scire explicitè cuncta quæ in Symbolo continentur?

251 *Sufficit credere ex præcepti necessitate explicitè Mysteria Trinitatis, & Incarnationis.* Non tenetur, sed sufficit credere ex præcepti necessitate explicitè Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Quia hæc Mysteria in Symbolo Apostolorum, & Catechismo puerorum, & solemni ritu Ecclesiæ celebrantur. Sic Doctores Catholici, quos refert Sanchez *libr. 2. Decalogi capite tertio, à numero quarto*, triplici sententia, quæ quidem in relatam coincidit. Nam omnes conueniunt, à Christicola quolibet Mysteria Trinitatis, & Incarnationis scienda, & credenda: idque sufficere.

252 *Non sufficit.* Tenetur quidem scire, & credere, quæ in Apostolorum Symbolo continetur, nec sufficit scire, ac credere Trinitatis, & Incarnationis Mysteria. Quia plura Mysteria in Ecclesia celebrantur, pluráque in Apostolorum Symbolo, ac Catechismo continentur, quæ in Mysterio Incarnationis, & Trinitatis non videntur explicitè contineri. Ita Castro *l. 1. de iusta hæret. punit. c. 9.* Valent. *2. 2. d. 1. q. 2. punct. 3. concluſ. 2.* Sayrus *in Clauí, libro secundo, capite nono, numero 15.* Malder. *2. 2. quæstione secunda, articulo septimo, conclusion. vltim.* Coninch. *de fide, disput. 14. dubio 10. numero 188.* Azorius *tomo primo, libro octauo, capite sexto, quæstione secunda tertia, & quarta, & capite septimo, quæstione tertia,* Vasquez *1. 2. dubio 12. capite secundo, numero secundo*, Suarius *de fide, dubio 13. sectione quarta.* Et videtur constare ex *cap. Ante vigiliti diez 54. Cap. Baptizandos 57. cap. Non liceat 58. de consecr. distinct. quart.* vbi præcipitur, ne adulti ad Baptismum recipiantur, quin prius sciuerint mysteria in Symbolo contenta.

253 *Credenda, & non credenda, quæ in Symbolo continentur ex præcepto.* Censeo probabiliorem esse hanc sententiam. Quia Apostoli, antequam ad prædicandum Euãgelium, ac notitiam fidei tradendam, per orbem dispersi fuissent, hoc Symbolum composuere ea intentione, vt gentibus notitia daretur eorum, quæ credenda sunt: ergo illa scire, & credere omnes obligantur. Et quidem omnibus est præceptum scire, & credere explicitè aliqua mysteria, quæ in Symbolo continentur, vt prima tenet sententia. At nullibi constat præceptum speciale circa aliquos articulos, & non circa omnes: ergo asserendum est, de omnibus esse præceptum; aliàs non erit huius præcepti certa materia.

Dvbivm XLI.

An necessarium sit præcepti necessitate scire, & credere Deiparam semper mansisse Virginem?

254 *Expono mysteria, quæ necessariò scire, ac credere debeas, ad præcepti fidei satisfactionem.* OPeræ pretium duxi indicare, quorum mysteriorum fidei notitia sufficiat, ad præceptum fidei adimplendum. Et quidem illam esse sufficientem esse iudicarim, qua mysteria Symboli Apostolorum secundum eorum substantiam, & quantum ex verbis Symboli sic propositi percipi potest, percipiantur. Clariorem autem notitiam nemini fidelium, quatenus talis est præcipi; alias Apostoli componentes Symbolum, per illudque nostræ fidei notitiam tradentes, diminutè processissent. Quocirca si Mysteria in Symbolo contenta scias, & credas, prout continentur communiter in puerorum Catechismo, sufficienter huic præcepto satisfacis. Vasquez *1. 2. d. 121. cap. 2.* Azorius *parte prima, libro octauo, capite sexto, quæstione quinta*, Sanchez *libro secundo Decalogi capite tertio, num. 17.* Vnde de Trinitatis beatissimæ mysterio sufficit, si scias, & credas, esse tres Personas inter se distinctas, quarum quælibet sit Deus, nec obinde plures esse Deos, sed vnum tantùm; qua vero ratione distinguãtur, & quomodo vna persona ab alia procedat, Theologis relinquendum. Debes scire, hunc Deum esse cœli, ac terræ Creatorem, id est, hæc omnia produxisse; sed qua ratione illa produxerit, an ex præsupposito subiecto, an ab æterno, non videtur omnibus necessarium scitu. Suarius *de fide, dubio 13. sectione quarta, numero sexto*, contra Binnes *2. 2. quæstione secunda, articulo octauo.* Debes scire, ac credere, Deum esse Saluatorem, idest, tibi posse peccata dimittere: & Glorificatorem in beatitudine æterna, ac supernaturali animarum, & corporum: ac proinde ibi credimus carnis resurrectionem. Præterea debes explicitè cognoscere Mysteria ad Christi Domini humanitatem attinentia, quæque in Symbolo, & in articulis fidei continentur. Ac primùm debes scire, ac credere Christum Dei Filium esse verum Deum, & hominem, de Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptum. Sic enim excellentiam Christi, & eius Matris agnoscis. Priusquam verò reliqua mysteria percurram, quæsierim, necessariumne sit ex præcepto, scire, ac credere Deiparam semper permansisse Virginem?

255 *Non est necesse, scire perpetuam Deiparæ Virginitatem.* Non est nec. ssarium. Quia hoc mysterium non ita clarè, ac distinctè fuit ab Apostolis in Symbolo traditum. Sic nonnulli Doctores, quorum sententiam probabilem esse iudicat Suarius *de fide, dubio 13. sectione quarta, numero septimo*, Fauet Sanchez *libr. 2. Decalog. capit. 1. numero 17.*

Necess-

256 *Necesse quidem est.* Necessarium est. Quia satis explicitè ab Apostolis fuit traditum perpetuæ Virginitatis Mariæ Mysterium: cum dixere, Christum Dominum natum fuisse ex Maria Vigine: nomen enim Virginis absolutè prolatum, quemlibet statum comprehendit. Ita Suarius *vbi suprà*. Coninch. *de fide, disp. 14. dub. 10. num. 189.* Palao *de fide tractat quart. dub. prim punct. 10. numero quinto.*

257 *Hoc longe probabilius.* Hoc longe probabilius esse defendo. Quia in articulis fidei, qui omnibus credendis proponuntur, expresse hoc traditur. Et quidem hoc est conuenientissimum, tum ad vitandos errores, qui in ea materia possunt oriri: tum ad dignam æstimationem de immaculata Dei Matre gerendam.

Dvbivm XLII.

An necessarium sit ex præcepto fidelibus scire explicite, ac credere articulum de Christi Domini ad inferos descensione?

258 *Quæstionis status.* POst Christi natiuitatem credenda proponitur eius Passio, mors, resurrectio, & sessio ad Patris dexteram, aduentusque ad iudicium: quæ omnia scienda, & credenda sunt explicitè, tùm quia in Symbnlo Apostolorum continentur: tùm quia publicè ab Ecclesia celebrãtur. Sanchez *libro 2. Decalogi capite 3. num. 6.* Quæsierim autem, num sit necessarium fidelibus, explicitè scire, ac credere articulum de Christi Domini ad inferos descensu?

259 *Necessariũ est.* Necessarium est. Quia est fidei articulus æquè fidelibus expositus ad credendum. Sic Theologi de republica literaria optime meriti, quos consului.

260 *Non est necessarium.* Non est necessarium. Quia non videtur res fidelibus necessaria admodum: & articulus hic in Symbolo Niceno est omissus. Ita Suarius *tomo secundo, in tertiam partem, d. 43. sect. 2. fine.*

261 *Auctoris resolutio.* Ego quidem existimo necessarium id non esse sub graui piaculo: sicut non est necessarium, circumstantias passionis Dominicæ agnoscere, videlicet, passum esse sub Pontio Pilato; sufficit enim, si sciatur, & credatur esse passum.

Dvbivm XLIII.

An explicitè sciendum, ac credendum sit Christum Dominum ad Patris dexteram sedere?

262 *Non est necessarium.* NOn est necessarium scire, ac credere articulum de Christi Domini ad Patris dexteram sessione. Quia propter eius difficultatem in explicando huius sessionis sensum videtur præceptum ad explicitam cognitionem articuli huius non obligare. Sic Azorius *tom. 1. cap. 6. qu. 5.*

Necessarium est. Quia articulus est fidelibus propositus sicut alij. Nec difficile admodum est scire, Christum in cœlum ascendentem habere in illo supremum locum, vt homo est: & æqualem Patri, vt Deus est. Ita Castro Palao, *de fide, tractat. quart. dub prim. punct. 10. num quint.* 263 *Necessariũ est.*

Probabiliorem hanntentiam esse iudico. Quia hoc peetinet ad dignam Christi Domini æstimationem, ac debitum honorem exhibendum.

Dvbivm XLIV.

An explicitè debeat quisque scire, ac credere articulum de Communione Sanctorum?

PRæter præfatos de Christi Domini Humanitate ac Diuinitate articulos duo in Symbolo Apostolico adduntur in quibus est aliqua difficultas), num debeant explicitè scire, & credi? nempe Catholica Ecclesia, & Communio Sanctorum. Et quidem de Catholica Ecclesia nemini existimo posse esse dubium ab omnibus explicitè sciendum, & credendum esse. Quia omnes tenentur scire, sub hac fidei professione esse salutem, & extra non esse. Azorius *tomo primo, libro octauo, capite sexto, quæstione quinta.* Quæstio igitur de Communione Sanctorum solummodo procedit. 264 *Aliqua præmitto.*

Non est necesarium, explicitè scire, & credere articulum de Sanctorum Communione. Quia vix docti percipiunt huius articuli sensum: quidni vulgus imperitum? Sic Sanchez *libr. secundo, Decalogi capite tertio, numero octauo,* Suarius *de fide, dubio 13. sectione quarta, numero 10.* Coninch. *de fide, disputat. 14. dubio 10.* 265 *Non est necessarium.*

Omnes obligati sunt scire, ac credere explicitè huius articuli substantiam. Quia in Symbolo continetur, & non apparet specialis ratio hunc articulum eximendi à generali obligatione sciendi articulos fidei in Symbolo contentos. præcipuè cum conuenientissimum sit, vt charitas inter fideles augeatur, scientes, hanc inter se adesse spiritualium bonorum communicationem. Ita Castro Palao *de fide, tractat. quart. dubio primo, puncto 10. numero quinto,* & alij. 266 *Necessariũ est.*

Cum his sentio. Attamen non existimo, obligatos esse fideles, ad sciendum, qua ratione hæc communicatio contingat? Sufficit, si sciant contingere. Quod certè à nullo etiam rustico videtur ignoratum, siquidem omnes petunt ab aliis, vt in suis orationibus memoriam illorum gerant. Sentiunt ergo, hanc communicationem adesse. 267 *Cum his opinor.*

Dvbivm XLV.

An Mysteria plura extra Symbolum contenta, nempe Circumcisio, Transfiguratio, Præsentatio in Templo, &c. scienda, & credenda sint explicite à fidelibus?

268 *Scienda, & credenda explicite sunt.*

Scienda, & credenda explicitè sunt. Quia indecens videtur esse, hæc mysteria in Ecclesia publice, ac solemniter celebrari, & non arctari fidelem ad eorum notitiam. Sic Lorca 2.2. *disp.* 23. *num.* 12. Idem docet Coninch. *de fide, d.* 14. *dub.* 10. *n.* 190. sed non sub graui obligatione, sed leui.

269 *Non sunt explicitè scienda.*

Non sunt explicite necessario scienda, & credenda. Quia durum est, omnes fideles huiusmodi obligatione adstringi. Ita Sanchez *libro* 2. *Decalogi cap.* 3. *num.* 6. Palao *de fide, tract.* 4. *d.* 1. *punct.* 10. *num.* 6. Valentia 2.2. *d.* 1. *quæs.* 2. *punct.* 4.

270 *Eiusdem sum mentis.*

Eiusdem mentis sum. Nam si omnes fideles hac obligatione adstringerentur, tenerentur Parochi de his pœnitentes instruere, quod non video vsu receptum.

Dvbivm XLVI.

An necessarium sit te explicitè scire, & credere Sacramenta Confirmationis, Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij?

271 *Premitto, necessario explicite credenda Sacramenta necessaria.*

PRofectò Sacramenta quæ sunt de necessitate, ab omnibus explicite cognoscenda, ac credenda sunt, Baptismus enim debet cognosci, vt scias, ipso remitti originale peccatum, & dilutum Christo vti membrum aptari, & ad legem obligari Euangelicam. Pœnitentiæ cognitio est omninò necessaria, vt si à prima gratia decideris, scias quonammodo resurgere valeas. Eucharistiam vero dignoscere debes, vt scias, sub hoc Sacramento Christum contineri, & adorari, & à fidelibus sumi, & ad illius susceptionem suo tempore obligari. Iam requiro, vtrum necessarium sit, fidelem scire, & credere explicite Confirmationis, Extremæ Vnctionis, Ordinis, ac Matrimonij Sacramenta?

272 *Necessaria non sunt.*

Non est necessarium. Quia ipsa necessaria non sunt. Sic Valentia 2.2. *d.* 1. *quæstione secunda, puncto quinto, post secund. conclusion. dubio primo.* Suarius *de fide, disp.* 13. *sectione quarta, numero* 12.

273 *Est necessaria.*

Necessarium est. Quia si velis illa haud necessaria Sacramenta recipere, non poteris, nisi illorum essentiam dignoscas, vt oportet recipere, oportet tamen ea dignoscas, vt gratum te Deo pro tot remediis ad tuam salutem institutis. Ita Bannes 2. 2. *quæstione secunda, articulo octauo dubio secundo.* Petr. Ledesm. *tom.* 2. *summ. tract.* 1. *cap.* 2. *conclus.* 9. Sanchez *libr.* 2. *Decal. cap.* 3. *num.* 9.

274 *Auctoris resolutio.*

Existimo, si tui compos Confirmationem, vel Extremam Vnctionem susceptorus es, te obligatum esse scire, quid illis Sacramentis significetur: idemque affirmo, cum Matrimonium, vel Ordinem susceipis. Quia huiusmodi cognitio ad Sacramentorum pertinet reuerentiam. Dum autem non decernis illa suscipere, etsi probabilem iudico primam sententiam, probabilius credo, te obligari. Scio tamen Coninch. *de fide, d.* 14. *dub.* 10. *concl.* 3. *numero* 192. inclinare non esse sub graui culpa obligationem. Cui consentire lubet cum Sanchez *li.* 2. *Decal. cap.* 3. *num.* 9.

Dvbivm XLVII.

An sub graui culpa debeas Dominicam Orationem scire?

275 *Nonnulla præmitto.*

OMnes conueniunt, te obligatum esse scire Decalogi, & Ecclesiæ præcepta. Quia horum cognitio necessaria est, vt cognoscas, quid debeas facere, quid vitare. Opera vero misericordiæ solum quatenus in præceptis cõtinentur, est tibi obligatio sciendi. Restat inquirere de Oratione Dominica, rùm sub graui piaculo illam scire debeas?

276 *Nõ debes.*

Non debes sub piaculo graui, sed solummodo sub veniali obligaris. Quia huiusmodi Oratio nullibi inuenitur esse præcepta. Sic Suarius *de fide, d.* 13. *sect.* 4. *n.* 12.

277 *Sub graui culpa debes.*

Sub piaculo graui obligaris. Quia omnibus est datum præceptum orandi, ac deprecandi Deum: At nulla deprecatio esse potest efficacior ad salutem, quam ea, quæ in Oratione Dominica continetur. Ergo, &c. Ita Coninch. *de fide, d.* 14. *dub.* 10. *concl.* 3. *num.* 193. Sanchez *l.* 2. *Decalog. c.* 3. *n.* 10. plures referens. Valent. 2.2. *d.* 1. *q.* 2. *punct.* 5.

278 *Hoc teneo, & confirmo.*

Eiusdem sum sententiæ, asserens, Suarij mei venia: probabilius esse, sub graui culpa obligari fideles Orationem Dominicam secundum substantiam scire. Nam sæpè debet tam iustus, quam peccator aliqua in Oratione illa contenta petere: ergo tenetur illam scire: imo, si bene perpenditur, nihil excogitari potest animæ, ac corpori salubre, & ad Dei gloriam pertinens, quod in illa Oratione non contineatur. Aduerto tamen, non esse necessarium sub graui culpa, Symbolum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Orationémque Dominicam ordine, quo sunt composita, memoria retinere. Sufficit, si sensum calleas, & substantiam retineas. Credo tamen sub veniali te esse obligarum, vt ex communi sententia docet Suar. *de fide, d.* 14. *sect.* 5. *n.* 8. E contra vero nullomodo satisfacis, si memoria teneas, & sensum non calleas. Quia tunc est scientia verborum, non mysteriorum: notitia autem mysteriorum fidei est, quæ expostulatur. Coninch *d.* 14. *dub.* 10. *n.* 194. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 3. *num.* 16. Bannes 2.2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dubio* 2.

Dvbivm XLVIII.

An dari possit ignorantia inuincibilis eorum, quæ quis scire tenetur ad salutem?

279 *Non potest dari.* NOn datur ignorantia inuincibilis horum mysteriorum, quæ quis scire tenetur ad salutem tam inter fideles, quam infideles. Quia lumine naturæ tenetur quilibet Deum colere, ac consequenter inuestigare, quo cultu tam interiori, quam exteriori sit colendus: ergo si iuxta hoc lumen naturæ inditum, diligentiam fecit, sine dubio de fide illuminabitur; Deus enim neminem gerentem quod in se est, deserit. Non igitur in aliquo potest inuincibilis inesse ignorantia. Sic Bonauentura *in 3. dist. 25. articulo primo, quæstione secunda ad vltimam, & quæstione tertia, ad penultimam.* Adrian. *quodlib. 2. quæst. 1.*

280 *Dari potest* Dari potest in vtrisque inuincibilis ignorantia obligationis addiscendi mysteria fidei. Quia hæc ignorantia tunc adest, cum nullam suspicionem, & dubitationem habet talis obligationis: At contingere sæpe potest, tum inter infideles, tũ inter fideles vt quis careat tali suspicione, vel quia fidei mysteria ei non fuerint proposita, vel casu, quo proposita fuerint, obligationẽ addiscẽdi nõ percepit: ergo ea inuincibiliter ignorare poterit. Ita Nauarra *summ. capite 11. numero 22.* Azorius *tomo 1. libro 8. capite 6. quæstione 7. & capite 7. quæstione 3. & capite 8. quæstion. vltim.* Bannes *2. 2. quæstione 2. articulo 8. dubio 1.* Vasquez *1. 2. disputatione 121. capite 2.* Sanchez *libro 2. Decalogi capite 3. numero 20.* Coninch. *de fide, disputat. 14. dubio 11. numero 225.* Sà *verb. Fides, numero secundo.*

281 *Auctoris resolutio.* Ego quidem recolens distinctionem de iis, quæ sunt necessario cognoscenda necessitate medij, & iis quæ cognoscenda sunt necessitate præcepti: affirmo, rarò contingere, aliquem habere ignorantiam inuincibilem eorum, quæ necessaria sunt ad salutem medij necessitate. Nam cum hæc in cognitione Dei potentis remittere peccata, & gratiam, ac gloriam concedere, consistat: rarus esse potest, cuius mentem hæc notitia saltem sub dubio non imbuerit. Dixi, raro contingere posse, quia existimo casum non esse impossibilem. Potest namque quis ita barbarus, & aggrestis esse, ac inter barbaros nutriri, vt solius Dei notitiam habeat, careat tamen notitia illius, quatenus author est supernaturalium donorum: quam notitiam vidimus necessariam esse necessitate medij ad salutem, & cuius carentia illi immediatè non imputetur; quia non se illi offert ratio dubitandi, ac suspicandi, obligatum esse inquirere. At si de notitia eorum, quæ ex præcepto quis scire tenetur, loquamur, non solùm rarò, sed frequenter putarim dari etiam inter fideles inuincibilem ignorantiam. Quia experimento constat plures ita rudes esse, & aggrestes, vt etiamsi sæpius moniti sint de obligatione hæc addiscendi, vix illam percipiant; & esto, quod percipiant, vel mox excidit ex memoria, vel mediocri diligentia contenti sunt, neque in illorum mentem venit, maiorem esse adhibendam. Addo, plurimos neque de hac obligatione monitos vnquam fuisse, nec dubio, aut scrupulo compunctos. Lege Suarium *de fide, disputatione 15. sectione prima, numero 10.* & Azorius *tom. 1. cap. 7. qu. 3.*

Dvbivm XLIX.

An cum primum quis rationis vsum inierit, teneatur Fidei mysteria ediscere, quæ necessaria sunt?

NOn tenetur cum primum assequitur vsum rationis, sed cum ad pubertatis tempus aduentarit, hæc ediscere, ac credere. Quia ante illam ætatem nullus videtur vsu rationis perfecto vti. Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Ferdinandez de Castro Palao *de fide, tract. 4. d. 1 punct. 11. num. 1.* Et Manuel. *tom. 1. sum. edit. 2. c. 88. n. 1.* Ludou. Lopez *p. 1. Instr. c. 41. ver. Veniale est.* 282 *Non tenetur.*

Tenetur plane quis cum primum rationis vsum fuerit assecutus ea mysteria ediscere, ac credere. Quia si fidelis non est, tenetur fidem suscipere: Si autem fidem ante rationis vsum susceperit, tenetur, se ad Deum conuertere, & omnia sua in vltimum finem ordinare: At hæc fieri non possunt absque mysteriorum fidei cognitione: ergo illam tunc tenetur procurare. Ita Nauarra *summ. capite 11. numero 22.* Azorius *tom. 1. l. 8. c. 7. q. 2.* Sanchez *l. 2. Decal. cap. 3. num. 12.* Suarius *de fide, d. 13. sect. 5. num. 6.* Coninch. *de fide, disputatione 14. dubio 10. numero 195.* 283 *Tenetur.*

Ego autem iudico, primam sententiam haud esse retinendam. Nam ex iure diuino tenemur, præcepta Decalogi seruare, & fidei mysteriis assentiri, cum rationis vsum habemus, siquidem Christus Dominus omni creaturæ mandauit Euangelium prædicari, neque prædicationem ad adultos restrinxit, seu pubertatem attingentes: ergo omnis creatura vsus rationis capax doctrinam Euangelij ex iure diuino tenetur suscipere. Huius vero obligationis omissio ex suo genere est grauis, & peccatum mortale inducit. Quia præceptum affirmatiuum fidei, quę est res grauissima, exerceri non potest absque huiusmodi notitia: est igitur hæc ex præcepto graui habenda. Dixi, *ex genere suo*; aliquando enim ex leui negligentia, vel imperfecta deliberatione, vel ex materiæ leuitate potest esse veniale: siquidem veniale est, nescire memoriter Symbolum, Orationem Dominicam, imo & substantiam vnius articuli non tam grauis momenti, qualis videtur: Descensus Domini ad inferos, ignorare. Quia hæc leuis materia reputatur, sicuti si ignorares te Crucis signo munire. Adnotat Sanchez *libro secundo, Decalogi capite tertio, numero 14.* 284 *Auctoris placitum.*

DVBIVM

Dvbivm L.

An si fidei mysteria proponantur infideli vt magis credibilia, tametsi non credibilia euidenter teneatur eis ante articulum etiam mortis assentiri?

285 *Tenetur sane.* TEnetur etiam extra mortis articulum? Quia in medio necessario ad salutem securiorem viam quis debet amplecti, ne se periculo errandi exponat. Et licet cuilibet liceat sequi opinionem probabilem, probabiliori relicta: hoc tamen non est intelligendum de opinione probabili facti, sed iuris: vt contingit, cum à longe hominem vides, quem probabiliter existimas esse feram: licet enim æquè probabile sit hominem esse, & feram esse: non tamen est probabile, te posse ad illum sagittam immittere; quia prior probabilitas est facti, non iuris. Ita in nostro casu, etsi probabile sit, illam sectam bonam esse, quia tamen probabilius est, fidem illi propositam esse meliorem, probabile non est, eum posse ei sectæ adhærere, & fidem respuere. Sic Bannes 2.2.*q.*10.*a.*1. *dub.*3.*concl.*3. & 4. Ledesm.2.*tom.summ.tract.*1. *cap.*5.*concl.*5. & 6.

286 *Non tenetur.* Extra mortis articulum non tenetur. Quia restat tempus rem amplius examinandi. In articulo autem mortis debet quis suæ saluti prouidere meliori, ac securiori via, qua possit. Quia nõ supereſt tempus, rem diligentius examinãdi, neque errorem, si fortè contingat corrigendi. Ita Sanch. *l.*2. *Decal.cap.*1. *n.*6.

287 *Existimo vnquam tempore illum esse obligatum amplecti fidem propositam intra terminos tanquam probabiles, sed necessarium esse, proponi fidem tanquam euidenter credibilem, vt quis teneatur illam amplecti.* Et quidem hoc esse necessarium extra articulum mortis, docuit Sanchez *vbi suprà*, & tenere videntur Vasqu. Aragon. Victoria, & Azorius ab ipso relati. Quia fides proposita, solùm sub probabilitate, quod sit credibilis, non infert, te obligatum esse credere, sed solum te posse credere. Ad obligationem enim inducendam, necessarium erat, vt cognosceres fidem ita esse creditu dignam, vt nulla ratione contrarius error dignus creditu inueniatur. Quia dum contrarius error dignus creditu inuenitur, non teneris illum desererе: ergo nec fidei assentiri. At hæc ratio æqualiter probat de mortis articulo, ac de reliquo tempore, ideóque nullus ex Doctoribus citatis præter Sanchez hanc gessit distinctionem, sed generatim affirmarunt, non teneri infidelem fidei mysteriis assentiri, quoúsque de eorum credibilitate conuincatur. Et speciatim probo. Quia obligatio colendi Deum fide vera æqualiter obligat in vita, & in morte. Ergo si Deus non offenditur dum viuit infidelis per repulsam factam de fide sibi tantum probabiliter proposita: neque in morte offenderetur. Sic Ioann. Sanchez *in select.dub.*19. *à numero* 4.

Dvbivm LI.

Infans fidelis inter infideles, vel hæreticos enutritus, si post vsum rationis adoret idola, vel hæreses contra ius naturæ proferat peccat ne contra fidem?

288 *Nonnulla suppono.* PRofectò qui inter Catholicos nutritus est, credere tenetur, cum ei fidei mysteria proponuntur ita, vt non habeat iustam rationem dubitandi, vera illis proponi. Si autem inter hæreticos sit enutritus, debent ei mysteria fidei sic proponi, ac si infidelis esset alias non tenebitur assentiri. Quia temerè, & imprudenter procederet, si cuilibet prædicanti præberet assensum. Quocirca is neque hæreticus est puniendus, quoúsque constet, & probetur, ei fuisse nostræ fidei mysteria sufficienter proposita, & nihilominus repulisse. Castro *de iusta hæret.punit.capite octauo, dubio secundo* Simanc. *de Cathol.institut.titul.*43 *numero septimo*. Aragon. 2.2. *quæstione* 11. *articulo secundo, dubio vltimo*. Sanchez *libro secundo, Decalogi, capite primo, numero octauo.* Quæsierim autem, an infans fidelis inter infideles, vel hæreticos enutritus, si post rationis vsum adoret idola, aut hæreses contra ius naturæ proferat, peccet contra fidem, & illam amittat?

289 *Peccat, & fidem amittit.* Peccat, & amittit. Quia ad amittẽdam fidem non requiritur cognitio illius: si enim quis inuincibiliter ignoret, se baptizatum esse, & voluntariè erroribus fidei contrariis assentiretur, fidem amitteret. Quia ille assensus vere est contra fidem, & peccaminosus: ergo si fidelis baptizatus crederet culpabiliter, fornicationem (verbi gratiâ.) esse licitam, vel idola esse adoranda, culpabilem aduersus fidem haberet errorem. Ergò fidem destrueret. Sic Bannes 2.2. *quæstione* 10. *articulo quinto*. Petr. de Ledesm. *tomo* 2. *sum. tractat.*1. *capite* 5. *post concl.* 10. *difficultat.* 2.

290 *Nec peccat nec amittit fidem.* Nec peccat, nec amittit fidem. Quia ignorat illam inuincibiliter. Ita Sanchez *libro secundo Decalogi capite* 1. *num.* 8. Suar. *de fide, d.* 15. *sect.*2. *n.*3. Palao *de fide, tract.*4. *d.*1. *punct.*12. *numero* 16.

291 *Cum his opinor.* Cum his opinor probabilius vtique sentientibus. Imò dato, quod eius ignorantia: & inaduertentia culpabilis sit fidem non amittere defendo. Quia non quælibet ignorantia, & inaduertentia culpabilis fidem excludit, sed requiritur pertinacia. Ex communi sententia loquor.

CAPVT XIX.

Circa externa Fidei confessionis obligationem.

Dvbivm LII.

An teneatur quisque fidelis Fidem manifestare, quoties à potestate publica (quæcumque illa sit,) de fide rogatur etiamsi secreto rogetur, vel generalis examinatio fiat?

291 *Quæstionis status.*

ROgari quis potest à Rege, ac Superiore proprio, vel extraneo. Rogari potest publice, vel secreto Rogari potest generaliter, vel in particulari. Rogari ab homine priuato potest. Quæritur in primis, an quis sit obligatus fidem manifestare, quoties à potestate publica, (quęcũque illa sit,) de fide, aut generaliter inter plures, at in particulari ipse solus de Fide interrogetur?

293 *Obligatur quidem.*

Obligatur quidem. Quia præceptum Confessionis fidei tunc obligat, cum ex illa, magnus Dei, ac fidei honor speratur: At ex confessione facta coram publica potestate siue quis generatim inter plures, siue particulatim interrogetur, ille effectus potest sperari. Ergo tenetur tunc se fidei sectatorem profiteri. Sic D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 3. *articul.* 2. Sanchez *libro secundo Decalogi capite quarto, numero sexto*, alios citans Valentia 2. 2. *dub.* 1. *quæstion.* 3. *punct.* 2. *dubio tertio.* Bannes 2. 2. *quæstione* 3. *articulo* 2. *dubio* 1. *conclus.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *qu.* 1.

294 *Non obligatur.*

Non obligatur. Quia neque ratione præcepti Principis tenetur, cum hoc non obliget cum graui detrimento; neque ex præcepto fidei negatiuo, cum inde non appareat, illum negasse fidem; sed solùm occultasse, quod per se est licitum; neque etiam ex præcepto positiuo fidei, quod non obligat; cum qualisqualis honor Dei ex confessione accrescit, & ex illius omissione subtrahitur: sed cum grauis, ac magnus est: At ex tali manifestatione præsumi non potest, grauem Dei honorem, & magnam fidei exaltationem esse futuram: imo potius potest præsumi occultatione fidem esse amplius promouendam, & fideles occultos confirmandos: ergo. Ita Suarius *de fide*, *dubio* 14. *sectione tertia, numero sexto*, Tabiena *verb. Fides.* Palao *de fide, tractat.* 4. *dubio* 1. *punct.* 14. *numero* 2.

295 *Hos sequor*

Hos sequor, & in hoc sensu existimo, aliquos ex primæ sententiæ Doctoribus esse loquutos. Itaque potest quis examinari singulariter, vel generaliter cum aliis: vt si diceret Rex. Qui fuerint Catholici, manifestentur. Si singularis examinatio fiat, tenetur plane, siue à Rege proprio, siue ab extraneo, siue à quolibet alio particulari, siue publicè, siue secreto interrogetur. Si autem generaliter cum aliis examinatio fiat, regulariter loquendo, non tenetur ob rationem præfatam se prodere, ac fidem manifestare. Dixi, *Regulariter loquendo.* Quia aliquando tenetur, scilicet, quando spectatis circumstantiis, meritò alij suspicarentur illum fidem deserere: tunc namque obligatus est, fidem manifestare. Nam licet non teneatur semper aliis se fidelem ostendere: tenetur tamen non se positiue ostendere infidelem. Quando antem hæ circumstantiæ concurrant, prudentis arbitrio est iudicandum. Quod iudicium desumi potest ex casibus, quod Coninch. *de fide, disp.* 15. *dub.* 5. *à numero* 112. recenset.

Dvbivm LIII.

An licitum sit celare fidem verbis, vel signis per se contrariam Religionem significantibus, casu quo non inesset præceptum positiuum fidem manifestandi?

LIcitum est. Quia huiusmodi simulatio in tantum potest esse peccatum, in quantum est mendacium, ostendens illis verbis, aut signis vanos Deos esse dignos cultu, cum tamen non sint: sed hoc non ostendit sic simulans; non enim ea intentione verba, aut signa illa præstat, sed ob alios fines honestos: ergo illa simulatio mendacium non est. Certè licitum est tibi vti infidelium indumentis, quatenus adspectu adstantes decipiuntur, & iudicant, te esse infidelem: Igitur deceptio aliorum mendacium in simulatione non constituit. Sic Adrian. *in* 4. *tractat. de Baptismo, qu.* 1. *articul.* 1. *ad* 5. id confirmans exemplo simulationis Iehv Regis Israël 4. *Reg.* 10. qui volens occidere omnes Baal cultores, dixit, se velle Baal solemni sacrificio venerari: at Deus hanc eius simulationem videtur approbasse, cum dicit: *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab. &c.* Ergo simulate factis, & verbis contrariam Religionem, licitum aliquando est. Quod videtur D. Hieronym. *ad cap.* 2. *Gal. & Epist.* 89. *ad Aug.* approbare. 296 *Licitum est.*

Minimè est licitum verbis, ac factis vti, quæ spectatis circumstantiis, nullam habent significationem præter falsæ Religionis cultum. Quia ex fide non solum obligamur præcepto negatiuo non profitendi falsam Religionem ex animo; sed neque quoad apparentiam profiteri: obligamur enim fidem exterius non negare. At vtens illis signis, aut verbis nullam aliam significationem habentibus moraliter præter falsæ Religionis cultum, falsam Religionem exterius profitetur: Ergo illud est intrinsecè malum. Neque obstat, illum non intendere illis verbis, aut signis falsam protestari Religionem, sed aliud longe diuersum: quia sufficit, quod in re, & in apparentia, factóque ipso id intendat. Ita Valentia 2. 2. *dubio primo, quæstione tertia, puncto secundo, dubio quarto*, Suarius *de fide, disp.* 14. *sectione* 4. *numer.* 4. Sanchez *libro secundo Decalogi capite quarto, numero* 14. Coninch. *de fide, disputatione* 15. *dubio secundo, numero* 14. Pelanti. 2. 2. *quæstione tertia, articulo secundo, dubio primo, conclusione secunda*, Vasqu. 1. 2. *dub.* 182. *capite quinto*, Toletus *libr.* 4. *cap.* 2. *numer. septim.* 297 *Non obstat.*

Ego quidem existimo nullatenus probabile esse Adriani sententiam sed falsam omninò. Actiones enim significantes falsam Religionem sunt in duplici differentia: alia, quæ 298 *Auctoris resolutio.*

quæ ex se, ex vsu, & consuetudine, aut lege nullam aliam significationem habent: alia, quæ illam habent. Prioris generis genuflexio coram idolo, thurificatio, tunsio pectoris, &c. Aliæ sunt, quæ licet significent falsam colere Religionem iis vtentes, etiam simul ostendunt, saltem ex se ob alium finem assumi possse: hæ sunt esus carnium die prohibito, vsus vestium, quibus cultores falsæ Religionis communiter vtuntur. Adrianus autem non solum de his secundis actionibus, verùm de primis affirmabat, aliquando licere. Porrò eius argumenta nullius roboris sunt. Concedo enim, toam huius simulationis malitiam ad mendacium pernitiosum reduci. Nego tamen excusari posse ex intentione proferentis, sicut in aliis materiis distinctis à Religione excusatur. Quia simulatio in aliis materiis indifferens est vt verum, vel falsum significet; quapropter ex proferentis intentione coarctari potest, & determinari, vt veritatem, quam ipse mente retinet significet. Denique ad exemplum Iesv D. August. *l. contra mendac. capite secundo*, & ex illo D. Thom. *2. 2. quæstione* 111. *articulo primo*, censent in illa simulatione Regem peccasse, neque ob id laudatam fuisse à Deo; sed quia omnes Baal Sacerdotes occidit. Quod indicant illa verba, *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, &c.* Non dixit. Quia studiosè locutus fuisti, sed *Quia studiosè egisti*, indicans, in solo interemptionis facto rectè processisse, secus in simulata idololatriæ voluntate, quam pro medio assumpsit.

Sic D. Antonin. *p. 2. titul. 12. cap. 6.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9.* Caietan. *2. 2. q. 3. art. 2. dub. 1.* Nauarr. *summ. cap. 12. numero 27.* Toletus *libr. 4. cap. 2. num. 7.* Sylvest. *v. Apostasia quæst. 1. verb. Fides, quæst. 5. num. 8. & verb. Infidelitas, fine.* Angel. Tabien. Armil. *ibi.*

Dvbivm LIV.

An licitum aliquando sit vestibus, aut signis propriis infidelium, vel hæreticorum vti, vt quis Fidem occultet, cum non vrget præceptum Fidei confitendæ?

299 *Nonnulla præmitto.*

LOquor de vestibus, & signis, quæ vel ex vsu, & consuetudine, vel ex lege distinguũt homines vnius sectæ ab aliis, (nam de vestibus, & signis, quæ non distinguunt Religionem, sed nationem indubitatum est, non esse peccatum contra fidem illis vti.) Hæc ergo signa distinguentia homines vnius sectę ab aliis sunt in duplici differentia. Alia primò, & per se ad hanc distinctionem faciendam sunt institutа, quale reputatur Romæ pileus flaui coloris pro Iudæis: fascia pro Turcis, & Sarracenis. Alia sunt, quæ primo & per se ad profitendam falsam Religionem assumuntur qualia sunt vestes, quas Sacerdotes idolorum assumunt ad sacrificium: vel si Princeps, ad profitendam falsam sectam, & cultum falsis diis exhibendum, signum aliquod gestare præciperet. Quæsierim igitur, licitumne sit fideli, aliquo ex his signis vti, ad fidem occultandam?

300 *Nunquam licitum.*

Minimè est vnquam licitum. Quia gestans vestem institutam ad discernendum infidelem à Catholico, illius gestatione profitetur, se infidelem esse. At infidelitatis professio, quęcumque sit, est intrinsecè mala: ergo minime licet. *Escobar, & Mendoza, Theol. Moral.* Tom. VI.

301 *Licitum aliquando sit.*

Licitum aliquando est vti vestibus, ac signis ad discernendum fidelem ab infideli destinatis. Quia licet his vestibus, ac signis adiuncta sit falsæ Religionis significatio; tamen quia per se illam non significant, sed distinctionem infidelium à fidelibus, quæ significatio est Reipublicæ maximè vtilis: ideo possunt, ad hanc significationem præstandam, assumi, omissa alia significatione falsæ Religionis. Quemadmodum habitus Monachalis non solum ad significandum Monachalem destinatur statum; sed etiam ad corporis indumentum; si vero quis illum assumeret, vt se occultaret, non ideo diceretur Monachalem statum profiteri. Ita Bannes *2. 2. quæstione tertia, articulo secundo, dubio secundo, conclusione tertia*, Aragon. *ibi, dub. prim. concluſ. 2.*

302 *Auctoris resolutio.*

Etsi prima sententia satis sit probabilis, probabiliorem secundam esse reor, nempe ex graui causa licere cuique fideli vti vestibus, & signis ad discernendum fidelem ab infideli destinatis. Quia tamen fundamentum nostræ sententiæ præfertum validum non esse cum Coninch. *de fide, disputat. 15. dubio tertio, numero 67.* crediderim, eam sic confirmo. Attentis circũstantiis nullo modo vestium, seu signorũ horumce vsus testatur illum esse infidelẽ: siquidem quilibet, qui eum Christianum cognosceret, & sic vestitum videret, non iudicaret, negasse fidem, nec id videri voluisse; sed solùm iudicaret, voluisse se occultare ob mortis timorem: ergo illarum vestium, aut signorum vsus nullius falsitatis est signum. Secus dixerim, si verbis, quantumuis ambiguis, & restrictis diceret quis, se esse Iudæum, aut Mahometanum. Quia ex illis audientes intelligerent, illum ob mortis timorem fidem abnegasse: aut sic apparere voluisse; quia verborum significatio strictior, & limitatior est, quam vestium, & aliorum signorum. Dixi autem, *Ex graui causa* intercedente. Nam si absque legitima causa geratur, cum nulla causa iusta adsit veritatem occultandi, meritò præsumi potest, eum negasse fidem, vel voluisse desertorem eius apparere, quod est intrinsece malum. Mecum Suarius *de fide, disputat. 14. sectione quinta, numero 51.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite quarto, num. 19.* & Coninch. *citatus, numero 71.*

Dvbivm LV.

An liceat, fideli ad se occultandum vti vestibus, vel signis infidelium institutis, non ad discernendum eos à fidelibus; sed ad profitendum, protestandumve eorum falsam Religionem, si grauis causa adsit?

303 *Licet quidem.*

LIcet quidem, si legitima grauis causa detur. Quia quantumcumque ad protestan-

dam fidem falsam, cultumque idolis exhibendum sint instituta, non perdunt hæc vestimenta, vel signa suam legitimam significationem tegendi, protegendique corpus à temporis iniuriis Ergò licitum est fideli ob huiusmodi finem illas vestes assumere, relicta illa legali significatione. Sic Azorius *tomo* 1. *libro* 8. *cap.* 17. *quæst.* 4. Reputat id probabile Coninch. *de fide, disp.* 15. *dub.* 3. *numero* 72. *conclusion.* 3. Tenet Sanchez *libro* 2. *Decalogi capite* 4. *numero* 20. addens, hoc non esse admittendum in vestibus destinatis ad Authoris falsæ sectæ cultum, qualesipse reputat vestes pro sacrificiis destinatas. Verum, tanti Doctoris venia, non videtur satis consequenter id adiecisse; nam etiam in huiusmodi vestibus reperiri potest natiua significatio, & vsus corpori deseruiens: ergo propter illum assumi poterant.

304 *Non licet.* Minime licet. Quia talis vestium gestatio, (quantumuis grauis adsit causa) est quidam cultus, & honoratio falsæ sectæ, cum idoli figuram in huiusmodi vestibus depingi soliram esse sit certum. Raro equidem ab scandalo huiusmodi actus poterit excusari. Igitur talis vsus non est admittendus. Ita D. Antonin. Tabien. Angel. Nauarr. Philiarc. Toletus, & alij, quos citat, & sequitur Palao *de fide, tract.* 4. *d.* 1. *pun.* 17. *n.* 1. Arag. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 2. Ludo. Lopez *p.* 1. *Instruct. c.* 41. Suarius *de fide. dub.* 14. *sect.* 5. *num.* 13.

305 *Hoc longe probabilius.* Existimo primam sententiam propter tantorum Doctorum authoritatem esse probabilem. Attamen secundæ adhæreo probabiliori admodum. Negari enim non potest falsæ sectæ eo maiorem honorem accrescere, quo plures induti vestibus illam protestantibus induti appareant; qui quidem honor, ac cultus separari non potest à vestium gestatione, quantumuis contrariam voluntatem fidelis foueat.

Dvbivm LVI.

An liceat omittere signum, (aut vestem) ex præscripto Regis impositum, ad significandum eum esse fidelem?

306 *Quæstionis status.* LAta est lex à Principe, vt quicumque in suo Regno Catholicus sit, in testimonium ac protestationem suæ Religionis tali veste vtatur, alias ab omnibus tanquam desertor fidei reputetur: poteritne Catholicus si ex gestatione vestis illius, & suæ fidei manifestatione periculum immineat, vestem præscriptam omittere maximè cum lex illa in viridi est obseruantia?

307 *Nulla ex causa licet.* Non licet eam omittere. Quia illa omissio videtur esse virtualis fidei negatio: siquidem videntes existimant tali signo carentes infideles esse, eo quo à lege sic reputentur. Sic Caietan. 2. 2. *quæst.* 3. *articul.* 2. Nauarr. *summ. c.* 11. *numero* 17.

308 *Licet ex graui causa* Ex graui causa licet. Quia illa omissio non est fidei negatio, etiam quoad apparentiam; sed solum occultatio, quæ ex causa iusta licita est: ergo. Antecedens probo tùm à simili ex habitu Monachali ab Ecclesia instituto pro Religiosis, quem si quis ex vrgenti causa exuat, non obindè reputatur, Monachalem professionem abnegasse: sed solum illam occultare voluisse. Tùm ratione, quia vt omissio illius vestis reputetur fidei negatio, debebat nullam aliam, spectatis illis circumstantiis significationem habere: vt sic videntes, & cognoscentes esse Christianum, & illius signi omissionem egisse, à fide defeciisse comperiant. At vestis illa habet hanc legitimam significationem, scilicet occultare personam: ergo omissio illa non est fidei negatio. Ita Bannes 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 2. *conclus.* 4. Aragon. *ibi*, *dub. vltim.* Valent. *d.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *dub. vltim.* Suar. *de fide d.* 14. *sect.* 5. *num.* 10. Coninch. *disputat.* 15. *dubio tertio, numero* 76. Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 4. *numero* 29.

309 *Hanc sententiam defendo, & confirmo.* Communiorem, ac probabiliorem hanc sententiam esse defendo. Quia nec obligatur fidelis ille illam gestare vestem ex lege Principis, neque fidei præcepto: Ergo nullo ex c. obligatur. Certe ex lege Principis obligari non potest. Quia lex illa non est iusta, vtpote lata in odium Dei, & de materia ad Principem sæcularem non pertinente: examen enim fidei, & illius professio Ecclesiastico Principi, non politico attributa est: & dato, quod lex illa iusta esset, cum sit humana, & politica, non obligat cum grauissimo seruantis incommodo. Ergo ex ratione legis obligari non potest. Porrò ex præcepto fidei cessat similiter obligatio. Quia præceptum positiuum profitendi fidem non obligat in nostro casu: neque enim subtrahitur ex omissione illius signi grauiter Dei honor, neque scandalum generatur. Neque etiam præceptum negatiuum, non negandi fidem, vrget. Quia hoc præceptum obligat, ne quis assumat aliquod signum protestatiuum negationis fidei: ille autem tale signum non assumit, sed signum fidei protestatiuum relinquit. Ergo solùm potest ex illo inferri, eum non protestari fidem, non tamen illam abnegare.

CAPVT XX.

Circa Professionem Fidei ex decreto Tridentini faciendam.

310 *Obligatio de professione fidei faciendæ, & grauis.* TRidentinum *sess.* 24. *c.* 12. & *sess.* 25. *cap.* 2. & Pius IV. in quodam motu proprio, qui est 112. & incipit, *Iniunctum nobis*. Et Pius V. alio motu proprio, qui incipit, *In Sacrosancta*, de professione fidei gerenda præscripta dederunt. Ex quibus constat, obligationem faciendi huiusmodi professionem esse sub mortali. Quia est res grauis, & ad grauissimum finem ordinata, qualis est fidei exaltatio, & extirpatio errorum: & sub grauibus pœnis præcepta. Sanchez *l.* 2. *Decal. c.* 5. *n.* 1. Bonac. *d* 3. *de fide, q.* 2. *punct.* 3. *num.* 14. & 15.

311 *Obligat eos* Personæ, quas hæc obligatio adstringit primò sunt prouisi de quicumque Beneficiis curam ani

Qui curam animarum gerunt.

animarum habentibus : sub quibus veniunt intelligendi. Commendatarij aliquarum Ecclesiarum, quibus datur facultas disponendi de fructibus. Quia sunt vere beneficiati, & titulum habent. Garcia *de Benef. p. 3. c. 3. à n. 20.* Barbosa *de potest. Epis. p. 3. alleg. 61. n. 12.* Secus dicendum de illis, quibus Episcopus Ecclesiæ curam commendat, non tamen de Beneficio prouidet. Sanch. *lib. 2. Decal. c. 5. num. 1.* Deinde sub nomine *Prouisi de Beneficiis* comprehenduntur Episcopi. Quia prouisi sunt de Beneficiis curam animarū habentibus. Et licet attento Tridentini decreto, comprehendi non videantur, at attenta constitutione Gregorij XIV. incipiente, *Apostolicæ seruitutis*, obligati sunt omnes Episcopi fidei professionem & iuramentum agere, cuius forma traditur in Pontificali Romano authoritate Clementis VIII. edito. Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 6. numer. 4.*

312 *Obligat Canonicos.*

Deinde astringit Canonicos, & Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, sub quibus comprehenduntur Canonici, quantumcumque ab Episcopo sint exempti. Quia absolute Canonici sunt. Sanch. *l. 2. Decal. c. 5. n. 2.* Garc. *de Benef. p. 3. c. 3. num. 21.* referens, ita Sacram Congregationem censuisse. Item comprehenduntur Canonici Regulares Ecclesiarum Cathedralium. Quia vere sunt prouisi in canonicatum Cathedralis Ecclesiæ. Garcia *num. 16.* Barbo. *p. 1. allegat. 61. n. 6.* Coadiutores tamen non obligantur. Quia licet Canonici nominẽtur, vere in Canonicatum prouisi non sunt ptoprietario superstite. Garc. *p. 4. c. 5. n. 76.* Barbo. *n. 14.* Neque prouisi de Capellaniis, Portionibus aliisque Beneficiis simplicibus in in Cathedralibus, Ecclesiis. Sanchez *libr. 2. Decal. c. 5. num. 1.* Garc. *c. 3. n. 13.* Barbo. *n. 15.* Nec prouisi in Canonicatibus, aut Dignitatibus Ecclesiæ Collegiatæ. Quia solum de prouisis in Cathedralibus Ecclesiis Concilium loquitur. Sanchez, Garcia, Barbosa *vbi suprà.*

Non cùm reputentur coadiutores, nec prouisi in Capellaniis, &c.

313 *Ex decreto Pij V. tenentur Prælati Regulares, sed in vsu non est.*

Tertio ex decreto Pij IV. & Pij V. hanc agere professionem tenentur Prælati Regulares quorumcumque ordinum, etiã Militarium Nauar. *l. 2. Consil. Manu. to. 2. qq. Regul. q. 72. a. 1.* Barbo. *part. 3. alleg. 61. numer. 7.* Verum Sorbus Capuccinus *Super priuil. Mendic. v. Professio. notab. 1.* inquit Sacram Congregationem, & viros doctissimos declarasse, in vsu non esse. Consentit Sanch. *n. 3.* affirmans in pluribus Religionibus non obseruari, vel quia Bulla recepta non fuit, vel quia consuetudine fuit derogata.

314 *Tenentur omnes docẽ. Artes liberales.*

Quarto ex Pij V. decreto omnes docentes Artes liberales, quomodocumque eas publicè doceant, tenentur hanc fidei professionem agere. Et omnes illi, quibus ad hoc munus per aliquam vniuersitatem testimonium conceditur. Barbo. *ad Consil. ses. 24. capit. 12. & part. 3. de potest. Episc. alleg. 61. numero secundo.* His præmissis, ad Dubia pergam.

Dvbivm LVII.

An teneatur quis se aliquo titulo, verbi gratia, Canonicatus, vel Dignitatis Fidei professionem fecit, illam rursum agere, alium distinctum Canonicatum obtinens?

315 *Non tenetur.*

NOn tenetur, si dimisso priori Canonicatu alium in eadem obtineat Ecclesia: secus si in diuersis Diœcesibus, Oppidis, vel locis. Quia dum in eadem Ecclesia ex vno Canonicatu, vel Dignitate in alium Canonicatum, aut Dignitatem transit pro eadem prouisione reputatur. Sic aliqui Doctores quos presso nomine memorat Ferdin. de Castro Palao *de fide, tr. 4. d. 1. pun. 19. n. 7.*

316 *Tenetur quidem.*

Tenetur plane. Quia absolute prouisus est de Beneficio, ac si nunquam prouisus fuisset. Neque Concilium aliquod verbum addidit, ex quo hæc limitatio colligi possit: non est igitur recipienda, iuxta *leg. De pretio, ff. de publ. in rem act.* Ita Azor. *tom. 2. libr. 7. c. 2. quæstion. 8.* Palao *citat.* Barbosa *part. 3. de potest. Episc. alleg. 61. numer. 8.* alios referens Garc. *de Benef. part. 3. capit. 3. numer. 17. & 18.*

Hoc existimo probabilius esse, imo omnino amplectendum, si Garciæ credimus asserenti, sic Sacram Congregationem declarasse.

Dvbivm LVIII.

Si Quis intra bimestre ad faciendam Fidei professionem assignatum, obtineat cum Canonicatu Dignitatem: satisfaciine obligationi vnica Fidei professione?

317 *Non satisfacit.*

NOn satisfacit. Quia duplex est titulus quo ad faciendam fidei professionem tenetur, nempe Canonicatus, & dignitas. Ergo obligationi ex duplici titulo contractæ vnica fidei professione non satisfacit. Sic Barbosa *p. 3. de potest Episc. alleg. 61. n. 9.*

318 *Satisfacit quidem.*

Satisfacit quidem. Quia illi diuersi tituli ad eandem prorsus rem obligant, scilicet, ad fidei professionem pro eodem tempore faciendã. Ergo facta fidei professione eo tempore, pro duplici titulo facta fuisse videtur. Ita Nauar. *l. 2. Consil. sub tit. de iureiur. cons. 12. in fine.* Manuel. *to. 2. qq. Regul. q. 72. a. 3.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 5. n. 6.*

319 *Probabilius hoc mihi.*

Probabilius hoc longè existimo. Nam illa professio alicui titulo duorum satisfacit: At nõ est maior ratio, cur vni potius, quam alteri satisfaciat: Ergo vtrique satisfacit. Idem dixerim si trãsacto bimestri, & oblitus quis obligationis professionis faciendæ ratione Beneficij adepti illam omittat & alium nouum titulum acquirat, pro qua vnicè professionem Fidei faciat.

Dvbivm LIX.

An possit quis per procuratorem Fidei professionem agere, cum absens est, vel impeditus?

320 *Explico modũ professionem fidei gerendi.*

Modum quem debent obseruare, quo professionem fidei agere tenentur, tradit Trident. & Bulla Pij IV. Pro cuius intelligentia aduerto, esto Concilium dicat, professionem agendam esse in Episcopi manibus, vel, eo impedito, coram eius Vicario, non esse intelligendum de necessitate, sed de conuenientia. Quare etsi Episcopus impeditus non sit, potest coram eius Vicario fieri. Garcia *de Benef. part. 3. capit. 3. num. 23.* Barbosa *part. 3. de potest. Epis. alleg. 61. numer. 16.* Deinde aduerto, cum ratione Canonicatus, vel Dignitatis tenetur quis agere fidei professionẽ coram Episcopo, & Capitulo, si Episcopus in Capitulo adest, cum ea professio emittitur, sufficienter vtrique obligationi vnica professione satisfieri, nec tenetur ille iterum foras coram Episcopo, vel eius Vicario profiteri. Quia absolutè coram Capitulo, & Episcopo egit professionem. Garcia *part. 3. de Benef. capit. 3. numer. 24.* referens, sic decisum fuisse in vna Seguntina. Barbosa *suprà nu. 17.* Quia per Vicarium & non per Capitulum iurisdictio administratur: ideoque magis Vicarius, quam Capitulum Episcopum repræsentat. Garcia *numer. 27. & 28.* Barbosa *numer. 18.* Sed est in hac materia grauis difficultas, num quis possit per procuratorem facere fidei professionem coram Episcopo, Vicario eius, aut Capitulo, cum impeditus est, vel absens?

321 *Non potest fieri per procuratorẽ*

Minimè potest. Quia professio fidei actus est personalis; est enim actus interioris assensus indicatiuus; & illamet professione intendit Ecclesia subditos in fide stabilire, & obligare ne deficiant: ad cuius finis consequutionem, summè expedit per propriam personam professionem fieri. Sic Additionator ad Nauarri Consilia *libr. 2. titul. de iureiur. cons. 11.* asserens, ita Sacram Congregationem censuisse Vgolin. *de offic. & potest. Episc. c. 50. §. 16. num. 1.* affirmans, id tenuisse Rotam. Gratian. *discept. forens. c. 166. n. 22.*

322 *Potest fieri.*

Potest quidem. Quia regulariter ea, quæ quis facere potest per se ipsum, potest & per procuratorem, nisi à Canone aliquo, aut lege limitetur. *leg. 1. ff. de procurat. c. Qui per alium. cap. Potest quis, de reg. iur. in 6.* Et iuramentum potest per procuratorem præstari, *cap. fin. de iuram. calum. in 6. cap. 1. Paragraph. Verum, de statu Regul.* Ita Nauar. *cons. 11. de iureiur. nu. 2.* Sanchez *libr. 2. Decal. capit. 5. numer. 7.* Azor. *tom. secundo libro septimo capit. secundo q. 6.* Barbo. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 61. num. 20.* & alij.

323 *Probabiliorem hanc mentem esse reor.*

Probabilius hoc esse crediderim. Nam licet actus professionis sit indicatiuus interioris cõsensus: etiam contractus matrimonij id ipsum habet, & potest tamen per procuratorem fieri. Quod vero per professionem hanc intendat Ecclesia, profitentes firmos in fide habere, probat conuenientiam agendi professionem per propriam personam, non necessitatem.

Limitationem Sancij examino circa eos, quia Episcopatũ eligũtur.

Scio equidem P. Thomam Sanchez *num. 7.* nostram doctrinam limitare in professione fidei facienda ab electis in Episcopatum asserentẽt, hos in manibus Episcopi signati à Põtifice per se ipsos facere professionem debere & non per procuratorem. Mouetur ex Bullæ cõmittentis certo Episcopo, vt fidei professionẽ nomine ipsius Põtificis acceptet, verbis: *Ne propter ad Sedem Apostolicam accedendo personaliter, laborare cogatur, volens parcere laboribus, & expensis fraternitati vestræ committimus.* At si hęc fidei professio fieri possit per procuratorem, non esset opus labori, ac expensis parcere, nec Pontificem alicui vices suas committere, vt ipsius nomine acceptet: sed posset Episcopus Romano procuratori potestatem dare, vt nomine ipsius in Pontificis manibus fidei professionem emitteret: Fateor ingenuè ex præfatis verbis legitimè deduci Pontificem præsupponere, Episcopum per se ipsum debere fidei agere professionem saltem ex conuenientia: cui obligationi ex conuenientia voluit parcere, committendo vices suas alicui Episcopo. An autem corã illo Episcopo teneatur, per seipsum fidei agere professionẽ, & per procuratorem facta nulla sit non satis existimo ex præfatis Bullæ verbis colligi. Quia nullum videtur esse verbum hanc obligationem imponens ipsi Episcopo faciendi per se ipsum in manibus Pontificis, & non per procuratorem, fidei professionem.

Dvbivm LX.

An omittens Fidei professionem, nulla expectata sententia saltem declaratoria criminis: teneatur fructus perceptos restituere?

324 *Premitto Concilij decretum.*

Recolo, Concilium Tridentinum imponere recipientibus Beneficia Canonicatus, ac Dignitates, & fidei professionem non facientibus intra bimestre à die adeptę possessionis, vt nõ faciãt fructus suos, neque illis possessio suffragetur. Quæsierim vero, nũ omittens hãc fidei professionem, teneatur fructus perceptos restituere, nulla expectata sententia, saltem criminis declaratoria?

325 *Tenetur quidem ante sententiã fructus restituere.*

Tenetur quidem. Quia si omittens professionem, fructus restituere antè sententiam nõ tenetur. Ergo iam illi possessio multum suffragatur ad fructuum perceptionem: quod videtur esse contra Concilium intendens, in hac parte possessionem ei nullatenus suffragari: At si non tenetur restituere ante sententiam, vere fructus efficit suos, & ius, ac dominium eorum acquirit: quod videtur Concilij intentioni repugnare. Sic Azor. *to. 2. l. 7. c. 2. q. 1.* Petr. Ledes. *to. 2. sum. tr. 1. c. 4. post conclus. 10. diffic. 1.* Garcia *de Benef. part. 3. cap. 3. num. 35.* Vgolin. *de offic. & potest. Episc. cap. 50. Paragraph. 16. num. 4.*

Non

326 *Non tenetur.* Nō tenetur restituere fructus quousq; sententia declaratoria criminis vrgeat. Quia decretū hoc pœnale est: Ergo benigne quoad fieri possit, erit interpretandū: at potest interpretari. vt fructus non faciat suos, neque ei possessio suffragetur, data sententia declaratoria, & non ante illam: Ergo hoc modo est explicandum Ita Navar. *cons.* 12. *n.* 1. *de iureiur.* Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 5. *n.* 10. Manuel. *to.* 2. *qq. Regul. qu.* 72. *art.* 3. Barbo. *p.* 3. *alleg.* 61. *n.* 28. Palao *de fide, tr.* 4. *d.* 1. *pun.* 19. *n.* 16.

327 *Hoc tenet. Confirmo.* His hæreo Doctoribus, quorum sententiam valide existimo confirmari ex eo, quod in Concil. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* inuenio. Ibi enim quia Concilium prætendebat non residentes obligare ante Iudicis vllam sententiam obligare ad fructuum restitutionem, si quos percepissent, id declarauit. Cum ergo ipsum non egerit in nostro casu mitius planè se voluit habere: vnde voluit, vt solū post sententiā intelligatur fructus esse restituendos. Fateor itaque possessionem multum accipiēti Beneficium suffragari ad fructus percipiendos, & retinendos in conscientia, dum non condemnatur: at facta condēnatione, neque fructus esse suos, nec possessione aliqua se posse tueri affirmo.

DVBIVM LXI.

An fructus, quos restituit, qui Fidei professionem omisit, sint pauperibus, fabricæ aut pio loco applicandi?

328 *Applicandi pauperibus aut loco pio.* APplicandi sunt pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ, aut alij pio loco. Quia cum Cōcilium non determinat quibus hi fructus sint applicandi, documentum sumendum est ab alia simili fructuum per Concilium applicatione. Certe Concilium *sess.* 22. *c.* 3. statuit, fructus non residentium Canonicorum, Dignitatum applicandos esse fabricæ, si indigeat, vel alteri pio loco. Episcopi arbitrio: Ergo idem dicendum de fructibus ob omissam Fidei professionem. Sic Azor. *to.* 2. *l.* 7. *c.* 2. *q.* 7. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 5. *n.* 10.

329 *Non sunt pauperibus vel loco pio applicandi, sed Capitulo.* Non sunt applicandi pauperibus, seu fabricæ, aut alij pio loco, sed mensæ Capitulari. Quia illi fructus sunt Capituli, quos non trāsfert in omittentem fidei professionem, nisi dum sententia declaratoria criminis non fertur: Ergo stante illa sententia, reddendi sunt Capitulo fructus, ac si nunquā à Capitulo essēt extracti. Ita Barbosa *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 61. in fine. Garcia *de Benef. part.* 3. *cap.* 3. *à num.* 40.

330 *Probabilius mihi.* Probabilem satis esse reor primam sententiam, nempe fructus hosce posse applicari pauperibus, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, & non esse necessario reddendi Capitulo. Quia fructus verè à Capitulo extraxit, qui omisit professionem, & fecit suos interim dum non condemnatur: quod secus est in excommunicatis, & non residentibus. At crediderim probabilius esse, Capitulo esse reddendos, adueniente sententia ob rationem, qua secunda sententia nititur.

CAPVT XXI.

Circa Infidelitatem vitium Fidei contrarium.

DVBIVM LXII.

An diuisio Infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim sit generis in species: Et an Paganismus, Iudaismus, Hæresis aut essentialiter vitia distincta?

331 *Distincta vitia sunt.* SVNT distincta vitia. Quia eidem virtuti possunt varia vitia distincta specie opponi. Et quia deficere fide à suscepta, & in Baptismo promissa, distinctum quid est ab eo quod est deficere à fide nullibi promissa: sicut deficere à castitate promissa, & non promissa. Sic Bannes 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. Arag. *ibid.* & alij.

332 *Non sunt vitia distincta.* Distincta non sunt. Quia omnes illæ sectæ priuant eadem fide, & cum illa habent eandem oppositionem: Ergo non sunt specie diuersæ Consequētia est legitima: ex nullo enim alio capite diuersitas specifica in peccatis sumi potest præterquā ex oppositione ad virtutem. Antecedens probo: quia tota oppositio eum virtute fidei in Paganismo est totius fidei negatio, hoc est, omnium mysteriorum, quæ à fide Christiana proponuntur: Iudaismus est negatio mysteriorum Euangelicæ legis: Hæresis est aliquorum veteris, vel noui Testamenti negatio. Ergo est oppositio non formaliter diuersa, sed materialiter: siquidem tam Paganismus, quam Iudaismus, & Hæresis in abneganda veritate diuinæ reuelationis conueniunt, & solum in negandis pluribus, vel paucioribus veritatibus reuelatis differunt. Ita Suar. *de fide, d.* 16. *sect.* 4. *nn.* 8. Coninch *de fide, d.* 18. *dub.* 6. *à n.* 4. Palao *de fide tr.* 4. *d.* 2. *pun.* 1. *num.* 4.

333 *Cum hâc opinor.* Cū his opinor Nā licet varia vitia specie diuersa possint vni virtuti opponi: tamen Paganismus, Iudaismus, & Hæresis, quatenus fidei cōtraria sunt diuersimodè opponuntur. Asseto autem deficere à fide suscepta non constituere speciem diuersam: alias Paganismus (vel Hæresis) hominis baptizati esset specie diuersus ab eo, qui est in homine non baptizato. Neque exemplum de castitate promissa vrget; quia ibi est diuersum peccatum: est enim contra votum, & promissionem Deo factam. & consequenter contra specialem Religionis virtutem; ex præcisa autem fidei susceptione non fit talis promissio.

DVBIVM LXIII.

An Diuisio Infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim comprehendat omnes Infidelitatis species.

334 NOn comprehendit. Quia non comprehendit Turcismum: siquidem Turcismus aliquid

Non comprehendit. aliquid ex veteri, aliquid ex nouo Testamento credit: Ergo neque est Paganismus neque Iudaismus, neque Hæresis. Deinde. Aliqui fuere Hæretici admittentes nouum Testamentum, & non vetus: sed hi non erant Pagani, neque Iudæi, neque Hæretici. Præterea Atheismus videtur specie distinctus à Paganismo, in quo vnus Deus colitur. Demum Apostasia est speciale peccatum contra fidem, & tamẽ nec est Paganismus, nec Iudaismus, nec Hæresis. Sic nonnulli haud notæ infimæ Recentiores.

335 *Comprehẽdit planè.* Comprehendit planè omnes Infidelitatis species. Quia peccato Infidelitatis non potest delinqui nisi aduersus relata in duplici Testamento veteri, ac nouo, sub quo fidei traditiones comprehendo: Delinquere autem aduersus hæc potest tripliciter cõtingere: primo negando vtrumque Testamentum, & hoc est Paganismus: secundo, admittendo vetus, negando nouum, & tunc Iudaismus contingit: tertio admittendo nouum & vetus, sed non integrè, & tunc est Hæresis. Ita Castro Palao *de fide tr. 4. d. 1. pun. 1. n. 8.* & omnes communiter.

336 *Hoc certum esse reor, quod vberius expono.* Certum mihi, esse diuisionem sufficientem, omnesque infidelitatis species comprehendere. Quod per ordinem ad Christum Dominum, qui est author fidei, ac salutis declaro. Nam si Christi aduentum, eiusque prophetias & figuras abneges, Paganus es: si admittis aduentum, eiusque dictis integre fidem non dedas, hæreticus es: Ergo nullus alius Infidelitatis casus potest excogitari. Porro Turcismus sub Paganismo comprehenditur. Quia non admittit Christum Redemptorem: & licet aliqua credit, quæ nos, aut Iudæi credunt; non tamen credunt illa, vt à Christo reuelata, sed vt à Mahometo dicta: ideo Pagani absolutè sunt nominandi. Certè admittentes nouum Testamentum, & non vetus, verè sunt hæretici, eo quod nouum Testamentum ex parte negabant, licet sibi contrarium visum fuerit; vna enim ex veritatibus noui Testamenti est, vetus Testamentum fuisse à Deo reuelatum. Nec Atheismus est distinctus specie à Paganismo, in quo vnus Deus colitur: sed distinguitur ab illo penes maiorem, vel minorem extensionem: sicut non distinguitur specie hæreticus, qui plures articulos negat, à negante pauciores; cum autem Paganismus consistat in negando Christum Dominum siue in se, siue in figuris, quantumuis Paganus credat vnum esse Deum: hoc non efficit esse hæreticum, quia illud non credit tanquam à Deo reuelatum, & à Christo Domino dictum. Denique nullus ex Apostasia potest à fide recedere, nisi sit Paganus, Iudæus, vel hæreticus. Fateor tamen, per antonomasiam non dici de Iudaismo, ac Paganismo: atque adeo Apostatam propriissimè dici eum qui totam fidem Christi eiusque nomen abnegat: non eum, qui retinens Christianum nomen à Christo discedit. Sanchez *libro secundo Decal. capit. septimo num. 15.* Farinac. *tract. de hæres. quæstion. 183. §. 2.* Suar. *de fide, dub. 16. sect. 5. à num. 3.*

DVBIVM LXIV.

An subditus infidelis possit à Principe Christiano ad audiendam Fidem compelli?

337 *Nonnulla suppono.* DE infidelibus baptizatis non est quæstio, cum Ecclesiæ subdantur. Infideles vero non baptizati sunt in duplici differentia. Alij enim sunt temporaliter subditi Ecclesiæ, vel Christiano Principi: alij sunt extra horum subiectionem. Profecto infideles non subditi, haud possunt à Romano Pontifice per se, vel medio aliquo Christiano Principe, ad fidem audiendam compelli. Quia compulsio esse non potest absque iurisdictione: At infideles extra Ecclesiæ, & Christianorum Principum iurisdictionem existunt, vt suppono: ergo non possunt ab iis vlla ratione compelli. Suar. *de fide. dub. 18. sect. ... num. 6.* Valent. 2. 2. *d. 1. quæst. 10. pun. 6.* Coninch *de fide, d. 18. dub. 14. numer. 225.* & alij communiter. Quæsierim itaque num subditus infidelis possit à Principe Christiano ad fidem audiendam compelli?

338 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia obligatio ad audiendam fidem, non excedit politicam, ac temporalem iurisdictionem; siquidem ex hac obligatione solum compelluntur fideles prædicatorem audire: non tamen sequi: audire vero prædicatorem, vt eo audito, eligant Religionem, quæ sibi visa fuerit rationi conformior, potestatem politicam, ac temporalem gubernatoris non excedit. Alias nullus temporalis, gubernator posset subditorum peccata aduersus Religionem punire, nec illos obligare, ad media exequenda, ex quibus Religionis electio verè fieri posset. Sic Bannes 2. 2. *quæstion. 10. articul. 10. dub. 4. concl. 4.* Suar. *de fide, dub. 18. sect. 2. numer. 3.* Bonacin. *de fide, dub. 3. q. 2. punct. 7. 1. numer. 3.* hoc probabile putat.

339 *Non potest.* Minimè potest. Quia Princeps solum potest iis infidelibus subditis ea præcipere quæ, poterat Respublica ex sua primaria institutione: nullam enim aliam habet potestatem, nisi quam à Republica accepit: At Respublica non potest sibi subditos ad fidem audiendam cogere: Ergo neque vllus sæcularis Princeps. Minorem probo, quia Respublica non habet aliam potestatem iure naturæ, nisi præcipiendi ea, quæ ad finẽ politicum, & naturalem ordinãtur: At auditio legis Euãgelicæ supernaturalem ordinatur ad finem. Ergo Respublica non habet potestatem præcipiendi sibi subditis legis Euangelicæ auditionem. Ita Bannes *citat. concl. 3.* Valent. 2. 2. *d. 1. quæstion. 10. punct. 6.* Salmer. *tom. 12. in Euang. tract. 38.* Coninch *dub. 18. de fide dub. 14. concl. 5. iuncta concl. 4.* Palao *de fide tract. 4. dub. 2. punct. 5. num. 5.*

340 *Probabilior hanc sententiã esse iudico.* Hanc sententiam probabiliorem esse reor, quam teneo, & confirmo. Præcipi non potest iis infidelibus, auditio legis Euangelicæ, vt eam amplectantur: quia non est in Republica ciuili, nec in Ecclesia potestas ad cogendum aliquem ad fidem: Ergo neque etiam est potestas

testas præcipiendi auditionem; quia auditio per se non est appetibilis, nec materia præcepti, nisi quatenus ad assensum legis ordinatur. Neque obstat, si dicas præcepi legis Euangelicæ auditionem, non vt illam fidelis subditus amplectatur, sed vt inter veram, ac falsam Religionem distinguat, & valeat veram eligere, falsa cõtempta. Non inquam, obstat, quia hæc distinctio est quædam cognitio limites naturæ excedens: eiusque electio est supernaturalis: Ergo iure naturæ nõ habet Princeps potestatem præcipiendi media, quæ ad eiusmodi finem ordinantur.

Dvbivm LXV.

An possit Ecclesia vi, & armis compellere infidelem Principem, vt permittat apud ditionem suam Euangelij prædicatores Fidem publicare, si aliqui sint, qui velint audire, quando Princeps prædicationi blasphemiis, & irrisione non resistit, sed solum non permittendo Fidem prædicari?

341 *Nonnulla suppono.* CErtum est, posse Ecclesiam per se, vel mediis Christianis Principibus compellere quoscumque infideles, ne Prædicatorem legis Euangelicæ impediant, nevè prædicatorem dehonestent. Quare si infidelis aliquis Princeps blasphemiis, & irrisione in fidem aliqua persuasione, vel persecutione prædicationem impedit, potest Ecclesia vi, & armis comprimere illum. Quia iure naturæ cuilibet est concessum iura sua defendendi, & ea, quæ sibi contraria sunt, propulsandi, sed Christiana Respublica habet ius à Christo Domino concessum prædicandi Euãgelium omni creaturæ: Ergo habet ius defendendi prædicationem hanc, & sibi contraria propulsandi. Sed quid si non fiat resistentia blasphemiis, & irrisione, sed sola expulsione prædicationis? potestne Ecclesia vi, & armis hunc Principem compellere, vt prædicatores admittat, & ibi securè eos retineat, vt possit Euangelium audire volentibus prædicare.

342 *Non potest.* Minimè potest. Quia liberum esse videtur cuilibet Principi in sua ditione habitationem exteris concedere vel impedire: Ergo infert Ecclesiæ iniuriam prædicatores propulsando. Et quia Ecclesia non habet potestatem prædicandi Euangelium nolentibus: non enim potest cogere infideles ad eius auditionem præcipue si sibi subditi temporaliter non sint: Ergo neque habet potestatem, vt eius prædicatores in terris nolentibus audire prædicationem commorentur: ratione enim prædicationis solum hæc commoratio illis poterat competere. Sic Theologi docti quidem *in manuscriptis*.

343 *Potest quidem.* Potest equidem. Quia licet princeps habeat potestatem interdicendi habitationem cuilibet alienigenę sua in ditione id debet ex iusta causa fieri: quæ quidem non est; quia alienigena legem Euangelicam profitetur, eãque prædicare intendit in quo non peccat neque aduersus Deum, neque aduersus Regnum. Certe prædicatorem à Regno expellere, vel aditum ei interdicere eo solum titulo, quod prædicare intendit, est iniuria illata fidei & specialis illius contemptus: Ergo huiusmodi iniuriam poterit Ecclesia propulsare. Ita Suar. *de fide, dub.* 18. *sect.* 2. *circa finem.* Palao *de fide, tract.* 4. *dubio secundo punct.* 5. *numer.* 8.

344 *Hoc dicendum.* Hoc dicendum existimo. Quia moraliter loquendo, in toto Regno deesse non potest, qui voluntarie Euangelium exaudiat, si adsit prædicator: quo fructu priuatur, expulso prædicatore: Ergo in defensionem huius fructus, & in fauorem innocentis qui sic priuatur, potest Ecclesia Principem impedientem debellare. Nec inde fit aliquem nolentem ad fidem audiendam cogi. Quia non cogit Ecclesia Principem nolentem Euangelium audire: sed solum cogit, ne viam volentibus audire præcludat. Quod videtur Ecclesiæ concessum cõcessa prædicandi potestate.

Dvbivm LXVI.

An quilibet infidelis, postquam ei fides sufficienter est proposita possit ad eam recipiendam compelli?

345 *Certa recolo.* CErtum est, infidelem hæreticum, qualis est, qui suscepto Baptismo, à fide defecit, posset grauibus pœnis & suppliciis compelli vt erroribus expulsis ad fidem redeat. Constat ex tit. de Hæret. & fusè ostendit August. *Epist.* 40. & 50. Alfons. à Castro *de iusta Hæret. punit.* Simanc. *de Cathol. instit.* Rojas, Penna & alij aduers. Hæret. scribentes. Ratio est, quia per Baptismum subiicitur quis Ecclesiæ, & protestatur, sub illius fide, & obedientia perpetuò manere: Ergo penes Ecclesiam debet esse potestas continendi sic subiectum in tali fide, ac promissione: Igitur debet esse potestas corrigendi ac puniendi eum, si noluerit contineri: alias diminuta, & inefficax esset potestas Ecclesiæ cõcessa; quod non est dicendum. Solum est difficultas de infideli non baptizato, num, inquam, cogi possit postquam ei fides sufficienter est proposita, ad eam suscipiendam?

346 *Cogi potest.* Potest equidem. Quia etsi ante propositionem sufficienter factam, nulla ei possit obligatio imponi, fidem recipiendi, siquidem nec ipse tenetur illam recipere: posita autem propositione sufficienti iam adstringitur fidem recipere: Ergo & cogi poterit ab Ecclesia ad illius receptionẽ. Probo hanc cõsequentiam. Quia hęc coactio cedit in magnam eius vtilitatẽ: siquidẽ ratione illius recipit mediũ ad salutẽ necessarium. Et quia cedit in fidei augmẽtum: nam ipsi saltem in exteriori foro vt Catholici se gerunt, eorum filij baptizantur & decursu temporis successores verè fideles existunt. Sic Maior *in* 2. *dist.* 44. *question.* 2. Genesius Sepulueda Caroli V. Chronista sentit posse infideles etiam non subditos cogi ad fidem

recl

recipiendam. Sotus id de subditis infidelibus affirmat *in 4. dist. 4. quæst. vltim.* Gabri. ibid. *quæstione secunda dubio quinto* Alfons. de Castro *de iust. Haret. punit. libro secundo capit.* 14. Lorca 2. 2. *quæstion.* 10. *dub.* 36. reputato iure naturæ, , hoc probabile esse dodet , esto ex iure positiuo tenendum non sit.

347 *Cogi non potest.*

Cogi non potest. Quia coactio esse non potest sine iurisdictione : At neque Ecclesia, neque Principes sæculares iurisdictionem vllam in non baptizatos habent, vt eos possint ad fidem compellere : Ergo nullo modo compelli possunt. Conclusio est legitima , Maior huius discursus est per se nota , siquidem omnis coactio iusta, de qua loquimur, in iurisdictione ac potestate fundatur. Minorem probo ac primum de Ecclesia: hæc enim solum habet iurisdictionem ex Christi Domini concessione, Christus autem solum concessit iurisdictionem Petro circa illos, qui in Ecclesiã fuerint ingressi; dixit enim , *Pasces oues meas.* Supponuntur ergo prius esse oues, vt sic possint à Petro pasci. Qua propter dixit Paulus. *Quid mihi de his qui foris sunt? Dominus iudicauit. 1. Cor. 5.* Ac si diceret, ad me non pertinent, Domino enim reseruantur. Ita D. Tho. *2. 2. quæstion. 10. artic. 8.* Caiet. Pesant. Turrian. *ibi.* Valent. 2. 2. *disp. prim. q. 10. puncto sexto* Suar. *de fide , d. 18. sect. 3. numero quarto* Coninch *de fide, d. 18. dub. 14. concl.* 4. Constat ex *cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & Sarrac. cap. Qui sincera, c. de Iudæis, dist. 45.*

348 *Longè hoc probabilius, imo mihi certum.*

Longè hoc probabilius esse credo. Nam neque Ecclesia nec sæcularis Princeps potest hos infideles punire, quia fidei sufficienter propositæ non assentiantur: Ergo neque potest illos compellere. Consequentia videtur legitima, tum quia diminuta, & inefficax esset compulsio sine puniendi potestate: tum quia iure ipso naturali sequitur , cui est concessa potestas præceptiua in supremo ordine, esse simul concessam punitiuam potestatem. Quod autem neque Ecclesia, nec sæcularis Princeps possit hos infideles propter infidelitatis peccatum punire, sic probo : Quia illud peccatum non est hominis Ecclesiæ subiecti: Ergo Ecclesia in illum non habet potestatem. Neque etiam est aduersus legem Principis sæcularis , nec Princeps sæcularis de illo iudicare potest, quia est de materia ab eius iurisdictione aliena. Ergò. Attamen, & si Ecclesia, aut sæcularis Princeps non possit infideles sibi subditos ad fidem recipiendam directè cogere: potest indirecte, imponendo scilicet eis tributa grauiora, sed alias licita. Et si eorum conuersatio fidelibus nocet, potest illos expellere, nisi conuertantur. Potest compellere , non permittendo illis officij publici vsũ, vel non permittẽdo eis si aduenæ sint aut bello capti, suo in Regno habitare, nisi ad fidem conuertantur, vel negando eis priuilegia, & indulta, quæ libere aliis concedit , vel prohibendo eis suæ religionis vsũ, vt pote naturæ rationali contrarium, aptumque Rempublicam turbare, & inficere. Hæc omnia iudicarim indirectam ad fidem coactionem , quia Princeps ea ad eius ordinat susceptionem, ad quam per se ordinata non sunt. Est tamen licita; quia non assumuntur media , quæ seclusotali fine, assumi non possent. Mecum Becan. *de fide, capit. 13. quæstion. 4. numer. 4.* Bonac. *de fide, dub. 3. quæstion. 2. pun. 7. num. 3.* Valent. 2. 2. *d. i. quæstion. 10. punct. 6.* Suar. *de fide d. 18. sect. 3. numer. 8.* Coninch *de fide d. 18. dub. 14. numer. 238.*

DVBIVM LXVII.

An possit Christianus Princeps sua, vel Ecclesiæ authoritate infidelibus sibi non subditis prohibere idololatriam , & peccata contra naturam , quæ specialiter Religioni Christianæ , aut innocentibus contraria non sunt?

SI infideles non baptizati , (de quibus sermo) subditi non sunt temporaliter Ecclesię vel Christiano Principi obligatur specialiter Ecclesia, nec Christianus Princeps procurare, vt errores deponant; quia sibi specialiter commissi non sunt, obligatur tamen lege charitatis eo modo, quo vnusquisque tenetur ad salutem alterius procurandam. Si autem infideles subditi sint Christiano Principi, vel temporaliter Ecclesię sicuti Iudæi Romę commorantes Pontifici subduntur: tunc obligatur Ecclesia, aut Christianus Princeps, eos ab erroribus rationi naturali contrariis, & à falso cultu, & superstitione Deorum remouere. Quia superiori competit gubernare subditos vt secundum rationem viuant : viuere autem iuxta rationem nõ possunt, nisi ea, quæ rationi naturali obstant, relinquant. Quod si infidelium horum ritus rationi naturali contrarij nõ sint, sed solum sunt nostræ fidei, eiusque præceptis oppositi, quales sunt Iudæorum ritus, & multi Sarracenorum vnum Deum colentium eiiisimo, nulla ratione cogi posse à suis Principibus, eos deserere. Quia Principis potestas solum extenditur ad gubernandos subditos , vt secundum rationem viuant. Quæstio igitur est de infidelibus Ecclesiæ, vel Principi Christiano non subiectis num possit Ecclesia , vel Princeps eos cogere , nè idololatriam , & alia contraria naturali rationi , & inobedientes punire , si errores illi specialiter contrarij non sint Religioni Christianæ , aut innocentibus ?

349 *Certa præmitto.*

350 *Potest prohibere idololatriam, &c.*

Potest quidem. Quia si infidelis verba contumelioſa contra veram Religionem proferret, posset Ecclesia iniuriam sibi factam repellere, ac vindicare : quælibet enim perfecta Respublica ius habet, sese defẽdendi, iniuriasque sibi illatas vindicandi : Ergo etiam Ecclesia, quæ est Respublica omnino perfecta debet eam potestatem habere. Sed cum infidelis idololatriam , & alia vitia contraria naturæ committit Religionem nostram facto ipso blasphemiis afficit, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæstion. 94. articul. 3. ad 1.* subtrahit enim Deo singularitatem dominij, & fidei præcepta negat. Ergo Ecclesia ius habet, has iniurias propulsandi, ac vindicandi. Et quidem aliquæ

Nationes

Nationes sunt adeo barbaræ, vt videantur à natura constitui in mancipia: & alię ita nobilis ingenij vt Domini ac Rectores constitutæ esse videantur, quod dixit Philosophus *lib. 1. Polit. c. 1. Aiunt Poëtæ, Græcos barbaris dominari oportere, quod idem sit barbarus, ac seruus.* Ergo nullam iniustitiam committit Princeps fidelis, qui more beluino viuentes in suam redigit potestatem ea intentione, vt ab eorum cordibus errores depellat. Sic Antonin. 3. *p. tit. 22. capit. 5. Paragraph. 8.* Albar. Pelag. *de plan. Eccl. lib. 1. c. 37.* Sylvest. *verb. Papa, quæst. 7.* Castro *lib. 2. de iust. hæret punit. c. 14.* Abbas *ad cap. Quod super his, de voto.* Hostiens. *ibi.* Et D. Augustinus *lib. 5. de Ciuit.* laudat Romanos, quod barbaras Nationes subiugarint, & viuere secundum rationem docuerint. Maior *in 2. dist. 44. quæstion. tert.* Genesi Sepulueda, cuius meminit Suar. *de fide. dub. 18. sect. 4. num. 9.*

351 *Prohibere non potest.* Non potest Princeps Christianus sua, vel Ecclesiæ authoritate infideli sibi non subdito prohibere idololatriam, & peccata contra naturam, quæ specialiter Christianæ Religioni aut innocentibus contraria non sunt. Quia Pontifici, qua talis est, non competit potestas gubernatiua hominum, nisi quatenus sunt Ecclesiæ membra, cuius ipse Pastor, & caput est, iuxta *cap. vltim. de Presbytero non baptizato. & cap. Dominus noster, dist. 56.* Sed hi infideles, qui Sacra vnda non sunt diluti, non sunt Ecclesiæ membra: Ergo in illos nullam Pontifex, qua talis est, iurisdictionem habet: ac proinde nec prohibere, nec punire horum infidelium delicta potest. Sed neque etiã potest prohibere ea, ac punire, qua temporalem iurisdictionem habet, quia secundum hãc hi infideles ei non subduntur: Ergo. Ita D. Tho. 2. 2. *q. 12. art. 2.* Bannes *ibi. quæstion. 10. art. 7o. dub. vltim. concl. 2.* Valent. *dub. 1. quæst. 10. punct. 7.* Torres *disp. 52. d. 2.* Coninch *d. 18. dub. 12. num. 196.* Suar. *de fide, d. 18. sect. 4. num. 3.* Victor *relect. de Indis. §. 40.* Sotus *in 4. dist. 5. quæstion. 1. articul. 10.* Couarruu. *Reg. peccatum, p. 2. Par. 10. num. 2.* Barbosa *par. 1. de potest. Episc. titul. tertio capite secundo numer. 38.* Bonacin. *de restit. dub. 2. quæstion. vltim. pun. vltim. §. 2. fine.*

352 *Hoc vnicè tenendum esse iudico.* Hanc sententiam omnino tenendam existimo. Nam ideo vnus ciuis non potest alterius peccata punire, & prohibere, quia non habet iurisdictionem temporalem in illum: Sed Ecclesia, & Princeps Christianus in hos infideles nullam habet iurisdictionem: Ergo neque etiam poterit horum peccata prohibere, ac punire. Profecto si propter infidelitatem liceret Christiano Principi aduersus infideles mouere bellum, omnia plena essent perturbationibus. Nam cum quilibet existimet, suam religionem veram esse, simul etiam existimabit infidelis, sibi licere, bellum Christicolis indicere, eo quod à sua religione, quæ sibi videtur vera esse, deflectat. Cæterum si peccata infidelium iniuriosa sint fidei, & innocentibus noxia: poterit Ecclesia, & Christianus Princeps in Religionis defensionem, protectionemque innocentum ea propulsare, etsi opus fuerit, bella indicere, & è Regno nocentes exturbare. Quia illud non tam est iurisdictionis exercitium, quam fidei, & innocentum defensio. *Escobar, & Mendoza, Theol. Moral.* Tom. VI. Lege Suarium *de fide, dub. 18. sect. 4. numero quarto* & Coninch *disp. 18. dub. 12. conclusion. 5.*

Dvbivm LXVIII.

An Princeps infidelis priuari possit dominio circa seruos fideles ob bonum & honorem Fidei, etiam cum nullum adest peruersionis periculum?

353 *Priuari potest.* POtest priuari. Quia hæc priuatio dominij non fit ab Ecclesia ex directa potestate, quam habeat in infideles; sed ex iure, quod habet defendendi, ac tuendi subditorum fidelium dignitatem; quæ negari non potest, multum extolli ex eo quod susceptione fidei à seruitute liberentur. Et quia ratione infidelitatis Princeps meretur domino in seruos fideles priuari: Ergo huius meriti executio ab Ecclesia est gerenda. Sic D. Tho. 2. 2. *q. 10. a. 10.* Lorca *ibi.* Bannes *dub. vltim. concl. 4.* Malder. *q. 10. articul. 10. concl. 3. & 4.* & alij D. Thomæ Discipuli.

354 *Priuari nõ potest.* Per se loquendo, & ratione fidei non potest Ecclesia fideles subditos ab infidelium dominio liberare. Quia nullibi constat, à Christo Domino concessam esse huiusmodi potestatem, sed potius contrarium ex variis Sacræ Paginæ locis colligitur. *ad Tit. 2. Ephes. 6. 1. Petri 2.* & alib. Quapropter in *cap. Si quis seruum 7. q. 4.* grauiter reprehenditur suadens seruo fugam Religionis prætextu. Si autem liber existeret, suaderi ei poterat fuga, ipseque libere eam posset accipere. Ita Nauar. *sum. c. 17. n. 103. & 104.* Moli. *de iust. to. 1. d. 39.* Couarruu. *in Reg. pecca. p. 2. §. 11. n. 9.* Suar. *de fide, d. 18. sect. 5. n. 10.* Coninch *de fide, d. 18. dub. 10. concl. 3. &* Turrian. *2. 2. d. 52. dub. 1.*

355 *Cum hã opinor.* Cum his opinor, adiiciens ratione periculi peruersionis, si sit proximum & morale, posse seruum eximi à seruitute. At hoc non est speciale in seruo fideli respectu infidelis dominij, sed in quocumque seruo, etiã respectu domini fidelis. Nam si dominus minis, vel importuna persuasione tentauerit seruum ad peccatum pertrahere, poterit seruus ab illius dominio se eximere; & Ecclesia poterit partes illius suscipere, & sibi subditum ab imminenti damno liberare. Porro ex præcisa habitatione fidelis cum infideli non censeo periculum peruersionis adesse ita graue, vt possit Ecclesia Dominum infidelem serui domino priuare. Nam ipse seruus non potest ob tam remotum periculum à seruitute fugere; quia non est necessaria fuga, vt se indemnem asseruet: Ergo neque Ecclesia poterit fugam præcipere; quia in tantum eam imperare potest, in quantum ad seruandum indemnem suum fidelem, est necessaria.

* *
*

Dvbivm LXIX.

An sit peccatum mortale, violare quodcũque ex præscriptis, quæ iure communi continentur circa fidelium cum infidelibus communicationem?

356 *Nonnulla recolo circa fideliũ cum infidelibus communicationem.*

REcolo, generatim prohibitam esse Christicolis familiaritatem cum Iudæis, *cap. Iudæi. cap. Ad hæc. cap fin. de Iudæis.* Speciatim vero vndecim casus à Doctoribus enumerantur. Primo, prohibetur Christianus cum Iudeis habitare. Secundo, eorum azimis vesci. Tertio iis Medicis vti. Quarto, ab eis medicinas accipere. Quinto, simul cum eis inire balnea. Hi casus habentur in *cap. Nullus*, 28 *q.* 1. Sexto, Iudæos inuitare, vel ad eorum conuiuia accedere. *cap. Omnes*, 28 *q.* 1. Septimo, esse obstetrices, aut nutrices Iudæi filiorum in eius domo. Octauo, eis famulari. Nono, Iudæis in testamento aliquid relinquere, vel legatarios eos facere. *cap. Si quis Episcopus, de Hæret. cap. Sanè, el* 2. 24. *q.* 2. Decimo, seruitutis vinculo eis subiici. Hi tres casus habentur *in Cap Ad hæc, de Iudæis.* Vndecimo, ne publica officia illis cõmittantur. *C. Constituit* 17. *q.* 4. Quæsierim igitur, an sit peccatum lethale violare quodcumque ex præscriptis, quæ in iure communi continentur circa huiusmodi fidelium cum Iudæis communicationem?

357 *Mortale non est.*

Mortale non est, nisi adsit peruersionis periculum. Quia ideo ab Ecclesia eam prohibitionem præscribit, ne communicatio Christiani cum Iudæis possit ei esse peruersionis periculum. Sic Sà *v. Iudæus, n.* 1. Arag. 2. 2. *q.* 10. *a* 9. *circa principium.*

358 *Mortale est*

Mortale quidem est. Quia ex parte finis, & ex parte materiæ, adest sufficiens causa, vt horum casuum obligatio grauis esse videatur. Ita Azor. *to.* 2. *l.* 7. *c.* 22. *q.* 2. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 31. *n.* 26. Suar. *de fide, d.* 18. *sect.* 6. *nu.* 9. Palao *de fide tr.* 4. *d.* 2. *pun.* 9. *n.* 17.

359 *Per se credo esse lethale.*

Credo esse mortale per se omnia illa violare, quæ iure communi continentur. Qua propter erit mortale diuturnè famulari Iudeo. Medici Iudæi opera vti, filios eius in domo eius nutrire, eos in officiis publicis tolerare, &c. Aliquando tamen ex leuitate materiæ hęc poterunt à lethale excusari, quod præceptis omnibus est commune.

Dvbivm LXX.

An prohibitiones circa Christianorum cum infidelibus communicationem, intelligendæ sint de solis Iudæis?

360 *Non de solis Iudæis intelligẽdũ.*

NOn de solis Iudæis, sed de omnibus infidelibus intelligẽdę sũt. Quia in omnibus militat eadem ratio, scilicet periculum ex eorum communicatione peruersionis Tabie. *v. Iudæus, q.* 1. *n.* 2. & alij, quos presso nomine memorat Palao *de fide, tr.* 4. *d.* 2. *pun.* 9. *n.* 18.

De solis Iudæis intelligendæ sunt prohibitiones illæ. Quia solum de Iudæis textus loquuntur: & in Iudæis est specialis ratio ob eorum singulare in Christicolas odium. Ita Suar. *de fide, d.* 18. *sect.* 6. *n.* 10. addens extendi ad Sarracenos, & Mahometanos; quia hi æquè Christiam Religionem oppugnant, ac Iudæi, & æque est eorum familiaritas pernicioſa. Admittit vero cum Sanchez prohibitionem non extendi ad quoslibet Gentiles, vel Paganos; quia non omnes sunt ita Christianę Religioni infesti Palao *citatus.* & alij communiter. 361 *Intelligendæ de solis Iudæis.*

Cum Suario opinor. Quia eius extensio ad Sarracenos, & Mahometanos sæpe in iure reperitur. *Cap. Ad hæc. c. Cum sit nimis. c. In nonnullis. c. Iudæi, el* 2. *c vlt. de Iudæis.* Verum cũ prohibitio extra verba legis extendenda non sit, & prohibitiones ferè omnes de solis Iudeis loquantur: existimo alios infideles non comprehendi. Sed quia aliqui casus sunt, in quibus extẽditur prohibitio tum ad Sarracenos, tum ad Paganos; solum illi casus, in quibus ex iure reperiatur talis extensio, admittendi sunt, non alij. Hi sunt, famulari Iudæis, & Sarracenis, ex *c. Iudæi, el* 2 *de Iudæis.* præponere Iudæum, & quemlibet paganum publici officiis ex *c. Cum sit. c. Ex speciali. de Iudæis* Nec video alios casus, in quibus alij præter Iudæos sint comprehendendi. 362 *Hoc teneo, & expono.*

Dvbivm LXXI.

An breuis scriptura, oratio, concio, quæstio, Epistola contineantur sub prohibitione Bullæ circa infidelium, ac Hæreticorum libros?

REcolo, in Bulla cœnæ *clausi.* 1. sub pœna excommunicationis Pontifici reseruatæ prohiberi omnibus Christi fidelibus ne hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate sedis Apostolicæ scienter legant aut retineant, imprimãt, seu quomodolibet defendant ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio vel colore. Hæc prohibitio extensa est in aliquibus Pontificiis Decretis. Nam Sixtus V. in quadam Bulla, quæ est 21. in ordine eius *in Bullario*, sub excommunicatione sibi reseruata, libros Astrologiæ, seu de diuinatione tractantes, quibus futura contingentia intenduntur cognosci, prohibuit. Clemens VIII. in *indice librorum prohibitorum* sub excommunicatione, (non tamen sibi reseruata) prohibuit hęresiarcharum libros etiamsi de Religione non tractent, nisi prius expurgentur. Item libros auctorum, qui sunt de hæresi suspecti: imo & Catholicorum, quibus sunt aliquæ hæreses admixtæ, quique ex purgatione indigent. Insuper pro Regnis Hispaniæ extat constitutio Pauli V. quæ incipit, *Cum sicut accepimus*, in qua prohibentur omnes libri, qui expurgationi sunt obnexij, sub cẽsura Pontifici, vel inquisitori generali reseruata: qui autem sint hi libri, per regulas tredecim generaliter explicatur, quæ Expurgatorij initio sunt appositæ. Porro circa hanc prohibitionem nonnulla à Doctoribus controuertuntur. 363 *Decreta prohibitionis librorũ recolo.*

Quæsi

Quæsierim in primis, an breuis scriptura, oratio, cõcio, quæstio, epistola sub hac Bullæ prohibitione contineantur?

364 *Breuis scriptura in prohibitione hac continetur.*

Continentur quidem. Quia hæc librorum prohibitio non est lex odiosa, sed fauorabilis est enim in fauorem fidei, & Catholicorum defensionem. Ergo debet extendi, & ad librum minimè limitari. Et quia in breui scriptura est eadem ratio, & periculum peruersionis. Porro Congregatio Concilij declarans decretum de editione librorum latum *sess.* 4. dixit, comprehendere sub illo decreto annotationes, & disputationes, conciones, & alia similia, nec non tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum, stimulationes fratrum, & cætera eiusmodi, quæ communicant fratres, modo communicent ad effectum imprimendi. Sic Suari. *de fide, d.* 20. *sect.* 2. *nu.* 10. Farinac. *de hæresi q.* 180. *n.* 30. & 31. Vgolin. *tr. de censur p.* 2. *in glos. Ac eorundem libros, nn.* 2. *ver. s.* 9. Manu. *qq. Regul. tom.* 2. *quæst.* 104. *artic.* 1. Barbo. *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 90. *fine.*

365 *Non continentur.*

Non continentur. Quia hæc scripta breuia in communi modo loquendi, libri non reputantur. Ita Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 10. *n.* 19. Duard. *lib.* 2 *in can.* 1. *quæst.* 44. *numer.* 6. Bonacin. *dub.* 2. *de censur. quæst.* 5. *punct.* 4. *n.* 18. & probabile reputat Palao *de fide, tract.* 4 *d.* 2. *punct.* 10. *Parag.* 1. *num.* 4.

366 *Existimo, primã sententiam in praxi esse tenendam.*

Ego autem existimo, primam sententiam in praxi esse tenendam (licet secundam satis probabilem esse iudicem.) Quia scripta illa minuta pars libri esse possunt saltem aptitudine. Ergo hoc sufficit, vt sub prohibitione libri contineantur. Consequentiam probo. Quælibet pars libri hæretici, etiamsi minima sit, & diuisa ab aliis partibus sub prohibitionẽ cadit, vt idem Sanchez ingenuè fatetur, & omnes. Idem dixerim de procemio seu Epistola: sed hæc non alia ratione, nisi quia prohibito libro, omnes partes, quæ fuerint illius libri, quantumcumque diuidantur manent prohibitæ: Ergo etiam debent prohibita manere scripta illa, quæ possunt esse libri partes. Certè nomẽ libri gratia frequẽtioris vsus videtur appositum: non quia partes, ex quibus liber componitur, excludantur.

Dvbivm LXXII.

An qui prohibetur libros vetitos legere sub censura: Vitet censuram, si ipse non legat, sed alium legentem exaudiat, quem non induxit?

367 *Quæstionis punctum.*

PRima actio prohibita, est lectio libri non exterior & materialis, quæ solum verba perficit; sed formalis, quæ sensum verborum intelligit. Quia hæc sola est lectio propria. Non tamen est necessarium, vt verbis proferas rem lectam, sufficit si visu, & mente scripta percurras. Sanch. *lib.* 2. *Decal. capit.* 10. *nu. mer.* 41. & 51. citans Vgolinum, Graffium, & alios. Suar. *de fide dub.* 20. *sect.* 2. *numer.* 18. Bonacin. *dub. secund. de censur. quæstion.* 5. *pun. 4. numer.* 12. Quæstio est, num quis vitet censuram, si ipse non legat, sed alium legentem exaudiat?

367 *Censuras non vitat.*

Censuras non vitat, etiamsi legentem ad lectionem non induxerit. Quia idem est periculum in hoc modo legendi libros, ac in lectione per propriam personam facta. Nam ratio prohibendi lectionem medio visu, est, ne praua doctrina percipiatur: sed per auditum efficacius percipitur: Ergo æque lectio per auditum erit prohibita. Certè lectio duplicem includit actionem, prolationem verborum, & illorum intelligentiam: & hæc secunda præcipua quidem est: Ergo ratione illius potest quis dici, verè legere. Sic Suar. *de fide, d.* 20. *sect.* 2. *n.* 19.

368 *Vitat censuras.*

Censuras vitat, si legentem consilio, aut mandato non induxit, vt legeret. Quia tunc haud quaquam propriè dici potest legere etiam per alium: siquidem alius nomine non legit, neque lectio illius ei tribui potest. Porro quando quis consulit, mandat, vel inducit, verè dicitur legere medio alio: quod videtur sufficere, vt sub nomine legentis comprehendatur, præcipuè in prohibitione commune bonum respiciente, ac fidei defensionem. Ita Azor. *tomo primo libro octauo cap.* 16. *quæstion.* 4. Sayr. *in Thesauro tom.* 1. *libr.* 3. *cap.* 5. *numer.* 14. Graf. *part.* 1. *decis. libr.* 4. *capit.* 18. *numer.* 45.

369 *Probabilius mihi, in neutro audientem cẽsura ligari.*

Vtramque sententiam probabilem satis esse reor. Ego autem probabilius putarim, in neutro casu audientem hac prohibitione, & censura ligari. Quia leges pœnales extendendę non sunt vltra propriam significationem: sed sub verbo *legentis* non comprehenditur audiens legere, etiamsi ad legendum induxerit: inductio enim ad legendum non est lectio, nec etiam auditus est lectio; quia legere proprie est visu, & mente scripta percurrere: Ergo per auditum lectionis, cuius audiens causa fuit, nequit sub prohibitione aduersus legentes comprehendi. Mecum Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 10. *n.* 48. citans Vgolinum. Castro Palao *de fide tr.* 4. *d.* 2. *punct.* 10. §. 2. *n.* 4. Coninch *de fide, d.* 18. *dub.* 11. *n.* 178. Farinac. *de hæresi, q.* 180. *n. penult.* Duard. Reginald. Filliuc. & alij, quos refert, & sequitur Bonac. *d.* 2. *de censur. quæstion.* 5. *punct.* 4. *numer.* 11.

Dvbivm LXXIII.

Excusaturne quis à censura, ac delicto lethali ex lectione libri prohibiti ob materiæ paruitatem si intentione plura legendi incepit?

370 *Non excusatur.*

NOn excusatur, præcipuè in casu, quo intendit plura folia libri hæretici legere, & pœnitentia affectus post paucas lineas à lectione cessauit. Quia iam illa actio exterior est peccatum lethale: Ergo sufficiens ad censuram incurrendam hic. Vgolin. *tr. de Censur. parte secunda in glos. Ac eorundem libros. vers.* 8. Tolet. *libro primo capite* 19. *numer. nono.*

371 *Excusatur quidem.*

Qui paucas lineas legit, etiamsi prius animum habuisset plura legendi, censuram non contrahit. Quia licet lectio illa sit

peccatum mortale: non est mortale ex ratione lectionis exterioris, sed ratione voluntatis ex qua orta fuit; sicut si animo plura furandi assumeres assem, & statim desisteres, peccatum mortale perpetrares non exteriori furto, sed ex praua plura furandi intentione. Excómunicatio autem non punit intentionem sed illius executionem; at in executione non est grauis materia peccati lethalis quia regulariter non videtur esse graue periculum peruersionis in lectione sex aut decem linearum. Ita Suar. *de fide, d.* 20. *sect.* 2. *n.* 20. Sanch *l.* 2. *Decal. c.* 10. *n.* 31. Coninch *de fide, d.* 18. *dub.* 11. *n.* 179. Bonac. *d.* 2. *de censur. q.* 5. *pun.* 4. *n.* 13. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 16. *q.* 3. & alij apud ipsos.

372 *Id̃ affero, & quænam sit materiæ paruitas hic expono.*

Probabilius hoc cẽseo esse. Adiicio autẽ hãc materiæ paruitatẽ aliquos ad vnã paginã extẽdere libri in folio impressi: eo quod non videaturin tã, breui actione regulariter graue adesse periculum. Sic relato Viualdo, & Sà, docet Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 10. *n.* 35. Coninch *de fide, d.* 18. *n.* 178. Farinac. *de Hæresi, q.* 180. *n.* 13. videtur consentire, siquidem refert hanc P. Sancij sententiam, nec reprobat. Ast ego cum Suario, ac Bonacina *citatis*, nimiam hanc esse iudico extensionem. Quia est materia periculo obnoxia, in qua haud habenæ laxandæ.

Dvbivm LXXIV.

Excusaturne à censura, qui ad confutandos errores, sine periculo peruersionis libros Hæreticorum retinet?

373 *Excusatur quidem.*

EXcusatur. Quia huiusmodi retentio hæresi nõ fauet, sed potius illam destruit: Ergo non debet prohibitione retentionis fauentis hæresi comprehendi. Sic Felin. *ad cap. Si quis Episcopus. ver. Pro quo infertur, de Hæreticis.* Albert *tr. de agnoscend. assert. Cathol. q.* 28. *n.* 4. & 5. Addent ad Rom. *singul.* 326. *incipiente, Eo ipso quod libr.* Decian. *tr. crimin. l.* 5. *c.* 35. *n.* 21. & *c.* 46. *n.* 26. & 27. Mascard. *de probat. l.* 2. *concl.* 862. *n.* 14.

374 *Non excusatur.*

Minimè excusatur. Quia lex prohibet retentionem absolutè, neque enim curat, qua fiat intentione. Addo, in illa retentione, & refutatione ex propria voluntate accepta, esse peruersionis periculum: qui enim firmus esse præsumitur, sæpe cadit, & laqueis, quos eximabat facile dissoluere, comprehenditur. Ita Pegna *in addit ad Eymer.* Direct. Inquis. 2. *p. comment.* 3. *ad cap. Fraternitatis, de hæretic.* Vgolin. *de censur. in glos. Aut pertinentes vers. Quarto excommunicatio.* Tolet. *l.* 1. *c.* 19. *nu.* 9. Sanch *l.* 2. *Decal. c.* 10. *n.* 53. Farinac. *de hæresi. q.* 180. *n.* 39. & 42. Suar. *de fide, d.* 20. *sect.* 2. *n.* 21.

375 *Cum his opinor.*

Certè secunda actio prohibita circa libros Hæreticorum est retentio: finis verò huius prohibitionis est, ne tales libri sint in rerum natura. Quarè siue libri sint tui, siue alieni: si tamen illos retineas, hanc violas legem. Et idẽ est, si illos apud alios depositos habeas. Quia iam eos retines. Ad quæstionem igitur, affirmo secundam sententiam vnicè esse retinendam, affirmandumque quocumque prætextu, aut fine eos libros quis retineat, absque licentia illius, qui illam dare potest, censuram incurrere. Porro licet in tali retinẽte nullum esset periculum sufficit eos libros in fectos conseruari, quorũ venenum Ecclesia sua prohibitione intendit omnino depetire.

Dvbivm LXXV.

Potest quis mox librum hæreticum Inquisitori tradere, & tamen illum breui tempore, nempe per vnam, vel alteram diem retinet: excusaturne à peccato ac censura?

376 *Status quæstionis.*

SI nulla suppetit ei facultas tradendi librum, certum est, retentionem non esse malam. Procedit itaque quæstio ex suppositione, quod liber possit illico Inquisitori tradi, an scilicet à peccato, & censura excusetur, qui librum vetitum vno, vel altero die retinet?

377 *A peccato, & censura non excusatur.*

Si animo retinendi librum absolutè retineat, etiamsi post horam tradendus sit Inquisitori, à peccato, & cẽsura non excusatur. Quia peccatum, quod ex obiecto, & circumstantiis mortale est in momento patrari potest, nam in voluntate consistit, non in mora: voluntas autem absoluta retinendi librum, peccaminosa est mortaliter, & ex illa retentio exterior, etiam per breui temporis interstitio procedit. Ergo sufficit ad censuram incurrendam. Sic Suar. *de fide, d.* 20. *sect.* 1. *n.* 22.

Excusatur equidem. Quia grauitas retentionis non desumitur solum ex libro, qui retinetur: sed etiam ex tempore, quo retinendus est. Quod inde constat; nam si haberes voluntatem retinendi vna hora librum, & statim illum tradendi: non video, qua ratione quis asserere possit, te grauem culpam commisisse. Requiritur ergo ad retentionem grauem mora temporis: Ergo si tempus, quo de facto retines librum, breue est, etiamsi voluntatem haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior leuis censeri debet ad effectum incurrendi censuram. Quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata: quæ cum sit integra, & in materia graui exercita, sed in materia leui, non sufficit ad censuram incurrendam. Porro hanc temporis moram vnum vel alterum diẽ includere posse crediderim. Ita Suar. *tom.* 1. *Thesau. l.* 3. *c.* 5. *n.* 16. Duard. *l.* 2. *in can.* 1. *q.* 51. *n.* 53. Reginal. *l.* 9. *n.* 256. Bonac. *d.* 2. *de censur q.* 5. *punct.* 4. *num.* 15. Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 10. *num.* 55.

378 *His addeo.*

His hæreo adiiciens, hanc excommunicationem extendi ad eos, qui partem libri retinent, sicut extenditur ad eos, qui legunt. Scio tamen Sancium *capit.* 11. *numer.* 52. excusare retinentem vnum tantum folium. Quia non videtur tam grauis materia in retentione, quam in lectione: non enim ita grauiter retentio, quam lectio lædit.

CAPVT

CAPVT XXII.

Circa Hæresim, & Apostasiam à Fide.

DVBIVM LXXVI.

Vt propositio Hæretica sit, sufficitne esse ex diametro oppositam propositioni Fide credendæ, si accedat in proferente illam pertinacia?

379 *Non sufficit*

INIME sufficit. Quia contradicere quis potest fidei obiecto ignoranter, qua ignorantia posita, Hæreticus non est. Ergo non sufficit propositionem esse oppositam propositioni fide credendam, nisi adsit in proferente contumacia. Sic Caiet. 2.2 *quæstion.* 11. *articul.* 1 Bannes *ibi, articulo secundo.*

380 *Sufficit plane.*

Sufficit planè. Quia materia, & obiectum hæresis est, quod obiecto fidei immediatè repugnat. Nam cum D. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæstion.* 11. *articulo secundo* dixerit, *hæresim esse, quæ fidem corrumpit,* in fertur sanè, obiectum hæresis obiectum fidei corumpere, illique esse contrarium. Ex quo fit quamlibet propositionem ex diametro oppositam propositioni fide diuina credendam, hæresim esse: (ad sit, vel non adsit in proferente pertinacia) quia est propositio destruens obiectum fidei, & fidem corrumpit. Ita ex D. Tho. Castro Palao *tr.* 4. *de fide. d.* 3. *pun.* 1. *num.* 2.

381 *Id affirmo.*

Amicissimo huic adhæreo Doctori, iudicans primæ sententiæ Auctores in æquiuoco laborare. Aliud enim est loqui de propositione Hæretica formali, aliud de obiectiua, ac materiali. Fateor enim, ad propositionem hæreticam formalem pertinaciam requiri: at ad propositionem Hæreticam obiectiuam, seu ad obiectum hæresis pertinacia non requiritur; quia hoc obiectum in sola contradictione cum obiecto fidei consistit.

DVBIVM LXXVII.

An cum ignorantia vincibili, & crassa, vel affectata stet Hæresis peccatum?

382 *Recolo hæresis definitionem.*

RECOLO hæresis definitionem. Est *error voluntarius & pertinax contra doctrinam & veritatem fidei Christianæ.* Est voluntarius, quia sine voluntate non est peccatum: est pertinax, quia propriæ adhæret opinioni, videns Ecclesiæ doctrinæ aduersari, nec paratus est corrigi. Quæsierim ergo nùm cum ignorantia vincibili, & crassa, seu affectata stet hæreseos peccatum?

383 *Peccatum fuit.*

Stat quidem. Quia hæc ignorantia in furo, homicidio, & aliis delictis non excusat à crimine. Ergo neque in hæresi. Et quia qui vincibiliter, & culpabiliter ignorat, peccat contra fidem. Ergo vel Paganismo, vel Iudaismo, vel hæresi: non enim sunt aliæ infidelitatis species. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæstione secunda articulo tertio post* 5. *concl. casu* 1. Lopez *part.* 2. *Instr. capit.* 20. *titul. de excommun. referu. in Bul. cœnæ, casu primo* Lorca 2. 2. *quæstion.* 11. *dub.* 41. *numer.* 15.

384 *Non stat peccatum.*

Non stat, sed quælibet ignorantia etiam affectata, quæ causa sit erroris à peccato hæresis excusat. Quia impossibile est, quem voluntarie contradicere Ecclesiæ authoritati, in quo pertinacia consistit, nisi cognoscat Ecclesiam contrariam sibi esse, vt multis probat allegatis Farinac. *de hæresi, quæs.* 179. §. 1. *numer.* 1. Sed cum ignorantia affectata, quæ causa sit erroris, non stat hæc cognitio: Ergo non stat pertinacia, nec hæresis peccatum. Ita Azor. *to.* 1. *l.* 11. *c.* 14. *q.* 9. Farin. *citat. n.* 29. & 30. Suar *de fide, d.* 19. *sect.* 3. *n.* 8. & 9. Coninch *de fide disp.* 18. *dub.* 7. *concl.* 4. & 5. Arag. 2. 2. *q.* 11. *a.* 1. Castro Palao *de fide, tr.* 4. *d.* 3. *pun.* 2. *n.* 3.

385 *Hoc probabilius esse credo.*

Probabilius hoc puto. Nam si quis voluntatem habeat mutandi sententiam propriam, quoties viderit Ecclesiæ definitioni eam contradicere, nullo modo potest dici in suo errore pertinax: siquidem paratus est corrigi: sed cum ignorantia affectata potest esse voluntas: Ergo. Probo minorem: quia affectare potest nescire quod docet Ecclesia, ne cogatur aliud sentire. En affectat ignorantiam, quæ tamen non obstat, sed potius includit voluntatem obediendi Ecclesiæ, cum ei clarè fuerit propositum.

DVBIVM LXXVIII.

Errat quis ex ignorantia affectata, sed monitus ab Episcopo, vel Inquisitore, vel aliis viris Doctis de suo errore, adhuc in illo perseuerat, credens non esse contra Ecclesiæ definitionem: Hic estne verè hæreticus?

386 *Non est verè hæreticus*

VErè hæreticus nō est. Quia sola Ecclesia est regula veritatis. Episcopi vero inquisitores, & quiuis viri docti falli, ac fallere possunt: Ergo discredens illis, & credens Ecclesiæ, hæreticus non est: quia cum Ecclesia non pugnat. Sic Sanchez *libr.* 2. *Decal. capit.* 7. *num.* 26.

387 *Verè hæreticus est.*

Est verè hæreticus. Quia satis pertinax ostenditur, qui suo cerebro ductus contemnit Ecclesiæ authoritatem per ipsius Magistros declaratam. Illa enim declaratio solēnis, & publica, qua testantur homines ita grauissimi, quod mysteriū id receptū sit ab Ecclesia: Ergo si euidentiam habeat, quod sit euidenter credibile, quidquid ab Ecclesia Romana proponitur, & discredit mysterio sic proposito; verè, & in rigore Ecclesiæ authoritati contradicit. Alias nullus esset cēsēdus hęreticus, quia nullus est, qui verę Ecclesię, & àChristo institutę credere nō intēdat; sed quia huic intentioni contradicere

censetur, cum negat, quæ illi proponuntur esse verè recepta ab Ecclesia Romana, ideo hæreticus iudicatur. Ita Suar. *de fide, d. 16. sect. 3. n. 21.* & plures relati à Sancio *vbi sup.*

388 *Probabilio-rē admodū hanc sentē-tiam esse defendo.*

Quibus Sancij venia, pobabilius admodum, adhæreo. Quia rarus est cui Ecclesia Romana immediatè mysteria credenda proponat, sed proponit illa mediis Episcopis, Pastoribus: Ergo si mysteriis ab iis propositis non tenetur quis fide diuina credere, nunquam credere tenetur. Profectò in foro externo iudicandus esset Hæreticus, & pertinax, qui mysteriis ab Episcopis & Inquisitoribus propositis dissentiret. Bartol. *leg. Tutor §. Tutores n. 1. ff. de suspect. tutor.* Vgoli. *de censur. p. 2. c. 1. §. 1. num. 1.* Pegna *Direct. p. 1. comment. 26. ad q. 12.* & alij apud ipsos. Ergo etiam in foro interiori censendus est Hæreticus. Quia illud iudicium non nititur aliqua falsa præsumptione, sed veritate, qua iudicatur, dissentientem mysteriis sic propositis, Ecclesiæ authoritatem contemnere voluisse. Fateor ingenuè; neminem præter Romanum Pontificem esse regulam veritatis; sed non obinde infertur, te non esse obligatum credere, quæ tibi viri docti proponunt. Quia non obligaris ea credere tanquam ab ipsis proposita, sed tanquam proposita ab Ecclesia mediis illis viris doctis, quos Ecclesia vti procuratores suos assumit.

Dvbivm LXXIX.

Dubium voluntarie habens de Fidei mysteriis, censendusne est Hæreticus?

389 *Quæstionis status.*

Dixi, *Dubium voluntariè habens*: nam tepè contra voluntatem dubitationes de fide insurgunt, quæ non destruūt fidem, sed potius occasiones sunt illam augendi, signū autē moraliter euidēs est, te his motibus nō cōsentire si tædio afficiaris cum insurgunt. Quocirca aptior modus resistendi iis motibus est, illis non respondere: sed potius temnere, ac pro nihilo ducere. Quare quæstio solum est de dubio voluntario circa mysterium fidei tibi sufficienter propositum, num dubium voluntariè habens de fidei mysteriis, censendus sit Hæreticus?

390 *Hæreticus non est censendus.*

Censendus Hæreticus non est. Quia Hæreticus est, qui eligit, siue sequitur opinionem fidei contrariam: at qui dubius est, quam partem eligat, cuive assentiatur, dici non potest eligere opinionem fidei contrariam: Ergo non est hæreticus. Sic Canus *l. 12. de locis, c. 9. vers. controuersantur autem.* Malder. *2. 2. q. 11. art. 2. memb. 2* Sanch. *l. 2. Decal. c. 7. n. 12.* Sà *v. Hæresis, n. 1.* fauet, dum ait, *Dum quis dubitat, non est hæreticus: in dubio enim non est propriè pertinacia.* Limitat Sanch. vt intelligatur, quoties intellectus perpensis rationibus pro vtraque parte suspendit iudicium, quia tunc formaliter dubius manet; secus verò si supra suum dubitandi actum reflecteret, & iudicaret, rem esse dubiam, aut sub opinione: nam in tali iudicio hæresim committeret.

391 *Hæreticus censendus est.*

Hæreticus censendus est, qui de rebus fidei sufficienter propositis sibi, voluntarie dubitat. Quia tunc deliberate, ac peccaminosè dubitat de rebus fidei, cum iudicat res fidei non esse dignas certo, ac infallibiliter credi; sed iudicare deliberatè res fidei illi sufficienter propositas non esse dignas certò & infallibiliter credi, est hæresis manifesta: Ergo qui deliberate, seu voluntarie dubitat de rebus fidei hæresim committit. Sola maior propositio indiget probatione. Pono, tibi repræsentari obiectum fidei, & rationes, quæ ad eius assensum sufficienter mouent, tempore, quo non obligaris fidei actum elicere; absque vlla culpa potes actum suspendere: Ergo suspendete actum fidei non est de fide dubitare: Ergo ad dubitationem peccaminosam, & voluntariam aliquid amplius requiritur. Sed hoc esse non potest nisi iudicium, quo iudicas, obiectum illud sic tibi repræsentatum non esse dignum certò credi: sed esse dubium, & incertum: neque enim apparet, in quo possit consistere: Ergo. Ita plures à Sancio relati Suar. *de fide, d. 19. sect. 4. numer. 10.* Coninch *de fide, d. 18. dub. 7. concl. 6. n. 101.* Bonac. *d. 2. de cens. quæstion. 5 punct. 1. numer. 1.* Farinac. *de hæresi, quæstion. 178. §. 4. nu. 90.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 40. numer. 16.*

392 *Hanc communi sentiam tenet.*

Tenendam esse hanc communem sententiam iudico. Quæ quidem decidit *cap. 1. de hæret.* ibi: *Dubius in fide, infidelis est.* Neque intelligi potest de infidelitate negatiua; quia hæc solum est in eo, qui fidem non recipit: qui autem baptizatus est, infidelitatem negatiuam habere non potest, sed positiuam; quia non potest amitti fides, nisi per actum fidei contrarium.

Dvbivm LXXX.

Dissentiens speciali reuelationi ei sufficienter ad credendum proposita, estne Hæreticus?

393 *Non est hæreticus.*

Hæreticus non est. Quia sic dissentiens, non est Ecclesiæ Catholicæ contumax, siquidem ipsa Ecclesia talem reuelationem credendam non apponit. Ergò non est Hæreticus: Ergo neque punibilis. Sic Lorca *2. 2. q. 11. d. 39. n. 2. & 4.*

394 *Hæreticus est.*

Est Hæreticus. Quia tota Hæresis malitia sita est in contemptu primę veritatis sufficienter propositæ: qui enim sic discredit, quod prima veritas dicit, mendacem Deum facit: At qui discredit reuelationi speciali, eodem modo primam veritatem contemnit, & Deum efficit mendacem: quia Deus idem est siuè publice, siue particulariter reuelans: Ergo est Hæreticus. Ita Azor. *to. 1. l. 8. c. 9 q. 4.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 7. nu. 32.* alios citans. Coninch *de fide, d. 18. dub. 7. n. 118.* Suar. *de fide, d. 19. sect. 5. n. 11.* & alij.

395 *Idem affirmo.*

Idem affirmo. Neque enim hęresis necessario perit contumaciam aduersus Ecclesiam formaliter, sed aduersus Deum reuelantem.

DVBIVM

Dvbivm LXXXI.

Hæreticus hic (de quo dubio proximo) incidit ne in excommunicationem, & alias hæreticorum pœnas?

396 *Incidit plan.*

INcidit quidem. Quia licet Ecclesia non proponat illam veritatem credendam, at proponit credendam summam, ac primam veritatem reuelantem, cui propositioni obsistit qui illam negat reuelationem. Sic Coninch *de fide, disputatione 18. numero 120.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite septimo, numero 32.* confirmans id exemplo illius, qui negaret aliquid existimans esse ab Ecclesia propositum, cum tamen non sit: qui verè hæreticus esset, & pœnas incurreret.

397 *Non incidit*

Non incidit ob solum dissensum specialis reuelationis in excommunicationem, & in alias pœnas. Quia videtur impossibile, talem dissensum manifestari posse esse fidei contrarium: cum enim supponamus, reuelationem illam esse specialem, neque alteri cognitam præter illum, qui illam habet quomodo aliis constare potest, an ille reuelationi dissentiat, vel non; erat enim ad huiusmodi manifestationem necessarium, reuelationem claré cognosci. Ita Azorius *tomo primo, libro octauo, capite nono, quæstione quarta*, Palao *de fide, tractat. quart. disputatione tertia, puncto secundo, numero 15.* Corduba *libro primo, capite 17. Paragrapho primo, dubio secundo*, Suarius *de fide, disputatione 19. sectione quinta, numero 12.*

398 *Eandem sententiam defendo.*

Eandem sententiam defendo. Dixi autem, *Ob solum dissensum specialis reuelationis*: Nam si dissensus est non solum reuelationi speciali, sed & generali, & à tota Ecclesia propositæ: clarum est sic proferentem in pœnas iuris incidere, modo dissensus sit manifestus. Vnde qui diceret, primæ Veritati per priuatam reuelationem manifestatæ non esse credendum, hæreticus punibilis ab Ecclesia esset; quia negat propositionem à tota Ecclesia receptam. Idem asseruerim in casu, quo quis negaret aliquam propositionem, putans esse ab Ecclesia definitam, quæ tamen non est; licet hæresim committat, (vt annotat Sanchez *numero 30.*) at si manifestet, se nolle credere, quod existimat, ab Ecclesia esse definitum, pœnas non incurret. Audi Suarium *de fide, disputatione 21. sectione secunda, numero 10. Si quis veram propositionem credat, cum animo deliberato non credendi contrarium, etsi Ecclesia illud definiat; quamuis rem creditam exterius proferat, si animum suum non declaret excommunicationem non incurrit; quia nondum hæreticus exterior existit.*

Dvbivm LXXXII.

An negans fidem verbo, vel facto tantùm interius retinens assensum: committat hæresim ab Ecclesia punibilem?

399 *Committit quidem.*

COmmittit equidem. Quia Ecclesia de occulta intentione non iudicat, sed de exteriori. Sic Caietanus *2.2. quæstion. 11. articul. secundo fine.*

Non committit hæresim. Quia hæresis est peccatum fidei oppositum: fides autem in voluntario consistit assensu intellectus diuinæ reuelationi: ergo hæresis debet necessario dissensu illius: igitur cessante dissensu intellectus, cessat peccatum hæresis formaliter. Ita Sanchez *libro secundo, Decalogi capite septimo, numero octauo.* Lessius *libro secundo, capite 43. dubio secundo, numero 11.* Suarius *tomo quinto, in tertiam partem, disputatione quarta, sectione secunda, numero tertio, & de fide, disputatione 14. sectione vltimo numero tertio.* Palao *de fide, tractat. quart. dubio tertio, puncto secundo, numero 16.* 400 *Non committit.*

Cum his opinor. Ex sua quidem communi sententia negante illum esse hæreticum, sit man festè à pœnis hæretico impositis omnino liberari. Quia pœnæ non sunt extendendæ ad alia delicta, præter ea, quibus sunt impositæ. 401 *Cum his opinor.*

Dvbivm LXXXIII.

Qui propositionem Theologicam abnegat estne hæreticus?

HÆreticus est. Quia saltem mediatè diuinæ reuelationi opponitur. Sic Valent. *2.2. d. 1. q. 11. punct. diffic. 3.* Cano *de locis, l. 12. c. 9. vers. Enim vero* Bonac. *d. 2. de Censur. quæstion. 5. numero 5.* 402 *Hæreticus est.*

Non est hæreticus. Quia stare optime potest, vt quis credat, quidquid à Deo reuelatum est, cum negatione alicuius propositionis Theologicæ, eo quod sibi non videatur, rectè deduci ex principio reuelato, & euidenti: vel ex eo, quod principio euidenti, non assentiatur. Ergo negare propositionem Theologicam, hæresis non est. Ita Aragon. *2.2. quæstion. 11. artic. 2.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 7. n. 33.* Suar. *de fide, d. 19. sect. vltim. num. 3.* 403 *Non est hæreticus.*

Eiusdem sum mentis. Nam hæreticus quis esse non potest, nisi obiecto reuelato dissentiat: at conclusio Theologica reuelata non est: ergo eius negatio non est hæresis. Si verò inquiras, in qua peccati specie debeat constitui? Mihi probabilius apparet, per se, & formaliter ad vitium curiositatis studiositati oppositum in materia omnium grauissima pertinere. Quia temere, & imprudenter, conatur ille scire contra id, quod ab omnibus est receptum. Per accidens tamen ad hæresim pertinere crediderim, negans enim in proximum periculum labendi contra fidem inducitur. Addiderim, negantem Theologicam propositionem hæreticum præsumi. Quia nemo præsumitur eam negare, ex eo quod principio euidenti, & euidenti illationi non assentiatur; sed ex eo quod non assentiatur principio supernaturali fidei. Quapropter si in illa negatione perstiterit, tanquam hæreticus negans principium reuelatum est puniendus. Sancius *lib. 2. Decal. ca. 8. numero 12.* 404 *Eiusdem sit mentis.*

CAPVT XXIII.

Circa obligationem denunciandi hæreticum.

DVBIVM LXXXIV.

Teneturne quis denunciare hæreticum, cum solus delictum nouit?

405 *Quæstionis status.*

QVando delictum probari potest, nemini est dubium quemque posse, & debere illud denunciare ex *cap. Quapropter 2. qu. 7.* & *cap. 2. de hæret.* Solum est quæstio, quando delictum ita est occultum, vt nullus alius præter illum illius sit conscius. Quæsierim itaque, num in hoc casu quis hæreticum denunciare teneatur?

406 *Tenetur quidem.*

Tenetur denunciationem iudicialem facere de hæretico, vel apostata. Quia hæreticus videns se denunciatum, vel denunciandum esse, quantumuis occultissimè hæresim manifestet, continebitur timens correptionem, & supplicium. Ex qua ratione probatur ipsi etiam delinquenti denunciationem esse vtilem, tum quia à peccato patrãdo continetur: tum quia à peccato commisso hac via potest reuocari. Et quia talis denunciatio vtilis est non solum ipsi delinquenti, sed & Reipublicæ: ergo est facienda. Sic Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 9.* Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 32. fine.* Simanc. *tit. 19.* Rojas *singul. 13. num. 19. & 20.* Suarius *de fide, disp. 20. sect. 4.* Bonacin. *quæst. 6. punct. 1. num. 9.* Scaccia *de indic. cap. 56.* Farinac. *de hæresi, quæst. 197. §. 2. num. 36.* Barbosa *part. 3. de potest. Episc. alleg. 96. num. 51.* & alij.

407 *Nõ tenetur.*

Non tenetur iuridicam agere denunciationem. Quia ad opus inutile, & nociuum nemo obligari potest: Sed talis denunciatio est inutilis, & nociua: ergo ad illam obligari non potest. Minor probatur Inutilis est, quia Iudex ex denunciatione sic facta non potest ad punitionem delicti procedere, neque ad illius correctionem; quia quilibet horum effectuum probationem integram delicti supponit, quæ nequit haberi. Est nociua, quia siquidem delinquẽs infamatur, nullo fructu ex infamatione obtento. Ita Ioann. Andr. *ad cap. Nouit, de Iudeis.* Villadiego *tract. de hæret. quæst. 10.* Gundisal. *tract. de hæret. quæst. 10. num. 7. &* 8. Ioann. Rojas *singul. 3. num. 3.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 30. num. 4.* Paramo *de crim. S. Inquisiti. lib. 1. quæst. 9. n. 25.*

408 *Primam sententiam tanquam certissimam defendo.*

Teneo tanquam certissimam primam sententiam. Cuius ratio à contrario fundamento aperte sumitur. Nam talis denunciatio est necessaria Reipublicæ, & ipsi delinquenti: ergo est facienda. Est Reipublicæ necessaria; quia per denunciationem impeditur, ne hæresis cancer serpat, qui alios inficiat. Facta namque denunciatione, Iudex procedere potest ad inquirendum de tali delinquente, potestque denunciatorem ipsum in criminis commissi testem recipere; illius enim testimonium suspectum esse non potest, siquidem delictum illud nõ est commissum in denunciatoris iniuriam, sed in Creatoris contumeliam: neque in suum commodum potius quam aliorum cedit punitio. Quam verò vtilis sit denunciatio ipsi delinquenti, nemo est qui dubitare valeat.

DVBIVM LXXXV.

An possit quis denunciationem iudicialem de hæretico facere, si delictum est occultum, & sperat correctione secreta emendandum?

409 *Non potest.*

NOn potest. Quia denunciatio in tali delicto nequit fieri ad delinquentis punitionẽ, sed ad illius correctionẽ, & ad præseruationẽ damni Reipublicę imminentis: sed hic finis obtineri per correctionem fraternam speratur: ergo non est tunc iudicialis denunciatio adhibenda. Consequentiam probo, tum quia Christus Dominus tunc dixit Ecclesiæ delictum proximi manifestandum esse, quando proximus correctionem secretam nõ audierit. Tùm quia charitas obligat medicinam delinquenti adhibere cum minori quæ fieri possit iactura. Sic Gundisal. *de hæret. quæst. 10. num. 6.* Repertor. Inquisit. *verb. Denunciator. vers. An quando proceditur.* Decian. *in tract. crimin. lib 5. cap. 30. num. 3.* Martin. del Rio *Disquis. Mag. lib. 5. sect. 4.*

410 *Potest, & debet,*

Potest, & debet, correctione fraterna omissa hæresim occultam Inquisitoribus fidei manifestare. Quia licet in aliquo casu delinquentis emendatio secreta correctione, vel denunciatione Euangelica speretur: at regulariter præsumi non potest, sed potius credendum, correctum se dissimulaturum, vt sic facilius delinquat, & errores diffundat: sed ob hoc periculum boni communis potest Ecclesia præcipere, vt sibi delicta immediatè denuncientur: ergo posito tali præcepto tenetur quis peccata delinquentis, omissa correctione denunciare, quantumuis in aliquo speciali casu correctio speretur; quia tunc finis legis non cessat absolute. Hoc autem præceptum ab Inquisitoribus fidei præscribitur, vt constat ex tenore edicti communiter publicati: ergo. Ita Symanc. *de Catholic. institut. titul. 24. rubr. de denunc. à num. 10.* Scaccia *de indic. cap. 16. num. 3.* Rojas *tract. de hæret. part. 2. asser. 2.*

411 *Hanc sententiam eligo communiorem, veriorem, vtiliorem Reipublicæ.*

Fateor quidem denunciationem hanc fieri præcipue ad delinquentis correctionem. At quia raro, vel nunquam hæc correctio obtineri potest per fraternam correctionem: meritò Ecclesiæ Iudices in fidei defensionem præcipiunt, ea non obstante, delictum manifestare. Porrò aduersus hoc præceptum à Christo Domino latum de fraterna correctione non pugnat. Tum quia Christi præceptum est de peccatis, quæ in damnum commune, vel tertij non vergunt, quod satis constat ex illis verbis, *Si peccauerit in te frater tuus.* Tùm quia loquitur spectatis rebus secundum se: secus vero si ob commune bonum

bonum lex aliqua lata esset quæ casus communiter contingentes respiceret : tunc enim bonum commune particulari est præferendum; & potius curandum est vitare periculum boni communis communiter contingens, quam in vno, vel alio casu alicuius delinquentis damnum vitare.

Dvbivm LXXXVI.

Si delinquens iam emendatus est, debetne quis eum Inquisitoribus denunciare?

412 *Debet quidem.* DEbet profecto. Quia præceptum denunciationis non est ob specialem deliquentis correctionem tantum, sed præcipuè ob correctionem publicam, & securitatem fidelium, qui finis non videtur obtineri, delinquente emendato, nisi etiam ab Inquisitoribus sit punitus. Sic Suarius *de fide, disputat. 20. sectione. 4. numero 11.*

413 *Nec debet, nec potest.* Nec debet, nec potest. Quia punitio intenditur in satisfactionem iniuriæ factæ Reipublicæ crimine delinquentis: vbi autem crimen est occultum, iniuria Reipublicæ cessat, & consequenter eius satisfactio: Restat ergo vt solum emendatio delinquentis, & damni facti reparatio intendatur. Ergo si totum hoc præsupponitur actum, vel non est locus vt fiat, quia iam delinquens è viuis discessit, cessabit denunciationis obligatio, siquidem illius finis cessauit. Ita Ferdinandez de Castro *de fide, tractat. 4. disputatione 3. puncto 4. numero septimo.* Sà *verb. Denunciatio*, cum Toleto, Soto, & Nauarro.

414 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Nam si delictum fuit occultum, & tibi constat, delinquentem esse emendatum, damnumque reparatum, non poteris denunciationem iudicialem facere : in tali enim delicto non potest punitio à Iudicibus intendi ex *cap. Inquisitionis, §. Tertio, de accusatione.* Abnego quidem finem denunciationis in delictis secretis esse publicam correctionem ; quia cum non sit publicè damnum factum, non est, cur publice corrigatur. Securitas autem fidelium, si delinquens emendatus sit, iam obtinetur. Addiderim, in casu dubio, an Iudex ad satisfactionem Reipublicæ, & delicti commissi vindictam præcipue ad delinquentis correctionem procedat? Probabilius esse, procedere ad correctionem delinquentis: tum quia hic finis benignior est, & Ecclesiæ conuenientior : tum quia procedit per censuras, quæ ad delinquentis correctionem præcipuè ordinantur. Mecum Auila *de censur. par. 2. disputation. 5. dub. 4.* Suarius *de censur. disput. 20. sectione secunda, numero octauo.* Filliucius *tractat. 14. numero 28. & 30.* Bonacin. *de censur. disputatione 2. quæstione 6. puncto 1. numero 18.* Barbosa *parte 3. de potestat. Episcop. alleg. 96. numero 69.*

Dvbivm LXXXVII.

An ratione damni emergentis quis excusetur, à denunciatione de hæresi facienda?

415 *Excusatur quidem.* SI damnum graue quis timeat, excusatur. Quia præcepta diuina, & Ecclesiastica cum tanto rigore non obligant. Quare si ex denunciatione timeat iacturam grauem in re familiari, vita, vel honore, à denunciatione facienda excusatur. Porrò si cum aliis crimen hæresis commisisti, etiamsi tu ab ea desistas, non teneris socios criminis denunciare, quia te ipsum denunciare obligareris: ergo quoties damnum tibi ex denunciatione imminet, cessare à denunciatione poteris. Sic aliqui haud infimæ notæ Doctores, quos presso nomine memorat Ferdinandez de Castro *de fide, tract. 4. d. 3. pun. 4. num 10.*

416 *Non excusatur.* Non excusatur. Quia quisque tenetur bonum commune suo priuato præferre. Ita Rojas *singul. 3. numer. 20. vers. Septimo ampliatur,* & alij.

417 *Auctoris resolutio.* Ego autem existimo, hac in parte prudentia opus esse, neque debere quemlibet proprio consilio duci, sed alieno. Attendere enim debet nocumentum, quod Reipublicæ obuenire potest, ex omissa denunciatione : nam si hoc grauius est, neque alia via potest impediri, nisi denunciatione facta : sine dubio tenetur bonum commune suo priuato præferre : quo in casu verissimam esse reputa secundam sententiam. At si aliqua alia via damnum commune impediri potest: vel non est ita graue vt longe præponderet illius priuato incommodo : non iudico teneri eum denũciationem facere. Mecum Pegna *part. 2. direct. quæst. 53. comment. 78.* Scaccia *de indic. cap. 36. num. 4.* Farinac. *de hæresi, quæst. 197. §. 2. num. 53.* Barbosa *part. 3. de potestat. Episcop. alleg. 96. num. 70.* citans Antonium Genuensem, Vgolinum, & Possevinum Bonacin. *de Censur. disput. 2. quæstion. 6. punct. 1. numero 5.*

Dvbivm LXXXVIII.

An filius possit teneatúrve patrem hæreticum denunciare?

418 *Status quæstionis.* CErtum est quemque teneri propinquos Sanguine denunciare. Quia Reipublicæ bonum priuato est præferendum. Solum est inter Doctores controuersia, an filius possit, & debeat patrem hæreticum denunciare?

419 *Nec debet, nec potest.* Nec potest, nec debet. Quia reuerentia patri debita videtur cuilibet alij obligationi præponderare. Et quia talis denunciatio in graue filij cedit detrimentum ; redditur enim infamis, priuatur bonis, &c. Sic Simanc. *de Cathol. instit. tit. 29. num. 47. & tract. de patre hæret. numero 14.* Rojas vero *singul. 12. numer. 3.* admittit, filium esse obligatum, patrem denunciare, si pater filium ad hæresim induxit, secus si non induxit.

Potest,

42 *Potest, & deb.* Potest, & obligatur. Quia damnum commune speciali est præferendum: neque contra reuerentiam debitam parenti est, eius vtilitatem spiritualem quærere, ac peccata impedire: & potius Deo, quam parentibus est obediendum *Cap. Relatum, de sentent. excommunic. cap. Quisquis metu*, 11. *quæstion.* 3. Nam si licitum est, patrem impugnantem patriam impune interficere *leg. Minime, Digestis de Relig. & sumptibus funeris*: multo magis eundem Catholicæ fidei reum licebit denunciare. Ita Suarius *de fide, disputation.* 20. *section.* 4. *numero* 21. Toletus *libr.* 5. *cap.* 1. *num.* 10. Bonacin. *disput.* 2. *de Censur. quæst.* 6 *punct.* 1. *num.* 5. Barbosa *de potestat. Episc. p.* 3. *alleg.* 96. *num.* 56.

421 *Hoc probabilius esse iudico.* Cum his probabilius opinor, adiiciens cum Pegna *citato*, filium denunciantem patrem hæreticorum filios iure statutis ob præmium delationis liberari, argument. *leg. Quisquis*, §. *vltim. Cod. ad leg. Iulian.* Ne huiusmodi scelus ex defectu delationis maneat impunitum. Quod definiuit Federicus Imperator *in leg. Commissi nobis cœlitus*, quam legem Innocentius IV. postea approbauit in Bulla edita anno 1252. incipiente, *Cum aduersus*. Consentit Castro *lib.* 2. *cap.* 29. Suarius *de fide, disputat.* 20. *sect.* 4. *num.* 22. Porro Farinac. *quæst.* 197. *num.* 45. & Rojas *singul.* 12. *num.* 6. annotant patrem sic à filio delatum mitius esse puniendum, ne scilicet ipse filius in patre puniatur.

Dvbivm LXXXIX.

Teneturne quis Tribunali Inquisitionis Religiosos exemptos denunciare, præcipuè cum apud Pontificem eos deferre possit?

422 *Quæstionis status.* AB Inquisitorum officio olim aliqui Religiosi erant exempti. At iam vsus obtinuit, neminem eximi, neque à suo Prælato iudicari posse; sed remittendos esse fidei Censoribus, qui accuratius causam examinabunt. Suarius *de fide, disputation.* 20. *section.* 4. *numero* 22. Pegna *part.* 3. *Direct. quæst.* 28. *comment.* 77. Quæsierim, tamen, dato, quod hi exempti adhuc sint, & eorum causa ad Sedem Apostolicam esset deferenda, eamque deferre quis facile possit: num teneatur hos exemptos Tribunali Inquisitionis denunciare?

423 *Nō tenetur.* Non tenetur. Quia denunciatio ad inquisitionem, & iudicium ordinatur: si igitur incapaces essent Inquisitores, & Ordinarij inquirendi, & iudicandi hos exemptos, videtur denunciationis obligatio cessare. Sic docti Theologi.

424 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem in tali casu hos exemptos denunciare, ac si à Censoribus fidei exempti non essent. Quia illa denunciatio est efficax remedium impediendi damnum, quod ex hæresi potest prouenire: remissa enim denunciatione ad Sedem Apostolicam, Sedes Apostolica, si firma delatio videatur vices alicui committit inquirendi, & procedendi aduersus illum exemptum. Deinde fidei Censores iurisdictionem, & potestatem habent ad recipiendam testium depositionem, si qui sint, qui velint deponere, *Cap. Inquisitores, de hæret. in* 6. ibi: *Si sciuerint, vel nouerint*, testium, inquam, depositione, alias enim non est scientia, quæ fidem in iudicio faciat. Ergo denuncians, etsi vices denunciatoris non agat, vicem testis subire potest, & delictum exempti manifestare. Ita Ferdinandez de Castro Palao vir quidem circa Sanct. Inquisitionis indulta, & stylum doctus admodum, quippè qui multis annis gessit qualificatoris munus *de fide, tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 4. *numero* 20.

Ego quidem, si hanc lubeat mentem sectari, affirmo, hæc à fortiori procedere, quando vel fuga timeretur, exempti, vel aliquod pernicio sissimum damnum in Ecclesia, eo quod errores disseminaret, & hæreticos defenderet, neque coërceri posset: tunc enim ex benigna interpretatione legis, censetur Pontifex concedere fidei Inquisitoribus potestatem exemptum capiendi. In tali ergo casu certum mihi, te obligatum esse denunciare exemptum. Quia denuncias superiori, qui ex denunciatione inchoare causam potest, etiamsi illam terminare non valeat. Pegna *part.* 3. *Direct. quæst.* 28. *comment.* 77. Molina *tractat.* 5. *de iustit. dub.* 28. *numero* 20. 425 *Auctoris resolutio.*

CAPVT XXIV.

Circa Fautores hæreticorum.

Dvbivm XC.

Qui semel, aut bis ad audiendas conciones hæretici adeat, estne, vt credens illi reputandus?

426 *Nomulla recolo.* RECOLO, nomine credentium hæreticis comprehendi, qui eorum erroribus siue in particulari, siue in cōmuni, siue expresse, siue confuse assentiuntur, signis externis tali assensu manifestato. Nauarra *summ. cap.* 27. *num.* 55. Suarius *de censur. disput.* 21. *section.* 2. *num.* 6. Bonacin. *de censur. disput.* 2. *quæstion.* 5. *punct.* 3. *numero* 2. Portò signa huiusmodi affectum indicantia sunt aut verba, aut facta, è quibus grauis hæresis suspicio nascitur. Quæ autem hæc sint optime expendit Farinac. *de hæresi, quæstion.* 181. *numero* 110. Dubitarim tamen, num si semel, aut bis quis ad audiendas hæretici conciones adeat, vt credens illi sit reputandus?

427 *Reputandus est credens hæretico.* Reputandus est credens hæretico. Quia ex gemino actu licet veritas huius credulitatis non appareat, tamen præfata gravis suspicio oritur, ex qua tanquam credens hæretico quis instè possit condemnari. Sic Doctores communiter, quorum sententiam merito approbat Ferdinandez de Castro. *de fide, tractat. quart. dubio* 3. *puncto* 5. *numero* 2.

428 Ex gemino actu non est ille vt hæretico credere

dens reputãdus. Quia potest iudicari illum non affectus ad doctrinam adire, sed curiositatis causa audire voluisse concionantem hæreticum, Ita Pegna *p. 2. Direct. q. 50. comment. 75.* Decian. *l. 5. tr. crim. c. 18. vers. 16.* Grassi *l. 4. decis. c. 18. n. 29. & 30.* Farinac. *de hæresi, quæstion. 81. num. 115. & 116.* Suarius *de fide, disp. 22. sect. 1. numero 3.*

429 *Auctoris resolutio.* Ego autem sic quæstioni satisfacio: Cum quis Catholicus in terris hæreticorum existens semel aut bis ad conciones hæreticorum pergit, curiositatis gratia gessisse præsumitur: secus verò si in Catholicorum terris occulta ab hæreticis conuenticula celebrari intelligat, & illuc vadat, etiamsi semel: & non denunciat id Episcopo, vel Inquisitoribus, suspicione hæresis non carebit. Cum in hoc casu approbare censeatur, quod potuit auertere, si Iudicibus Ecclesiasticis, vt debuit, indicasset: nisi considerata personæ qualitate, per ignorantiam excusaretur. Mecum Azorius *tom. 1. libr. 8. capit. 15. quæstion. 1.* Farinac. *de hæresi, quæstion. 182. numero 120.* Pegna *citatus.*

Dvbivm XCI.

Sitne fautor hæresis, quando solum ex speciali Inquisitorum mandato, & non ratione officij tenetur fautorem Fidei causæ præstare?

430 *Nonnulla suppono.* COmmunis omnium sententia est, te non esse fautorem hæretici, nisi aduersus iustitiam, & obligationem officij delinquas. Quia cessante obligatione iustitiæ, tibi imputari non potest, hæreticum non corrigi, cum tua non interfit illum corrigere. Atsi ex iustitia obligatus sis hæreticum capere, vel denunciare, quæ obligatio oritur ex officio: fautor hæretici merito diceris, si fauorem debitum præstare omittis. Vnde si Inquisitores, vel Episcopi in fauorem hæresis omitterent delinquentem capere, torquere, punire, & in carcere custodire fideliter, fautores hæreticorum proculdubio essent. Quæsierim vero, an sit fautor hæresis, qui non ratione officij, sed ex speciali Inquisitorum mandato tenetur fauorem causæ fidei præstare, v. g. capere, aut denunciare hæreticum, &c.

431 *Non est hæresis fautor.* Non est hæresis fautor. Quia non videtur aduersus iustitiam, sed solùm aduersus fidem peccare in talis fauoris omissione. Alias quoties subditi Superiori præcipienti non obedirent, duplex piaculum perpetrarent, alterum aduersus illam virtutem, cuius est materia præcepta verbi gratiâ, Temperantiæ, vel Religionis, si Missa, vel ieiunium imperetur: alterum aduersus ius superioris, quod ex omissione sui præcepti læditur. Vnde non sunt fautores hæretici singulares personæ, quibus ex officio non incumbit fidei fauere, & hæresim extirpare. Sic Eymer. *part. 2. quæstion. 52. num. 4.* Farinac. *de hæresi, quæstion. 182. Paragraph. secund. numero 36.*

432 *Est fautor hæresis.* Est fautor hæresis. Quia si lato Inquisitorum præcepto non obediunt, sed omittunt auxilium contra hæreticum præstare, peccant contra ius debitum Superiori præcipienti: quod videtur sufficiens, vt fautores hæreticorum habeantur. Ita Sanchez *lib. 1. Decalogi cap. 10. numero 15.* Pegna *Director. quæstion. 53. comment. 78. versic. Ego.* Palao *tract. 4. de fide, disputat. 3. punct. 5. numero 7.*

His adhæreo Doctoribus. Ex quo fit, si interrogatus à Censoribus fidei celes veritatem, vel requisitus capere hæreticum, id omittas, vel imperatus manifestare hæreticum, omittas denunciare: fautorem hæreticorum te esse habendum. Quia omittis ea gerere, quæ ex speciali tui Superioris præcepto facere debebas. 433 *His hæreo.*

Dvbivm XCII.

Vt quis fautor hæreticorum vere dicatur, sufficitne eum in fauorem hæresis auxilium præstare?

434 *Non sufficit.* NOn sufficit, nisi fauor defensio, & receptatio hæretici præsterur animo fauendi eius hæresi. Vnde si non adsit animus huiusmodi, non erit fautor hæreticorum licet actione ipsa in hæresis fauorem cedat. Quia fere omnes Doctores sentiunt, ad fauorem necessario requiri fauere hæretico, vt hæreticus est. Atsi hæretico quis fauet, quod sit illi amicus, vel consanguineus, non fauet illi, quia hæreticus est. Ergo non est fautor hæretici. Sic Sanchez *lib 2. Decalogi cap. 10. num. 5.* Bonacin. *de cen ur. disput. 2. quæstion. 5. punct. 3. numero 1.* & alij.

435 *Sufficit quidem.* Sufficit quidem. Quia si auxilium impendit quis hæretico cedens necessario in hæresis fauorem, absolute vult in executione hæresi fauere: fauor enim hæresis omnino consistit in illo auxilio præstito, nec impeditur ex alia vniuersaliori intentione, si forte habeat: ergo verè dicendus est fauere hæretico, vt hæreticus est, quoties illius hæresi fauet. Ita Sua. *de fide, d. 24. sect. 1. n. 9.* Castro Palao *de fide, tract. 4. d. 3. pun. 5. num. 9.*

436 *Hanc sententiã probabiliorem eligo.* Probabilius censeo, hæreticorum esse fautorem, qui in fauorem hæresis auxilium præstat, etiamsi non procedat auxilium ex animo fauendi hæresi, sed satisfaciendæ alteri humanæ obligationi. Nam ex variis textibus in *titul. de hæreticis, in 6.* aperte constat, solum fauorem hæretico factum cedentem quidem in hæreticæ prauitatis fauorem attendi, vt fautoriam hæresis constituat: neque aliam intentionem formalem requiri. Patet hoc ex *cap. Accusatus, §. Sacerdotes, de hæret. in 6.* vbi Sacerdotes, & alij Clerici impedientes Inquisitionis officium, compesci possunt, tanquam hæretici fautores. *Cum non sit dubium* (textus ait,) *eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis.*

Dvbivm XCIII.

An Fautores hæreticorum incurrant, pœnas iure præscriptas antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint?

437 *Nonnulla recolo.* Recolo pœnas, quibus receptatores, fautores, defensores, hæreticorum afficiantur, quas ferè omnes enumerat Pontifex in *cap. Excommunicamus*, §. *Credentes, de hæret.* in hæc verba: *Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere: firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum: ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, neque causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit ad duocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum Authore damnato damnentur: & in similibus idem præcipimus obseruari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio, & Beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati euitare contempserint, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sane Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta: nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ, nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant: alioqui suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc iniungatur, vt eorum priuilegia in illa Diœcesi non seruentur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare.* Quæsierim ergo, an præfatas pœnas incurrant fautores hæreticorum antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint?

438 *Non incurrunt.* Non incurrunt. Quia id indicat textus illis verbis: *Postquam quis fuerit excommunicatione notatus, & per annum insorduerit*: & illis, *Ab Ecclesia fuerint denotati.* Quę omnia indicant excõmunicationis publicationem, Sic Eymer. *p. 3. q. 123. n. 2.*

439 *Aliqui ex his incurrũt.* Distinguo de pœna infamiæ, & inca pacita tis ad testandum, & ad officia publica, & in his requiritur, per annum in excommunicatione insordescere; in reliquis verò pœnis spiritualibus, quales sunt priuatio Beneficiorum Ecclesiasticę Sepulturę, orationum, & oblationum, hanc perseuerantiam, & publicationem excommunicationis non requiro. Ita Suarius *de fide, disputatione 24. sectione prima, fine.*

440 Ego autem existimo, ex vi prefati textus & ratione excommunicationis, nullam ex supradictis pœnis fautores hęreticorum incurrere nisi per annum in excommunicatione notati insorduerint. Quod indicauit Eymer. cum loco allegato dixit, *Non videntur alias pœnas incurrere ex eo quod stant in excommunicatione per annum, nisi sic excommunicati notentur, & publicentur.* Quasi diceret, & alio capite illos incurrere posse. Ideo enim dixi, *Ex vi præfati textus*, nam ex vi aliorum textuum eas pœnas incurrunt. Certe de pœna infamię, priuationis officiorum, incapacitate ad testandum, & ad succedendum, tradit Farinac. *de hæresi. qu. 183. num. 59. 60. & 106.* De Beneficiorum priuatione tradit, *num. 40. & 107.* prętęrquam quod priuatio Beneficiorum, quę habentur, non fit ipso iure, sed per sententiam saltem declaratoriam, vt aliis allegatis, docet Pegna *part. 3. Director. comment. 16.* Farinac. *qu. 189. num. 73.* Ad alia vero obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur, vt constat ex *cap. Quicumque, de hæret. in 6. vers. Hæretici.* Limito tamen sententiam in sepultura Ecclesiastica, & orationibus gerendis pro fautore hęreticorum. Quia eo ipso, quod constet, aliquem fouendo hęreticis decessisse, non debet inter Christianos Sepulturam obtinere, neque pro illo orationes fundi in peccato enim lethali, vinctus excommunicatione decessit, *cap. Sicut, de hæret. & cap. 2. eodem titulo, in 6.* & ex Constitut. Innocentij IV. quę incipit, *Nouerit.* Verum tamen hoc raro constare poterit: nisi condemnatus sit.

Auctoris resolutio.

CAPVT XXV.

Circa spirituales hæreticorum pœnas.

Dvbivm XCV.

An sufficiat declarari aliquem esse hæreticum, quin declaretur, esse excommunicatum, vt vitandus sit?

441 *Nonnulla præmitto.* Certum est, hęreticum esse ipso iure excommunicatum ex *Cap. Cum Christus, initio. Cap. Ad abolendam. Cap. Excommunicamus, 1. & 2. de hæret. cap. Nouerit, de sentent. excommunic.* Excommunicatio autem lata in illis capitibus non erat Pontifici reseruata, quę tamen iam reseruata est ex constitutione Bullę Cœnę *clausul. 1.* Debet autem hęresis esse signo aliquo externo manifestata; nam pure mentalis Ecclesiæ iurisdictioni non subditur; quia Ecclesia visibilis est: subditur autem quęlibet hęresis externa quantumuis occulta. Certum etiam est, iure diuino nullam esse latam excommunicationem aduersus hæreticos. Quia excommunicatio hæc consistit in participatione actiua, & passiua Sacramentorum,

rum, communione fidelium, ac Ecclesiæ suffragiis: quibus omnibus iure diuino hæreticus non magis priuatus, quam peccatores omnes existit. Porrò hæc excommunicatio non constituit hæreticum vitandum, quousque sit denunciatus ex *Extrauag. Ad euitanda scelera.* In qua omnibus fidelibus fauor conceditur communicandi cum excommunicatis, qui expresse, & specialiter denunciati non fuerint, modo non sint manifesti Clerici percussores. Quæsierim verò, num sufficiat declarari aliquem esse hæreticum, quin declaretur, esse excommunicatum, vt sit vitandus.

441 *Non sufficit.*

Dubitatio hæc magis est speculatiua quam practica; nunquam enim Iudices ita diminute in declaratione procedunt, vt exprimant delinquentis peccatum, & non censuram illi annexam. Sed casu, quo aliquando id contingeret; Non sufficit declarari aliquem esse hæreticum, vt sit vitandus. Quia Extrauagans *Ad euitanda* petit, vt censura sit declarata formaliter, & expresse: At declarato delicto, non est declarata formaliter, & expresse censura, sed solùm virtualiter, & in radice: ergo non sufficit. Sic Sanchez *libro secundo, Decalogi capite nono, numero quarto*, Nauarra. *Miscellan. 47. de oration. numero 2.* Graff. *part. 1. Decis. libr. 4. cap. 11. num. 5.*

443 *Sufficit quidem.*

Sufficit quidem. Quia verba Extrauagantis solum indicant declarationem fieri personæ delinquentis deberi, quin de censura expresse mentio fiat. Inquit enim, non esse fidelibus obligationem vitandi excommunicatum, nisi sententia, vel censura, aut prohibitio contra personam certam à Iudice publicata, & denunciata fuerit formaliter, & expresse: ergo siue sententia, siue prohibitio, siue censura publicata sit, erit sufficiens, vt hæreticus sit vitandus. Et quidem hic modus dicendi est fauorabilior fidei, in cuius obsequium leges pœnales extendi assolent. Ita Suarius *de Censur. disputatione nona, sectione secunda, numero 10. & de fide, disputatione 21. sectione tertia, numero octauo*, Gutierrez, Manu. Medin. Sotus, quos allegat Sanchez *vbi suprà. numero 4.*

444 *Media via mihi ij procedendū.*

Media via procedam. Nam si iudex declarat te esse hæreticum, incurrisse que censuram ei crimini annexam, si censura sit excommunicationis, assero esse sufficienter declaratam, vt iuxta decretum Concilij Constantiensis declaratus, & publicatus sit. Quia Concilium solum petit declarationem formalem, & expressam Censuræ: sed illa est expressa, ac formalis declaratio Censuræ crimini annexæ, quamuis non sit declaratio expressior, ac formalior, quæ esse potest: ergo. Attamen non sufficere alicuius delictum, nisi censura declaretur, sic probo, destruendo fundamentum allatum pro Suarij sententia. Ipse enim ex verbis Extrauagantis Concilij Constantiensis inferebat, sufficere declarationem cuiusque rei, vel delicti, vel Censuræ: quod quidē minime infertur. Audi precor Concilium Basilense *sess. 20. ad finem*, referens enim extrauagantem Concilij Constantiensis, inquit, *Ad vitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extra pretextu cuiuscumque sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit contra personam, Collegium, Vniuersitatem Ecclesiam, aut locum certum à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse.* Sensus clausulæ est, te non esse obligatum abstinere à communione illius, qui per aliquam sententiam, vel mandatum, vel ratione alicuius suspensionis, aut alterius censuræ prohibitus est tecum communicare, nisi talis sententia mandatum, suspensio, censura denunciata, publicatáque sit. Posita autem hac publicatione, & denunciatione videris obligatus, ab illius communicatione abstinere. Ex his tamen non infertur, te debere abstinere ab illo tanquam à nominatim excommunicato, cum verba Concilij non tam de excommunicatione, quam de alia quauis sententia, & mandato, suspensione; & censura loquantur.

Dvbivm XCV.

Qui citatus ad respondendum de fide, integro anno in excommunicatione insorduerit, potestne mox post elapsum annum declarari esse hæreticum?

445 *Præmitto Tridentinū decretum circa hæreticos in excommunicatione insordescentes.*

PRæmitto Tridentinum *sess. 25. capite tertio. Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones, &c. indurato animo censuris annexus in illis insorduerit procedi posse contra eum tanquam de hæresi suspectum.* Comprehendit Concilium tam excommunicatum ex causa criminali, quam ciuili. Porrò in materia fidei qui citatus ad respondendum, nullo allegato impedimento, neglexerit integro anno respondere, habetur pro confesso, & tanquam hæreticus est condemnandus. *Cap. Cum Contumacia, de hæretic. in sexto.* Quæ sierim vero, quanto tempore post annum huius contumaciæ, debeat Iudex expectare, vt reum condemnet, seu declaret esse hæreticum præsumptione iuris, & de iure? An mox post elapsum annum possit declarari esse hæreticum?

446 *Non potest mox post annum elapsum declarari.*

Non potest mox, sed post triennium, vel saltem biennium. Quia in *Cap. Cum bonæ memoriæ, de ætate, & qualitate*, ob perseuerantiam triennalem priuatus fuit Clericus Beneficiis. Et *cap. Grauem vltim. de pœnis*, biennium videtur in laico expostulatum. Sic Abbas *capite primo, numero 23. vers. Fateor, de iudic.* Alciat. *ibi, numero trigesimo septimo.*

447 *Declarari mox potest.*

Potest equidem mox post annum elapsum declarari esse hæreticum, & condemnari. Quia id ex *Cap. Cum contumacia* præfato, aperte

colligitur ibi, *Cum contumacia in causa præsertim fidei suspicioni præsumptionem adiiciat vehementem, si suspectus de hæresi vocatus a vobis, vt de fide respondeat, excommunicationis vinculo, pro eo, quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat per vos fuerit innodatus: quam si per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.* Vbi verbum, *Ex tunc* clare denotat, mox post anni integri obsurditatem, posse hæreticum declarari, at puniri. Ita multis allegatis Eymer. *part.2.Director.quæstion.47.num.6.* Menoch. *lib.2. de arbitrar. casu 416. numero 65.* Salcedo *capite 116.practic.fine.* Ferdinandez de Castro *de fide,tractat.4.dubio 4.puncto secundo, numero nono.*

448 *Id arbitrio Iudicis relinquendum esse, indico.*

Tenendum reor, Iudicis arbitrio id esse relictum. Quia nullo textu video caueri hanc expectandi post completum annum obligationem. Neque enim id suadent allegati pro prima sententia textus; nam referunt, quid factum sit, non autem inducunt dispositionem. Aduerto tamen cum Farinacio *de hæresi,quæstion.192.numer.222.* apte agere Iudicem elapso aliquo tempore post annum, si iterum citet rebellem, ad allegandum, quare tanto tempore in excommunicatione insorduerit. Quod si vltimæ huic citationi etiam se rebellem præstiterit, tunc vt hæreticus est condemnandus, neque amplius expectari oporteret.

Dvbivm XCVI.

An nomine Episcopi, qui possit in foro conscientiæ de occulto crimine hæresis absoluere, intelligendum sit Sede vacante Capitulum?

449 *Præmitto Tridentini indultum datum Episcopis, ad hæresis occultæ absolutionem.*

TRidentinum præmitto *sess.24.cap.6.* profantem, *Licet Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tamen, non eorum Vicariis sit permissum.* Nomine Episcopi, cui hæc facultas commissa est, sunt intelligendi omnes illi, qui subditos habent; quia respectu subditorum facultas impenditur. Vnde debent esse Episcopi electi, & confirmati; ante confirmationem enim iurisdictione non potiuntur; non tamen necessarium est, esse confecratos: imo neque esse Sacerdotes, vt possint ab excommunicatione reseruata absoluere; quia non debet absolutio Sacramentalis impendi. Sanchez *libro secundo, Decalogi capite vndecimo, numero tertio*, Barbosa *parte secunda, de potestat. Episcop. allegat.39. numero secundo*, citans alios. Requiritur autem necessariò, vt sint Episcopi illarum Regionum, in quibus receptum est Concilium, alias vti non poterunt hac facultate, nam media receptione, & acceptatione illis conceditur: neque fas est, acceptare gratias, & onera repellere. Sanchez *num.2.* Barbosa *num.3.* Garcia *de Benefic.part.7. cap.11.num.23.* Suarius *de Censur. d.42. sect.2. num.6.* His præmissis, quæsierim, num Capitulum Sede vacante, nomine Episcopi sit intelligendum?

Intelligendum venit. Quia Capitulum succedit Episcopo, & sicut Episcopus potest delegare potestatem absoluendi ab hæresi, sic potest, & Capitulum. Et quia Capitulum potest maioris partis suffragiis determinare, hæreticum absoluendum: ergo potest illum absoluere. Sic Sanchez *l.2.Decal.c.11.n.4.* 450 *Intelligendum venit, nomine Episcopi.*

Non venit intelligendum. Quia Concilium solis Episcopis non eorum Vicariis hanc absoluendi facultatem concedit. Cum autem Capitulum iurisdictionem exerceat per Vicarium deputatum, non apparet, qua ratione possit potestate absoluendi ab hæresi gaudere. Ita Suar. *tom.4.de pœnit.d.30.section.2.numer.4.* Ledesm. *tom.2.summ.tractat.1.cap.6.post 20. concl. difficultat.5.* Bonacin, *de censur.disput.7. quæstion.5. punct.1.* 451 *Non venit intelligendum.*

Probabilius existimo, nullatenus posse Capitulum ab hæresi absoluere. Quia non potest absoluere per Vicarium, quod præcauet Concilium; neque etiam absoluere potest per se ipsum. Nam vt per se ipsum absoluat, debet delictum integre cognoscere: cognito autem delicto à Capitulo, iam non occultum, sed publicum; ergo cessat Tridentini facultas, quæ solùm pro delictis occultis impenditur. 452 *Hanc sententiam probabiliorem esse reor.*

Dvbivm XCVII.

An intelligendi sint nomine Episcopi ad effectum absoluendi à crimine occulto hæresis Abbates, & alij Prælati inferiores, iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem sua in Diœcesi habentes?

INtelligendi non sunt. Quia hoc est à Tridentino concessum iure speciali Episcopis ob eorum dignitatem: ergo extendendum non est ad alios tali dignitate carentes. Hæc facultas derogat iuri communi: ergo ex hac parte limitanda est, vt nomine Episcopi solum veniant intelligendi, qui propriè Episcopi sunt. Sic Toletus *lib.1.cap.83.num.5.* Suarius *de pœnit.disputation.30.section.2.numero 6.* Garcia *de Benefic.part.7.cap.11.num.13.& 17.* Bonacina *d.7.de Censur.quæstion.5.punct.1.num.6.* Barbosa pluribus relatis, *part.2.de potestat.Episc.allegat. 39.num.17.* Cenedo. *in Collect.ad 6.collect.4.numero quinto.* 453 *Intelligendi non sunt.*

Sunt intelligendi nomine Episcopi. Quia potestas hæc absoluendi in hoc decreto episcopis concessa ad iurisdictionem pertinet: sed huiusmodi Abbates, & Prælati iurisdictione episcopali gaudent, solumque ab Episcopis in consecratione differunt: Ergo nomine Episcopi intelligendi sunt. Ita Sayrus *in Clau.lib.6.cap. 11.num.8.* Auila *de Censur.p.7.d.10.dub.6.* Henriq. *lib.6.cap.6.§.1.* Flores de Mena *variar. li.3. qu.24.num.18.* generaliter loquuti. De casu autem hæresis Sanchez *lib.2.Decal. cap.11. num. 5.* Manuel. *tom.2.summ.cap.10. num.6. concl.6.* Palao *de fide,tractat.4. disputat.4. punct.3. §.1. numero 4.* 454 *Sunt intelligendi.*

Satis

455 *Probabilius hoc mihi.* Satis probabilem primam sententiam esse reor, sed probabiliorem iudico esse secundam. Hæc enim facultas latè est interpretanda, quia est inserta in corpore iuris, & ius commune constituit. Et quidem in materia absolutionis reducit rem ad pristinum statum, in quo nulla etiam pro crimine hæresis erat reseruatio. Item est concessa non personæ, sed dignitati, in queis casibus certum mihi latissimam esse interpretationem faciendam.

Dvbivm XCVIII.

An Prælati Regulares etiam Conuentuales exemptorum Ordinum intelligantur, Episcopi nomine ad potestatem absoluendi ab hæresi occulta ex decreto Tridentin.

456 *Intelliguntur nomine Episcopi.* NOmine *Episcopi* intelliguntur. Quia ij iurisdictionem quasi Episcopalem habent. Ergo ex Tridentini decreto competit eis præfata facultas. Sic Manu. *tom.1.qq.Regul. q.61. a.9.*

457 *Non intelliguntur.* Nomine *Episcopi* non intelliguntur ex decreto Concilij. Quia illis videtur esse concessa huiusmodi facultas, qui Diœcesim habent, vt constat ex illis verbis. *Pro Diœcesi sua*: sed hi Prælati non habent Diœcesim: ergo non videntur in hac potestate comprehendi. Ita Sãchez *l.2.Decal.c.11.n.7.* Garcia *de Benef. p.7.c.11.n.13.* asserens à Cardinalium Congregatione esse decisum. Barbos. *p.2.de potest.Episc.allegat.39.n.18.*

458 *Cum his sentio.* Cum his sentio. Sed tamen, licet in facultate à Tridentino concessa non comprehendantur, comprehenduntur ex particulari extensione, quam Pius V. fecit. Nam in quodam Motu proprio relato à Manuele *tom.1. qq.Regul.q.61.a.9.* Sic habetur: *Quia Sacrum œcumenicum Concilium generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possent in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess.24.cap.6. habeatur: ne Prior, Prouincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis tam in dicta Prouincia, quam extra eam videlicet in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut seculares existant: eisdem Priori Conuentuali, & superioribus Prælatis; vt ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi quam alias quascumque facultates eisdem authoritate, tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus, præsentes literas perpetuo durare, & valere.* Sanchez *libr.8.de matrimon.d.2. num.13.* Henriquez *lib.6.cap.16.§.8. & libr.7. cap.25.§.2. & lib.14.cap.vltim.§.5.ad finem.* Licet autem Sanchez *lib.2. Decalog.cap.11.nu.7.* limitet hanc facultatem in crimine hæresis, cuius absolutio ob eius grauitatem non censetur concessa, nisi exprimatur: at in huiusmodi priuilegio non exprimitur, sed solum, exprimuntur generaliter, quæ Episcopis in illo decreto conceduntur. Ergo licet in illo decreto absolutio ab hæresi expresse concedatur Episcopis, Prælatis Regularibus concessa non censetur. At tanti Doctoris mei venia, credo concedi. Quia licet hæresis absolutio verbis expressis non concedatur, æquipollentibus conceditur. Dicitur enim, vt possint tales Prælati in sibi subditos idem omnino, ac possunt Episcopi, quod verum non esset, si facultas absoluendi ab hæresi eis data non esset. Verum quidquid sit de hac concessione certissimum est, præcipuè in Hispania, nullatenus posse Prælatos etiam in foro conscientiæ Religiosos sibi subditos absoluere; sed Inquisitoribus remittere debere, ex *constitut.* Pauli V. quam refert Emanuel. de Villedemoura *de Incantationib. in Ensalm sect.3.c.1.n.10.* Cuius meminit Barbos. *p.2.de potest.Episc.allegat.40.n.39.*

Dvbivm XCIX.

An Episcopus, si in hæresim labatur, possit præfato Tridentini indulto absolui?

459 *Absolui nõ potest.* NOn potest absolui. Quia se ipsũ absoluere nequit, sed id debet facere Cõfessarius ab eo electus: At ipse circa crimen hæresis non potest vices suas alteri committere; (de quo inferius.) Ergo neque poterit committere Confessario, vt illum absoluat. Sic Docti quidam, nimium tamen scrupulosi.

460 *Potest absolui.* Absolui potest. Quia Confessor Episcopi habet respectu Episcopi eam facultatem absoluendi, & dispensandi, quam habet Episcopus respectu suorum subditorum, ne Episcopus deterioris conditionis suis omnibus subditis existeret. Ita Ferdinandez de Castro *de fide, tr.4.d.4.pun.3.§.1.n.9.* Sanchez *lib.2. Decalog.capite vndecimo, numero vndecimo*, Barbosa *in Remiss.Concil. super hoc decretum, ver. In Diœcesi sua.*

461 *Hoc tenendum existimo.* Hoc tenendum existimo. Nam ex vi huius concessionis iam casus occultæ hæresis Pontifici reseruati non sunt, siquidem Episcopus habet potestatem illos absoluendi: sed cum casus Episcopi reseruati non sunt, potest Confessarius Episcopi ex facultate sibi à iure concessa Episcopum ab illis absoluere: ergo.

Dvbivm C.

An verba illa Concilij, In Diœcesi sua, *sint restrictiua facultatis Episcopo concessæ ad absoluendos ab hæresi occulta subditos?*

462 *Non sunt restrictiua.* REstrictiua non sunt, sed potius quasi illius extensiua. Quia comprehendunt subditos qui verè subditi sunt, ratione domicilij, siue existant in Diœcesi, siue extra: & etiam subditos, qui solùm ratione transitus in Diœcesi commorantur. Vnde potest Episcopus virtute huius facultatis absoluere ab hæresi, reliquisque censuris subditum existentem in aliena Diœcesi, etiamsi ipse Episcopus extra Diœ-

cesim adsit. Quia requiri in primis non potest, vt vterque Episcopus scilicet, & subditus in Diœcesi existant: esset enim Concilij priuilegium nimis coarctare. Deinde requiri non potest, vt Episcopus in Diœcesi propria existat, vt subditum à censuris absoluat; quia hæc absolutio est voluntariæ iurisdictionis exercitium, quod vbilibet erga subditos fieri potest. Vt ergo intelligeremus, Concilium hanc iurisdictionem voluntariam limitasse, verbis clarioribus vti debebat, sicuti gessit *sess. 6. cap. 5.* cum dixit: *Nulli Episcopo liceat, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere.* Tandem requiri non potest, vt subditus in Diœcesi propria existat; quia verba illa, *In Diœcesi sua* non possunt ad subditos referri: alias non diceret, In *sua*, sed in eorum *Diœcesi*. Item Concilium apposuit virgulam diuidentem subditos à *Diœcesi sua*. Dixit enim, *Liceat Episcopis, quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua absoluere.* Sic Sanchez *l. 2. Decal. ca. 11. num. 17.* Barbosa *in Remis. Concil. super hunc locum.*

463 *Sunt quidē.* Sunt quidem restrictiua facultatis absoluendi. Quia illa verba ibidem apposita, *In foro conscientiæ*, limitatoria sunt; nam ex vi illorum non prodest absolutio pro foro externo: ergo etiam sunt restrictiua, aut limitatoria ea verba, *In Diœcesi sua*. Adde, nullam clausulam in debere, imo neque vllam syllabam. Sanchez *lib. 3. de matrimon. d. 46. num. 6.* Sed superfluerent illa verba, si potestas absoluendi non limitaretur, vel ad subditos existentes in propria Diœcesi Episcopi, vel ad Episcopum existentem in sua Diœcesi: ergo ad vnum è duobus est limitanda. Minor probo. Nam concessa Episcopis facultas absoluendi à censuris, potest absoluere quemcumque subditum quomodocumque sit subditus, vel ratione domicilij, vel ratione habitationis: ita vt si sit subditus ratione domicilij, potest absoluere illum vbilibet existentem, quia non amittit subiectionem; si sit subditus ratione habitationis, dum actu habitat, quia tunc est subditus. Ergo illa verba, In *Diœcesi sua*, nihil operantur: ergo superfluunt. Hoc autem dicendum non est. Igitur est dicendum, limitationem esse facultatis absoluendi ad vnum è duobus, vel ad subditos existentes in sua Diœcesi, vel ad se ipsum in sua Diœcesi existentem. Ita Ferdinandez de Castro *de fide, tractat. 4. d. 4. punct. 3. §. 1. numer. 12.* Suarius *de censur. disputatione 41. sectione secunda, numero vndecimo*, asserens limitandam esse ad subditos.

464 *His adhæreo.* Ego quidem vtrique adhæreo ex quo capite docent particulam esse limitatoriam. At à Suario recedo, & Ferdinandum de Castro imitor, ex quo capite asserit, illa verba referenda esse ad Episcopos absoluentes, & ex illis esse limitanda, ita vt Episcopus extra propriam Diœcesim existens non possit vti hac facultate sibi concessa; sed necessario debeat existere in sua Diœcesi, vt illam valeat exerere. Moueor, quia illa verba, *In Diœcesi sua*, non possunt ad subditos commode referri. Et ratio congruentiæ efficacius in Prælatis, quam in subditis procedit: magis enim pax, & concordia in Prælatis offendi potest, ex eo quod quis vtatur extra propriam Diœcesim existens potestate absoluendi sibi concessa, quam ex eo quod existens in propria, subditos alibi existentes absoluat. Nec hoc est derogare iuri communi ex voluntariè iurisdictionis exercitio, quod vbilibet potest exerceri: sicut non est derogatio iuris communis, & facultatis absoluendi, quod absolutio solum pro foro conscientiæ prosit.

Dvbivm CI.

Delictum hæresis occultum, ad cuius absolutionem Episcopus habet potestatem, estne illud, quod verè probari non possit?

Qvarta particula indulti Concilij est, *Vt delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum.* Certe occultum dicitur à Concilio, quod verè non potest probari: ac proinde condistinguitur contra probabile. Quia si probari potest, clarè indicatur esse aliquibus manifestum: vnde occultum non est. Sic Garcia *de Benefic. parte septima, capite 11. numero sexagesimo sexto.* Graff. *tomo secundo, consil. titul. de homicidio, consil. 2. numero 20.* Gutierrez *libro primo, Canonic. qq. cap. 13. num. 27.* Manuel. *in addit. ad Bullam*, §. 9. *numero 69.* & alij. 465 *Est occultū dicitur.*

Non dicitur occultum, quod vere non potest probari, sed quod distinguitur à notorio publico, vel famoso. Quapropter etiamsi delictum ab aliquibus sciatur, (vnde probari valeat) modo non sciatur à maiori parte viciniæ, vel Collegij, in qua sint ad minus decē personæ neque in iudicium sit deductum: occultum debet dici. Quia si nomine *occulti* delictum, quod in iudicio probari posset, intelligeretur, inutiliter expostulauit Concilium, ad forum contentiosum non esse deductum, cum sufficiens erat posse deduci. Ita, pluribus relatis, Sanch. *l. 2. de matrimon. d. 38. n. 11.* & *l. 8. d. 34. n. 55.* & *l. 2. Decal. c. 11. n. 19.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 10. q. 9.* Bonac. *de Censur. d. 1. q. 3. punct. 2. numero 1.* Molina *de iust. tr. 3. d. 79. n. 6.* Barbosa plurimos referens. *p. 2. de potestate Episc. allegat. 39. numero 24.* 466 *Non dicitur occultū.*

His adhæreo Doctoribus annotans, delictum debere in ratione delicti esse occultum. Quod aduerto, quia contingere potest, aliquem excommunicatum ministrare publicè Sacramenta, at publicum non esse ligatum excommunicatione illa ministrasse: & tunc delictum occultum omnino erit. Sà *v. Episcopus, num. 35.* Sanchez *l. 8. de matr. d. 34. num. 56.* 467 *His horū Doctorum.*

Dvbivm CII.

Si delictum ad forum contentiosum deductum sit, & ibi punitum: poteritne Episcopus, tunc absoluere, vel impedimento inde proueniente dispensare?

468 *Poterit quidem.* POterit quidem. Quia finis Concilij in hac reseruatione cessat, reseruauit enim delicta

delicta publica, & deducta ad contentiosum forum, ne Episcopi absolutione satisfactio publica pro delictis publicis exhibenda, impediretur: at iudicio finito, & publica satisfactione exhibita, cessat hic finis: ergo poterit Episcopus reum absoluere. Sic Sanchez *lib. 2. Decalog. c. 11. n. 11.* Henriquez *lib. 14. de irregul. c. 7. n. 5.* Auila *de Censur. parte secunda, dubio septimo, & parte septima, disputation. 10. dub. 7.* Reginald. *libr. 30. numero 29.*

469 *Nō patet.* Minime potest. Quia euidens est, illud delictum notorium esse, & publicum: siquidem est in iudicio probatum; ea autem, quæ sic probata sunt, notoria sunt. Idem est cum ad forum contentiosū deductū est, siquidem ibi est probatum, & punitum: ergo sub hoc priuilegio non comprehenditur. Probo consequentiam. Quia priuilegium est de delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto: quod in hoc delicto verificari nequit. Item absolutio, quæ in illo indulto conceditur, est solum pro foro conscientiæ: at delictum sic manifestum, & publicum non solum indiget absolutione pro foro conscientiæ, sed etiam pro exteriori: ergo sub hac concessione tale delictum non fuit comprehensum. Ita Suarius *de Censur. disp. 41. section. 2. num. 5.* Gutierrez *libr. 1. Canon. qq. cap. 3. ad finem.* Bonacin. *de Censur. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 2. & disp. 7. quæstion. 5. puncto primo numero quinto.* Barbosa *parte secunda, de potestat. Episcop. allegat. 39. numero sexagesimo primo.*

470 *Hic mihi probabilius.* Probabiliorem plane sententiam hanc defendo. Quia esto admittamus, in illo delicto esse satisfactum intentioni Concilij negantis absolutionem delicti publici, & ad forum contentiosum deducti: non inde infertur, posse Episcopū in eius absolutione se intromittere, nisi à Pontifice fuerit concessum. Cum autem sub verbis concessionis illa delicta non comprehendantur, ad illa se extendere non potest. Certe ratio primæ sententiæ hæc probat optime conuenire, vt Pontifex Episcopis hanc impendat facultatem, non tamen probat esse concessam.

Dvbivm CIII.

An absolutio hæresis, potsit ab Episcopo alteri committi?

471 *Potest committi.* POtest committi. Quia potestas hæc absoluendi ab hæresi commissa est Episcopis præsentibus, & futeris in perpetuum: sed quando aliquid sic conceditur, non eligitur industria personæ, sed officij, ac dignitatis, vt tradit Iason. *ad leg. More maiorum, num. 65. Digestis, de iurisdict. omn. Iudic.* Menoch. *de arbitrar. l. 1. quæstion. 64. num. 17.* Gregorius Lopez *leg. 47. titul. 18. part. 3.* Ergo de se delegabilis est. Sed ex supradictis verbis Concilij hæc delegandi potestas non ita restringitur, & limitatur, vt nullo modo delegari valeat: ergo. Minorem probo. Nam Concilium solum excludit Vicarium ad id specialiter deputatum: sed hoc intelligi potest de Vicario specialiter deputato ad casus hæresis contingentes: non de Vicario specialiter deputato ad vnicum casum tunc accidentem: ergo ille quasi generalis Vicarius erit exclusus, non autem hic specialissimus. Sic Sà *verb. Episcopus, num. 37.* Sanchez *lib. 2. Decalogi, c. 11. num. 21.* Nauarra *lib. 1. Consil. titul. de constitution. consil. 1. q vltim. num. 89.* Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 10. q. 11.* Corduba *summ. quæstion. 8.* Henriquez *libr. 6. de pœnit. capite 14. numero septimo.* Manuel *quæstionum Regularium, qu. 30. artic. 11.*

Committi non potest. 472 Committi non potest. Quia in hac absolutione ille Vicarius est exclusus, qui admissus fuit in absolutione à reliquis casibus reseruatis, vt ex contextu videtur constare: sed pro reliquorum casuum absolutione quilibet Vicarius siue generalis siue specialis deputari potest, vt Sanchez pro prima sententia citatus admittit: ergo pro absolutione hæresis quilibet erit exclusus. Ita Petr. Molina *tr. 5. de iustit. d. 18. n. 2.* Gutierrez *l. 1. Canon. qq. c. 13. num. 9.* Garcia *de Benef. p. 11. c. 10. num. 113.* Lorca 22. *d. 45. n. 11.* Suar. *de pœnit. d. 30. section. 4. num. 8.* & alij.

Probabiliorē reor esse hanc sententiam. 473 Licet prima sententia satis mihi probabilis sit, longe probabilius reputo, omnem Vicarium esse exclusum, ac proinde non posse Episcopum per alium, quam per se ipsum ab hæresi absoluere, neque in hac restrictione committitur vlla iuris communis derogatio. Siquidem Episcopi non habent à iure communi potestatem absoluendi à reseruatis Pontifici. Cum ergo eis impenditur talis facultas, limitari, coarctarique poterit à Pontifice, vt solùm ipsis prosit, non aliis: quod non est Episcoporum iuri derogare, sed beneficium limitate concedere.

Dvbivm CIV.

Potestas absoluendi ab hæresi concessa Episcopis à Tridentino estne per clausulam Bullæ Cœnæ reuocata?

Recolo Bullæ clausulā ad statum quæstionis. 474 IN vltima Clausula Bullæ Cœnę sic habetur: [Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, neque etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandatis, & satisfaciēdo cautione præstita, absolui potest, etiam prętextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularium, & quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, ac militarium, Regularibus etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis.] Et additur excommunicatio aduersus eos, qui sic absoluere præsumpserint. Sic Gregorius XV. & Vrbanus VIII. in suis Bullis. Quæstio itaque est, num potestas absoluendi ab hæresi concessa Episcopis à Tridentino, sit per hanc clausulam Bullæ Cœnæ reuocata?

Ex vi clausulæ non est reuocata. 475 EX vi huius clausulæ reuocata non est. Quia correctio iuris vitanda est, quoad fieri possit; sed absque correctione iuris Tridentini stare potest clausula Bullæ reuocans facultates,

quibus absolutio poterat impendi : ergo affirmandum est, clausulam Bullæ Cœnæ præfatam Tridentini facultatem non reuocare. Minorem probo. Quia Bulla optimè potest intelligi de peccatis publicis, & de absolutione, quæ non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro externo, profit : siquidem nihil in Bulla habetur, quæ cogat nos, de peccatis occultis, & de foro conscientiæ reuocationem intelligere. Sensus ergo Bullæ est, vt nullus possit absolui absolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis prætextu priuilegiorum, &c. Quod si hoc modo intelligatur, manet integrum Tridentini decretum. Nam Tridentinum concedit solùm absolutionem casus occulti, & pro conscientiæ foro. Ergo si Bulla reuocat casus publicos, & absolutionem perficientem in foro externo, non immutat, nec corrigit Tridentini decretum. Igitur hæc explicatio sustinenda est, vt iuris correctio vitetur. Sic Bannes 2.2.q. 11.a.4.dub.2. *post* 2.*concl.artic.*3. Aragon.*ibi,artic.*3. Nauarra *summ.cap.*27. *num.* 260. Gutierrez *qq. Canon. lib.*1.*cap.*13.*ad finem.* Henriquez *lib.*6. *de pœn. cap.*14.*num.*7. Lorca 2.2.*d.*45.*num.*10. Et Suarius *de Censur.d.*21.*section.*3. *num.*5. probabile reputat.

476 *Ex vi clausulæ reuocata est.*

Ex vi huius clausulæ est reuocata. Quia negari non potest, priuilegium à Concilio concessum Episcopis à Pontifice posse derogari: sed ex præfatis Bullæ verbis satis colligitur, fuisse derogatum : ergo. Minorem probo. Nam Pontifex prohibet, ne detur absolutio hæresis, & reliquorum casuum in Bulla Contentorum prætextu priuilegiorum, quæ Episcopis, Religiosis, Conuentibus, &c. concessa sint à Sede Apostolica etiam decreto alicuius Concilij: sed nullum Concilium nisi Tridentinum hanc facultatem absoluendi ab hæresi, reliquisque casibus reseruatis concessit: ergo hanc facultatem, quæ in hoc Concilio conceditur intendit Pontifex reuocare : alias superfluerent verba illa, *Alicuius Concilij decreta.* Ita Suarius *de pœnit.disputat.*30.*section.*2. *num.*11. Pegna *Director. part.* 3. *comment.* 141. *post qu.*92. Tusc. *de visitat.libr.*2.*cap.*31. *n.*5. & *cap.*23.*num.*4. Antonin. Genuens. *in praxi Archiepiscop.Neapolitan.cap.*67.*num.*10. vbi testatur, Gregorium XIII. & Clementem VIII. Sic declarasse. Azorius *tom.*1.*lib.*8.*cap.*19. *qu.*3. & *cap.*20.*qu.*10. Garcia *de Benefic.part.*11.*cap.*10. *num.*122. Barbosa plures referens *part.*2.*de potestat.Episcop.allegat.*40. *numero* 25. Sanchez *libr.*2. *Decalogi cap.*11.*fine.* Palao *de fide, tractat.*4.*disputat.*4.*punct.*3.*Paragraph.*1.*num.*22. Farinac. *de hæresi,qu.*192.*num.* 61. Bonacin. *de Censur. disputation.* 1.*q.*3. *puncto* 2. *numero* 1. & alij.

477 *Hoc probabilius plane defendo.*

Hanc sententiam vt longe probabiliorem tenendam esse iudico. Præcipuum fundamentum, quo moueor est tantorum virorum authoritas, quæ in re morali magni est habenda. Quod si huic authoritati efficax ratio accedat, omnino sequenda obiicitur. Fortissimam autem existimo esse rationem, qua nostra sententia nititur. Cui quidèm adiecerim, non videri necessarium ad derogandum priuilegio ac constitutioni Tridentini, ipsius fieri expressam mentionem. Siquidem ipsum *sess.*25. *cap.* 21. in fine Concilij excipit authoritatem Pontificis in suis decretis, dicitque, se velle, vt robur habeant, dum Pontifici placuerit, & non vltra: inquit enim, *Sancta Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque de Ecclesiastica disciplina, tã sub felicis recordationis Paulo III. ac Iulio IV. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc Sancto Concilio statuta sunt, declarat, ea decreta fuisse, vt in his salua semper authoritas Sedis Apostolicæ sit, & esse intelligatur.* Ergo cum Pontifex suam authoritatem interponit, ne vllus ab hæresi, reliquisque in Bulla contentis absoluatur; non debet dici reuocare priuilegium in Tridentino concessum, sed ipsum Tridentini priuilegium cessare, quia cessauit conditio sub qua fuit concessum.

Dvbivm CV.

An Domini Inquisitores possint, in foro conscientiæ ab hæresi absoluere?

COmmissa est eis facultas absoluendi hæreticos pœnitentes pro foro externo, *cap. Vt officium, de hæret.in* 6. & pluribus Bullis relatis à Pegna *Direct.fine*, quorum meminit Farinac. *de hæresi,qu.*192. *num.*54. Quæstio autem est, an in foro conscientiæ possint etiam ab hæresi absolnere? 478 *Quæstionis statum.*

Possunt quidem. Quia in Bulla Clementis VII. edita anno 1530. quæ incipit, *Cum sicut*, (& refertur à Pegna inter Bullas illius Pontificis *in fine Director.*) datur facultas Inquisitoribus, & eorum Commissariis absoluendi hæreticos occultos, neque ab vllo Iudice prius extraiudicialiter inquisitos : ergo est data eis facultas, in foro conscientiæ absoluere. Consequentiam probo. Quia absoluere iudicialiter, seu pro foro externo, non solùm occultos hæreticos pœnitentes, & voluntariè misericordiam expostulantes licet Inquisitor busex *cap. Vt officium*, & ex aliis textibus: sed etiam publicos hæreticos, & ad iudicium venire compulsos: ergo aliquid speciale hæc constitutio concedere Inquisitoribus intendebat. Non autem videtur esse aliud nisi pro foro conscientiæ absolutionem. Neque obstat, præfatam Bullam specialiter dirigi ad Ordinis prædicatorum Inquisitores in Lombardia existentibus, imò videri esse specialem commissionem factam personis, & non dignitati. Quia esto ex tenore Bullæ sic appareat, consuetudine receptum est, ad omnes Inquisitores extendi. Sic Nauarra *libro quinto. Consil.titul.de priuileg. consil.*11. Campegi. *ad cap.*34. Sanchez *de hæret. vers. Cum itaque.* Bannes 2.2. *quæstion.* 11. *articulo quarto, dubio secundo, post tertium argumentum.* Gutierrez *Canon. qq. libro primo, capite* 13. *numero septimo.* Vinaldus *Candelab. parte prima, titulo* 11. *de absolut. numero* 15. testatur praxim ita ferre Manuel. *in Bulla Paragrapho nono, numero* 70. Eymer. *parte tertia, Director. numero sexagesimo primo.* Alij plures 479 *Possunt quidem.*

res apud Sancium *libro secundo Deaclog. capit.* 12. *numero primo.* Ipseque hanc sententiam *numero tertio* probabilem esse fatetur.

480 *Non possūt.* Non possunt. Quia Inquisitores neque ex vi muneris, neque ex aliquo priuilegio neque ex consuetudine habent potestatem pro solo conscientiæ foro absoluendi: Ergo gratis huiusmodi facultas asseritur. Antecedens probo. Munus Inquisitoris est, delicta inquirere, & iudicialiter punire delinquentes: est enim Iudex pro foro externo constitutus. Ergo ex vi muneris hanc facultatem absoluendi ab hæresi pro foro conscientiæ non habet. Ex priuilegio autem non videtur illam habere: nullum enim aliud refertur, nisi contentum in Bulla illa Clementis V I I. Sed illud nec loquitur de omnibus Inquisitoribus, sed solum de Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum in Lombardia residentibus, & illo tempore præsentibus: & concesso, ad omnes extendi non loquitur de absolutione fori conscientiæ, sed externi; quia non committit facultatem absoluendi, nisi præstito iuramento, & hæresi abiurata: quæ conditiones pro foro interno non videbantur necessariæ. Ita Sanchez *citatus numero tertio* Farinac. *de hæresi, quæstion.* 191. *numer.* 54. Castro Palao *de fide, tract.* 4. *d.* 4. *p.* 3. §. 2. *numero tertio.* Suar. *de fide, dub.* 21. *sect.* 4. *num.* 15. Garc. *de Benef. p.* 11. *cap.* 10. *num.* 121. Barbosa *p.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 40. *numer.* 28.

481 *Primā sententiā probabilem admodū esse iudico, sed secundæ probabiliori quidē ad. hæret.* Primam sententiam satis probabilem esse iudico tot Doctorum authoritati hærentem secundam vero probabiliorem esse iudico. Quia verbum illud Bullæ *Extraiudicialiter* non vrget. Nam, vt Barbosa *numer.* 27. testatur, vt sæpe declaratum est in supremo Inquisitionis Tribunali Romano, verbum id *extraiudicialiter* non tollere formam iudicij, scilicet depositionem coram Notario; & testibus, vel saltem coram Notario tantum: sed tollere solemnitatem iudicij, quæ consistit in eo, quod plures iudicio adsint, pluribusque iudicium innotescat: Ergo facultas Inquisitoribus data, vt *extraiudicialiter* hæreticos pœnitentes, & à nullo Iudice inquisitos absoluere possint, in eo consistit, vt possint ad secretam obiurationem, & secretam pœnitentiam eos admittere: non tamen, quod pro solo conscientiæ foro absoluere valeant. Cæterum ex consuetudine contrarium omnino constat; nunquam enim Inquisitores nisi coram Secretario pœnitentem hæreticum volunt audire. Addo Cardinalium declarationem relatam à Barbosa *ad sess.* 24. *capite sexto Concil. numero septimo.* in hæc verba: *Episcopus, aut Inquisitor absoluere iam non possunt hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas à Concilio sit ipsis data.*

Dvbivm CVI.

Sub facultate generali, quam per Bullam, vel Iubilæum Pontifex concedit absoluendi ab omnibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ: venitne intelligendum crimen hæresis in illa contentum?

482 *Nonnulla suppono.* POntifex aliquando Iubilæum concedit cū facultate absoluēdi ab omnibus sibi reseruatis, nec exprimit reseruata in Bulla Cœnę: aliquando ea exprimit, hæresi non expressa: aliquando vero & hæresim exprimit. Quæsierim igitur, num sub facultate illa generali absoluendi ab omnibus reseruatis, comprehendantur reseruata in Bulla Cœnæ etiamsi non exprimantur: & sub facultate generali absoluendi ab omnibus reseruatis in Bulla Cœnæ, etiam crimen hæresis ibi contentum veniat intelligendum?

483 *Venit intelligēdum hæresis crimen.* Intelligendum venit. Quia beneficiū Principis late est interpretandum, præcipuè cum eius lata interpretatio proprietatem verborum non excedit: At sub reseruatis à Pontifice comprehendere contenta in Bulla Cœnæ & sub contentis in Bulla Cœnæ comprehendere hæresim, nō est verborum proprietatem excedere; sed potius verborum proprietati conformari: Ergo. Item in reseruatione alicuius casus Pontificij non datur magis, vel minus: siquidem integrè consistit in eo, quod nemini alteri à Pontifice sit facultas ab eo absoluendi, si igitur datur facultas absoluendi ab omnibus reseruatis Pontifici, non est vlla ratio, quarè aliqui casus reseruati ab illa generali concessione excipiantur. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 22. *qu.* 3. *articul.* 1. *concl.* 5. Corduba *summ. qu.* 8. Lorca 2. 2. *qu.* 2. *articul.* 5. *numer.* 13. Farin. *de hæresi, quæst.* 192. *numer.* 63. Pegna *Direct. p.* 3. *comment.* 25. *ver. Quod si quis,* Reginal. *lib.* 8, *numer.* 55. Garcia alios referens *part.* 11. *de Benef. capit.* 10. *numer.* 110. Et probabile reputat Suar. *de Censur. d.* 7. *sect.* 5. *n.* 12.

484 *Non venit intelligendum.* Non venit intelligendum. Quia ex stylo Romanæ Curiæ sub illa generali facultate absoluendi à reseruatis non comprehenduntur contenta in Bulla Cœnæ: neque sub generali facultate absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ expressis hæresis comprehenditur: Ergo non est licitum ad eā concessionem extendere; nam concessio extendi non potest vltra voluntatem, & intentionem manifestam cōcedentis. Quod verò hic sit Romanę Curiæ Stylus, præterquam quod ita graues Auctores testantur, probari potest ex eo, quod sæpe in Iubilæis post absolutam concessionem absoluendi à reseruatis in Bulla, exprimi solet, *Et à crimine hæresis*: cuius expressio superflueret, si sub priori clàusula sufficienter contineretur. Ita Sanchez *lib.* 1. *Decal. capit.* 12. *numer.* 10. Garcia *capit.* 10. *numer.* 109. Barbosa *p.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 40. *numer.* 31. Castro Palao *de fide. tract.* 4. *d.* 4. *punct.* 3. *Paragraph.* 4. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *capit.* 10. *qu.* 12. Suar. *de fide,*

*el.21.sect.4.nu.21.*Couar.*cap. Alma mater*, 1.§. 11.*n.*15.Rojas *de Hæret.p.2.assert.239.n.321. & de priuil.Inquisit.n.*416.vbi ait, Motu quodam Pij V. edito anno 1572.Sic esse declaratum.Vgolin.*de censur.tab.*1.*cap.*10. §.4.*num.*8. Arag. 2.2. *quæstion.* 11. *articul.* 3. Manuel *in addit. ad Bullam*, *Parag.*9.*num.*66. & alij apud ipsos.

485 *Hanc sententiam reor esse certissimam.*

Hanc sententiam reor esse certissimam. Quia mihi difficile creditu reseruationem tot legibus stabilitam Cruciata Bulla,aut Iubilęis aliisque priuilegiis ordinariis concedentibus absolutionem à reseruatis, derogari. Vnde affirmo longè probabilius esse, (morem gero tot Doctoribus proprima sententia allatis)sub facultate generali absoluendi à reseruatis,non comprehendi reseruata in Bulla Cœnę: nec sub facultate absoluendi à reseruatis in Bulla Cœnæ hæresim comprehendi.

Dvbivm CVII.

An infamia sufficit perfectè hæreticum ipso iure, sed postquam eius delictum sit notorium?

486 *Nonnulla præmitto.*

HAud dubium quin hæreticus,vt pote excommunicatus priuatus sit omni officio & munere,quo excommunicatus priuatus est. Quapropter neque potest Sacramenta recipere, neque actum ordinis exercere, neque alia munia obire, quæ interdicuntur excommunicato. Quod si moriatur hæresi adhuc infectus priuatur Ecclesiasticas sepultura, *cap. Sicut, de hæret. & cap. Excommunicamus,el* 1. §.*Credentes,de hæret.* Extenditur ad hæreticorum fautores,& defensores: debet autem hæreticus ita notorie decedere,vt nulla tergiuersatidne eius molitia celari valeat:alias priuari sepultura non debet. De irregularitate, quæ hæreticum comitatur suo loco disserendum.In præsenti quæsierim circa infamiam, an ipso iure hæreticum afficiat? an non iure ipso, sed postquam eius delictum sit cognitum?

487 *Eum afficit perfectè iure ipso.*

Eum afficit perfectè ipso iure,nec necessariũ est delictum agnosci. Quia sic indicitur in Authent. *Gazaros. C.de Hæret.& in l.Cunctos populos, C.de summa Trinit. & cap. Excommunicamus* 1.§.*Credentes,de haret.*& ex aliis pluribus textibus.Sic Farin.*de hæresi, q.*189.*n.*40. Pegna *Director. p.*1. *comment.*4. *ver. Reliquos.* Petr. Gregor. *Syntag. iuris, lib.* 33. *capit.* 8. *numer.* 3.

488 *Eũ perfectè iure ipso nõ afficit.*

Eum perfectè ipso iure non afficit, sed postquam eius delictum notorium sit;vel notorietate facti, si factum sit publicum:vel notorietate iuris, si per sententiam omnibus innotescit.Quia infamia est praua alicuius opinio circa plures quæ esse nó potest absque delicti cognitione.Ità Bursat.*consil.*14.*n.*18.*& n.* 23.*lib.*1.Azor.*tom.*1.*lib.*8.*c.*13.*q.*7.Sanch.*lib.*2. *Decal.c.*26.*numer.*1.Farinac, *de hæresi, qu.*189. *num.*68.

489 *Auctoris sententia.*

Certum mihi,hæreticum perfectè non posse infamiam contrahese ob præfatam rationẽ, Nam licet hæc infamia à iure contrahatur ob hęresis delictum;sed indiget sententia declaratoria criminis; sicut ipso iure sunt bona hæretici confiscata:at executio confiscationis requirit sententiam saltem declaratoriam criminis.Quod vero aliqui dicunt ex hæresi occulta infamiam contrahi quoad effectus, scilicet, quoad inhabilitatem ad publica officia, ac Beneficia: crediderim, hunc effectum non tam ex infamia, quam ex irregularitate, & excommunicatione tali crimini annexa oriri.

Dvbivm CVIII.

Hæreticus ipso iure priuaturne Beneficiis rite possessis: & non sed per sententiam?

490 *Quæstionis status.*

ALia pœna hæreticorum est priuatio Beneficiorum,& officiorum, & inhabilitas ad futura. *cap.Vt commissi*, §. *Priuandi de hæret.in 6.cap.Statutum,el* 1.*eodem tit.*Difficultas est, de Beneficiis ritè possessis, an illis hæticus ipso iure priuetur, an veniat priuandus per sententiam?

491 *Non priuatur ipso iure.*

Non priuatur ipso iure,sed per sententiam priuandus obiicitur. Quia in casu dubio, an sit priuatio per sententiam, vel ipso iure, pro priuatione per sentẽtiam est interpretatio facienda, quia est benignior interpretatio, vt tradit Gonzalez *ad reg.*8.*Cancel.glos.*15.*n.*153. Puteus *decis.*129.*num.*46.Barbesa *p.*3.*de potest. Episc.alleg.*57.*n.* 252. Sed non est certum ex vllo textu colligi hanc priuationem ipso iure. Ergo. Certe vt aliqua pœna ipso iure incurratur,debet esse in iure expressa, vt apte probat Nicol.Garcia *de Benef.part.*11.*cap.*10.*num.* 3.Sed in iure nullus est textus, qui talem priuationem ipso iure exprimat. Quatuor enim textus allegantur, ex quibus minime id concludi Doctores citandi aperte probare videntur.Sic Castro *lib.*2.*de iusta hæret.punit.capit.*4. Simanc.*de Cathol. iustit.titul.* 46. *num.*72.Ludonic.Gomez *regul.de annali possessore, qu.*52. Henriquez *lib.*13.*c.*56.*num.* 2.Arag. 2.2.*qu.*11. *articulo tertio* Vasquez 1.2.*dub.*172.*c.*2.*num.*11. Et Salcedo *in pract. crimin. cap.* 114. asserit, hanc sententiam vtique benigniorem, forte veriorem esse, esto ipse contrariam sequatur. Sanchez verò affirmat esse probabilem.

992 *Ipso iure priuatur.*

Hæreticus externus quantumcumque occultus ipso iure priuatus est Beneficiis ritè possessis.Quia id adstruit Stylus, & consuetudo Romanæ Curię,in qua à die cõmissi criminis reputatur Beneficium vacare ipso iure: neque posse renunciari sed à quolibet alio impetrari, quem stylum, & consuetudinem esse testantur Farinac.Pegna,Suar.& alij apud ipsos.Ita Gonzal.*reg.*8. *Cancel.glos.*15. *num.* 65. Flamini.*libr.*3.*quæstion.*1.*numer.*31.Barbosa *de potest. Episc.p.*3. *allegat.*57.*numer.*37. Garcia *de Benef.part.*11.*c.*10.*numer.* 6. Sanchez *libr.*2. *Decalog.c.* 26.*numer.* 6. Suar. *de fide, dub.*21. *sect.*5.*numer.*17.Couar.*lib.*2.*variar.c.*8.*num.*4.

Farin.

Farin. *de hæresi, q.* 189. *a.* 69 Menoch. *de arbitr. l.* 2. *casu* 416. *n.* 61. Pegna *Director. p.* 3. *qu.* 113. Salcedo *c.* 114. & plurimi apud ipsos præcipuè apud Gonzalez.

493 *Probabilior hæc sententia est.*

Probabilior plane hæc sententia est. *cap.* enim *Cum secundum leges, de hæretic. in* 6. omnia bona hęreticorum a die commissi criminis sunt confiscata. Si ergo omnium bonorum temporalium amittit hæreticus titulum, & dominium, id à fortiori amittet Beneficiorum Ecclesiasticorum ipso iure. Requiritur autem Declaratoria sententia, cum ante illam non teneatur hæreticus se Beneficiis spoliare, sicut neque aliis bonis, vt satis colligitur ex *cap. Cum secundum, de hæreti.* & tradit Sanchez *citat. n.* 7.

CAPVT XXVI.

De temporalibus Hæreticorum Pœnis.

DVBIVM CIX.

Quæ acquirit Hæreticus tempore medio inter delictum, & sententiam publicantur?

494 *Multæ præmittuntur circa bonorum publicationem ob hæresis crimen.*

REGVLA est ab omnibus DD. recepta; omnia bona tã mobilia, quã immobilia, iura, & actiones, quæ hæretici propria sunt, cum delictum committit, ipso iure confiscari. Quia in *l. Manichæos* omnia bona veniunt confiscanda, & sub signo illo vniversali nulla excipiuntur, Bona autem quæ hæretici non sunt, sed alterius, etiamsi in potestate hæretici reperiantur, in pœnam confiscationis non deueniunt. Quia hoc æquum non erat, alias innocentes punirentur contra *leg. Sancimus, C. de pœnis.* Bona verò, quæ hæretici fuerunt, sed non sunt tempore delicti, eo quod illa à se abalienauit donatione simplici, aut contractu minimè sunt confiscationi obnoxia: nisi in fraudem fisci facta fuerit alienatio. Tunc enim nulla est donatio, vel venditio, sed omnino à fisco reuocatur. Porro si donatio, causa mortis facta sit à viro vxori, firma manet commisso delicto, & bonis publicatis, ac si mors, naturalis euenisset, neque in fiscum transit. *leg. Sed si mors, ff. de donat. inter virum, & vxorem.* At si donatio non à viro vxori, sed ab vxore viro, vel à viro aliis facta sit, morte ciuili donantis non confirmatur, sed omnino dissoluitur, & res donata transit in fiscum. Quia morte ciuili firmari donationem causa mortis respectu fisci, est speciale priuilegium vxoris. *leg. Res vxoris, C. de donat. inter vir. & vxo.* Quod autem post delictum commissum, & latam sententiam ille acquirit, non publicatur. Quia tunc cessat fundamentum publicationis quod est delictum. Docet id Farin. multis relatis, de hæresi, *q.* 190. *nu.* 25. *& q.* 25. *num.* 138. Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 14. *num.* 8. Quæsieris verò, an acquisita illo intermedio tempore, quo delictum committitur, & de illo fuit hæreticus condemnatus, debeant confiscari, seu publicari?

495 *Quæ acquirit tempore medio publicantur.*

Debent quidem. Quia ita consuetudo obtinuit, vt omnia bona, quæ habet delinquens, dum eius delictum declaratur, publicentur. Et in hæresis crimine hoc efficacius procedit. Quia dum ad Ecclesiam non reddit in hæresi censetur perseuerare. Sic Azor. *to* 1. *l.* 5 *c.* 7. *q.* 8. Vasquez 1. 2. *d.* 169. *c.* 1. *n.* 8. Suar *de fide, d.* 22. *sect.* 1. *n.* 15. Iul. Clarus *lib.* 5. *receptar. § fin. q.* 78. *n.* 24.

496 *Non publicantur.*

Non debent publicari. Quia confiscatio hæc delicto est annexa, nec sententia aliam sententiam delinquenti imponit, nisi quæ per delictum imposita est: sed per delictum imponi non potest confiscatio nisi bonorum, quæ tempore delicti habentur. Ergo nec sententia aliam confiscationem imponit. Ita Matienzo *lib.* 5 *recop. tit.* 4. *leg.* 3. *glos.* 7. *n.* 6. Sanch. *lib.* 2. *Decal. cap.* 14. plures citans Baiard. *ad dit. ad Clarum lib.* 5. *§. Hæresis, num.* 10. *& q.* 78 *nu.* 212. Bursat. *cons.* 14. *n.* 28. Palao *de fide tr.* 5. *d.* 4. *pun.* 3. *n.* 5. & alij.

497 *Hoc mihi probabilius.*

Probabilius hoc mihi. Nam hoc præstat confiscatio ipso iure, vt ius loco sententiæ succedat, & delinqnens ex delicto puniatur, ac si sententia esset pronunciata: Ergo non punitur in bonis post delictum acquisitis. Fauet *lex* 1. *ff. de pœnis.* Vbi eam pœnam delinquens sustinere cogitur sententiam, quam sustinuisset, si eo tempore, quo deliquit, esset lata sententia: At si eo tempore esset sententia lata, non extenderetur ad bona postmodum acquisita: Ergo neque etiam postea extenditur. Demùm pœnæ non sunt extendendæ, sed limitandæ: nullibi autem habetur, extendendam esse confiscationem ad bona post commissum delictum acquisita: Ergo.

DVBIVM CX.

An cadat sub confiscationem Maioratus & fideicommissum ob crimen hæresis, & Sodomiæ?

498 *Certa suppono.*

BOna maioratui, vel fidei commisso subiecta, vel alienari prohibita sub publicatione bonorum generatim non comprehenduntur, *leg. Imperator, Digestis de fideicommisso, libertat.* Farin. plurimos referens *libro primo pract. qq. q.* 25. *numer.* 22. Noster Molina *tomo tertio dub.* 556. *numer.* 2. Quia quilibet habet in suis bonis liberam disponendi facultatem *leg. sed et si lege. Paragraph. consuluit, Digestis de petit. hæreditat.* Sed qui tibi ea bona reliquit, non absolutè reliquit, sed sub conditione, ne ea posses alienare: Ergo sub confiscatione non comprehenduntur. Probo consequentiam. Quia nullus potest amittere, nisi ea, quæ sibi propria sunt, & quorum habet liberam dispositionem, *leg. Si dotem, Cod. de iure dotium.* Quæstio autem est, an cadat sub confiscationem maioratus, & fideicommissum ob crimen hæresis, aut Sodomiæ?

Cadit

499 *Maioratus sub confiscatione.*

Cadit quidem maioratus, qui quidem est quoddam fideicommissum. Quia sub hac tacita conditione videtur institui, & à Principe institutionē approbari, hic Simanc. *de Cath. instit. tit. 9. à n. 253. ad 273.* Azor. *to. 1. l. 8. c. 12. q. 7. & 13.*

500 *Non cadit.*

Minimè cadit. Quia communi iure statutum est, omnia fideicommissa, & alienari prohibita, non cadere sub confiscatione perpetua: sed nullus est textus, qui ob hæresim, aut Sodomiam publicet maioratum, imo potius sunt plures textus, qui maioratum à confiscatione etiam in his criminibus excipiant: Ergo. Ita Castro Palao *de fide tr. 4. d. 5. pun. 6. n. 8.* plures textus inducēs in Minoris probationē. Anton. Gomez *leg. 40. Tauri, n. 91.* Molina *de primogen. c. 2. n. 10.* Molina Iesuita *tom. 3. d. 656. à n. 3. & & d. 582. n. 1.* Sanch. *lib. 2. Decal. cap. 18. n. 36.* Vasquez *1. 2. d. 169. cap. 4. numer. 30.* Mieres *de maiorat. part. 4. quæstion. 23. à numer. 1. vsque 22.*

501 *Auctoris resolutio.*

Ego quidē primam sententiam ita vniuersaliter propositam iudico, esse admittēdam non sed distinguēdum de maioratibus institutis ex Regia facultate, vel sine illa ex propriis instituendis, vel ex bonis à Rege acceptis. Et quidem si alius à primo instituente possideat maiōrat constitutum ex dispositione tantum iuris communis concedentis cuilibet non habenti necessarios hæredes disponere de propriis bonis, provt sibi placuerit; vel ex dispositione legum nostri Regni concedentium facultatem instituendi maioratum, & in aliquo filio perpetuandi de tertio & quinto suorum bonorum: & in hæresim, aut Sodomiam incidat, nullatenus maioratus sub confiscatione comprehenditur. Quia fiscus solum abstrahit bona delinquentis, quatenus delinquentis sūt: sed hic maioratus non est delinquentis absolutè, & in perpetuum; sed solum dum viuit, obeunte enim, addictus est aliis cognatis ex primi institutoris dispositione: Ergo solum pro tempore vitæ delinquentis confiscari potest, atque adeo quoad fructus, & commoditates. Verùm si bona aliqua à Rege tibi donata sūt absolute & non sub maioratus titulo, tu vero ex illis maioratum instituisti: ea bona, delinquente aliquo ex possessoribus, non publicantur in perpetuum, sed ad sequentem vocatum transeunt. Quia ille possessor delinquens non habet à Rege, sed à te maioratum, neque bona illa dici Regalia possunt, cum à Rege fuerint absolutè donata, & translata non possessori maioratus, sed primo instituenti. Moli. *de primogen. lib. 4. c. vltim. n. 48.* Sanchez *lib. 2. Decalog. c. 18. nu. 37.* Cæterum si bona sint à Rege donata sub maioratus titulo in perpetuum, & confiscatio non à Rege, sed à Pontifice facienda est, vt de facto fit in crimine hæresis applicante ea fisco Ecclesiæ: nullatenus potest pontifex ea in perpetuum publicare; sed solum pro vita delinquentis poterit cōmoditates maioratus, & fructus Ecclesiæ adiicere. Quia Pontifex non potest innocentes iure sibi debito succedendi in maioratum priuare: cum ab ipso Pontifice nec datus, nec institutus fuerit sub ea conditione. Sanch. *n. 40.* & Vasq. *c. 4. n. 28. & 29.*

Dvbivm CXI.

An Maioratus ex Regia facultate institutus ex omnibus bonis, (qui tamen in tertium & quintum ne illa poterat instituit:) subiaceat confiscationi quoad tertium, & quintum?

NOn subiacet. Quia censeri non potest quis vti priuilegio, nisi quatenus sibi necessarium est, vel conueniens, At ad firmitatē maioratus in illa parte, in qua poterat, exclusō priuilegio, maioratum instituere, priuilegiū necessarium non est, neque conueniens? imo conuenientius est ex iuris dispositione esse institutum, quam ex priuilegio: Ergo sic est censendum esse institutum, quamuis dicat institutor, ex facultate sibi concessa maioratum instituere; quia intelligi debet quoad eam partem, in qua non poterat, secluso priuilegio, facere institutionem. Sic Sanch. *libro secundo Decalog. c. 18. nu. 50.* Molina noster *tomo tertio dub. 582. numero tertio.* Gregor. Lopez *lib. 6. v. Que la non pudiesse quæstion. sexta titul. 11. part. 6.* 502 *Non subiacet.*

Subiacet quidem. Quia totus maioratus cēsendus est institutus ex Regia facultate: sola enim facultas Regia est, quæ totam illam dispositionem comprehendere potest: & cum videatur esse quædam dispositio indiuisibilis, non videtur dari locus, vt pars aliqua facultati Regiæ correspondeat, & pars alia legali facultati. Ita Anton. Gomez *leg. 40. Tauri, n. 91. fine.* 503 *Subiacet plane.*

Probabilem admodum primam sententiam esse iudico, sed fateor rationem Antonij Gomez me mouere, vt probabiliorem putem esse secundam & in duplici casu omnino certam. Primus est, institutor habens descendentes maioratum instituat ex Regia facultate in tertia & quinta parte bonorum, & in reliquis bonis seruando reliquis filiis alimenta: & in hac maioratus institutione non seruet ordinem præscriptum in *lib. 27. Tauri*, quæ hodie est *lex 11. tit. 5. lib. 5. recopil.* vt prius vocet descendentes legitimos, & naturales deinde agnatos & cognatos, seu collaterales: postremo extraneos: in hoc enim casu censeo certissimum, ex Regia facultate censendum maioratum esse institutum. Quia finis instituentis est, vt maioratus integrè ad vocatos perueniat: at peruenire non potest, nisi Regia facultate fuerit institutus; solum enim ex illa ordo præscriptus omitti potest. Secūdus casus est, cū quis vnicū habet filiū, & disponit nō solum de quinta bonorum parte, sed etiam de tertia, vel de omnibus bonis; cum enim solum liberum illi sit, de quinta bonorum parte disponere, aliæ enim sunt illius filij legitimæ, quæ grauari nullatenus possunt. Si ergo de tertia & reliquis disponit, censendus est id agere ex priuilegio Regis, non solum de iis, sed etiam de quinta parte. Quia est facultas Regis concessa æquanimiter pro omnibus: neque Rex coneederet facultatem grauandi 504 *Probabilior mihi hæc sententia, quā vberius expendo.*

uandi filium in sua legitima, si parens quintam bonorum partem eodem modo grauare nollet. Itaque si ex facultate Regis institutus sit maioratus, & Rex facultatem concessit ea conditione, vt si aliquis ex possessoribus maioratus crimen commiserit læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, vel contra naturam, eo ipso bona in sequentes successores non transeant, sed fisco applicentur: tunc manent bona fisco applicata à puncto commissi delicti. Quia ipse fiscus est vocatus à maioratus institutore, sicut quilibet alius ex desdendentibus. Lege vtrumque Molinam, *de primog. libro secundo cap. 2. numer.* 10. De iust. *tomo tertio dub.* 657. *numer.* 2.

Dvbivm CXII.

An peculium aduentitium filij hæresis rei veniat in confiscationem bonorum factam, reseruato patri vsufructu?

505 *Nemini nulla premitur.* CErtissimum est non confiscari legitimam ob hæresim filijfamilias, dum residet in patris potestate. Quia confiscatio ad aliena bona non extenditur, sed ad propria delinquentis: at legitima non est delinquentis, quousque pater è vita recedat. *leg. suis de liber. & posthum.* De bonis profectitiis similiter est dicendum, non venire in confiscationem ob filijfamilias hæresim *leg. Cum oportet. C. de bonis, quæ liberis. leg. Filius, 3. C. de bonis proscript. leg. Certum. C. familiæ erciscundæ.* Quia hæc bona non sunt filij, sed patris tam quoad proprietatem, quam quoad vsumfructum. *leg. si plures, §. In arrogato, ff. de vulgarib. & pupil.* Ergo ob filij delictum publicari non possunt. De peculio aduentitio est difficultas, an veniat in confiscationem bonorum factam filiofamilias reseruato patri vsufructu?

506 *Veniunt in confiscationem.* Veniunt profecto. Quia proprietas horum bonorum filij est, non patris: Ergò confiscatis bonis filij hæc proprietas confiscatur. *leg. Si postulauerit, §. Iubet lex. ff. ad leg. Iul. de adulteriis.* certe facta hac confiscatione proprietatis, nullum ius parens amittit, cum illi vsusfructus reseruetur. Ergo ob vsumfructum illi debitum non potest publicatio impediri. Sic Paulus Paris. *cons.* 157. *l.* 4. Caldas *ad l. si curatorem. verb. lapsis. numer.* 112. Bonac. *de contract. d.* 2. *q.* 8. *punct. vltim. §.* 1. *numer.* 18. Farinac. *quæst.* 24. *num.* 5.

507 *In confiscationem non veniunt.* Non veniunt in confiscationem. Quia esto filius sit dominus proprietatis aduentitiorum: non tamen illa potest alienare absque consensu parentis ob reuerentiam illi debitam: ne, inquam, ipse parens ob talem alienationem factam ab extraneo proprietario inquietetur, aliquodque detrimentum in vsufructu sibi debito patiatur. Sed quoties alicui alienatio prohibita est ob alterius fauorem, nequit prohibitus per delictum alienare. *l. Imperator. ff. de fideicom. liber.* Ergò. Ita Roland. *consil.* 56. *num.* 10. Anton. Gomez. *tom.* 3. *var. capit.* 15. *num.* 14. Menoch. *de recuper. possess. rem.* 9. *nu.* 65. & 66. Farinac. *quæstion.* 24. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Decal. c.* 15. *num.* 9. Peregr. *de iure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *nu.* 128. Fachin. *lib.* 4. *controuer. iuris, c.* 47. Iul. Clarus *l.* 5. *recept. qq. q.* 78. *n.* 12. Bernard. Diaz *c.* 132. *num.* 6.

Ego quidem ad quæstionis claritatem recolo peculium *profectitium* esse, quod filiofamilias prouenit à parente viuo, vel causa parentis principaliter donatur. *Aduentitium* est, quod filio donatur non quidem à parente, sed ab aliis: neque in gratiam parentis, sed in gratiam ipsius filij. Item quod filius labore suo & industria extra militiam acquirit, aduentitium est. *Castrense*, quod filio acquiritur occasione militiæ, vel obsequij Principis in palatio. *Legitima* autem est pars hæreditatis debita filio mortuo parente. Igitur ob delictum filij nec legitima, nec profectitia, nec aduentitia publicantur. De legitima, & bonis profectitiis iam præmisi: de aduentitiis autem vt probabilius esse iudicem non publicari, hoc fundamento nitor. In *leg. si filius 3. Cod. de bonis proscript.* cauetur bona castrensia publicationi non subiici ob filijfamilias deportationem. Ergo neque aduentitia, in quibus ipse filius minus habet: vtrumque probo. Quia filius iure antiquo omnia, quæ acquirebat, patris erant. *leg. Placet* 78. *Digestis de acquir. hæreditat.* illaque pater tanquam propria ipsius occupabat, si forte filius intestatus decedebat. *leg.* 1. *&* 2. *ff. de castr. pecul.* Ex constitutione autem noua hoc ius illis est concessum, vt proprietatem debeant in bonis aduentitiis, & patri vsusfructus reseruetur, *l.* 1. *C. de bonis, quæ liberis.* At per delictum hæresis, vel aliud confiscatione dignum, hoc priuilegium illis auferitur, & bona relinquuntur patri vt ea tanquam propria occupet: Ergo patri, & non fisco sunt deferenda. Minorem probo ex præfata *leg. Si filius.* ibi enim dicitur: *Si filius tuus cum esset in potestate, in insulam deportari meruit, peculium eius, nec quod in castis acquisiuit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet.* Expendo verbum *Auferri*, quod denotat iam per delictum bona filij facta esse patris, & ideo ab illo non esse auferenda. Fachineus sic *capit.* 47. *ex Cuiacio in Cod. ad titul. de bonis damnatorum.*

508 *Idē asserō.*

Dvbivm CXIII.

An bona castrensia vel quasi castrensia publicentur ob hæresim filij?

509 *Publicātur quidem.* PVblicantur. Quia in his bonis filius habet plenū, ac perfectū dominiū tā quoad proprietatē, quā quoad vsumfructum liberā. que eorū administrationem, & dispositionem, tanquam si paterfamilias esset. *leg.* 2. *Cod. ad Macedon. leg. Cum oportet, Cod. de bonis, quæ liberis. leg. Miles* 1. *Digestis de castr. pecul.* Ergo delinquendo poterit illud amittere; nam qui delictum perpetrat confiscatione dignum, tacitè alienare censetur. *leg. Imperatores, ff. de iure fisci.* Sic Nilus *tract.* 1. *de bannitis, part.* 2. *quæstion.* 25. Anton. Gomez *var. resol. tit de seruitutib.*

nitutib.c.15.n.15.Azor.to.1.l.5.c.7.q.8.Vasq.1.2.d.169.c.1.n.9.Gigas tr.de crimine læsæ maiest.l.2.tit.de pœnis commit.hoc crim.q.12.Simanc.de Cathol.instit.titul.9. numer.13. Bonacin.de contr.dub.3.quæstion.8.punct. vltim. numer.18. & alij.

510 *Non publicantur.* Non publicantur.Quia *leg.3. Cod.de bonis proscrip.*Imperator patri,cuius filius est deportatus, concedit omnia bona castrensia , aut quasi castrensia ibi : *Si filius tuus cum esset in tua potestate,in insulam deportari meruit:peculium eius nec quod in castris acquisiuit , vel quod ei militaturo donasti,auferri tibi debet.*Sed hæc lex nulla alia lege est abrogata , quia solum abrogata est lex negans filiofamilias administrationem , & dispositionem bonorum castrensium , & quod in illis non habeat hæredem, si ab intestato decedat : at horum abrogatione non infertur abrogatio præfatæ *legis 3.*quia stare optime potest , filium habere hæredem,& successorem, administrareque posse bona castrensia:& nihilominus si delinquat, ea patri deferri in prærogatiuam patrię potestatis,& illius solatium.Ergo.Ita Iul.Clarus *lib.5.q.78.*Menoch.*de recuperan.posses.rem. 9.n.69.& 70.*Couar.*l.2.var.c.8.n.7.*Peregr. *de iure fisci,l.5.tit.1.n.130.*Farinac. *p.1.pract.qq.q. 24.nu.11.* Fachin.*lib.9. controuers.cap.49.*Sanchez *lib.2. Decalog. c.15.num.4.* & plurimi apud ipsos.

511 *Hoc probabilius esse reor.* Licet prima sententia satis sit probabilis, probabilius existimo,his hærens Doctoribus hęc bona fisco nō deferri,sed patri.Nam filio, familias non est concessa facultas castrensia bona alienandi ex iure communi , sed ex iure speciali,& priuilegiato:At cui est concessa facultas iure speciali , ac priuilegiato alienandi , alienare per delictum non potest , vt tradunt communiter Doctores ad *leg. si filius.*Ergo.

Dvbivm CXIV.

An reseruanda sint bona filiis perpetrantis parentis crimen læsæ maiestatis diuinæ , vel humanæ ?

512 *Non sunt reseruanda.* Reseruanda nō sūt,sed sola vita ex misericordia,vt dicitur *l.Quisquis,C.ad leg.Iuli. maiestat.*& *c.vergētis,de hæret.*Quia ibi dicitur, tales debere esse in hoc mūdo huiusmodi filios, *vt eis vita sit suppliciū,& mors solatiū.*Sic Surd. *de alimēt.tit.1.q.31.*& pluribus relatis Sanch.*l. 2.Decal.c.16.n.26.* Multi tamē ex Doctoribus à Sancio citati loquuntur de legitima (quod admitto) noc de alimentis iure naturæ debitis.

513 *Reseruanda sunt.* Sunt reseruanda. Quia id videtur exigere ius naturę.Quid enim prodest illos vita,ex misericordia donare, si necessum erit illis , sine alimentis deperire.Ita Socin.*cons.30.n.3.lib.1.* Ripa *ad l.Ex facto,§.Ex facto,n.9.ff.Ad Trebellian.*Lupus *in repetit. cap.Per vestras,notab. 3.n.15.de donat. inter vir.& vxor.* Franc. Bec. *cons.8.n.7.*Æmilian.*cons.139.n.2.& cons.164. n.4.*Farinac.*l.3.praxis,q.115.§.2.n.128.*

Primam sententiam eligo , fateor tamen probabilitate non carere saltem in crimine læsæ maiestatis hnmanæ, filios, etsi priuentur hęreditate ac legitima patris criminosi,nō tamen priuari alimentis,sed de illius bonis esse alendos.Textus expressus in *l.Quisquis, §. Ad filias Cod.l.Iuliam maiest.* & ibi ratio redditur huius fauoris. Quia propter sexus infirmitatem minus ausurę creduntur fœminæ, difficiliusque paternos deprauatos mores imitaturę. Glos.*ibi,v. Filiabus. & v.Minus ausuras.*Farinac.pluribus relatis,*q.*115.§.3.*n.*94.Attamen & si his filiabus non debeatur legitima ex bonis patris committentes crimen læsæ maiestatis diuinæ , & humanæ , debetur illis dos, casu , quo aliunde non habeant. Quia iure naturæ obligatur pater,filiam dotare *l.fin.C.dot.promis.* Si autem pater huic obligationi non satisfecit ad hæredes suos transit. Ergo cum fiscus loco hæredis succedat , parentis bonis publicatis consequenter filias dotare obligatur. Dinus *ad l.Insulam, ff.solut.matrimon.*Barthol.*ad leg. fin.C.de dotis promis.*Farinac.*q.*14.*n.*46. & 47. & alij.

514 *Cum his opinor.*

Dvbivm CXV.

Filij parentum , quorum bona publicata sunt ob hæresis crimen , possuntne in foro conscientiæ abscondere ad sui sustentationem alimenta,si illis non reseruentur, & grauis necessitate sint afficiendi ?

515 *Possunt quidem.* Possunt quidem.Quia in illo conflictu probabilissimum est, obligationem esse fisco eleemosynam eis largiendi.Sic Guillelmus Benedict.*ad c.Raynutius de testam. v.Et vxorem decis.5.n.286.*

516 *Nō possunt.* Non possunt , nisi extrema illi necessitate, afficiantur.Quia in hoc casu omnia sunt communia : extra eum vero nullum ius ad bona iam parentum publicata quorum fiscus est dominus , habent. Ita Sanch. *l.2. Dcal.c.16. num.27.*

517 *Primam eligo sententiam.* Ego quidem existimo , mei Sancij venia, non solum in necessitate extrema,sed quoties grauem inde passuri sunt necessitatem , posse ea abscondere,ac retinere,vt hoc valeant detrimentum vitare. Quia præter rationem pro prima sententia allatam(quæ valida mihi est) in casu grauis necessitatis non tenetur debitor creditori debitum reddere. Bonacin. *de contract.d.3.q.8.pun.vltim.*§.1.*n.*15.iunctis iis, quæ dixit *d.1.de restit.q.vltim.punct.1.num.37.* vbi, relatis Rebello , Nauarro, Sayro,probat, obligatum cedere bonis suis, posse abscondere, & retinere , quantum necesse est ad tenuem sui, & eorum , quos alere tenetur , sustentationem,iuxta suum statum. Quia nullus ad restitutionem tenetur cum tanto suo incommodo.

DVBIVM

Dvbivm CXVI.

Si mulier scienter hæretico nupsit, debetne non solum in priuatione dotis condemnari: sed etiam in priuatione aliorum bonorum quæ vxoris sunt propri, & qua ob mariti hæresim obnoxia non sunt publicationi?

518 *Nonnulla præmitto.*

DOs vxoris nubentis marito hæretico publicatur, publicatis mariti bonis, si ipsa cognouit eo tempore, quo matrimonium contraxit, illum esse hæreticum *Cap. Decreuit, de hæret. in 6.* Sed hæc publicatio dotis non est ipso facto, sed per sententiam; quia in præfato *cap. Decreuit*, nullum est verbum, hanc pœnam ipso iure irrogans. Sanchez *libro secundo Decalog. cap. 17. num. 18.* A pœna omnino erit exempta dos, quæ marito tradita fuerit cum onere, vt alteri, soluto matrimonio, restituatur: tunc enim sicut quodlibet aliud fideicommissum non poterit in perpetuum publicari: bene tamen pro tempore, quo mulier illo erat potitura. Bonac. *d. 3. de contract. quæst. 8. pun. vlt. §. 1. n. 1. n. 16.* Sanch. *n. 19.* In quæstionem autem verto, num si scienter hæretico nupserit, debeat non solum in priuatione dotis condemnari, sed etiam priuatione aliorum bonorũ quæ vxoris sunt propria, quæque ob mariti hæresim, & suorum bonorum publicationem, minimè publicantur?

519 *Non debet in aliis bonis condemnari.*

Non condemnatur in aliorum bonorum priuatione. Quia *c. Decreuit* solum de dote loquitur: ergo in pœnalibus non est extensio admittenda. Et quia durum videtur, eadem generali pœna confiscationis afficere mulierem scienter cum hæretico nubentem, ac ipse hæreticus afficitur. Certe in lucro acquirendo nulla videtur esse turpitudo, ob quam dignum sit cõfiscatione. Sic Bonac. *vbi sup. n. 16.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 17. n. 22.* & alij.

520 *Debet quidem.*

Potest in omnibus bonis, quæ tunc habuerit tempore contracti matrimonij condemnari. Quia *cap. Decreuit* nihil statuit expresse de confiscatione dotis, sed per quandam consequentiam sic confiscandam infertur casu, quo mulier scienter hæretico nupserit. Inquit enim Pontifex publicatis mariti hæretici bonis, non publicari vxoris dotem, nisi forte cum matrimonium contraxit sciuerit esse hæreticum. Ergo textus nihil aliud voluit, quam dotem à confiscatione bonorum viri exemptam esse, excepto casu, quo mulier sciuerit esse hæreticum maritum: sed ex eo quod dos sic fuit exempta, probamus etiam & reliqua bona vxoris exempta fuisse: Ergo si in casu scientiæ exempta non fuit dos, in casu scientiæ reliqua etiam bona erunt comprehensa. Ita Valq. *1. 2. d. 168. c. 1. num. 13.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 9. nn. 74.* Cantera *qq. crimin. tit. de quæst. tangent. punit. delict. c. 1. n. 23. & 24.* Farinac. *de hæresi q. 190. §. 3. n. 94.*

521 *Affirmo.*

Idem affirmo. Nam dos ibi fuit nominata gratia solum exempli, & quia est id, quod præcipuum, & magis proprium est vxoris: non vt dispositio ad solam dotem sit coarctata. Alias sola dos, & non bona paraphernalia, & sponsalitia largitas in casu ignorantiæ erunt exclusa, quod est omnino falsum. Ergo in casu scientiæ dos, & reliqua bona vxoris comprehendentur.

Dvbivm CXVII.

Maritus ducens fœminam quam certo nouit hæreticam esse priuandusne est, ob hoc delictum, sicut de muliere resolui?

PRiuandus non est. Quia textus in *cap. Decreuit* loquitur de dote, maritus autem dotem non habet. Et quia mulier ob eius fragilitatem, facilitatem, & ad maritum subiectionem grauiori peruersionis periculo se exponit, nubens hæretico, quam hæreticam fœminam vir Catholicus ducens: Ergo cum non sit adæquate eadem ratio dispositionis in viro, ac in muliere, non est, cur eadem pœna mulctentur. Sic Sanchez *libro secundo Decalogi capit. 17. numer. 23.* Bonacin. *d. 3. de contract. quæstion. 8. punct. vltim. Parag. 1. num. 16.*

522 *Non est priuandus.*

523 *Priuandus est.*

Priuandus est. Quia in illo *cap.* solum dicitur mulierem nubentem hæretico dotem non perdere, nisi forte scienter hæretico nupserit: in quo casu non subiungit Pontifex debere dotem perdere, sed id tacitè innuit, vel potius dispositioni communi relinquit. Quare cum hæc pœna non sit ipso iure lata ob huiusmodi crimen, sed per sententiam imponenda: & præcipua huius dispositionis causa sit præsumptio hæresis in muliere sic nubente: si eadem præsumptio in viro adsit, eodem modo ad amissionem bonorum poterit condemnari. Ita meus doctissimus amicus Ferdin. de Castro, *de tractat. 4. dubio quinto punct. 12. numer. 16.*

524 *Hanc sententiam eligo.*

Huius Doctoris authoritas me ad hanc defendendam sententiam adduceret, licet primæ sententiæ fundamenta magis vrgerent. Fateor tamen à me haud satis validas iudicari. Iam enim vidimus, sub nomine dotis bona vxoris fuisse illo in *cap.* comprehensa. Et quia esto ob facilitatem sexus & ad maritum subiectionem adsit in fœmina grauius, quam in viro peruersionis periculum: at in viro ob passionem amoris grauius solet adesse. Quapropter tempore antiquo ita grauiter prohibitum Iudæis erat, alienigenas ducere: *Certissime* (Textus ait) *auert. corda vestra.* Et quidem si clausula *capitis Decreuit* benè ponderetur, non imponitur pœna amissionis dotis mulieri scienter hæretico nubenti, sed iuris communis dispositioni relinquitur.

Dvbivm CXVIII.

An quoties publicatur dos ob delictum vxoris, publicaturne quoad visum fructum, cum ei pœna mortis non imponitur, sed viua viro traditur?

525 *Publicatur dos quoad proprietatẽ, non quoad vsumfructũ.*

PVblicatur dos quoad proprietatem solum, non quoad vsumfructum. Quia dos quoad vsumfructum videtur tunc ad vitam pertinere: traditur enim viro pro oneribus matrimonij. *leg. Dotis fructus ff. de iure dotium. leg. Pro omnibus. Cod. eodem titul.* Sed fiscus non occupat bona, quæ aliena sunt à delinquente: Ergo nec potest dotis vsumfructũ occupare. Profecto ob alienum delictum non debet vir innocens puniri: puniretur autem si vsufructu priuaretur, & obligatus esset vxorem alere. Ergo nec est dicendum, confiscationem ad vsumfructum dotis constante matrimonio extendi. Sic etsi dubius, & relinquens cogitandum Palac. *in repet. rubr. de donat. inter vir. & vxor. §. 66.* Lupus *eadem rubr. §. 66 numer. 23.* Et Bonacin. probabile reputat *dub. 3. de contract. quæstion. 8. punct. vltim. §. 1. numer. 17.*

526 *Quoad vsũfructũ etiã publicatur.*

Publicatur dos non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum. Quia in dubio lex, vel dispositio referens se ad aliqua bona, intelligi secundum proprietatem, & vsũfructum, *leg. Instituere, ff. de verb. signif. leg. Videamus, §. In Fabiana, de vsuris leg. In condemnatione, de reg. iuris.* Cum autem nostri Regni lex ob quodlibet delictum vxoris dicat, dotem, vel eius partem posse confiscari: & secundum ius commune ob quinque delicta (nempe ob crimen læsæ maiestatis, ob vim publicam, ob parricidium, ob veneficium, & Sicariatum *l. Quinque legibus, ff. de bonis damnat.*) confiscanda venit, efficitur secundum proprietatem, & vsumfructum venire. Ita Matienzo *leg. 11. tit. 9. l. 5. recopil. glos. 1. n. 4.* Azeuedo *ibi, n. 5.* Anton. Gomez *leg. 78. Tauri, n. 6.* Castillo *n. 2.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 17. n. 31.* & in crimine hæresis, Rojas *singul. 127.* Zanch. *tr. de hæret c. 25. nu. 4.* Lelius Zechius *sum. p. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, c. 16.* Farinac. *de hæresi, q. 190. n. 54.*

527 *Hanc sententiam veriorem esse credo.*

Veriorem hanc sententiam esse iudico. Fateor enim, dotem ad onera matrimonij subeunda dari: at si mulier suo delicto dotem amisit, onus, quod subierat maritus illam alendi, cessat. Sicuti cum dos promissa est, & non soluitur, non obligatur maritus vxorem alere: ita non obligatur, cum mulieris culpa dos auferetur. Tota tamen obligatio in parentes refunditur. Molina *l. 2. de primogen. c. 16. nu. 24.* Quod si hi alere eam non possint tunc ratione solius vinculi coniugalis, & amoris mutui vir eam alere tenebitur.

Dvbivm CXIX.

An possit confiscari quoad proprietatem, & vsumfructum, si pactum esset inter virum & vxorem, vt perpetrante vxore hæresis delictum, eo ipso ad virum proprietas, & vsusfructus dotis deueniret?

COnfiscari potest, nec ab illo pacto confiscatio impeditur. Quia illud pactum derogat legi communi statuenti confiscationem bonorum delinquentis: Ergo nullum est iuxta *leg. Ius publicum, ff. de pactis.* Sic Barbosa *ad leg. si constante, 25. ff. soluto matrimon. §. fin. numer. 1.* Sanchez *lib. 2. Decalog. capit. 17. numer. 32.* 528 *Potest confiscari.*

Non potest confiscari. Quia tunc dos prohibetur alienari expresse, & non in delinquentis fauorem, cum vxori delinquenti non applicetur: neque in fraudem fisci, cum non sit post delictum commissum, sed casu quod committeretur. Ita Baiard. *addit ad Clarum lib. 6. quæstion. 78. num. 63.* Peregrin. *de iure fisci libro quinto titulo primo numer. 83. & 118.* Farinac. alios referens *de hæresi, quæst. 25. num. 115.* 529 *Confiscari non potest.*

His hærens, existimo, tale pactum firmum esse, & maritum ratione illius ius habere quæsitum ad dotem, & fisco esse præferendum.

Dvbivm CXX

An quando delictum confiscationem habet annexam, delinquens ipso facto priuetur suorum bonorum dominio?

PRiuatur ipso facto. Quia perpetrans delictum, ob quod bona fũt fisco addicta ipso iure, priuatus est potestate libera alienãdi, & administrandi sicut antea habebat, quod in crimine læsæ maiestatis humanæ est manifestum *leg. Ex iudiciorum 20. ff. de accusationib.* & in crimine hæresis in comperto est apud omnes ex *cap. Cum secundum leges, de hæretic. in 6.* Sed dominium nihil est aliud, quam ius vtendi re propria, tanquam propria: Ergo cum delinquens ob crimen hoc ius amiserit, amittit & dominium. Porro si in crimine hæresis non amitteretur dominium à die commissi criminis, frustrà Pontifex in *cap. Cum secundum leges* prohiberet Principibus sæcularibus occupare delinquentium bona, quousque Episcopus, vel alius Ecclesiasticus habens potestatem, proferat sententiam super tale crimen: siquidem certum est, retento dominio alicuius rei, non posse à domino rem auferri, quousque per sententiam sit priuatus. Sic Anton. Gomez *de delict. capite secundo numero primo* Bursat. *cons. 14. numero tertio* Decian. *lib. 5. cap. 20. n. 3.* Farinac. 530 *Ipso facto priuatur.*

Farinac. loquens de hæresi, *quæstion.* 190. §. 5. *n.* 68. & alij plures relati à Sancio *libr.* 2. *Decal. capit.* 21. *num.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *capit.* 7. *quæstion.* 2.

531 *Non priuatur ipso facto.*

Non priuatur ipso facto. Quia delinquens commisso crimine, & ante sententiam, non tenetur (vti sequent. Dub. videbimus) se bonis priuare, ac fisco offerre, ex communi sententia: Ergo signum est, dominium retinere. Nam si dominium esset fisco translatum, absque eius voluntate à delinquente bona retineri non possent: nulli autem constat de tali fisci voluntate: ergo dicendum est, retentionem prouenire ex eo quod delinquens dominio non fuerit priuatus. Ita Vasquez 1. 2. *d.* 170. *toto c.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Decal. c.* 22. *n.* 3. Molina *tom.* 1. *de iust. d.* 95. *vers. Dubium vero est.* Henriquez *lib.* 13. *c.* 56. *n.* 2. Peregrin. *de iure fisci. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 171. Anton. Fab. *coniectur. iuris lib.* 7. *capit.* 20. Fachin. *libr.* 9. *controu. cap.* 35.

532 *Auctoris distinctio veram & aliam sententiam concilians.*

Verum vt cum Suario *de fide, d.* 20. *sect.* 3. *nu.* 6. loquar, dissensio inter has sententias æquè quidem probabiles, potius de nomine, quam de re esse videtur, si effectibus huius confiscationis consentiamus. Certum enim est, à die commissi criminis ita bona delinquentis esse obligata fisco, vt possit fiscus, secuta sententia, illa bona recuperare à quocumque possessore. Ergo signum est delinquentem amisisse ius, quod debebat transferendi plenè sua bona in quemcumque possessorem, & aliquod ius fisco esse translatum. E contrà verò delinquens ante sententiam retinere illa bona potest, illisque frui & vti: ergo non amisit omne dominium, seu ius vtendi, quod antè habebat. Quo circa dixerim, dominium translatum esse in fiscum à die commissi delicti: remanere autem apud delinquentem dominium vtile Quia distinctione præfatas sententias iudico conciliari.

Dvbivm CXXI.

An confiscatio obliget delinquentem, cui bona sunt ipso iure confiscata, ea fisco ante sententiam tradere?

533 *Obligat quidem.*

Obligat quidem. Quia delinquens absolutè priuatus est dominio suorum bonorum à die commissi delicti: alias enim possideret, & retineret bona contra voluntatem fisci, qui illorum est dominus; quod est illicitum. Sic Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. c.* 2. *num.* 5. Tiraquel. pluribus relatis, *ad leg. Si vnquam, verb. Reuertatur, num.* 368. & alij antiquiores, quos allegat Castro *lib.* 2. *de leg. pœnali, capit.* 10. *& lib.* 2. *de iusta hæret. punit. capit.* 5. *& 6.*

534 *Minime obligat.*

Minime obligat. Quia licet Princeps in vno, vel alio casu possit obligare delinquentem, vt in se ipsum pœnam grauem, & acerbam exequatur: at obligare per legem ad eius executionem, extra potestatem legislatoris *Escobar, & Mendoza, Theol. Moral.* Tom. VI. est: nam bono communi non expedit talis obligatio, cum sit humanæ infirmitati contraria, & multis transgressionibus exposita: At si delinquens, commisso delicto, obligaretur bona fisco tradere, obligaretur grauem in se exequi pœnam: Ergo dicendum non est, hanc ei posse per legem imponi obligationem. Ita Nauar. *Sum. cap.* 23 *num* 66. Couar 4. *Decretal. part.* 2. *c.* 6. §. 8. *nu* 10. Simanc. *de Cathol. institit. tit.* 9. *à num.* 161. *ad* 252. Anton. Gomez sibi contrarius *lib.* 3. *var. c. vlt nu.* 3. Pegna *Direct. p.* 3. *commen.* 158. Vasq. 1. 2. *d.* 170. *c.* 3. Azor. *to.* 1. *l.* 5. *c.* 7. *q.* 1. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 22. *n.* 7. Suar. *de fide, d.* 22. *sect.* 4. *n.* 4. Farinac. *de hæresi, q.* 190. *num.* 23.

535 *Probabilius hoc mihi.*

Hoc mihi probabilius. Nam leges imponentes hanc confiscationis pœnam, non priuant delinquentem expressè suorum bonorum possessione: Ergo non tenetur delinquens se possessione priuare; quia possessione nunquam quis priuatus censetur, etiamsi dominio priuatus sit. Anton. Gomez *to.* 3. *variar. c.* 2. *de delict. d.* 3. Cantera *qq. crimin. rubr. de hæret. c.* 1. *n.* 16. Farinac. alios referens *q.* 25. *n. nu.* 15. *& de hæresi, q.* 190. *n.* 85. *ad l. Cum hæredes, ff. de acquir. posses.* Ex qua ratione fit satis contrario fundamento.

Dvbivm CXXII.

An confiscatio ipso iure ob delictum hæresis imposita, impediat vt delinquens valide possit sua bona alienare?

536 *Impedit quidem.*

Impedit quidem. Quia *l. Manicheos, §. Præterea, C. de hæret. & l. vlt. C. ad l. Iuliam maiest.* tollitur à delinquente alienandi facultas, & additur, tales alienationes valere non debere. Item traditur in nostro Regno *l.* 4. *tit* 2. *p.* 7. Quibus legibus fauet sententia illa asserens, delinquentem ob delictum commissum priuatum esse suorum bonorum dominio: Ergo non potest valide alienare. Sic Simanc. *De Cathol. institit. tit.* 9 *n.* 25. Peregrin. *de iure fisci, l.* 5. *tit.* 1. *n.* 166. Bossius *in sua. pract. de bono publ. nu.* 76. & alij relati à Sancio, & Farinacio afferendis.

537 *Non impedit.*

Non impedit. Quia delinquenti ante condemnationem interdicta non est bonorum suorum administratio: sed legitimam administrationem sequitur potestas alienandi: Ergo delinquens potens est alienare, & consequenter valide alienat. Ità Vasquez 1. 2. *d.* 271. *capite secundo numero nono* Azor *tomo primo lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 7. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 22. *nu.* 50. Suar. *de fide, d.* 22. *sect.* 4. *n.* 3. Farinac. *de hæresi, q.* 190. *nu.* 72. & alij apud ipsos.

538 *Existimo, validas esse sed per sententia annullandas.*

Probabilius existimo alienationes à delinquente factas, quouis titulo fiant, esse validas: venire tamen per sententias annullandas. Quia à die commissi delicti ea bona sunt fisco addicta, ac quasi in hypothecam tradita, ac proinde in quemlibet possessorem cum illo onere transeunt. Hoc enim adminus probant leges prohibentes

his delinquentibus alienationes. *leg. Ex iudiciorum, ff. de accusat. leg. Manicheos. §. præterea, C. de hæretic.* Probant quidem non posse delinquentem firmiter, & irreuocabiliter alienare. Quapropter lata sententia confiscatio retrotrahitur à die commissi delicti, ac si illo die sententia lata fuisset & bona alienata ab illo die deuoluuntur ad fiscum, etiamsi ad plures possessores peruenissent, secluſa præscriptione, de qua mox. Quod verum est, etiamsi bona fide quis à delinquente receperit ignorans prorsus delictum. Quia hæc ignorantia, & bona fides non tollit, rem acceptam obligatam esse fisco: ac proinde non infirmat ius fisco acquisitum.

Dvbivm CXXIII.

Vt valeat quis vetinere, quod à delinquente (cuius bona publicata sunt) alienante ante sententiam accepit, potestne se præscriptione defendere: id an illa debea necessario esse quadraginta annorum?

539 *Status quæstionis.*

NOn potest fiscus bona, quæ delinquens ante sententiam alienauit, ab accipientibus recuperare, si se legitima præscriptione defendant, ex *cap. fin. de præscript. in 6. 2. Cod. de apostat. leg. In omnibus, Digestis de iure fisci.* & in confesso est apud omnes. At controuersia est inter Doctores, quod tempus sufficiat ad huiusmodi præscriptionem, num sit necessarium quadraginta annorum esse?

540 *Non debet necessario esse quadraginta annorum.*

Non est necessarium, sed sufficit esse minoris admodum temporis, verbi gratia, aut quinque, aut decem, aut viginti, aut triginta. Sic varij Doctores varie opinantur. Lege Barthol. *l. C. de Vectigal.* Farinacium *p. 1. practicar. q. 10. nu. 81. & q. 25. n. 158. & de hæresi, q. 190. num. 119.* Anton. Gomez *tit. de confisc. num. 5.* & alios.

541 *Debet omnino.*

Necessarium est in crimine hæresis spatium quadraginta annorum, vt possessor præscribat bona delinquentis aduersus fiscum. Quia id expresse habetur in *cap. 2. de præscript. in 6.* ibi: *Nisi spatio quadraginta annorum fuerint bona fide possessa.* Ita Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 22. n. 40.* citans plures. Farinac. *locis citatis.* Fachin. *lib. 9. controuer. c. 54.* Molina *de iust. to. 1. d. 75. vers. Hinc infert.* Palao *tr. 4. de fide, d. 5. pun. 19. n. 6.*

542 *Mihi hoc certum, & aliquorum reiicio limitationē.*

Mihi hoc certum. Scio tamen, nostram sententiam à Couuarruuia 4. *Decret. p. 2. 6. §. 8. num. 16.* Antonio Gomez *tom. 3. var. cap. vltim. num. 5.* & aliis limitari, vt procedat, cum bona hæretici fisco Ecclesiastico sint applicāda: secus cum fisco sęculari. At non admitto limitationem, sed indistincte affirmo spatium quadragenarium ad hanc præscriptionem requiri, siue fisco Ecclesiæ, siue sæculari bona applicentur. Quia in delictis Ecclesiasticis puniēdis, standum est potius dispositioni iuris Canonici, quam ciuilis. At est certum crimen hæresis Ecclesiasticum esse, *cap. Vt Inquisitionis. Paragraph. Prohibemus, de hæret. in 6.* Ergo cum secundum ius Canonicum spatio quadraginta annorum, & non minori præscriptio concedatur, illi standum est.

Dvbivm CXXIV.

Cum certum sit, si pretium alienationis, quod hæretico soluit quis pro bonis diuenditis formaliter, vel æquiualenter in potestate delinquentis exiſtit, debere à fisco reddi cum alienatio rescinditur: dicituine pretium in potestate eius existere, si id in necessariis ad vitam insumpsit?

543 *Nonnulla suppono.*

SI per donationem gratuitam quis accepit hæresis bona, nullis sumptibus factis, nihil ei à fisco relinquendum, cum rescinditur alienatio. Quia ipse nihil ex propriis amisit, & reuocatio hunc effectum habet, vt rem ad priorem reducat statum, efficiatque, ac si nunquam res alienata esset. Si autem contractu oneroso, nempe venditione accepit, & pretium datum formaliter, vel æquiualenter apud delinquentem exiſtit, emptori est reddendum, cum re vendita sibi à delinquente priuatur. Quia fiscus solum habet ius dissoluendi contractum, & recuperandi bona, quæ sibi sunt obligata: Ergo non potest simul habere ius occupandi pretium ab innocente datum. Quia non est delinquentis, nisi dum contractus factus firmus exiſtit, & res vendita non vendicatur. Quare dissoluto contractu, & re vēdita vendicata, debet pretium ad innocentē redire. In his omnes Doctores conueniunt. Quęsierim iam, an censeatur existere pretium apud delinquentem, si ex illo necessaria ad victum, & alia huiusmodi empta sunt, quæ tamen casu perierunt?

544 *Censetur existere pretium.*

Censetur, in eo casu, existere. Quia æquialenter pretium extat apud delinquentem, quoties propriis bonis rationi illius delinquens parcit. At ob pretium receptum ab emptore pepercit delinquens propriis bonis, quæ necessario erat consumpturus ad victum, & vestitum comparandum, si pretium non recepisset. Ergo. Sic Simanc. *de Cath. instit. tit. 9. num. 38.* Azor. *to. 1. l. 5. cap. 7. q. vltim.* Farinac. *de hæresi, quæstion. 190. numer. 28.* Bonacin. *de contr. dub. 3. quæs. 8. punct. vltim. §. 4. numer. 2.* Sanchez *libr. 2. Decalog. capit. 22. numer. 71.*

545 *Censetur pretiū non esse.*

Non censetur pretium existere apud delinquentem. Quia tempore, quo contractus ille rescinditur, non verificatur, pretium illud apud delinquentes extare etiam æquialenter, cum neque in eius vtilitatem, neque in vtilitatem fisci versum fuerit. Ita Vasquez *de legib. dub. 172. capite secundo numero nono.*

546 *Vtrāque ſententiam ad concordiam adduco.*

Profectō vtraque sententia verum asserit, & facile ad concordiam adduci illæ possunt. Si enim delinquens è pretio accepto emit rem, quam sine dubio emeret, etiamsi pretium non accepisset, credo, pretium publicandum non esse, sed reddendum emptori. Quia ex illius redditione non infertur fiscum

fiscum maiori patrimonio frui, quam fruetur, si contractus ille, qui rescinditur, factus non esset; taleque pretium moraliter censetur existere tempore, quo contractus rescinditur, quatenus in delinquentis vtilitatem versum est: siquidem ratione illius, propriis bonis, quæ debebat consumere, pepercit. At si ex pretio accepto ab emptore, rem ipse emit, quam non emeret, si contractum priorem non celebrasset, neque pretium accepisset: iudico tunc non esse restituendum pretium emptori. Quia absolutè non est verum, in delinquentis, vel fisci vtilitatem esse consumptum.

Dvbivm CXXV.

Rem à delinquente venditam potestne fiscus ab emptore vendicare, quando hic non probat, rem in delinquentis cessisse vtilitatem?

447 *Nonnulla supponc.*

SVppono, onus probandi, pretium versum esse in delinquentis vtilitatem, non ad fiscum, sed ad emptorem, qui prætendit sibi restitui; pertinere. Quia fiscus ius certum possidet aduersus omnia bona, quæ in possessione delinquentis reperiuntur. Emptor ergo si prætendit hoc certum ius imminuere ob contractum celebratum, probare debet, ex eo pretio delinquentem ditiorem euasisse, alias proculdubio succumbet. Azor. *tom.1.lib.5.c.7. quæstion. vltim.* Sanchez alios referens *lib. 2. Decalog.c.22.numer.60.& 69.* Vasquez *c.9.de testam. Paragraph.4. dub.6.* Molina *tom.1.dub. 95. vers. Licet autem.* Quæstio igitur est, an rem à delinquente venditam possit fiscus ab emptore vendicare, nullo restituto pretio quãdo ille non probat, pretium in delinquentis cessisse vtilitatem?

448 *Non potest.*

Non potest. Quia iuxta receptiorem sententiam contractus ille emptionis & venditionis validus fuit, licet veniat rescindendus: Ergo communicauit emptori dominium rei venditæ à delinquente. Igitur emptor priuari illa non potest nisi pretio restituto. Sic Alciat. *ad leg. Post contractum nu.21.ff.de donationib.* Roman. *ibi.nu.3.* Imola *n.1.* Cynus *ad leg.fin.C. ad leg.Iuliam maiest.* & alij relati à Sigismundo Scaccia *tractat. de iudic. capit. 98. numer.13.*

449 *Potest quidem.*

Potest quidem fiscus pretio non reddito possidenti, rem sibi integre vendicare. Quia hæretici bona, quæ ipso iure ob delictum hæresis publicantur, à die commissi delicti sunt fisco obligata, & hypothecata: ergo potest fiscus ea repetere, ac vendicare vbicumque inuenerit, etiam pretio non soluto pro tali vindicatione, si pretium inter bona delinquentis non existit, vel emptor existere non probauerit. Consequentiam probo, quia tunc fiscus deberet dare pretium ex propriis bonis: at si fiscus teneretur possidenti rem dare ex propriis pretium pro rei vendicatione, non vendicaret rem tanquam sibi obligatam, sed illam absolute emeret: Ergo dicendum est posse absolute vendicare rem sibi debitam, nullo pretio soluto. Ita Simanc. *de Cathol. institut.titul.9.numer.17.* Ant.Gomez *tom.3. variar. c.2.num.2.* Gabri.Quemada *qu.7. num.1.* Scaccia *de iudic.c.98.n.13.* Azor. *to.1.l.5.c.7. q.8.* Sanch. *l.1. Decal.c.22.n.68.* Suar. *de fide, d. 22.sect.4.nu.9.* Farinac. *de hæresi.quæstion.190. num.76.*

Hanc sententiam probabiliorem esse existimo. Nam possessor illius rei fisco obligatæ illam possidet eo modo, ac delinquens possidebat, quia ius quod delinquens habebat, id ipsum & non aliud in possessorem transtulit. Sed delinquens ita possidebat rem, vt nullo pretio accepto pro ipsa, poterat à fisco occupari: Ergo similiter dicendum est, idem fieri posse in possessore, cum pretium ab eo datum neque formaliter neque eminenter probat apud delinquentem existere.

550 *Probabilior hanc sententiã esse iudico.*

Dvbivm CXXVI.

An confiscatio bonorum delinquentis condemnati in contumaciam ob causam fidei sit facienda à tempore latæ sententiæ, an à tempore, quo probationes signant, delictum fuisse perpetratum?

BOna huiusmodi delinquentis non publicantur à die, quo testes deponunt, eum in hæresim incidisse: sed à die qua damnatur tanquam contumax, vel à purgatione indicta defecit. Quia contumax non habetur pro cõfesso, & conuicto, neque vt talis condemnatur nisi à die quo perfecta est cõtumacia, vt habetur in *cap. Cum contumacia, de hæret. in 6.cap. Excommunicamus, §. Qui autem eodẽ tit.* Ergo solum ab eo die bona illius censeri debent publicata. Sic Gabr. Quemada *qq. fiscal. quæstione octaua* Simanc. *de Cathol. institit. titulo nono numer. 26.* Menoch *libro secundo consil 159. numer.19.* Couar. *ad cap. Alma mater p.1.§.7.numer.11.* Sanchez *l.2.Decal. c.22. num.51.*

551 *Facienda est confiscatio à die quo delinquens damnatur, nec à die depositionis testium.*

Publicatio bonorum est facienda à die, qua delinquens damnatur tanquam contumax; sed à die quo testes deponunt, hunc contumacem in hæresim incidisse. Quia qui condemnatur vt contumax, non condemnatur propter contumaciam, & inobedientiam, quam Prælatis Ecclesiæ habuit, eorum mandata transgrediens, non comparendo: sed condemnatur ob delictum hæresis, quod præsumitur incurrisse, & pro quo citatus fuit, vt responderet: sed delictum hæresis non iudicatur incurrisse in die, quo sententia condemnatoria profertur; sed in die quo testes deponunt reum exercuisse actum, ex quo talis suspicio exurgit: Ergo ab illo die est publicatio bonorum facienda. Ita Farinac. *de hæresi, quæstion.190.§.12.numer.21.* Castro Palao *tractat. 4. de fide, dub. 5. 22. numer.2.*

552 *Non est facienda à die qua delinquens dãnatur sed à die depositionis testium.*

Probabilis quidem prima sententia est, secundam autem probabiliorem esse iudico. Discursus enim Farinacij legitimus

553 *Probabilior secunda sententia est.*

est, nam publicatio bonorum delicto hæresis est annexa. Minor quidem Syllogismi per se videtur manifesta. Nam licet contumax à die cõtumaciæ probatæ condẽnatur vt hæreticus, ratio condemnationis est hæresis delictum, de quo suspectus fuit, & pro quo fuit citatus respondere. Hoc autem delictum non commisit, cum respondere noluit, sed quando testes deponunt. At quia probatum id non erat, iudicari non poterat, neque declarari: facta autem probatione, ex tunc declaratur, licet declaratio non ad delictum tempore declarationis commissum, sed patratum multo tempore antea, extendatur.

DVBIVM CXXVII.

Hæreticus pœnitens, & Ecclesiæ reconciliatus, potestne testari de bonis acquisitis post abiurationem?

554 *De pœna incapacitatis testandi.* INter pœnas hærerico præscriptas testandi incapacitas enumeratur, *c. Excommunicamus 1. §. credentes, de hæret.* ibi: *sit etiam inhabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem.* Qui textus licet de fautore hæreticorum loquatur à fortiori de ipso hæretico est intelligendus: & tradunt omnes. Difficultas est, num hæreticus pœnitens & Ecclesiæ reconciliatus testari possit de bonis post abiurationem acquisitis?

555 *Testari non potest.* Non potest testari. Quia ex præfato *c. Excõmunicamus* absolutè inhabilis redditur. Sic Farinac. *de hæresi, q. 190. n. 93.* Repertor. Inquisitor. *v. Pœna, v. Item an hæreticus reconciliatus.* Ioan Calder. *tr. de hæret. rubr. de pœnis. hæret. filior. & nepotum. n. 3.*

556 *Potest testari.* Testari de his bonis potest. Quia solummodo redditur inhabilis de bonis confiscationi subiectis, vtpote quæ non sunt delinquentis, sed fisci: At confiscatio non extenditur ad bona futura, & post sententiam acquisita: ergo neque impotentia testandi ad illa debet extendi. Ita Palao *tract. 4. de fide, disp. 5. part. 26. num. 1.* Sanch. alios referens *lib. 2. Decalog. cap. 24. n. 4.* Vasquez *opusc. de testam. c. 9. §. 1. num. 26.*

557 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum. Cui fauere existimo *leg. regiam quartam Tauri lib. 3. titul. 4. libr. 5. recopil.* Vbi de bonis confiscationi non subiectis datur facultas testandi quibuscumque reis. Porro bona post abiurationem acquisita certum est non subesse confiscationi.

DVBIVM CXXVIII.

An hæreticus tempore hæresis priuetur successione ex testamento vt incapax illius, an vt indignus solum?

558 *De priuatione successionis hæretici.* PRætereà pœna hæretici enumeratur priuatio successionis ex testamento, *c. Excommunicamus el. 1. §. credentes, de hæret.* ibi: *Nec ad hæreditatis successionem accedat.* Quæsierim verò, an ita hæreticus priuetur successione ex testamento tempore hæresis, vt illius incapax sit, vel solum vt indignus? Nam si incapax est successionis omnia, quæ illi deferuntur, aut relinquuntur, non fisco, sed venientibus ab intestato proueniunt, *l. si quis mihi bona, §. si quis plane, ff. de acquir. hæredit.* Si autem est capax, sed indignus, fisco, & non venientibus ab intestato applicatur. *l. Papinianus, §. Meminisse.*

559 *Priuatur successione vt incapax, non solùm vt indignus.* Hæreticus, durante hæresi, incapax est omni successione, & legato, nõ solum indignus. Quia *c. Excommunicamus citato* aperte dicitur. *Neque ad hæreditatis successionem accedat.* Et licet de credentibus, fautoribus, & receptatoribus hæreticotũ loquatur, quando excommunicatione notati sunt, & contemnunt intra annũ satisfacere non obstat quominus de hæreticis efficacius intelligatur. Quia hæreticus est fictione iuris, qui ob fautoriam hæresis excommunicatione notatur, & intra annum satisfacere contemnit. Si ergo de hoc hæretico intelligitur, à fortiori intelligendus est de illo qui verè ac propriè hæreticus est. Sic plures Doctores, quos refert Farinac. *de hæresi, q. 190. nu. 83.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 14. numer. 32. & 33.*

560 *Priuatur successione vt dignus, non vt incapax.* Hæreticus, durante hæresi, priuatur successione vt indignus, non vt incapax, ac proinde ante sententiam non tenetur hæredibus, nec fisco restituere: posita tamen sententia ea omnia ab illo fiscus tanquam ab indigno auferet. Quia nullo ex textu iuris communis hæc incapacitas est statuta. Ita Sanchez *citat.* Imola *de testam. cap. 2. n. 44.* Lessi. *l. 2. de iust. cap. 19. dub. 5. n. 52.* Moli. *to. 1. de iust. d. 154.* Azor. *to. 1. l. 5. capit. 8. quæst. 1.* Rojas *singul. fidei, 79. num. 2.* Decian. *pract. crimin. libr. 5. capit. 44, numer. 17.*

561 *Auctoris resolutio.* Ego autem censeo, neque iure regio, neque iure communi expresse probari incapacitatẽ hæretici, occulti ad succedendum, vsque dum per sententiam non declaratur. Nihilominus autem in consulendo, ac iudicando à prima sententia communi non esse recedendum, sed absolute affirmandum hæreticum durante hæresi omnino esse cuiuslibet successionis, ac legati incapacem: neque fiscum in tali hæreditate locum habere, sed applicandam esse hæredibus ab intestato. Reputarim tamen, hoc limitandum esse, vt non procedat in hæreditate, ac legato relicto ei, quem scis esse hæreticum. Quia tunc in pœnam peccati, quod incapacem, vel saltem indignum institueris, poterit fiscus hæreditatem, & legatum occupare. *leg. Quæ de Samaritanis. Cod. de hæret.* ibi; *Delatam ipsius successionem vendicat fiscus.* Interim tamen quod fiscus non pronunciat sententiam, hæredibus ab intestato applicatur. Simanc. *de Cathol. instit. titul. 46. numer. 56.* Azor. *tomo primo libro quinto capite octauo quæstione prima & libro octauo capit. 12. quæstione octaua* Farinac. *de hæresi, quæstion. 190. numer. 104.* Sanchez *libro secundo Decal. capit. 14. numer. 38, & 39.*

DVBIVM

Dvbivm CXXIX.

An attento rigore iuris, hæreticus incapax sit donationis, sicut incapax est hæreditatis, & legati?

560 *Incapax est rigore iuris attento.*

IDem iuris est de donatione atque de hæreditate,& legato: vnde incapax est hæreticus,hæresi durante, cuiuslibet donationis inter viuos, & donanti reddendum est, neque per fiscum publicandum, nisi in casu,quo donans sciret hæretico donare. Quia id decernit *lex Arriani,§.Cunctis, Codice de hæret.* ibi:*Sine de donationibus hæreticorum conuenticula, siue ex vltima voluntate,&c.* Fauet. *Cap. In eos,de hæret.* vbi prohibetur Episcopis, & Clericis aliquid hæretico conferre,ibi:*Nihil conferant*, quod tam de vltima voluntate,quam de donatione inter viuos Glossa intelligit. Sed ratio prohibitionis alia esse non potest nisi hæretici incapacitas: ergo hæreticus incapax est cuiuslibet donationis,sicut,& successionis, & legati. Et iure nostro Regio hoc videtur comprobari.*lege 5.titul.25.parti.7.*ibi: *Apostata no puede ser establecido de otros por heredero en ninguna manera,e manda,e donacion, que le vbiessen fecho, o que el fuesse a otro,non valga desde aquel dia, que el apostato.* Sic Hostiens.*ad Cap. In eos, de hæret. verb.Nihil conferant.* Marian. Socin.*ibi num.3.&* 4. Bonif. de Vitalinis *rubr. de crimin.hæres. num.* 6. Quemada *quæstionum fiscalium,quæstione* 18. Azorius *tomo primo,libro quinto,capite octauo, quæstione prima, & libro octauo,cap.*12.*quæst.*8.Farinac.*de hæresi,qu.*190. *num.* 196.

561 *Non est incapax attento rigore iuris.*

Attento iuris rigore, incapax non est, sed valida est donatio hæretico facta,nec ipse ante sententiam obligatus est restituere: illa vero secuta, fisco pertinet huiusmodi donatio. Quia nullus est textus, qui hanc donationem annullet.Nam textus *in l. Arriani*,non probat donationem inualidam esse; sed non debere fieri; non quia hæreticus incapax sit, sed quia est indignus,Et idem est de textu *in cap.In eos.* Leges autem nostri Regni clarius indicant non valere:at cum non addant, *Ipso iure*, vel *Ante sententiam*,non est,cur sic actum annullemus. Quia in casu dubio pro valore actus standum est.Ita Sanchez *lib.*2.*Decalogi cap.*14. *numer.*16.Palao *tractat.*4.*de fide,d.*5 *punct.*26. *numero* 11.

562 *Hoc probabilius videtur.*

Hoc probabilius esse crediderim,adiiciens, non eodem modo nostri Regni leges procedere in successione ex testamento,ac in donatione.Nam in successione ex testamento vtuntur verbo,*Non potest*.ibi*No pueda ser establecido por heredero.No le pueda ser dejada manda en testamento.*Quod quidem verbum indicat annullationem actus ob defectum potentiæ.At in donatione tale verbum non inuenitur,sed solùm dicitur,*No vala.*

Dvbivm CXXX.

An serui Christiani exempti ex præscripto legis ab obsequio domini hæretici: tunc obtineant absolute libertatem: an debeant in fisci dominium transire cum reliquis bonis confiscatis?

565 *Hæreticus priuatur dominio in seruos.*

ALia hæreticorum pœna est priuatio dominij in seruos.*Cap.Absolutos,de hæretic.* vbi dicitur,*Absolutos se nouerint à debito fidelitatis domini,& totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur adstricti,* Quæsierim verò,an tunc serui exempti ab obsequio domini hæretici obtineãt absolute libertatem, an vero in fisci dominium cum reliquis bonis confiscatis transeant?

566 *Non eximitur absolute a seruitute, sed transit in fiscum.*

Christianus seruus non obtinet absolute libertatem,sed transit in fiscum,Quia nullus est textus hanc illi libertatem concedens: nam *cap.Absolutos*, solum eximit eos à debito obsequio domini,sicut vasallos eximit à debito fidelitatis,quod stare optime potest, etiamsi fiscus in dominio succedat: sicut stat exemptio vasalli à debito fidelitatis debitæ domino hæretico,etiamsi alteri Principi subdatur.Sic Ioa Andr.Geminian.Francus,& alij *ad cap.quicumque,§.vltim.de hæretic.*Ioann. Annani. & Marian.Socin.*ad Cap.vltim. de hæretic.* Et Sanchez *lib.*2.*Decal.capit.*24. *numer.*9. probabile reputat.

567 *Absolutè eximitur.*

Seruus Christianus à seruitute omnino eximitur. Quia esto hæc libertas seruis Christianis non sit in iure expressa:at est satis insinuata in *Cap.Manichæos,Codice de hæretic.*Si enim seruus alicuius hæretici suscipiens fidem eximitur integre à seruitute in præmium fidei susceptæ: quia iudicat Ecclesia fideliori seruitio se mancipare:eadem ratione integrè debet eximi,qui iam fidem suscepit,& in ea vult perseuerare,cum eius dominus Ecclesiam deserit. Quia sua perseuerantia testatur fideliori seruitio se mancipare. Ita Sanchez *vbi suprà numero* 10. Pegna *part.*3.*comment.*168. *vers.Sed de seruis quæsitum est.*Molina *tom.*1. *de iustitia, disputat.*40.Azorius *part.*1 *lib.*8.*cap.*12. *quæst.* 7.Decian.*tractat.crimin.lib.*5.*cap.*44. *num.* 28. Farinac.*de hæresi,q.*197.*num.* 30. & alij apud ipsos.

568 *Auctoris resolutio.*

Tenendum existimo,seruos Christianos eximi omnino à seruitute, seruos vero Paganos, vel hæreticos in seruitute fisci permanere. De seruo Chtistiano iam constat ex secundæ sententiæ fundamento. At seruo Pagano, vel hæretico nullibi legi hanc concedi libertatem. Et cum inter bona dominorum reputentur *leg. Rem in bonis, Digestis de acquir. domin. lege vltima,Paragrapho vltimo, Codice de verborum significatione*, efficitur plane, cum aliis bonis confiscatis ad fiscum transire. Porrò si seruus nondum est baptizatus, cum dominus in hæresim incidit: at baptizari intendit, & est Cathecumenus, sentio cum Pegna *commentar.* 168. consonum esse, vt libertate

donetur,& sui iuris efficiatur.Quia hoc pertinet ad Catholicæ Religionis augmentum. Et quia Catechumenus in deuotione,ac fide Ecclesiæ perseuerans membrum Christi Domini efficitur,*cap. Veniens,de presbytero non baptizato.* Debet ergo Christianorum priuilegiis potiri.Demum monuerim, acquisita à seruo Christicola semel libertate,nunquam ad seruitutem pristinam redire : etiamsi eorum domini ad fidem reuertantur , & omnia illis restituantur bona, iuxta *cap. Vergentes , de hæretic.*Quia libertas quocumque modo data,non reuocatur, *lege prima,& secunda.Codice Si aduersus libertatem.* Pegna *suprà* , Sanchez *numero duodecimo.* Simanc. *de Cathol. institut. titulo* 61. *numero nono.*

Dvbivm CXXXI.

An requiratur sententia declaratoria criminis , vt debitores excusentur à solutione debiti hæreticis præstanda?

569 *Pœna amissionis cuiuscumque iuris.*

POena alia hæreticorum est amissio cuiuslibet iuris,& obligationis etiam iuramento vallatæ.*Cap. Absolutos, de hæretic.* Communiter Canonistæ extendunt locum illum ad omnia debita,& ad quascumque obligationes,vt videre est in Glossa *ibi.*Abbate , *numero primo*, & aliis pluribus citatis à Farinacio *de hæresi, qu.*189.*num.*57.Dubium solùm est,num requiratur sententia declaratoria criminis,vt à solutione præstanda hæreticis debitores excusentur?

570 *Non requiritur sententia.*

Non requiritur,sed sufficit,si hæresis manifesta sit ex facto , vel ex testium depositione, etiamsi per sententiam nota non sit.Quia textus in *Cap. Absolutos* , solum expostulat , esse hæresim manifestam:& verbum *Absolutos*,indicat sententiam latam. Et quia à die commissi criminis amittunt hæretici suorum bonorum dominium,& consequenter iurium,& obligationum , & fisco est applicandum: Ergo fisco est debitum soluendum vtpote domino succedenti in actione,ac iure,quod delinquens habebat.Sic Syluester.*verb. Hæreticus,*§.1.*numero* 14.Azorius *parte secunda , libro octauo, capite* 13.*quæstione prima.*Pegna *parte tertia, Director. comment.*168.*vers.Postremo.*Farinacio *de hæresi, quæstione nona, Paragrapho tertio,numero sexagesimo octauo.* Videtur autem manifestam hæresim vocari eam , quæ exteriorem prodit in actum:qua cognita debitores,& vasalli ab omni obligatione dominis hæreticis facta sunt exempti.

571 *Sententia requiritur.*

Requiritur quidem sententia declaratoria criminis. Quia fiscus ante sententiam saltem declaratoriam criminis bona hæreticorum occupare non potest , vt deciditur in *Cap. Cum secundum leges,de hæret.in* 6. ibi: *Sententia fuerit pronunciata.* Si autem debitores hæreticis non deberent soluere,sed fisco, iam fiscus ante sententiam bona hæreticorum occuparet. Ita Bursat.*lib.*1.*cons.*14.*à numer.*18.Azorius *supra, quæst.*2 .Palao *tract.*4.*de fide,disp.*5.*punct.*26. *numero* 20.

572 *Idem assero & vberius expono.*

Crediderim,probabilius esse,posse,& debere debitores hæretico soluere debita , & obsequia præstalia, dum per sententiam quia alia debita præstale, dum per sententiam eius crimen declaratum non est. Nam hæreticus post crimen commissum,interim dum sententia declaratoria non succedit, non priuatur possessione, & administratione bonorum:ergo ratione huius possessionis, & administrationis debita illi debent solui , & obsequia præstari. Illud vero est omnino certum , debitores, etsi à die commissi criminis eximantur ab obligatione soluendi hæreticis debita , & vasallos à debito fidelitatis : non tamen ita esse exemptos,vt debita,& subiectio omnino extinguatur. Succedit namque fiscus in credito , & in dominio, si alij vocati non sint.Abbas *ad c.fin. de hæretic.*Socin *ibi,numer.*1.Ioann.de Anania, *num.* 2.*&* 3. Farinacius *de hæresi,quæstion.*189. *numero* 68.

CAPVT XXVII.

Circa Corporales pœnas hæreticorum.

Dvbivm CXXXII.

Abiurauit quis hæresim , primo , postea vero incidit in illius vehementem suspicionem:tunc fictione iuris dicitur ne relapsus sæculi Curiæ?

573 *De pœna carceris, exilij, verberum, remi, mortis.*

ASSOLET imponi hæretico pœna carceris , exilij , triremis verberum, & mortis. Verum pœnam carceris sæpe hæreticis pœnitentibus imponi posse,& de facto imponi , nemini est dubium , *Cap. Excommunicamus,el* 2.*de hæretic.* Quam pœnam perpetui carceris hæreticis debitam potest Episcopus cum Inquisitoribus mitigare,& ad tempus tantum imponere. Post condemnationem vero rei mitigatio pœnæ in Hispania penes solum Dominum Inquisitorem generalem residet.Pœnam fustigationis.exilij, triremis pœnitenti hæretico imponi testatur.Decian.*tract. crimin.lib.*5.*cap.*42.*num.*5.6.*&*11.Farinacius *de hæresi,quæstion.*193.*à numer.*85. Credo tamen in Hispania fustigationis pœnam, vel triremis non imponi nisi hæreticis,qui tardissimi, durique fuere ad conuersionem, Pœna mortis hæretico impœnitenti , ac pertinaci imponitur, *Cap. Ad abolendam, de hæretic.* Et hæretico fictione iuris impœnitenti,scilicet qui legitimis testibus conuictus, negat hæresim commisisse. Et diminute confitenti.Et qui in iudicio manifestat errores,& postmodum negat.Et relapsus in hæresim. Dicitur quidem relapsus , qui de primo lapsu non fuit plene conuictus , sed de vehementi abiurauit. Quæstio igitur,his præmissis,vertitur , num quando primo quis abiurauit

rauit hæresim, postea vero incidit in vehementem illius suspicionem fictione iuris relapsus dicatur Curiæ sæculari tradendus?

574 *Non dicitur relapsus Curiæ sæculari tradendus.*

Non dicitur relapsus. Quia in *cap. Accusatus*, fictione iuris, & non propriè reputatur vt relapsus hæreticus, qui abiurata hæresi, de qua fuit plene conuictus, iterum in ipsius vehementem incidit suspicionem. Cum ergo nihil statuatur de illo, qui prius vehementer suspectus fuit, & postea in manifestam incidit hæresim, non debemus illi relapsorum pœnam applicare; quia pœnæ non sunt extendendæ. Sic Rojas *tract. de hæretic. part. 2. num. 333.* ex textu in *cap. Literas, de præsumpt.* Vbi post factam confessionem & abiuratam hæresim, quam de se, & fratre suo confessus quis fuerat, postea hæresim fratris negauit: ob cuius negationem tanquam suspectus de hæresi condemnatur, & non tanquam hæreticus relapsus. Et Farinacius *de hæresi, quæstione 195. numero 18.* testatur ita seruari in praxi ab Italiæ Inquisitoribus.

575 *Relapsus dicitur.*

Relapsus dicitur, vnde ei relapsus pœna imponi potest. Quia vt quis fictione iuris relapsus reputetur, sufficit, si de vno lapsu plenè, & indubitabiliter constet, & de alia suspicione vehementi. Quod autem lapsus præsumptus antecedat, vel subsequatur lapsum certum accidentarium esse videtur, leuisque considerationis. Ita Menoch. *consil. 82. numer. 148. lib. 1.* Alphons. à Castro *de iusta hæret. punit. lib. 2. cap. 2.* Sanchez *tractat. de hæret. cap. 16. num. 3.* Burs. *Consil. 7. num. 15. lib. 1.* Farinacius *vbi suprà numero 17.*

576 *Dubium, ei pœnam relapsi imponi possit.*

Hæreticis fauendum non est. Vnde longe probabilius existimo pœnam relapsi illi imponi posse. Nam in *cap. Accusatus* gratis concedo solùm haberi esse fictione iuris relapsum, qui post vehementem hæresis abiuratæ suspicionem in illam incidit manifeste. At inde probabilissime colligo, idem esse dicendum, siue suspicio antecedat, siue subsequatur lapsum manifestum. Neque obstat textus in *cap. Literas.* Quia ibi solum dicitur, confessum fuisse hæresim sui, & fratris, quam confessionem postea reuocauit: ad cuius reuocationem, & priorem confessionem factam suspectus vehementer de hæresi fuit: non tamen ibi dicitur, prius hæresim abiurasse, & postea in vehementem suspicionem incidisse.

Dvbivm CXXXIII.

An requiratur quem labi in hæresim prius abiuratam, vt relapsorum pœna afficiatur, casu quo abiurans hæresim, in quam incidit, omnes simul hæreses generatim non abiurauit?

577 *Dictum sup. n.*

SI cum priorem hæresim, in quam quis incidit, abiurauit, simul etiam generaliter omnes abiurauit hæreses, vt mos est, nemini potest esse dubium, vti relapsum condemnandum esse. Quia ita habetur in *Cap. Accusatus, §. eum vero, de hæreticis in 6.* Verùm si solam hæresim, in quam incidit, abiurauit, & postea in aliam diuersam relabitur, dubitarim, an sit relapsorum pœna afficiendus, vel requiratur, eum in eandem hæresim abiuratam recidere?

578 *Requiritur equidem.*

Requiritur equidem. Quia nec ratione criminis, cum diuersum sit, neque ratione abiurationis potest dici relabi. Et fauet textus in *cap. Accusatus*, vbi expressè postulatur abiuratio generalis totius hæresis, vt quis relapsus censeatur, ibi: *Et post modum hæresim generaliter abiurauit.* Sic Gloss. Ioann. Andr. *ibi, numero octauo & nono.* Repertorium Inquisit. *verb. Relapsus, versicul. 3.* Eymeric. *parte secunda, Director. quæstione quadragesima, numero quinto,* Pegna *comment. 65.* Menoch. *consil. 82. numero 156. libro primo,* Suarius *de fide, disputatione 83. section. 2. numero 8.*

579 *Non requiritur.*

Non requiritur. Quia abiurans quamlibet hæresim tacite omnes hæreses abiurat: abiurat enim recessum à diuina reuelatione per Ecclesiam proposita, quæ in omni hæresi includitur: promittitque tacite se ab Ecclesia non recessurum: ergo ex hac præcisa abiuratione, si in hæresim labatur, censendus est relabi. Ita Ioann. Monach. Archidiacon. Geminian. Francus *ad cap. Accusatus* Mandos. *in addit. ad Rupert. ver. Relapsus, versicul. 3. littera B.* Humbert. Locat. *in iudicial. Inquisit. verb. Relapsi, numer. 6.* Pegna *citatus,* dicit, hanc opinionem prævalere. Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 56. num. 2.* Castro Palao *tract. 4. de fide, disp. 6. punct. 2. numero 12.* & alij.

580 *Probabiliùs hanc sententiam esse reor.*

Hanc opinionem probabiliorem esse reor. Limitandam tamen doctrinam iudicarim in casu, quo prius de hæresi vehementer suspectus quis abiurauit, & postea in diuersam hæresis speciem lapsus fuit; quia in hoc casu etiàm abiuratio prior generalis fuerit, non debet censeri relapsus per *Cap. Accusatus,* ibi: *Si postea deliquit in ipsa:* quasi diceret, si in ipsa hæresi deliquit, quam prius de vehementi abiurauit: secus si in alia diuersa. Farinacius *q. 195. num. 46.* Secundò limitanda est, vt intelligatur, si post abiurationem hæresis incidit in aliam diuersam; secus si post hæresis purgationem; quia abiurans vnam hæresim, omnes abiurat: at purgans se ab vnius hæresis infamatione, non ab omnibus se purgauit: quapropter vt relapsus condemnari potest, qui solum vnam hæresim abiurauit, si in aliam diuersam labatur: non tamen si se ab vna purgauit, & in aliam incidit. Pegna *Director. part. 3. rubr. de secundo modo finiendi processum, comment. 38. numer. 150.* Farinacius *quæstion. 195. numero 30.* et Paramo *de orig. Sanct. Inquisit. lib. 3. qu. 4. titulo de expeditione processus in causa fidei.*

Dvbivm CXXXIV.

An Hæresiarchæ, & Dogmatistæ sine vlla misericordia tradendi sint sæculari brachio, cum signa exhibent conuersionis?

581 *Quinã sint Hæresiarchæ.*

HÆresiarchæ, ac dogmatistæ sunt, non solum qui errores inuenere, & confinxere: sed etiam qui iam inuentos, & confictos quasi ex officio, & consuetudine aliis publicè, vel occultè prædicarunt. Quia ratione huius assiduæ prædicationis verè sunt Magistri erroris,

Cap.

Cap. Qui aliorum 24 quæstione 3. ibi: *Qui aliorum defendit errorem, multo amplius damnabilior est illis, qui errant; quia non solum errat, sed & etiam aliis offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde qui à Magister erroris est, non tantum hæreticus, sed etiam hæresiarcha dicendus est.* Albertin. *tractat. de agnosc. assert. quæstion. 30. num. 60.* Suarius *de fide. disp. 23. sect. 2. num. 11.* Farinacius alios referens *de hæresi, quæst. 178. num. 15.* Notanter dixi, hæresiarchas vocari, qui alios peruertere conantur quasi ex officio, & consuetudine, vt excluderem eos, qui consanguineos suos peruertunt, aut vnum, vel alterum priuatum, hi enim non propriè hæresiarchæ, vel dogmatistę dicuntur. Suario annotante, *num. 11.* Quæsierim igitur, an hęresiarchæ sint Curiæ sæculari sine vlla misericordia tradendi: quantumuis signa conuersionis exhibeant?

582 *Hi sine misericordia tradendi supplicio.*

Tradendi quidem sunt. Quia variis legibus hac pœna hi hæretici afficiuntur, *leg. Ei, qui seruum. Codice de Apostatis, leg. Quicumque, Codice de hæretic. leg fin. Cod. de Iudæis. leg. 2. Cod. Ne Sacrum Baptisma.* Quibus legibus standum est, cum in iure Canonico contrarium non sit dispositum; non enim inusitatum est, in pœnis imponendis ius Canonicum per ciuile suppleri. Porro licet in Canonico iure sit cautum, vt hæretici pœnitentes ad reconciliationem admittantur: hoc debet intelligi de hæreticis communiter accidentibus, non de hæreticis qualificatis, & à communi modo peccandi exorbitantibus. Hi enim haud communi sunt regula metiendi. Quia plura concernunt delicta, & circumstantias in suis peccatis: ob quæ lex simpliciter loquens in illis locum habere non debet. Sic Simanc. *de Cathol. institut. titul. 47. num. 50.* Repertorium Inquisitorum *verb. Docere.* Rojas *tractat. de hæretic. part. 2. numero 339. assert. 43.* Suarius *de fide, d. 23. sect. 2. num. 9.* Approbat Pegna *citandus* huius sententiæ probabilitatem.

Hæresiarchæ, & dogmatistæ, si veræ pœnitentiæ signa exponãt, admittẽdi sunt ad recõciliationem, nec brachio sæculari tradẽdi. Quia nullus est textus in iure Canonico hanc pœnam illis indicens: imo potius in *Cap. Ad abolendam*, contrarium non leuiter insinuatur. Æquat enim Pontifex eos, qui docent, iis, qui credunt hæreses, ibi: *Aliter sentire, aut docere non metuunt.* Et de omnibus subiungit, ad misericordiam recipi posse, si publice consenserint abiurare, & satisfactionem congruam exhibere. Profecto Berengarius, quem constat hęresiarcham fuisse, conuerti volens, ad Ecclesiæ gremium fuit receptus *Cap. Ego Berengarius, de consecr. dist. 2.* Et de Cazalla, qui fuit hæresiarcha in signis, testatur Cantera *citandus*, sæculari brachio fuisse ex particulari Sedis Apostolicæ Breui relaxatum, alias non relaxandum. Ita ex Concilio Biterrensi, & Tarraconensi Pegna *part. 2. Director. comment. 64. vers. An ante.* Eymer. *part. 3. de ectauo modo termin. proces. num. 108.* Decian. *lib. 5. tract. crimin. cap. 54. numero 47.* Cantara *quæstionum crimin. rubric. de hæretic. capite primo, numero septimo,* Castro Palao *tractat. 4. de fide, disputatione sexta, punct. 2. numero 17.*

583 *Hanc sententiam probabiliorem planè defendo.*

Hanc sententiam probabiliorem planè defendo. Nam præter quam quod eius fauore non dubito, non deest congrua ratio in eius fauorem. Hæresiarcha enim conuersus, & alios facilius conuertere, & conuersos in fide poterit confirmare. Neque obstat legibus Imperatoriis caueri vltimo supplicio afficiendos esse aliorum peruersores. *lege vltima Codice de Iudæis, lege penultima Codice de Apostat.* Quia si aliquid probarent, ex illis inferendum esset, quemlibet alterius peruersorem, & si vnius esset tantum, vltimo supplicio esse afficiendum. Et quia leges hæ locum non habent in hoc crimine, quod mere Ecclesiasticum est: nisi quando hæretici ex foro Ecclesiæ pelluntur, & sæculari Tribunali traduntur iudicandi. Debent tamen Inquisitores, in hæresiarchis admittendis prudentissimè, ac vigilantissimè procedere, ne sub pelle ouina lupus tegatur, & simulata pœnitentia simplices decipiant, *cap. Vt officium de hæret in 6.* ibi: *Prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos, imo se ipsos fallentes, sub agni specie lupum gerant.*

tentiã probabiliorem planè defẽdo.

Dvbivm CXXXV.

Hæretici pœnitentes tardè tamen conuersi, debentne ad reconciliationem admitti?

Admitti non debent. Quia *cap. Ad abolendam, de hæretic. in 6.* præscribitur, solum deberi eum qui *continuo, & confestim*, post quam fuerit deprehensus: ad fidem redierit, admitti ad misericordiam: sed is, qui post receptas probationes, ac testium publicationes, & repetitas monitiones redit, dici non potest *continuò, & confestim* redire: ergo non est ad reconciliationem admittendus. Sic Docti Canonistæ probabiliterne, quod iudico exponam.

584 *Admitti non debent.*

Si ante sententiam, etiam post receptas probationes, & testium publicationem conuertantur, ad reconciliationem, & misericordiam sunt admittendi. Quia *cap. Excommunicamus, el 2. §. Si qui, de hæretic.* haud obscurè id colligitur omnium inquisitorum fauente consuetudine. Ita Arnold. Albert. *in repetit. capite 1. de hæretic. in sext. quæstione duodecima, num. quinto.*

585 *Admitti debent.*

Non existimo omninò improbabiliter Canonistas illos fuisse loquutos, cum sententiam protulere, forte enim tunc id Inquisitionis vsus ferebat. At nunc communiorem esse sententiam sequendam vnice existimo, illum esse ad misericordiam recipiendum, quod ab Inquisitoribus vbique exeri video. Neque obstat *Cap. Ad abolendum*, quia si intra tempus, quo condemnari potest, redierit, *continuo, ac confestim* redire censetur. Et faciunt ea, quæ Menochius *de arbitr. casu 8. 9. 10. & 11. gloss. §. vltim. Institut. de inutilib. stipulat.* & Eymeric. *part. 3. qu. 98.* tradunt. Porro si post latam sententiam conuertatur, credo, regulariter admittendum non esse: quod satis indicatur in *cap. Excommunicamus, 1. & 2, de hæretic.* vbi damnati brachio sæculari relinquuntur debita animaduersione puniendi: Ergo post damnationem iam functus est Iudex Ecclesiasticus officio suo. Itẽ quia

586 *Admitti regulariter.*

quia traditus Curiæ sæculari, ad misericordiam non admittitur, sed nullus damnatur vt impœnitens, qui sæculari Curiæ non tradatur per ipsam condemnationem: ergo facta condemnatione, non est iam remissioni locus. Farinacius *quæst.* 193. *num.* 58. & 59. citans multos. Dixi *regulariter*, nam in aliquo casu raro quidem, in quo magna veræ conuersionis reus indicia ostenderet, & de quo fructus posset sperari, ab Inquisitoribus ex æquitate ad misericordiam admitti posset.

Dvbivm CXXXVI.

Quis eductus è carcere, & in tabulatu existens sententiam auditurus conuertitur: recipiendusne est ad misericordiam?

587 *Admittendus non est.* NOn est admittendus. Quia respectu huius iam est sententia prolata, illique manifestata, etsi promulgata non sit: ergo eius conuersio fit post condemnationem: igitur non vera debet censeri. sed ad vitandam pœnam, ac proinde nec recipienda. Sic Pegna *parte secunda. Director. comment.* 36. *vers. Postquam*, asserens ita in quadam Madriliana instructione caueri.

588 *Est admittendus.* Admittendus est. Quia videtur id pietati, ac misericordiæ Ecclesiæ conuenire. Ita Decian. *tractat. crimin. libr.* 5. *cap.* 39. *num.* 3. Farinacius *de hæres. quæstion.* 193. & 60. Palao *tractat.* 4. *de fide, disputat.* 6. *punct.* 2. *numero* 10. asserens idem docuisse Pegnam *parte tertia, Director. commentario quadragesimo secundo, num.* 175.

589 *Cum his opinor.* Ego quidem existimo, si in aliquo casu Domini Inquisitores viderint, specialissima conuersionis signa, posse reum huiusmodi ad reconciliationem admittere in pietatis Sanctissimi Tribunalis documentum.

Dvbivm CXXXVII.

Violans pœnitentias ab Inquisitoribus iniunctas, nempe fugiens è carcere habitum pœnitentialem non deferens, non ieiunans, &c. debetne vti relapsus condemnari?

590 *Nonnulla præmitto.* ASsolent, Inquisitores, consuetudine iam recepta, hæreticos pœnitentes in signum conuersionis, ac detestationis erroris, imperare vt patenter supra vestes portent saccum quendam crucibus crocei coloris rubricatum. Porro si ij hæretici hunc habitum occultauerint, aut abiecerint, vel alias pœnitentias iniunctas omiserint, possunt Inquisitores aduersus eos procedere tanquam de hæresi suspectos. Quia non leuem suspicionem ingerunt, conuersionem antecedentem fictam fuisse, & errores haud ex animo detestari, siquidem eorum satisfactionem parui pendunt, & omittunt. Farinacius *de hæresi, quæstion.* 193. *num.* 123. Pegna *part.* 3. *Director. comment.* 146. *circa principium.* Simanc. *de Cathol. institut. titul.* 48. *num.* 29. & 30. Quæsierim igitur, qua pœna puniendi sint hi hæretici; scilicet è carcere fugiens, habitum pœnitentialem non deferens, non ieiunans, &c. num debeant vti relapsi condemnari?

Debent quidem condemnari vt relapsi, & Curiæ sæculari tradi. Quia omittens sine causa pœnitentiam sibi iniunctam exequi, præsumitur, ficte fuisse conuersum, & in pristino errore persistere: ergo vt relapsus damnari potest: in errorem enim iam reprobatum relabi præsumitur. Sic Eymeric. *Director. part.* 3. *quæst.* 97. *fine.* Decian. *tractat. crimin. libr.* 5. *cap.* 56. *numer.* 4. Campeg. *in addit. litter. C. verb. Detrusus.* Zanch. *tractat. de hæretic. cap.* 10. *num.* 4. Humbert. Locat. *in iudicia. Inquisit. verb. Carcer. num.* 16. Calderin. *tractat. de hæretic. rubric. de hæretic. contum. numero primo, & secundo.* 591 *Debent, vt relapsi condemnari.*

Non debent vti relapsi condemnari. Quia violare pœnitentias iniunctas non est signum à iure statutum approbationis erroris. Ergo non debet quis ob huiusmodi violationem, vti relapsus condemnari. Consequentiam probo. quia non permittitur Iudicibus condemnare, vt relapsum, quem iura relapsum non iudicant. Ita Simanc. *de Catholic. institut. titul.* 16. *rubric. de custod. reor. num.* 24. Pegna *part.* 3. *Director. quæstion.* 97. *comment.* 146. Rojas *tractat. de hæretic. part.* 2. *assert.* 41. *num.* 335. Hippol. Riminal. *consil.* 150. *per totum.* Farinac. *quæstion.* 193. *num.* 136. Zechi. *summ. parte prima, titulo de fide, rubric. de hæresi, capite* 11. *numero* 18. & alij apud ipsos. 592 *Non debet.*

Verius reputo, violantem pœnitentias iniunctas, non relapsum, sed impœnitentem esse: & contra eum tanquam contra impœnitentem procedi posse, dum in illo persistit statu; & si cum impœnitens, si à contumacia recedit, & misericordiam implorat, admittitur, & nullo modo brachio sæculari traditur: sic cum hoc impœnitente esse gerendum. Debet tamen pro crimine pœnitentiæ violatæ absque causa arbitrio Inquisitorum puniri, vel pecuniaria pœna, vel fustibus, vel ieiuniis, pensata personæ qualitate, grauitate criminis, & malitia delinquentis. 593 *Hoc mihi verius.*

CAPVT XXVIII.

Circa pœnas suspecti de hæresi, & hæretici filiorum.

HÆRETICIS affines sunt, qui perpetrant crimen, ob quod de hæresi suspecti redduntur. Suspicio hæc est triplex Modica, seu *Leuis*: Magna, siue *vehemens*: Maxima, vel *Violenta*. Leuis suspicio est, quæ ex leuibus indiciis, & coniecturis oritur. Vnde si frequenter quis peierat, & vitam degit deprauatam, si Sacramenta prauo in statu, aut sine iurisdictione, & potestate ministrat, aut bis Sacramentum, non repetendum init, secundas nuptias viuente coniuge priori contrahit, si per 594 *Triplicem esse de hæresi suspicionem, præmitto.*

per annum in excommunicatione, extra causam fidei, existat, si intra Sacramentum Confessionis ad Venerem, aliáve flagitia pœnitentem prouocet, vel his similia gerat, leuiter de hæresi suspectus censebitur. Moneo tamen, quædam ex his reddere suspectum de hæresi secundũ cõmunem Doctorum opinionem; alia vero ex præscripto iuris sic statuentis.

595 *Quænam vehemens suspicio.*

Magna seu vehemens suspicio est illa, quæ ex verbis, vel factis efficaciter, frequentérque hæresim concludentibus desumitur. Exempli gratiâ, si quis vocetur respondere de fide, & intra terminum assignatum absque causa non comparet, ex *Cap. Cum contumacia, de hæresi in 6.* Si impediat scienter directe, vel indirecte Sanct. Inquisitionis Officium, *Cap. Vt Inquisitionis negotium, de hæretic. in 6.* Si impedientibus Sanctæ Inquisitionis Officium præstet scienter consilium, auxilium, vel fauorem, *cap. vt Inquisitionis.* Si hæreticos ab Inquisitoribus citatos, & eorum credentes instruat, quonammodo veritatem celent, vel falsum deponant, *Cap. Accusatus, de hæretic. in 6.* Si faueat, defendat, recipiat hæreticum, quia hæreticus est, non quia est ei consanguineus, vel amicissimus, *Cap. Excommunicamus, 1. §. Credentes, de hæreti.* Idem est, si cum hæreticis specialissimam ineat familiaritatem. *Cap. Inter solicitudines, de purgat. Canon.* Si in causa fidei conuincatur, dixisse in iudicio falsum, eo quod reuocet, quod prius fassus fuerat, *Cap. Literas, de præsumptionibus.* Et Religiosus, qui in partis vltra marinis absque Superiorum licentia commorantes detrahunt Sanct. Rom. Ecclesiæ constitutionibus, & alia multa à fide deuia in suis concionibus, aut secretis colloquiis non verentur euomere, *Extrauag.* Ioannis XXII. quæ incipit, *Ad nostram, de Regular. inter communes.*

596 *Quænam suspicio Violenta.*

Violenta demum suspicio est, quæ ex verbis, aut factis oritur arctantibus Iudicem ad credendum, sic facientem, vel dicentem hæreticum esse, Verbi gratiâ, si quis hæreticos adorauerit, vel more suo reuerentiam exhibuerit, consolationem, vel communionem ab eis receperit, *Cap. Accusatus, de hæretic. in 6.* Si in causa fidei excommunicatus per annum insorduerit, *cum contumacia, de hæretic. in 6.* Si deficiat in purgatione Canonica, quam in causa fidei ei indictam præstare non potuit. *Cap. Inter solicitudines, de purgat. canon.* Si post abiuratam hæresim, de qua conuictus fuerat, vel postea conuincetur, cum hæreticis communicat, eos inuisit, receptat, deducit, dona, vel munera eis præstat, vel immittit. *cap. Accusatus, §. Ille quoque, de hæretic. in 6.* Legendi Humbert. Locat. *in iudiciali Inquisit. v. Suspicio, num. 1. 2. 3. & 4.* Simanc. *de Cathol. instit. titul. 50. num. 22. 23. 25. & 26.* Eymeric. *part. 2. q. 55.* Pegna *part. 2. Comment. 80.* Farinacius *de hæresi, q. 187. §. 2. 3. & 4.* His ergo præmissis.

Dvbivm CXXXVIII.

An suspicio leuis sufficiat ad reum condemnandum?

597 *Sufficit quidem.*

SVfficit quidem. Quia id in *leg. 2. Cod. de hæretic.* ex leui argumento aduersus Catholicam Religionem reus vti hæreticus condemnatur, ibi: *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersus eos Sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis, vel tramite detecti fuerint deuiare.* Verba igitur illa, *Leui argumento*, pro leui indicio, & probatione apertè vsurpanda. Sic plures Doctores, quos, presso nomine, memorat Castro Palao *tractat. de fide, disputat. 7. puncto primo, numero quarto*, eorumque sententiam probabilem esse iudicat, siquidem contrariam probabiliorem vocitat.

598 *Nè sufficit.*

Minime sufficit. Quia leuia indicia modicæque coniecturæ mouere non debent animum viri prudentis ad iudicium ferendum de tam graui crimine, vel potius in sanum sensum debent interpretari. Ita Locat. *supra numer. 6.* Simanc. *de Cathol. institut. titul. 50. num. 28.* Eymeric. *part. 2. quæst. 55. num. 2.* Rojas *tractat. de hæret. parte secunda, assert. 6. num. 148.* Farinacius *de hæresi, quæstion. 187. numero 26.* Palao *citatus.*

599 *Auctoris resolutio.*

Regula circa leuem suspicionem certa est mihi, non sufficere ad condemnandum reum. Neque obstare existimo textum pro prima opinione citatum. Verba enim illa *Leui argumento*, non pro leui indicio, sed pro leui hæresi sunt intelligenda. Vt sensus sit, eos hæreticorum vocabulo contineri, qui *leui argumento*, id est, pauculum, vel minimum, vel in vno tantum articulo à fide Catholica deuiant.

Dvbivm CXXXIX.

An leuis suspicio sufficiat ad inquirendum specialiter contra aliquem ipsúmque interrogandum?

600 *Sufficit quidem.*

SVfficit quidem. Quia inquisitio, & interrogatio assumuntur à Iudice ad inuestigandum veritatem, quę inuestigattio nec odiosa est censenda, neque iniuriosa, cum ille, qui leuem dedit suspicandi indicium, fundamentum iudicio sufficiens obiecit. Porro si indicia vehementia suspicionis quis daret, non solùm inquiri, & examinari, sed & torqueri posset: ergo leuia indicia saltem examinationi eum reddunt obnoxium. Sic Scaccia *tractat. de iudic. cap. 59. num. 2.* Calderin. *tractat. de haret. fili. & nepot. num. 10.* Rojas *tractat. de haret. part. 2. num. 2.* Pegna *Direct. part. 3. comment. 12. ad cap. Excommunicamus, el 1. de haret.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 20. num. 21.* Mascard. *de probation. lib. 2. conclus. 861. num. 3.* Roland. *lib. 3. consil. 8. num. 6.* Paris. *libro quarto, consil. 2. numero 100.* & alij.

601 *Nõ sufficit.*

Non sufficit. Quia inquisitio, & examinatio de alicuius credulitate esse non potest, nisi qui de eius recta fide dubitator: at ob leuia indicia, leuesque coniecturas dubitare de crimine adeo graui, vt est infidelitas, licere non potest, vt ex communi sententia docet Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 29. dub. 3. num. 15.* Ita Simanc. *de Cathol. institut. titul. 50. num. 28.* Clarus *pract. crimin. §. final. quæstion. 6. num. 6. vers. Item scias,* Menochius *de præsumpt. quæstion. 100. à num. 2.*

Nauarra

Navarra *lib.5.Consil.cons.2.numero 8.titulo de haretic.*

602 *Auctoris distinctio.* Vtor distinctione. Si hæresis suspicio leuis ex delicto oriatur, cui à iure, vel consuetudine talis suspicio annexa est: censeo inquiri, interrogari posse delinquentem de eius fide, & credulitate; secus verò si suspicio oriatur ex aliis delictis, quibus solum in Doctorum opinione positum est, suspicionem ingerere. Priorem partem huius conclusionis probat vsus, & consuetudo; secundam verò secundę sententię fundamentum statuit.

Dvbivm CXL.

An Filij, ac nepotes hæreticorum inhabiles sint, ad Beneficia acquisita, antequam pater declaratus fuerit hæreticus?

603 *Certa suppono.* CErtum est filios, ac nepotes hæreticorum nulla affici corporali pœna: nec priuari bonis propriis, nec potestate succedendi in maioratu: neque successione auorum aliorumque consanguineorum: bonis vero parentis omnino priuari, si iure naturæ debita excipias alimenta. Contrahere item irregularitatem non solum filios, sed nepotes, si per viam masculinam descendant; si autem via fœminea solum filios contrahere præterea inhabilitatem ad Beneficia ex *cap. Quicumque, §. Hæretici, de hæret.* Quæsierim verò, an inhabilitas hæc extendatur ad Beneficia acquisita priusquam pater declaratus fuerit hæreticus?

604 *Sunt ad ea Beneficia inhabiles.* Ad ea sunt inhabiles. Quia in *cap. Felicis, §. Quod si quis, de pœn. in 6.* filij percutientis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem priuantur Beneficiis, quæ tempore delicti parentis obtinebant: sed grauius delinquit, qui Maiestatem diuinam offendit: ergo grauius debet puniri. Sic Flamin. *de resignat. Benef. l. 3. q. 1. n. 34.* Gutierrez *libr. 2. Canonic. qq. c. vlt. n. 38.* Graff. *l. 2. Decis. c. 11. n. 11.* Farinac. *de hæres, q. 191. n. 57.* Pegna *p. 3. Direct. q. 114. com. 161.* & alij.

605 *Inhabiles non sunt.* Inhabiles ad ea non sunt quia nullibi inuenitur cauta talis priuatio: ergo asserenda non est; pœnæ namque & præcipue respectu innocentium extendendæ non sunt. Ita Sanch. *libro secundo, Decalogi capite 28. numero 27.* Suarius *de fide, disputatione 24. sectione tertia*, Palao *de fide, tract. 4. disput. 7. puncto secundo, numero nono*, & plures à Sancio, Pegna, ac Farinacio citati.

606 *Benigniorē, ac communiorem hāc sententiam.* Ego quidem hanc sententiam communiorem, benigniorem, vsu receptam, & validissimis argumentis munitam eligendam duxi, inducens non obstare textum in *cap. Felicis* pro contraria sententia adductum. Quia solum probat, posse Ecclesiam hæreticorum filios Beneficiis priuare, non tamen de facto priuari ostendit. Decuit enim illo crimine læsionis Cardinalis hac pœna affici filios, (licet leuius sit quam hæresis) ob euitandam delinquendi audaciam. Neque in pœnis valet argumentum à maioritate rationis.

Dvbivm CXLI.

An pœna infamiæ afficiat hæreticorum filios?

Afficit quidem. Quia hæc pœna afficit filios reorum læsæ Maiestatis humanæ: ergo à fortiori afficiet filios reorum diuinæ læsæ Maiestatis. Porro hanc pœnam subire filios reorum læsæ Maiestatis humanæ præscribit *lex Quisquis, §. Filij. Codice ad legem Iuliam maiestat.* Sic Couarruuias *lib. 2. var. cap. 8. num. 1.* plures referens Anton. Gomez *leg. 40. Tauri, num. 91.* Simanc. *titul. 29. num. 13. & 14.* Farinacius *de hæres, quæstione 191. numero 23.* citans alios. 607 *Afficit quidem.*

Non afficit. Quia nullum firmum fundamentum habet contraria sententia, cum nullus extet in Canonico iure cui standum est in hoc delicto, vtpote Ecclesiastico, textus hanc illis pœnam irrogans. Ita Sanchez *libr. 2. Decalogi cap. 28. num. 5.* Menochius *Consil. 808. num. 44. volum. 9.* Suarius *de censur. d. 48. section. 3. num. 2. & de fide, disputatione 24. section. vltim. num. 7.* Palao *de fide, tractat. 4. disput. 7. puncto 2. numero 10.* 608 *Non afficit.*

Fateor primam sententiam esse communem, sed secundæ adhæreo; quia prima haud firmo fundamine nititur, nec in iure Canonico, (vt diximus) vllus est textus id persuadens. Constitutiones enim Innocentij IV. Alexandri IV. & Clementis IV. incipientes, *Ad extirpanda*, quæ à Pegna inter litteras Apostolicas referuntur, solum hos filios excludunt à publicis officiis, ex qua exclusione non infertur infamia. Porro in lege pœnali argumentum à simili validum non est, cum pœnæ non ob similitudinem rationis, sed obij iuris dispositionem imponantur. Denique si essent infames, priuati essent omnibus priuilegiis, omnique actu legitimo, omnique testimonio ferendo, quod nullo fundamento probatur. 609 *Huic sententiæ adhæreo.*

Dvbivm CXLII.

An ob solam contumaciam parentum pœnis à iure impositis afficiantur filij, vel nepotes?

Ob solam parentum contumaciam his pœnis afficiuntur. Quia contumax pro hæretico habetur, & velut hæreticus condemnatur, *Cap. Cum contumacia, de hæretic. in 6. Cap. Excommunicamus*, et 1. §. *Qui autem, de hæretic.* Item qui per annum in excommunicatione perseuerat, pertinax præsumitur præsumptione iuris, & de iure, vt tradit *Cap. Cum Contumacia* Ioan. Andr. & Geminian. & vt talis damnatur: ergo pœnæ, quæ ex hæretico in filios deriuantur, in huius damnatione locum habent. Addo, bona huius hæretici in præiudicium filiorum confiscantur: ergo & reliquis pœnis afficiuntur. Sic Pegna *p. 3. Direct. q. 115. comment. 164.* Decian. *lib. 7. cap. 41. num. 33.* Sanchez *l. 2. Decal. c. 27. n. 19.* 610 *Afficiuntur his pœnis ob solam parentum contumaciam.*

611 *Non afficiuntur.*

Non afficiuntur his pœnis ob solam parentum contumaciam. Quia ficta confessio ex contumacia resultans, non est vera delicti probatio, sed præsumpta: At præsumpta probatio delicti solum delinquenti nocere potest, non eius hæredibus: incommentum enim hæredibus ex vero antecessoris delicto debet prouenire, non ex ficto, vt constat expresse ex *leg. Eius, qui delatorem, l. ingressis de iure fisci*, ibi: *Eius, qui delatorem corruperit, ea conditio est, vt pro conuicto habeatur; sed enim hæc pœna magis est, vt aduersus ipsum locum habeat, qui delatorem redimit. Cæterum aduersus hæredem ipsum transire non debet.* Et vulgato axiomate confirmo, quod probatio delicti orta ex contumacia non efficit probationem requisitam ad delictum præiudicans tertio, *leg. final. Codice de probation. iuncta lege Sancimus Codice de pœnis.* Bartholo. ad *l. Cum filius, num.* 4. Verum instum non est vt innocentes puniantur ex sententia, quæ est in pendenti, & quæ potest reuocari. Ita Farinacius *de hæres. quæst.* 191. *num.* 68. Gigas *de crim. læsæ maiestat. lib.* 3. *titul.* 1. *de pœn. quas incurrunt filij, quæstion.* 13. *numero tertio.* Roland. *cons.* 29. *num.* 180.

612 *His lubet Doctoribus hærere.*

His lubet adhærere Doctoribus. Nam sententia in contumaciam lata nunquam transit in iudicatum quoad pœnam corporalem, sed quandocumque hæreticus compareat, etiamsi eius statua combusta sit, est audiendus ex Glossa communiter recepta *ad Cap. Excommunicamus. el* 1. *de hæretic. verb. Condemnetur.* vt tradit Sanchez *libr.* 2. *Decalogi cap.* 27. *numero* 18. Pegna *Director. part.* 3. *comment.* 49. Simanc. *de Cathol. institut. titul.* 2. *num.* 20. & 21. Non igitur contrahunt filij hæreticorum ob solam parentum contumaciam nullam contrahunt eis propriam contrahunt. Vnde non sunt inhabiles ad Beneficia, neque irregulares, neque infames, neque incapaces successionis, etiam in sententia illorum, qui eos infames, & & cuiuslibet successionis incapaces asseuerant.

Dvbivm CXLIII.

An infamia, priuatio Beneficiorum, & officiorum, ac reliquæ pœnæ filiorum hæretici propriæ afficiant filios natos, aut conceptos ante parentum crimen?

613 *Quæstionis status.*

NOtanter dixi, *Ac reliquæ pœnæ filiorum hæretici propriæ*, vt excluderem ab hac quæstione bonorum publicationem, quæ non est filiorum, sed parentum pœna: ac proinde in filios ante delictum natos eius damnum resultare potest. Sanchez *l.* 2. *Decal. c.* 27. *n.* 6. Quæstio igitur est, num pœnæ propriæ afficiant hæreticorum filios ante delictum parentum natos, vel concepros?

614 *Afficiunt quidem.*

Afficiunt quidem. Quia ius de pœnis filiis hæreticorum impositis, & reorum læsæ maiestatis absolutè, & indistinctè pronunciat, filios puniri, *cap Quicumque. §. Hæretici. Cap. Statutum, de hæretic. in* 6. *Cap. Vergentis, de hæretic. leg. Quisquis, §. Filij, Codice ad leg. Iuli. maiestat.* At sub nomine *Filiorum* absolutè prolatorum, tam nati, ante delictum, quam post delictum intelliguntur: tum quia sermo indistincte prolatus indistincte est intelligendus, ex *lib.* 1. *§. generaliter, Digestis de legat. præstand. lib.* 3. *ff. de offic. præsid. l. De tretio, ff. de public. in rem actione*, tùm etiam quia in *l. Senatoris filius, ff. de Senatorib.* habetur æquè filium Senatoris dici, siue eum pater in Senatoria dignitate susceperit, siue ante dignitatem Senatoriam, & in *Cap. Imer cæteras, de rescript.* dicitur filius Sacerdotis, etiamsi ante Sacerdotium fuerit progenitus. Ergo similiter dici poterit filius hæretici etiamsi ante hæresim sit conceptus: ac proinde in statuto filios hæreticorum puniente comprehensus. Sic Simanc. *de Catholic. institut. part.* 2. *num.* 336. Pegna *Director. p.* 3. *comment.* 163. Perez *lib.* 4. *ordinat. titul.* 9. *leg.* 3. *vers. Despues que fizo la traicion.* Menochius *de præsumpt. l.* 5. *præsumpt.* 33. *à num.* 17. Couarruias *l.* 2. *var. c.* 8. *n.* 5. Azorius *tom.* 1. *l.* 8. *c.* 13. *post q.* 8. & *tom.* 1. *l.* 6. *c.* 4. *q.* 3. Tolet. *lib.* 1. *c.* 69. *n.* 8. & alij plures, quos refert Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap* 27. *numero* 9.

615 *Minime afficiunt.*

Minime afficiunt. Quia filij nati ante delictum parentis non dicuntur propriè, ac formaliter filij delinquentis: sicut non dicuntur filij deportati, quos pater genuit ante deportationem, vti expresse colligitur ex *l. Ex facto* 17 §. *Ex facto, ff. ad Trebellian.* Neque dicitur filius Senatoris, cuius pater à Senatu motus est, antequam ille nasceretur: vt habetur *l. Emancipatum, ff. de Senatorib.* Quia vt ibidem dicitur, ad hanc denominationem tempus conceptionis est spectandum, & multis probat Tiraquel. *de primogen quæst.* 51. *num.* 8. Ergo similiter dici non poterit propriè filius hæretici, cuius pater post illius generationem in hæresim incidit: cum autem pœnæ filiis impositæ ita rigidæ sint, & acerbę, & innocentes afficiant, merito limitandæ sunt ad filios, qui propriè, ac formaliter filij delinquentium sunt, non extendendæ ad illos, qui solum sunt materialiter tales. Ita Calderin *cons.* 3. *tit. de hæret.* Ant. Gomez *tom.* 3. *var. c.* 2. *c.* 16. Molina *de iust. tom.* 3. *d.* 658. *num.* 22. Molina alter *de primog. c.* 11. *nu.* 55. Nauarra *cons. l.* 5. *cons.* 23. *de hæret.* Ceuallos *in com. munib. opinion. qu.* 653. *num.* 14. Vbi ex Mannele *tom.* 1. *summ. cap.* 130. *num.* 5. sæpe in Hispaniæ tribunalibus sic esse iudicatum. Et alij plures, quos refert, ac sequitur Sanchez *l.* 2. *Decalog. c.* 27. *num.* 14.

616 *Hos sequor.*

Hos sequor. Nam *lex* 2. *titul.* 2. *part.* 6. vbi Gregor. Lopez ex signo vniuersali, quo vtitur, dicens, *Todos sus hijos*, infert, natos, & nascituros comprehendi, minime obstat. Illa namque verba intelligenda sunt iuxta *l.* 6. *tit.* 27. *p.* 2. vt videlicet comprehendat omnes filios siue legitimos, siue illegitimos, siue existentes sub potestate parentis, siue emancipatos, dummodo geniti fuerint post delictum. Vnde satisfit iuribus pro prima sententia adductis absolutè, & indistinctè pronunciantibus hæreticorum filios puniri. Solum enim de filiis post delictum parentum natis, seu conceptis est id intelligendum.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Circa Confessarium ad Venerem incitantem.

DVBIVM CXLIV.

An Bulla Gregorij XV. sit in Hispania recepta?

617 *Non est recepta.*

RECEPTA non est. Quia cum Inquisitores locorum Ordinariis æquales faciat circa huius criminis cognitionem, hanc Bullam recipere noluerunt, illorum enim in hac parte derogat iurisdictioni à Pio IV. & Clemente VIII. concessæ: vt ipsi soli de hoc crimine cognoscant. Sic Ferdinandez de Castro Palao *de fide, tract. 4. d. 9. punct. 1. num. 9.* asserens, id à propinquo meo D. Isidoro de San. Vicente Doctore quidem pietate, ac sapientia decorato, & de materiis Sanct. Inquisitionis ob antiquitatem, & experimentum optime merito. Trullench. *libro primo, Decalogi capite tertio, dubio 18. numero quarto.*

618 *Recepta est.*

Est quidem iam recepta. Quia in edicto ab Inquisitoribus Tribunalis supremi edito die 29. Octob. anno 1633. præcipitur omnibus Superioribus Regularibus sub excommunicationis pœna, vt annis singulis fer. 6. post Octauam Assumptionis Deiparæ hoc Gregorij decretum suis subditis, cum nonnullis aliis aliorum Pontificum, intiment. Ergo certum est, in Hispania esse receptum. Ita Gaspard. Hurtado *de iust. tr. de iudic. foren. d. 2. diffic. 7.* Diana *p. 2. tr. 17. resol. 30. & p. 1. tr. 4. resol. 25.* Trimarch. *tr. de Confessar. abutente Sacram. pœnit.* citatus à Trull. *num. 10.* & alij plures, quos sequitur Thom. Hurtado *tom. 1. resol. mor. tr. 4. c. 2.*

619 *Hoc iam est certum, nec opposita defendi potest.*

Hoc vnice defendo. Nam licet Inquisitores Hispaniæ noluerint Bullam Gregorij recipere recens editam: postquam ipsemet Gregorius declarauit, suæ mentis non fuisse, quod Ordinarij de hoc crimine cognoscerent, sed ad solos Inquisitores id munus pertinere: statim ab eis Bulla recepta fuit, & publicata, testante id non semel idem Isidorus de San. Vicente. Vnde iam sententiæ primæ corruit fundamentum.

DVBIVM CXLV.

An ante denunciationem præmitti debeat fraterna correctio, si Sacerdos solicitator emendandus credatur?

620 *Præmitti debet.*

PRæmitti non debet. Quia in Sanct. Inquisitionis Edicto præcipitur, vt Confessarius solicitans, nulla præmissa monitione, denuncietur. Porro delictum hoc difficilis correctionis est: & esto scires esse huiusmodi Confessarium tua correctione emendandum, denunciare eum deberes, vt supplicium huius aliis cederet in cautelam. Sic Sanctarel. *tract. de hæresi cap. 9. num. 5.* Sancius *in select. d. 11. num. 56.* Sylui. *2. 2. q. 33. a. 7. concl. 2.* Turrian. *2. 2. to. 1. d. 58. dub. 3.* Diana *p. 1. tr. 4. resol. 2. & p. 4. tr. 5. res. 24.* male citans Suarium, Henriquez, Villalobos, & alios. Azor. *p. 1. l. 8. cap. 19. q. 9.* Acunna, Trimarchius, quos citat, & sequitur Trull. *l. 1. Decalog. c. 3. d. 18. n. 22.*

621 *Debet præmitti.*

Debet præmitti. Quia correptionis fraternę præceptum est de iure naturæ, & diuino: ergo præmitti necessario debet denunciationi. Ita Fagundez *de præcept. Eccles. tractat. 2. libr. 4. cap. 3. num. 31. & libr. 6. Decalog. cap. 12. num. 28.* Castro Palao *tr. 4. de fide. d. 9 pun. 10. num. 2.* Tolet. *lib. 5. cap. 57. num. 2.* Reginal. *lib. 24. num. 52.* Angel. *verb. Denunciatio, quæst. 2.* Portel. *in dubiis Regul. verb. Correctio fraterna, nu. 1.* Ortiz. *sum. c. 21. n. 17.* Sayr. *in Claui, l. 11. c. 4. n. 8.* Nauar. *sum. cap. 18. num. 134. & cap. 25. num. 46.* & alij plurimi.

622 *Auctor resolutio.*

Ego quidem existimo vtramque sententiam esse probabilem, sed vltimam speculatiue probabiliorem, primam vero practice esse ei præponendam propter S. Inquisitionis edictum. Attamen non abnego, quin in aliquo rarissimo casu, quando solicitatio est occulta, & omnibus diligenter circumspectis, quasi certo moraliter speratur emenda, possit secunda sententia probabilius ad praxim admitti. Mecum Trullench. *n. 23.* Sousa *in Aphorism. Inquisitor. l. 1. c. 34. n. 57.* Thom Hurtado *tom. 1. tr. 4. cap. 6. §. 1. & c. 8. resol. 31. §. 3.*

DVBIVM CXLVI.

An teneatur quis Confessarium solicitantem denunciare, si credat iam esse emendatum?

623 *Tenetur quidem.*

TEnetur quidem. Quia Inquisitores ad delicti commissi punitionem, & in aliorum exemplum, & coërtionem imperare possunt, imò imperare præsumitur, vt delicta iam emendata sibi manifestentur. Sic Sanctarel. *tractat. de hæresi, capite nono, numero vndecimo*, Sancius *in select. d. 11. num. 52.* Bonacina *tractat. variar. d. 6. punct. 3. num. 9.* Azorius *p. 1. l. 8. c. 19. quæst. 9.* Suarius *de fide, d. 40 sect. 4, num. 12.* Salon. *2. 2. q. 68. a. 1.* Rojas *singul. 3. num. 33.* Paramo *de or. ig. Inquisit. lib. 3. qu. 8. num. 90.* Diana *part. 4. tract. 5. resolut. 23.* Gaspard. Hurtado *apud ipsum.* Et probabilem reputat Trullench. *libro primo, Decal. c. 3. d. 18. n. 30.* contrariam tamen admodum approbans opinionem.

624 *Nō tenetur.*

Non tenetur. Quia decreta Pontificum in hoc delicto non tam punitionem delinquentis Sacerdotis, quam Sacramenti reuerentiam attendunt, ideóque existimo esse decreta fauorabilia, non quidem amplianda, sed restringenda. Ita Palao *de fide, tr. 4. d. 9. punct. 10. num. 1.* Sotus *l. 3. de iust. q. 5. a. 5.* Molfes. *tom. 1. tractat. 7. cap. 24. numero 21.* Genuens. *in praxi, c. p. 18. nu. 6.* Naldus *v. Accusare, n. 1.* Victorel. *in notis ad Ma-*

nuale Nauar. cap. 25. num. 3. Finel. Zanard. Acunna, Megala, Freitas, Portel. Peirin. apud Dianam *part. 1. tract. 4. resolut 3.* Fagundez *de præcept. 2. Eccles. lib. 6. cap. 4. num. 17. & libr. 6. Decalog. cap. 12. num. 28.* Trimarchi. *d. 11. sect. 3. num. 18.*

625 *Idē assero, adiiciens emendationis documēta.*

Existimo cessare denunciandi obligationem, si Sacerdos certo emendatus obiicitur, nec periculum recidiui adsit. Hoc tamen affirmo, quando ex Dominorum Inquisitorum mandato aliud non constat. Nam vt ex Palao accepi, certum est, eos posse in delicti vindictam, ac aliorum exemplum imperare, vt delicta iam emendata Tribunali fidei denuncientur. Quod si requiras, quandonam Sacerdos solicitator censebitur emendatus? Ex Doctoribus respondeo. Censee emendatum eum, qui per triennium postmodum recte vixerit. Seraph. à Freitas *in addit. ad Acunnam, quæst. 3. num. 32. & 33.* Sancius *in select. d. 11. num. 51.* citans Mascardum, Alciatum, & Farinacium. Riccius *part. 2. decis. 159. num. 14.* Homobon. *Exam. Eccles. tract. 7. qu. 3.* Vel si videas eum aliquod Iubilæum lucrari. Genuens. *in praxi cap. 18. num. 6.* Vel ad pœnitentiæ Sacramentum accedere intuearis. Felin. *ad Cap. Testimonium, de testibus.* Vel si solicitata mulier ter, vel quater ad ipsum Confessarium accedens, in eo libidinosum animum ex externis libidinis signis non aduertit. Sousa quem citat, & sequitur Diana *part. 4. tract. 5. resolut. 23.* Trullench. *lib. 1. Decalog. cap. 3. dubio 18. num. 28.*

Dvbivm CXLVII.

An denunciatio possit omitti, si Sacerdos aliquo modo de huiusmodi delicto infamatus non est?

626 *Omitti potest.*

POtest omitti. Quia Bulla Clementis VIII. petit, Sacerdotem esse infamatum. Inquit enim: *De quomodolibet infamatis.* Et quia denunciatio præcepta sub excommunicatione regulariter non obligat de delictis occultis, & quæ probari non possunt, excepto hæresis crimine, ne denunciato possit calumniator reputari. Sic Nauarra *summ. cap. 25. num. 46.* Sotus *de tegen. secr. q. 1. concl. 4. num. 31.* Henriq. *lib. 13. cap. 18. num. 3.* Fagundez *de 5. prac. p. 2. l. 4. c. 31. num. 1.* Reginald. *l. 25. num. 21.* Repert. Inquisit. *verb. Denunciatio, §. Generale tamen.* Decian. *tr. crimin. tom. 1. l. 5. c. 30. num. 4.* citans Speculatorem, Glossam. Palati. Repetit. *cap. notabili 3. §. 26. num. 9.* & alij.

627 *Non potest omitti.*

Omitti non potest. Quia hæc denunciatio ad præcauendum delictum, & Sacramenti irreuerentiam impediendam, ordinatur: in quo casu necessarium non est, delictum esse publicum, præcipuè cum nullus adsit timor, vt denunciator pro calumniatore habeatur; siquidem non agit accusatoris, sed delatoris, ac testis personam. Ita Barbosa *de potest. Episcop. p. 3, alleg. 96. num. 51.* Bonacina *de Censur. d. 2. q. 6. punct. 1. num. 9.* Suarius *de fide, d. 20. sect. 4. num. 7.* Genuens. *in praxi, cap. 23. num. 5.* Nald. *verb. Hæresis, numero sexto.* Zechius *de casibus reserv. casu 2.* Zanard. *Director. part. 3. capit. 31.* Homobon. *Exam Eccles. part. 11. tractat. 7. cap. 2. quæstion. 14.* Peyrin. *in priuileg. Minim. tomo secundo, Constitut. 9. Pauli V. §. 2. numero 25.* & alij.

Non approbo huiusmodi excusationem. Quia si prima sententia subsisteret, raro mulier solicitata teneretur, denunciationem facere: siquidem hoc crimen secretissime committitur, neque alius à solicitato illud solet agnoscere, neque infamatio contingit, nisi cum delictum est denunciatum. Cæterum verba Clementis, minime obstare crediderim; mandat enim denunciari quemlibet Sacerdotem, de hoc crimine *quomodolibet infamatum*, id est, infamatum apud solicitatam personam. Nam aduerbium *Quomodolibet* restringit infamiam, vt non accipiatur in rigorosa sua significatione, Mecum Castro Palao *de fide, tr. 4. d. 9. punct. 10. num. 3.* 628 *Probabilius hoc mihi.*

Dvbivm CXLVIII.

Denunciandusne est Confessarius solicitans in Confessione ad turpia, sed ad alia peccata?

DEnunciandus est. Quia ideo solicitatio ad actus venereos denuncianda est, quia sic solicitans de hæresi est suspectus, præbet enim fundamentum saltem leue, vt de illo suspicio formetur, non bene de Sacramentis sentire: sed hæc ratio æque procedit, si ad furtum, vel homicidium, vel ad aliud quoduis peccatum pœnitentem inducat: imo maior malitia videtur esse in inductione ad hæc peccata, quam in inductione ad luxuriem cum hęc magis ex passione procedat, quam ex malitia. Sic Pegna *Director, parte secunda, comment. 81. ver. Ille quoque.* Zechius *tom. 1. summ. tract. de fide cap. 11. num. 5.* Manuel. de Moura *opusc. 1. de Ensal. sect. 3. c. 3. n. 17.* Freit. *in addit. ad Acunnam, q. 8. n. 17.* Si solicitat, ad eadem peccata, quæ pœnitens confitetur: verbi gratiâ, si sortilegium fatearis, & ille à te petat, vt se illud edoceas. Thom. Hurtad. *tom. 1. tract. 4. cap. 8. resol. 55.* Si id in vera Confessione faciat. Quia qui in vera Confessione ad lethale solicitat, est in fide suspectus: ergo denunciandus. Castro Palao *de fide, tr. 4. d. 9. punct. 6. n. 2.* probabile hoc reputat ob facultatem generalem Inquisitoribus datam cognoscendi de hæresi suspectis. 629 *Denunciandus est.*

Non est denunciandus. Quia nullibi cautum est, huiusmodi denunciationem esse faciendam: neque in Bullis Pontificum, neque in Inquisitorum Edictis: omnia enim hæc solum de solicitantibus ad actus inhonestos loquuntur. Ob fragilitatem enim naturæ frequentius hæc solicitatio contingere poterat, & magis in ea periculum consentiendi. Ita Palao *citatus.* Ledesm. *de matr. q. 56. a. 2. §. Et non est idem.* Paramo *l. 3. q. 10, n. 121. & 122.* Acunna *qu. 8. n. 3. & 6.* Sanci. *in select. d. 11. n. 23.* Bariola, Scorcia, Molfes. Sanctarel. Vener. Peirin. Sousa, Homob. quos refert, & sequitur Leand. *de pœnit. tract. 5. d. 13. qu. 9.* Fagundez *libr. 6. Decalog. capit. 12. numero 15.* 630 *Non est denunciandus.*

Hanc

631 Probabilius hic. Hanc sententiam longe probabiliorem esse iudico. Nam cum in decretis Pontificum solum solicitatio ad turpia præcaueatur, in delictis non debet extensio fieri *Cap. In pœnis, de regulis iuris, in 6.*

Dvbivm CXLIX.

An denunciandus ne est, qui in vsu aliorum Sacramentorum, verbi gratiâ, Matrimony, fœminam ad Venerea solicitat?

632 Denunciandus est. ESt denunciandus. Quia abutens Sacramento Matrimonij, Baptismi, &c. sese tam suspectum in fide obiicit, quam qui Pœnitentiæ abutitur Sacramento Sic Emanuel. Moura *opuscul. prim. de incantat. sectione tertia, capite tertio, num.* 17 Thom. Hurtado *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 387.

633 Non est denunciandus. Denunciandus non est. Quia nullibi de huiusmodi delicto specialiter cautum est, denunciationem fieri. Ita Acunna *quæstion.* 16. *num.* 6. Freitas quem citat, ac sequitur Castro Palao *de fide, tractat.* 4. *disput.* 9. *punct.* 1. *num.* 4. Sancius *select. disp.* 11. *num.* 41. Lezana, Peregri. Peyrin. Sanctarel. quos refert, ac sequitur Diana *parte quart. tractat. quint. resolution.* 16. Bonacina *tractat. Variar. disputatione* 6. *punct.* 3. *num.* 7. & alij.

634 Hic teneo, & nonnihil moneo. Cum his longe probabilius opinor. Moneo tamen solicitantem ad Venerem in aliorum Sacramentorum vsu, vel in Confessione ad aliud quoduis maleficium, fore suo Superiori denunciandum, vt illum corripiat, iniuriam Sacramenti caueat: seruatis tamen conditionibus requisitis in denunciatione facienda, vt expendam, cum de correctione fraterna tractatum instituam *lib.* 49. *de Charitate.*

Dvbivm CL.

Denunciandusne est Confessarius ad actus solum venialiter inhonestos?

635 Denũciandus est. DEnunciandus est. Quia tangere manum, vel mamillas fœminæ, digitos intorquere & vellicare, in genere castitatis peccata venialia sunt, quando ob solam delectationem absque vlteriori fine, vel periculo pollutionis, aut consensus habentur: Sanchez *lib.* 9. *de matrim. d.* 46. *num.* 16. Salas 1. 2. *tom.* 2. *quæstion.* 74. *tract.* 13. *d.* 6. *sect.* 20. *num.* 146. Freitas *quæstion.* 7. *num.* 28. Atú hæc fiant in Confessione ante, vel post immediatè, peccata mortalia sunt contra Religionem, ob indecentiam Sacramento factam: sicut intra genus temperantiæ leue peccatum esset, modicum cibum sumere in ieiunij die: at in ratione sacrilegij grauissimum esset, si illo sumpto, ad Eucharistiam quis accederet. Sic Sancius *select. disput.* 11. *numer.* 22. Freitas *quæst.* 7. *num.* 6. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 5. Trullenc. *libro primo Decalogi capite tertio, dubio* 18. *numero* 10. Fagundez *de præcepto secundo, Eccles. libro quarto, capite tertio, num.* 52. Leand. à Dia. Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. VI.* na citatus *part.* 10. *tractat.* 14. *resolut.* 44. Thom. Hurtado *tom.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 8. *resol.* 36. addens, secus esse dicendum, si Confessarius hæc leuia fecerit, vel dixerit extra Confessionem, etiamsi sit in Confessionario, & simulet Confessionem.

Non est denunciandus. Quia sub maiori excommunicatione huiusmodi denunciatio præscribatur, non adest denunciandi obligatio, vbi peccatum mortale non est, ob venialem enim culpam ferri non potest. Et quia pœna solicitationis est grauis: ergo & culpa, pro qua imponitur grauis esse debet. Sic Portel. *in addi. ad dub. Regul. verb. Solicitare fœminam, num.* 4. Sousa *Aphorism. Inquisit, lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. Castro Palao *de fide, tractat.* 4. *disp.* 9. *puncto tertio, numero tertio*, Gaspard. Hurtado *de iustitia, tractat. de iudic. forens. disput.* 2. *difficultat. septim.* 636 *Non est denũciandus.*

Equidem primæ sententiæ doctrinam haud carere difficultate existimo. Nam ex iure naturæ, & diuino peccata de se venialia in materia castitatis eo quod in Sacramento Pœnitentiæ fiant non redduntur mortalia contra Religionem: alias quodlibet peccatum veniale in materia iustitiæ, humilitatis, & patientiæ factum in Pœnitentiæ Sacramento mortale Sacrilegium esset, quod nemo concedit, cum æque iure naturali, & diuino omnia prohibeantur. Restat ergo vt ex iure positiuo hæc prohibitio oriatur. At ex decretis Pij IV. Clementis VIII. & Gregorij XV. non fit aliqua specialis prohibitio de peccatis venialibus; sed solum prohibetur id, quod ex se malum, & inhonestum est; imò quia malum est, & inhonestum, & ideo prohibetur: Ergo si solùm est malum in ratione peccati venialis, in peccati venialis ratione ob Religionem prohibebitur. Sicut cum prohibetur Clerici percussio ob reuerentiam ordini debitam, non prohibetur quælibet leuis percussio sub graui delicto: neque furtum rei sacræ sub graui culpa, si leue sit; quia hæc omnia prohibentur, quia mala sunt, & consequenter eo modo, quo sunt mala, & eo modo ob reuerentiam Sacramenti prohibentur. Vnde probabile satis existimo, si Sacerdos pœnitentem tactibus alias honestis tangat, qui ex circumstantiis solum peccata venialia sint, & ipse pœnitens intelligat, Sacerdotem nullatenus habere animum vlterius progrediendi, neque pœnitens periculum consentiendi in graue piaculum: peccatum mortale contra Religionem non committi, sicut nec contra castitatem, neque fore sub graui culpa denunciandum. Verum si ex circumstantiis colligeretur animus Sacerdotis vlterius progrediendi, censenda esset talis solicitatio grauis; quia sufficienter præsumit pœnitens ad graue crimen Sacerdotem eam inducere voluisse. Ego quidem dementem omnino eum Sacerdotem vocitarim, qui ob tam leuem delectationem velit iudicio muliebri tot æquiuocationibus obnoxio suam famam exponere. 637 *Primam sententiam difficultate exist.mo, dam eligo, & cõfirmo.*

Dvbivm CLI.

Denunciandusne est qui in actu Confessionis fœminam à pulchritudine laudat?

638 *Denunciandus est,* Denunciandus est. Quia fœminæ nihil gratius, quam à pulchritudine commẽdari; quòd quidem amasij præstare assolent ad fœminam amatam alliciendum. Sc Diana *part. 4. tract. 5. resolut.* 8. citans Peyrinum, Sanctarellum Acunnam, Barbosam, Bonacinam, Trullench. *libr. 1. Decalogi capite 3. dubio* 18. *numero* 43.

639 *Non est denũciandus.* Non est denunciandus. Quia fœminam landans verbis decentibus, (vt suppono) de pulchritudine, non est, inhonestos sermones cum illa habere, quod in Bullis cauetur. Ergo non est denunciandus. Ita Freitas *tract. de solicit. quæstione septima, numero* 44. & 45. Tho. Hurt. *tomo 1. tractatu 3. capite* 8. *resolution.* 23. D. Ioann Escobar del Corro *tract. de solicit. parte prima, quæstione tertia, numero* 14. Et probabile existimat Sousa apud Dianam *citatum.*

640 *Auctoris resolutio.* Certe si Confessarius in actu Confessionis fœminam affectu libidinoso quod exterius facile ex modo dicendi appareat, denunciandum eum esse crediderim. Quia vere, & propriè in Confessione solicitat. At si laudet syncere, (quod quidem modus loquendi assolet indicare) denunciandum non esse quis dubitet? Quia tunc non solicitat, sed verba indifferentia, seu vana, inutiliáque solummodo profert. Porro vt imprudentem Confessarium illum fœmina denunciare teneatur, debet esse moraliter certa de prauo eius affectu, quo ad eam ad turpia alliciendam eiusmodi verba protulisset. Lege Bonacinam *de denunciat. d. 6. punct. 3. num. 5.*

Dvbivm CLII.

Confessarius in actu confessionis tradit fœminæ chartam, quæ eam ad turpitudinem solicitat, postea legendam: estne denunciandus?

641 *Denũciandus est.* Denunciandus est. Quia illa chartæ traditio est incepta solicitatio: & per illam fit plane iniuria Sacramento: siquidem tempore, quo monendus est pœnitens de mutatione vitæ in melius, ei instrumentum traditur, quo de nouo saucietur. Sic Sancius *in select. d. 11. num.* 32. Fagundez *præcept. 2. Eccles. libr. 4. cap. 3. numer.* 62. Diana *part. 4. tract. 5. resol. 2.* Trull. *lib. 1. Decal. cap. 3. dub.* 18. *num.* 43. Leand. *tom. 1. tr. 5. d. 13. qu. 15.*

642 *Non est denũciandus.* Non est denunciandus. Quia eiusmodi chartæ traditio, solum est causa solicitationis, non solicitatio. Nec enim tunc quando traditur charta, pœnitens ad malum incitatur: ergo non solicitatur tunc: solicitatio enim est inductio, ac motio voluntatis alienæ: cum autem non moueatur pœnitentis voluntas in Confessione, sed extra illam, quando scilicet chartam legit, efficitur, solicitationem non fuisse in confessione factam, ac proinde non esse ex obligatione denunciandum. Ita Thom. Hurtado *tom. prim. tractat. quart. cap. quint. resolut.* 6. Castro Palao *tomo primo, tract. 4. d. 9. punct. quart. numero* 2.

643 *Hanc sententiã probabilem esse iudico, sed primam in praxi sequendam.* Satis probabilem hanc sententiam esse crediderim. Nam vt Sacerdos subiiciatur pœnis in Bulla præscriptis, requiritur, vt delictum solicitationis in ratione talis sit completum: sicut requiritur homicidiũ completum, vt irregularitas ex homicidio contrahatur: & Clerici percussio vt liget excommunicatio: nec sufficit, causam his delictis dedisse. Cum igitur chartæ traditione non sit solicitatio completa, imo nec solicitatio, non erit Sacerdos sic peccans denunciandus, nec puniendus ex rigore decreti, Inquisitionis. Si ergo charta non legatur immediate post susceptum Sacramentum, sed transacto iam tempore: videtur huiusmodi traditionem chartæ non esse solicitationem in Bullis comprehensam. Attamen quia hoc delictum grauissimum, ac pernicioſum est admodum, mei Ferdinandi de Castro venia, primam sententiam in praxi vnice defendendam esse iudicarim.

Dvbivm CLIII.

In Confessione quis fœminam incitat, vt alium ad Venereos actus admittat: estne solicitatio denunciauda?

644 *Non est denunciauda.* Denuncianda non est solicitatio. Quia licet grauissimum sit piaculum Sacramento abuti ad huiusmodi instigationem: Bullarum flagellum videtur aduersus Confessarios, qui sibi pœnitentem solicitant, intorqueri. Sic olim quidam, quos, presso nomine, refert Diana *par. 1. tract. 4. resolut.* 19. Quorum sententiam probabilem esse Acunna *citatus* ibi à Diana reputauit.

645 *Denunciauda est.* Vera solicitatio est, vtique denuncianda. Quia Confessarius pœnitentem ad turpem actionem vere induxit: per accidensque est, sint cum illo, aut cum alio exercendi. Ita Sancius *in select. d. 11. n. 43.* Palao *de fide, tr. 4. d. 9. punct. 5. num. 1.* Acunna *qu. 17. num. 5.* Freytas, quem refert, & sequitur Trullench. *l. 1. Decal. cap. 3. dub. 18. num. 47. & 50.* Fagundez *lib. 6. Decalog. cap. 12. num. 14.* Hurtado noster *de iudic. foren. d. 2. diffic. 7.* D. Ioan. de Escobar. *part. 1. quæst. 3. §. 2. num. 25.* Thom. Hurtado *tom. 1. tract. 4. cap. 8. resol. 59.*

646 *Primam sententiam defendi non posse vere.* Licet secunda sententia tam valido fundamento tot Doctoribus affirmantibus, non niteretur, existimo post Bullam Gregorij XV. primam sententiam minime esse defensabilem.

DVBIVM

Dvbivm CLIV.

Confessarius solicitat pœnitentem, vt mediet cum alia fœmina, vti se ad actus impudicos admittat: delictumne est in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. comprehensum?

647 *Constat est, ex decreto Gregorij comprehensum esse.*

PRofecto ex decreto Gregorij non dubito, quin sit solicitationis delictum denunciandum. Ait enim Pontifex; denunciandos esse Sacerdotes, *qui ad inhonesta siue inter se, siue cum aliis perpetranda solicitauerint.* Et qui cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint. Dubitarim tamen, an in Bullis Pij, & Clementis sit hoc delictum comprehensum agnatum quidem denunciationi?

648 *Ex aliis Bullis non est delictū denunciandum.*

Non est solicitatio ibi comprehensa, nec Confessarius huiusmodi est denunciandus. Quia hæc solicitatio cum non sit ad exequendum carnis flagitium cum pœnitente, non videtur in his Bullis prohibita sic vt probabile defendit Acunna *q.17.num.18.* Freytas *num.14.*

649 *Delictū denunciandū est.*

Est solicitatio eis in Bullis comprehensa, denunciandusque Confessarius ille. Quia ex præfatis Bullis, & ex Inquisitionis edicto ex eis ortum habente imperantur denunciari confessarij, *qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, siue alliciunt.* Qui autem prouocat pœnitentem, vt mediet, absolutè ad actus inhonestos prouocat: illa enim mediatio actus est inhonestus, & eiusdem speciei cum crimine patrando. Ita Sanci *in select. d.11. n.44.* Diana *part.1.tr.4.resol.19.& p.4.tract.5. resol.12.* Castro Palao *de fide tract.4. d.9.pun. 5.num.2.* Trull. *lib.1. Decal.capit.3.dub.18. numer.49.*

650 *Hinc mihi probabilius.*

Probabilius mihi, solicitationem esse denunciandam. Quia tota ratio prohibendi solicitationem pœnitenti factam procedit in præsenti, cum venenum ei confessarius propinet cui debebat salutis antidotum propinare: & loco reconciliationis grauem peccati molem imponat, fontique limpidissimo lutum admisceat. Ergo cum hoc decretum sit institutum in fauorem Sacramenti Pœnitentiæ, non limitandum hic est, sed potius extendendum.

Dvbivm CLV.

Estne denunciationi locus, cum Confessarius solicitatus in confessione à fœmina, solicitationi consentit?

651 *Non est locus denunciationi.*

LOcus nō est denuciationi. Quia in hoc casu confessarius non solicitat, quo in Bullis præcauetur. Sic Acunna *tract. de solicit. quæst. 11.num.7.& 9.* Freyt. *ibi, num.24.* Sanctarel. *de hæresi, capit.46.num.2.* addens, etiam post Bullam Gregorij id locum habere. Sanci. *in select. d.11.n.25.* Homobon. *de exam. Eccles. tom.2. tract.11.capit.12.question.16.* Bonac. *tr. var. d. 6.punct.3.num.17.* Trull. *lib.1. Decal.capit.3. dub.18.num.53.* citans Sousam, & alios. Portel. *in addit. ad dub. Regul. verb. solicitare fœminas, num.10.* & alij, quos sequitur Thom. Hurtad. *tomo primo tract.at. 4. cap.8. resol.32.* asserens, oppositam sententiam parum probabilitatis habere.

Est quidem denunciationi locus. Quia Gregorius expresse præcipit denunciari Confessarios, qui cum pœnitentibus *illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint*: At Confessarius in nostro casu, licet prius à fœmina solicitetur, cum illa inhonestos gerit sermones in Confessionis actu: Ergo debet denunciari. Ità Diana *part.4. tract.5. resol.42.* Fagund. *prec.2. Eccles. libro quarto capite tertio numer.56. & 57.* Trimarchius *dubio nono numero quinto & 6.* Leand. *part. 1. tract.5.d.13. quæst.10.*

652 *Est denunciationi locus.*

Ego quidem primam sententiam probabiliorem esse iudico. Quia consensum solicitationi fœminæ exhibere, non est eam solicitare. Porro inhonesti illi sermones prohibiti in Bulla supponuntur in ordine ad solicitationem haberi. Idem dixerim, casu, quo ipse, & fœmina ad inuicem solicitent, à fœmina tamen primo, deinde à Confessario. Quia id magis est solicitationi fœminæ consensum præbere, quam eam solicitare.

653 *Primā sententiā probabiliorem mihi eligo.*

Dvbivm CLVI.

Confessarius à fœmina solicitatus ad congressum renuit, volens solummodo tactibus inhonestis frui, ad eos illam prouocans: estne denunciandus?

654 *Denūciandus est.*

DEnunciandus est. Quia Confessarius tam à Congressu, quam ab osculis, & tactibus poterat fœminam auertere. Ergo cum ad tactus huiusmodi prouocat, inique agit. Si enim fœmina illū ad Sodomiticū prouocaret cōgressū, ille vero renuens, ad naturalē excitaret, nemini est dubiū denūciandū fore; quia talis prouocatio mala est. Esto nāque licitum sit, minus malum alteri consulere, vt maius vitetur, quando alia via vitari non potest: at cum quilibet in se ipso vitare possit maius malum sinè effectione minoris, nullatenus licet minus perpetrare. Non enim licet fœminæ inductæ ad nefandum congressum, vas naturale offerre, vt prohibitum seruet; quia talis oblatio intrinsece est mala: Ergo in præsenti non licebit Sacerdoti inducto ad congressum, tactibus delectari, & ad illos pœnitentem inducere. Sic Ioan. Sanci *in select. dub. 11. numer. 28.* Leander. *parte prima tractat. 5. dub. 13. quæst.21.*

655 *Non est denunciandus.*

Non est denunciandus. Quia fœmina inducens ad congressum tacitè & virtualiter inducit ad oscula, & tactus, vtpote ad illum præuia (ea quæ de causa, manifesto congres-

su in Confessione, nulla est obligatio confitendi tactus & oscula.) Ergo Confessarius suadens solum tactus renuens vlterius progredi non persuadet fœminam ad congressum solicitantem, aliquod malum, ad quod ipsa non induxerit: imo si rectè perpendatur, persuadet eam, vt contenta sola solicitatione ad tactus, & oscula, neque vltra velit procedere. Ita Castro Palao *de fide. tr. 4. d. 9. punct. 5. n. 4.* Diana *p. 4. tr. 5. resol. 13.* Trull. *lib. 1. Decal. c. 3. dub. 18. num. 51.*

656 *Auctoris resolutio.* Ego quidem existimo, si fœmina Confessarium ad vitium contra naturam prouocaret, ipse vero eã ad naturalem incitaret congressum, fore Confessarium denunciandum. Quia absolute Confessarius inductor est ad malum, ad quod non fuit à muliere prouocatus. At quando solum renuit congressum, volens se tactibus tantummodo delectari, non censetur ille ad malum solicitare, sed solicitationi factę à fœmina consentire. Quia (vt dixi) fœmina inducens ad congressum, virtualiter & tacitè inducit ad oscula, & tactus. Porro ipse Sancius *n. 26.* affirmat, si ad inuicem fiat solicitatio, à fœmina primo, deinde à Confessario, ita vt mutuo se pellicant ad turpis actus complementum, non fore denunciandum Confessarium; quia illa non est prouocatio ex parte Confessarij, sed in prouocationem factam assensio, illiusque continuatio. Sed quando Confessarius prouocatus & oscula persuadet, in dimidiatam prouocationem consentit. Ergo non erit denunciandus.

DVBIVM CLVII.

Fœmina simulans ægritudinem Confessarium ad se venitare curat, eumque minis solicitat ad turpia, illeque consentit: estne denunciandus ex Bulla Gregorij, si consensus fiat in Confessione, vel proxime ad illam?

657 *Non est denunciandus* Denunciandus non est, si metus grauis, seu ob vitandam infamiam, fœminæ se clamaturam iactanti, morem gerat. Quia Confessarius in hoc casu non solicitat, sed ab illa solicitatur: & vitandæ infamiæ, ac scandali affectus si non tollit peccatum est non tollere, videtur tamen tollere denunciationis obligationem. Sic Sanci. *in select. d. 11. num. 10.* Acunna *quæst. 9. num. 9.* Graf. *de pœnit. & remiss. cons. 7. num. 1.* Diana *part. 4. tractat. 5. resol. 15.* Peyrin. *tomo secundo const. 4. Gregor. XV. Paragraph. tert. numer. 9.* Trull. *libro primo Decalog. capite tertio dub. 18. num. 53.* Freyt. *quæst. 11. num. 56.*

658 *Denunciãdus est.* Denunciandus est, si solicitatio fœminæ, & Confessarij consensus fuit in simulata fœminæ confessione vel proxime ad illam. Quia metus grauis infamiæ non tollit, quin Confessarius in hoc casu solicitationi consentiens irroget irreuerentiam Pœnitentiæ Sacramento: Ergo denunciari debet à fœmina postmodum pœnitente. Ita Sousa *in Alfons. Inquisit. lib. 1. cap. 14. num. 18. & in Opusc. de confes. solicit tract 1. c. 17. à num. 8.* addens, si præfatus confessarius denuncietur, debere ab Inquisitoribus arbitraria pœna puniri, sine abiuratione. Inclinat Leander *p. 1. tract. 5. dub. 13. quæst. 23.*

659 *Auctoris sententia.* Ego quidem certo existimo minime esse denunciandum, si confessio soli ipsi confessario, & non aliis è domo præsumentibus ad confessionem audiendam fuisse vocitatum, simuletur. Quia in hoc euentu, nec in loco cõfessioni deputato geritur crimen, nec confessio simulatur. Imo etiamsi fœmina initio simularit confessionem, Sacerdos simulationi non fauet simulans audire, & absoluere. Porro si ad liberius actum perficiendum ipse Confessarius simularet positiue se audire Confessionem, non facile viam excusationis inuenio. Nec enim infamiæ timor deberet eum à Sacramenti reuerentia retrahere. Solum fauet excusationi, simulationem illam confessionali aut in loco deputato confessionibus audiendis non peragi.

DVBIVM CLXIII.

Conueniunt Sacerdos & fœmina, vt se tali hora ad audiendam confessionem vocitet, non vt peragatur confessio, sed vt eius prætextu inhoneste se gerant: estne Sacerdos denunciandus?

669 *Denunciandus est.* Denunciandus quidem est. Quia ad colloquia impudica, vel ad venereos actus gerendos confessio simulatur. Sic Fagundez *lib. 6. Decal. c. 12. num. 17.* Sanci. *in select. dub. 11. num. 63.*

661 *Non est denunciandus.* Non est denunciandus. Quia non proponitur solicitatio ex parte confessoris in Sacramento pœnitentiæ vel proxime ad illud: sed tractatus remotus ex vtriusque placito: tractatus enim præcedens nihil ad rem facit, siue simuletur, siue non confessio. Ita Diana *p. 4. tr. 5. resol. 37.* Freyt. *de Confes. solicit. question. 15. num. 44.* Trull. *lib. 1. Decalog. capit. 3. dub. 18. num. 7.* Leand. *part. 1. tract. 5. dub. 13. quæst. 24.*

662 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia prærextus confessionis, de quo agit Gregorij constitutio debet esse proximus, nõ autẽ remotus à loco & statu cõfessionis, vt est in casu proposito. Itaque vt prima sententia locum habere potest, solummodo, quando in ipso loco ad confessiones deputato, & sub confessionis habitu, simulat confessor, ad inspectantes illudendos, confessionem audire: etsi ab ipso solicitatio non incipiat, nec præcedat inter eos tractatus; simulatio namque per se sufficit.

DVBIVM CLIX.

Denunciarine debet Confessarius, qui post auditam fœminæ confessionem, ad illius mox domum accedit, vel in itinere eam solicitat?

663 CErtum est (licet olim Portel. *in addit. ad Regul. qq. verb. Solicitare fœminas num. 11.* contra

Contra præmitto circa Gregory Ballam.

contrariũ docuerat) denunciandum esse confessarium, qui in confessionali, aut sub prætextu confessionis solicitat pœnitentem, licet confessio non sequatur. Quia id expresse Gregorius XV. decernit: *In actu confessionis, vel ante vel post immediate, vel occasione, vel prætextu Confessionis, etiam ipsa Confessione non secuta.* Certum est (licet negarint probabiliter olim Portel. *n.* 6. & Fagund. *præc.* 2. *Eccl. tract.* 2. *lib.* 4. *capit.* 3. *num.* 31.) denunciandum confessarium, qui paulo ante vel post Confessionis pœnitentem solicitauit. Quia id aperte constat his verbis citatis, *Vel ante, vel post immediatè.* Certum est iam (licet Sousa, apud Trullench *lib.* 1. *Decalog. cap.* 3. *dub.* 18. *numer.* 67. locutus iuxta decretum Pij V. & Pauli V. contrarium asseruit) denunciandum esse confessarium, qui accedentem fœminam ad confitendum præuenit, vt confessionem in aliud tempus differat, mutatoque animo tunc confitendi, eam solicitat. Quia ait Pontifex, *Vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta.* Dubito autem an sit denunciandus iuxta illa Pontificia verba. *In actu confessionis vel ante vel post immediate*, qui post auditam confessionem fœminæ, mox ad illius domum accedit, vel in itinere eam solicitat?

664 Denunciandus est.

Denunciandus est. Quia mox, seu immediate post confessionem auditam inchoatur solicitationis actus, pergente ad id Sacerdote. Sic Peyrin. *in priuil. Minor tom.* 2. *const.* 4. *Gregor. XV. Schol.* 2. *num.* 2. citans Graffium, & Lezanam. Hurtado noster Complut. *de matrimon. d.* 18. *diffic.* 1. *n.* 4. fatus. *Addimus, peccatum luxuriæ confessarij cum fœmina pœnitente commissum in ipsa confessione, aut intra viginti & quatuor horas post confessionem, addere malitiam sacrilegij contra reuerentiam Sacramenti pœnitentiæ; quia prohibitum est intuitu reuerentiæ illius: imo reseruatum est Inquisitoribus.*

665 Non est denunciandus.

Non est denunciandus. Quia illa solicitatio dicitur facta ante vel post ad confessionẽ *immediate*, quando inter eam & confessionem nil aliud mediat: ita vt neque Confessarius, nec fœmina ad extraneos se diuerterint actus. Ita Gaspar Hurtado prudens consilium mutauit *editione Plantiniana.* Trull. *l.* 1. *Decal. capit.* 3. *dub.* 18. *n.* 63. Sanci. *in select. d.* 11. *n.* 49. Freyt. *quæstion.* 5. *num.* 20. Param. *l.* 3. *quæstion.* 16. *num.* 74. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 14. Acunna *tractat. de solicit. quæstion.* 5. *numer.* 15. Molfes. *summ. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 32. Scort. *in Bul. Pontif. Epit.* 77, *theor* 197. & alij communiter.

666 Hæc longe probabilius.

Longe hoc probabilius. Nam si absolutione impensa, confessarius, vel pœnitens ad extraneos actus se diuertunt, vnde confessionis actus omnino terminatus censeatur & solicitationis actus executioni mandetur tempore aliquo mediante, haud dicetur *immediate* post confessionem fœminam solicitasse.

Dvbivm CLX.

Fœmina ad confessionale accedit bono animo alia negotia tractanda, & confessarius eam ibi solicitat sine simulatione confessionis: estne denunciandus?

667 Denunciandus est.

Denunciandus est. Quia in Confessioni deputato loco solicitationem gerit, fante Gregorio: *siue extra Confessionem in confessionario aut in loco quocumque, vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessiones audiendas electo.* Licet enim inibi addatur, *simulantes ibidem Confessiones audire*, sufficit in confessionario fieri solicitationem: est enim irreuerentia magna abuti loco ad reconciliationem (ex Sacramento) peccatorum cum Deo gerendam electo, seu designato. Sic Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 38. & alij haud recte callentes decreti tenorem.

668 Non est denunciandus.

Non est denunciandus. Quia duo requirit clausula illa Bullæ Gregorij, & quod solicitatio in confessionario fiat, & quod simulando confessionem audire peragatur. *Sine extra confessionem in confessionario & c simulantes ibidem confessionem audire.* Ergo non sufficit fœminam in confessionario solicitare, nisi id fiat simulatione Confessionis. Ita Castro Palao *p.* 1. *tr.* 4. *d.* 9. *punct.* 8. *num.* 4. Sanci. *in select. d.* 11. *n.* 49. Trull. *lib.* 1. *Decalog canite tertio dub.* 18. *numer.* 61. Fagundez *præc.* 1. *Eccl. l.* 4. *c.* 3. *num.* 49. & Diana *citatus resol.* 6. duo requirit ad hoc vt confessarius debeat denunciari, scilicet quod in confessionario soliciter, & quod id gerat simulando confessionem audire. Oblitus tamen, contrarium *resolut.* 38. asseruit. Leand. *p.* 1. *tr.* 5. *d.* 13. *q.* 28. & fere omnes communiter.

669 Auctorũ sententia.

Certũ mihi ex Bullæ tenore, posse Sacerdotẽ cum fœmina in Confessionario de rebus inhonestis tractare, quin simulatio vlla sit confessionis audiendæ: & tunc denunciandum non esse. Quia non quælibet solicitatio in confessionario facta decreto illo cauetur, sed solicitatio, quę cõfessionis simulationẽ trahat, vt aperte ex illis verbis constat: *simulãtes ibidẽ confessiones audire.* Vt autẽ sufficeret ad denunciationẽ vnũ, aut alterũ, necessariũ erat verbis præfatis *simulãtes & c.* præponere particulã *Vel.* vt esset sensus, denunciandũ esse confessariũ, qui in cõfessionario fœminã solicitaret, *Vel* simularet confessionẽ ibidẽ audire. Porro illud aduerbiũ *Ibidẽ* signat aperte nõ sufficere in cõfessionario fieri solicitationem, sed *ibidẽ* simulãdũ esse audiri cõfessionẽ. Vberius iã expono.

Dvbivm CLXI.

Debetne denunciari Sacerdos, qui in confessionario sedens fœminam stantem, aut sedentem solicitat?

670 Denunciari debet.

Denunciari debet. Quia Paulus V. die 10. Iulij 1614. hoc edidit decretum: *Facta relatio*

relatione, quod multi confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionē confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decreuit, vt contra huiusmodi confessarios procedatur in Sancto Officio. Ergo cum in his verbis nulla fiat simulationis mentio, sufficit fœminam sedentem aut stantem in Confessionario solicitare, vt debeat Sancto Inquisitionis officio deferri. Sic Diana *p.1.tr.4. resol.18. & p.4.tr. 5.resol.38.& p 8.tr.9.resol.33.* D.Ioan.Escobar del Corro *p.1.qu.4.§.1.nu.35.* Bordon. *in Sacro Trib.c.23.n.46.* Trul.annuere videtur *l.1. Decal.cap.3. dub. 18. nu. 73.* Qui etiam sibi est eodem in loco contrarius.

671 *Non debet denunciari.*

Nō debet denūciari. Quia nō quælibet solicitatio in cōfessionali facta in decreto Gregorij cauetur, sed solicitatio illa, quæ simulatione confessionis peragitur iuxta verba illa, *simulantes* ibidem confessiones audire: Igitur si nō est simulatio huiusmodi licet in loco confessionibus audiendis perficiatur, non erit denunciationi obnoxia. Ita Freyt. *q.15. n.49. in noua edit.* Fagund. *lib.6. Decalog. cap.12. n.19.* Ant. de Sousa *in annot. ad Bul. Greg. XV.* Castro Palao *tom.1.tr.4.d.9.punct. 8. num.4.* Lezana *sum.qq.Regul.c.19.nu.34.* Sanci. *in select. d.22. n.68.* Tho.Hurtad. *to.1.tr.4.c.4.per totum. & c. 8.resol.33.* Bossi. *discep. Mor. discept.5. num.3.* Leand. *p.1.tract.5. d.13. quæst.30.* & alij communiter.

672 *Auctoris resolutio.*

Certum omnino mihi Pontificem illud decretum circa confessionale edidisse ob reuerentiam Sacramento confessionis debitam, non ob ipsius confessionalis immunitatem. Idem enim peccatum est, confessionale impudicis colloquiis, seu actionibus violare, ac ipsum violare Templum. Sicut ergo denunciādus non est qui in Templo colloquia texit impudica, sic non erit denunciationi obnoxius qui in confessionario minus honeste loquitur, si simulatio confessionis nō adest. Quia in hac fit Sacramento irreuerentia, dum confessionem quis inique simulat audire, vt huiusmodi simulatio Sacramenti gerendi suæ iniquitatis operculum adhibet. Vt autem quæstioni respondeat fœminā, si sedeat, vel stet publice in confessionali oculis adstantium expositō, confessionis simulatio non adest. Si vero, clauso ostio in confessionali versetur die, vel occasione, qua ei, qui eā vident ingredi, iuste existiment ad peccata expianda accedere, vel stet, vel sedeat, vel genuflectat, simulari tunc confessionem, denunciandumque confessarium esse existimo, si impudica colloquia texantur. Cæterum Gregorius X V. per suam constitutionem aut declarauit decretum Pauli V. ab Auctoribus primæ sententiæ allegatum, aut ad terminos simulationis restrinxit, vt existimat Freytas: aut (vt putat Sancius) *d.11. n.66.* in vtraque Bulla idem decernitur. Ergo ex vtroque decreto, vt confessarius denuncietur, requiritur vt simulans in confessionario confessionem audire cum fœmina illicitos sermones, seu tractatus habeat.

Dvbivm CLXII.

An obnoxius sit denunciationi Sacerdos, qui in Confessionario sedens extra occasionem Confessionis fœminam coram ipso flexis genibus constitutam solicitat, si ipse non simulet Confessionem audire?

Obnoxius est. Quia cū confessarius in loco ad audiendas confessiones deputato adsit & fœmina corā ipso flexis genibus assistēs, quæ omnia sūt signa, quę ex se indicāt inibi fieri cōfessionē: necessariū nō est, vt cōfessarius specialia documenta exponeret, quibus se confessionē exaudire prętēdat. Ergo ex vi decreti Gregorij erit denūciandus. Sic Trull. *l.1. Decal. c.3. d.18. n.73.* Fagund. *l.6. Decal. cap.12. n.19.* Diana *p.1.tr.4.resol.18. & p.4.tr.5.resol.38.* 673 *Obnoxius est.*

Non est denunciationi obnoxius. Quia vt simuletur fieri confessionē, nō solū debet concurrere pœnitēs, sed iā debet principalius ipse confessarius: cū hic sit, qui confessionē deberet audire, & cui verba illa, *simulātes ibidē confessiones audire* debēt accōmodari. Ergo si confessarius haud confessionē se audire simulat, patū refert, quod fœmina genuflectens eā simulet: confessariis enim & nō pœnitētibus illa indicuntur verba: *simulantes ibidem confessiones audire.* Verū licet fœmina possit simulare, se confessionē agere: non tamē simulare potest, confessionē audire, (quod Pontifex requirit) cum hoc propriū sit confessoris: Ergo debet necessario simulatio confessarij cōcurrere, vt voce, nutu siue aliqua actione se confessionē audire manifestet: aut monere fœminā, vt simulet, aliqua externa actione aspectantibus, se confiteri. Ita docti Moderni ex Salmanticensi, ac Complutensi Academia, quos, presso nomine, memorat Leand. *p.1.tr.5.d.13.q.31.* 674 *Non est obnoxius.*

Ego autē sic quæstioni satisfacio: si confessarius sit in loco confessionis, vbi ab assistētibus possit aspectari, & ibi non simulās confessionē audire, vel actionibus exprimens minime Sacramentum ministrari, pœnitentē solicitet corā ipso flectentē: denunciandū non esse, vt efficaciter probat secundæ sententiæ fundamentum. Si autē Confessarius in confessionali clauso cōrroretur, vbi nequeat ab assistētibus aspectari, ibidemque pœnitentem soliciteret corā ipso genuflexā: esse denunciandū affirmo. Quia tunc ex sola fœminæ genuflexione, assistentes qui ex Confessario nequeunt documentum capere sufficiens signum gerendæ confessionis animaduertunt. 675 *Auctoris resolutio.*

Dvbivm CLXIII.

An ante Gregorij XV. constitutionem debebat denunciari Confessor, qui adolescentem in Confessione ad turpia solicitauit? 676 *Status quæstionis.*

Post Gregorij decretum, certum est, denunciari debere. Quia Pontifex vtriusque sexus

xus personas comprehendit: *Omnes & singuli Sacerdotes, qui personas quascumque illæ sint, ad inhonesta solicitare &c.* Quæsierim autem, num ante Gregorij constitutionem denunciari deberet.

677 *Non debebat denunciari.*

Non debebat. Quia vigore decreti Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. Solummodo fœminarum solicitatores erant denunciandi. Sic Diana *p. 1. tract. 4. resol. 22.* Fagund. *præc. 2. Eccl. l. 4. c. 13. n. 31. & lib 6. Decal. c. 12. num. 12.*

678 *Denunciari debebat.*

Denunciari debebat. Quia lex extendenda est ad casum, vbi eadem, imo maior ratio reperitur. Et quia id Paulum V. declarasse, graues Doctores affirmant. Ita Sanci. *in select. d. 11. n. 12* Freytas *q. 6. ad Acunnam, n. 16.* Riccius, Coriolan. Rodrig. Cherubin. Scott. Quaranta Megala, Molfes. quos citat Diana *vbi supra* Trul. *l. 1. Decal. c. 3. d. 12. n. 40.* asserens contrariam sententiam sustineri non posse post Pauli V. declarationem.

679 *Resolutio Auctoris.*

Ego quidem his hærens Doctoribus, denunciandum esse defendo, non quia lex sit ad casus similes extendenda; sed quia Paulus V. Nouemb. 29. anno 1612. constit. de hac re edita, declarauit, etiam solicitatores marium denunciandos esse. Cum autem ad Dianæ aures hæc Pauli declaratio venisset, nostræ subscripsit opinioni *p. 4. tr. 5. resol. 33.*

DVBIVM CLXIV.

Petit quis Sacerdos te confessarium, vt pro se tuam pœnitentem fœminam solicites: estne denunciandus?

680 *Denunciandus est.*

DEnunciandus est. Quia qui per alium aliquid agit, perinde est, ac si per se ipsum illud exequeretur. Sic Ricci. *in praxi p. 3. resol. 65. n. 2.* Homobon. *de Exam. Eccles. p. 2. tr. 11. c. 12. q. 26. resol. 4.*

681 *Non est denunciandus.*

Non est denunciandus. Quia Pontificū constitutiones id de confessario solicitante statuere, non de mandante confessariū, vt pro se, vel suo nomine solicitet. Ita Diana *part. 1. tr. 4. resol. 12.* Trul. *l. 1. Decal. c. 3. d. 18. n. 48.* & alij, quos Diana refert, & sequitur *p. 10. tr. 14. resol. 13.* Tho. Hurtado *to. 1. tr. 4. c. 7. resol. 13.* Leand. *p. 1. tr. 5. d. 13. q. 36.*

682 *Cum his probabilius opinor.*

Cum his probabilius plane opinor. Nam cum Pontifices id mandantem minime memorent, comprehendi non debent. Lex enim quando non solum agentem, sed & mandantem comprehendi curat, id assolet exponere. Attamen & si ex vi Bullarum denunciandus non sit Sacerdos ille: bene tamen ex eo, quod suspectus de fide merito censetur, eo quod Sacramento ad illicita abutatur, eique grauem infert iniuriam.

DVBIVM CLXV.

Laicus quis, vel Diaconus se presbyterum simulans, iniquissime quidem audet confessionem excipere, & fœminam bona fide accedentem ad confitendum, solicitare: estne ex vi harum constitutionum denunciandus?

683 *Denunciandi sunt.*

DEnunciandi sunt. Quia Gregorius XV. punitri imperat eos, qui simulantes se cō. fessiones audire pœnitentem solicitant eo quod iniuriam inferunt Sacramento, dum illius nomine, vel repræsentatione abuntuntur ad iniqua gerenda: At idem agit qui se Sacerdotem in casu nostro fingit: Ergo ex vi huius decreti est denunciandus. Sic Gyptius *tract. de casib. reserv. c. 14. n. 6.* cuius sententiam vt probabilem sequitur Tho. Hurtado *to. 1. tr. 4. c. 7. resol. 12. n. 119.* quamuis *cap. 8. resol. 31.* adiiciat huiusmodi opinionem non esse improbabilem iudicandam.

684 *Non sunt denūciandi.*

Non sunt denunciandi decretorum horumce vi. Quia solum loquuntur de Sacerdotibus non de illis, qui se Sacerdotes fingunt, quique propriè confessarij non sunt: neque confessio illis facta Sacramentalis est, neque propriè sigilli infert obligationem. Ita Acunna *q. 13. n. 5.* Sanci. *in select. d. 11. num. 36.* Bonac. *de Oblig denunc. d. 6. pun. 3. n. 8.* Palao *p. 1. tr. 4. d. 9. pun. 9. n. 5.* Sousa *in Aphor. Inquisit. l. 1. c. 34. n. 11.* Diana *p. 1. tr. 4. resol. 15.* citans Portel. Fagund. *l. 6. Decal. c. 12. n. 22.* Sanctarel. *de hære. c. 46. dub. vni. n. 9.* Trull. & Bordon. quos affert, ac sequitur Leander *p. 1. tr. 5. d. 13. qu. 37.*

685 *Hoc mihi probabilius imo certum.*

Hoc longe probabilius imo mihi aliisque certū. Nā decretū *Omnes ac singulos Sacerdotes* in Confessiones solicitātes memorat, non laicos, nō Diaconos, non subdiaconos. At etsi ij denunciandi non sint ex Bullis contra solicitātes latis: ex Gregorij XIII. constitutione edita aduersus eos, qui se Sacerdotes simulāt, & sub tali simulatione confessiones audiunt, denunciandi sunt. Requiritur tamen, vt non solum confessiones exaudiant, sed etiam absolutionē expediant. Quia Inquisitorum edicto dicitur, denunciandum esse illum, qui cum Sacris initiatus non sit, aliquod Sacramentum administrat. Non autem censetur Sacramentū administrare Pœnitentiæ, si absolutionem nō expediat. Acunna, Sancius & Palao *citati.*

DVBIVM CLXVI.

Comprehenditurne in his decretis Sacerdos, qui iurisdictione caret ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, confessiones excipit, in eisque pœnitentem solicitat?

686 *Non comprehenditur.*

NOn comprehenditur, licet aliunde ex vi aliarum constitutionū, denunciandus sit, & puniendus. Quia Gregorius XV. Pius IV. Clemens VIII. & Paulus V. in suis Bullis solummodo intēdunt confessariorum abusus & inhonestas solicitationes à Sacramento Pœnitētiæ excutere: ergo cōtra illos solū loquūtur, qui confessariorū munere funguntur. Nec obstant verba illa Gregorij, *Omnes, ac singuli Sacerdotes.* Nam hæc per illa antecedentia, *His delinquentibus* explicantur. At hæc verba referuntur ad delinquētes illos, de quibus præcedentes Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. loquuntur, & quorum excessus ad sūmi Præsulis notitiā peruentarunt: qui quidē fuere solū excessus Sacerdotū confessariorū, seu habentiū iurisdictionem ad confessiones audiendas. Ita Sousa *in annot. ad constitut. Gregor. XV. n. 4.* Fagund. *l. 6. Decal. c. 12. n. 21. & 24.* Portel. *in addit. v. solū.*

*solicitare fœminas.n.*13. Tho.Hurtado *tom.*1. *tr.*4.*c.*7.*resol.*12.*n.*125.Leand.*p.*1.*tr.*5.*d.*13.*q.* 39.probabile putat.

687 *Comprehenditur plane.* Cõproehenditur plane.Quia GregoriJXV. decretũ nullã de iurisdictione ad ministrandũ Sacramentũ Pœnitẽtiæ memoriã agit sed absolutè dicit,*Omnes,& singuli Sacerdotes.*Preterea quia absolute quilibet Sacerdos censetur confessarium esse cum potestatem Ordinis habeat, & possit à peccatis venialibus, ac mortalibus, confessis absoluere, & ab omnibus in mortis articulo.Ita Castro Palao *to.*1.*tr.* 4.*d.*9.*pun.*9.*n.*1.Acunna *q.*14.*n.*5.Freyt.*ibi.n.* 13.Diana *p.*1. *tr.*4.*resol.*17.*& p.*4.*tr.*5.*resol.*8. Sanci.*in select.d.*11.*n.*38.Trul. *l.*1.*Decal. c.*3.*d.* 18.*n.*77.Th.Hurtad *c.*8.*resol.*31.*n.*310 prudens consilium mutauit.

688 *Hæc mihi arridet sententia.* Hæc mihi admodũ arridet sentẽtia.Alias nãque posset quilibet Sacerdos solicitans affirmare,ausũ fuisse hoc patrare delictũ,eo quod iurisdictionem ad absoluendum non haberet: quod planè esset, edictum Inquisitionis & Pontificum constitutiones eludere.

Dvbivm CLXVII.

Fit quis sæcularis aut Sacerdos confessionis interpres,& in actu illo,vel immediate post pœnitentem ad Venerea solicitat: Debetne ex vi horum decretorum denunciari.

689 *Debet quidem denunciari.* Debet quidẽ.Quia tã Sacerdos,quã sæcularis ille iniuriã infert Sacramento Pœnitentiæ,quod Pontifices satagunt hisce cõstitutionibus euitare: Ergo ex vi horũ decretorũ denunciari debet.Sic Freyt.*in addit.ad Acunnam,q.*13.*n.*17.*&* 28.Timacri. & D.Escobar del Corro apud Dianam *citandum.*

690 *Non debet.* Minimè debet ex vi harum constitutionum denunciari. Quia interpres confessionis etiamsi Sacerdos sit absolutè loquendo non gerit in hoc casu confessari personã: at Bullarum decreta lata sunt contra eos, qui confessariorum munus gerentes, in actu confessionis vel proximè ante vel post immediate ad Venerea pœnitentes solicitant. Ita Castro Palao *to.*1.*tr.*4.*d.*9.*n.*6. Diana *p.*4.*tr.*5.*resol.*9. Sanci.*in select.d.*11.*n.*10.Fagũd *prac.*2. *Eccl.p.*2. *l.*4.*c.*4.*n.*78.*& l.*6.*Decal.c.*12.*n.*23.Sousa *tr.*1. *c.*10.*n.*3. Trul.*l.*1.*Decal.c.*2.*d.*18.*n.*82.

691 *Certum hoc mihi.* Hoc non probabilius solum,vti Leander ait *p.*1.*tr.*5.*d.*13.*q.*40.Sed certũ omnino, si harum constitutionũ vis attendatur. At aliundè etiã est certum eiusmodi interpretem tam Sacerdotem, quam sæcularem denunciari debere, ac puniri.Quia huiusmodi iniuriam irrogans Sacramento in fide suspectus obiicitur. Fagund.*n.*23.

Dvbivm CLXVIII.

An fœmina in confessionis actu confessarium solicitans sit ab ipso,vel ab aliis qui id nouerint,denuncianda?

692 *Denunciandа est.* Denuncianda est.Quia irreuerentiam intulit Sacramento ausu sacrilego illo abusa ad carnale flagitium,quod Pontificũ constitutiones curant inhibere. Sic Bellochius *de casib.p.*2.*q.*9.*n.*51.Param.*de Orig. Inquis.l.*3.*q.* 10.*fine.*

Non est denunciandа. Minime est denuncianda. Quia Pontificum decreta tantum in Confessarios solicitantes edita fuere.Ita Trul. *l.*1.*Decal.c.*3.*dub.*18.*nu.* 59.& 60.Sunci.*in select. d.* 11. *n.* 24. Acunna *nu.*6. Diana *p.*1.*tr.*4.*resol.*23. & alij communiter.

693 *Plane eligo sententiam.* Certe non video, vndenam primæ sententiæ Auctores,qui legerant Bullarum tenorem, potuerint fundamentum aliquod inuenire. Vnde certum omnino reor huiusmodi fœminam haud debere à confessario,vel à quocumque id agnoscente denunciari.

Dvbivm CLXIX.

Fœmina solicitata à confessario, consentit: tenetne illum denunciare?

694 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia ei imminet graue damnum in fama:potest enim prudenter timere,confessarium se actus turpes cum ea, repugnante licèt, habuisse Sic Gasp. Hurtad. *de intic.foran.dub.*1. *disp.*8. Portel.*in addit.ad dubia Regul.ve b.Denunciatio,n.*10.Suar *tract. de fide,d.*20.*sect* 4. *num.*19. citans Pennam,& Simancas. Sayr.*in Claui,libr.*12.*cap.*14.*numer.* 26.*&* 32. Trull. *lib.*1. *Decalog. cap.*4. *dub.*8. *numer.*33. qui quidem *num.*16. defendit oppositum. Thom.Hurtado *part.*1.*tractat.* 4. *capit.* 8.*resol.* 25. casu solum, quo mulier solicitata non possit solicitationem manifestare, quin proprium consensum manifestet, maximè si mulier bonę famę,vxorata,virgo,viduave nobilis existat. *Non enim* (ait) *tenetur, suum nomen publicare coram Iudice,apud quem bene reputata est.*Sousa *de confes.solicit.tr.*2.*c.*7. *nu.*4.

695 *Proculdubio tenetur.* Tenetur proculdubio, denunciare confessarium, non tamen proprium manifestare consensum : imo nec ab Inquisitoribus circa eũ potest interrogari.Quia Pontificum decreta expresse obligationem denũciandi præscribunt:denunciatio autem hæc nullam denuncianti fœminæ potest infamiam irrogare, ex S. Inquisitionis procedendi vsu. Ita Acunna *q.*10.*n.*5.6.*&* 10. Freyt. *in addit. ad Acunnam,n.*13.Bonac.*de denunc.d.*6.*punct.*3.*n.* 10. Peyrin. *in priuil.Minim.tom.*2.*constit.*4. *Gregor.XV.*§.3.*n.*11.*&* 12.Sanctarel.*tract. de hæresi,c.*14.*d.*9.*ni.*12.Diana *p.*1.*tr.*4.*resol.*9.*& p.*4.*tr.*5.*resol.*31.vbi asserit, ita fuisse declaratũ in S. Inquisitionis congregatione, die 25.Iulij,anno 1624.Trimarchi *de confessore abutente &c.d.*4.*sect.*6.*n.*59.

696 *Hæc sententia certa est in praxi.* Hæc sententia in praxi certa est omnino. Nam si primæ sententiæ quis adhæreret, sæpissimè fœminam excusari à denunciatione facienda resolueret,imo raro inueniretur mulier, quæ excusationem huiusmodi non obiiceret. Et quidem experimento constat nulli eam infamiæ periculo se exponere.Quia circa eius consensum nequit ab Inquisitoribus interrogari,quidquid dixerit Freytas *vbi sup. nu.* 40.Quod si confessarius ille denunciatus consensum fœminæ in actus venereos aperiat:

haud

haud ei graue infamiæ imminet damnum; quia Confessario reo fides non adhibetur, credentibus Inquisitoribus, id Confessarium gessisse ad imminuendam criminis pœnam.

Dvbivm CLXX.

Pœnitens aliquod graue damnum timet probabiliter, si Confessarium denunciet solicitantem: excusaturne à denunciatione facienda?

698 *De iusto timore cadente in constantem virum.*

PRæmitto cum Trullench *l.1. Decal.cap.3. dub.18.n.86.* iustum timorem cadentem in virum constantem esse metum mortis alicuius membri, vel grauis corporis cruciatus, seruitutis, carceris diuturni, grauis exilij, amissionis status, honoris, tum etiam infamiæ vel iuris vel facti, cui facile occurri non potest: amissionis bonorum in notabili quantitate. Lege Tho.Sanch.*l.4. de matr.d.4. & 5.* Sufficit autem ad hoc vt hic metus sit & in virum constantem cadat, vt timeatur in propria vel aliena persona coniuncta tamen ei, qui timet, & quod præfata incommoda sint probabiliter euentura. Vnde iustus erit timor: si aliquod ex his minentur filiis, aut parentibus aut ascendentibus, & descendentibus consanguineis & affinibus, ex copula tamen licita vsque ad quartum gradum. Quæstio igitur est, an ob iustum timorem huiusmodi alicuius incommodi excusetur fœmina solicitantem Confessarium denunciare?

699 *Non excusatur.*

Non excusatur. Quia pœnitens in hoc casu tenetur graue subire incommodum obligante ad id lege, ob bonum Religionis, & communitatis. Et quia incommoda, quæ sequuntur ex Sacramenti Pœnitentiæ abusu priuatarum personarum incommodis prævalent. Sic Bonac.*de denunc.d.6.pun.2.n.6.& pun. 3.n.ii.* D.Ioan.Escobar del Corro *p.2.q.3.n.32.* Fauet Freytas *in addit.ad Acunnam, num.40.*

700 *Excusatur plane.*

Excusatur planè. Quia præcepta humana cum graui nocumento non obligant. Pœnitēs igitur excusatur à denunciatione facienda ob iustum timorem alicuius grauis nocumenti ex his, quæ retulimus, qui quidem timor in virū constantem cadit. Ita Sanch.*l.4.de Matrim. d.4.n.9.* Sanci.*in select.d.11.n.55.* Acunna *q.19. per totam.* Sanctarel.*tr.de hæresi,c.9.n.16.* Homobon.*de casib.reser.p.2.c.1.* Peyrin.*to.2.constit. 4.Greg.XV.§.9.n.28.* Fagund.*præc.2. Eccl.tr.2. l.4.c.3.n.31.* Diana *p.1. tract.4.resol.19.& 36.* Gasp.Hurtad.*de iud.for.d.2.diffic.8.* Trull. *vbi sup.* Sousa *in Aphor.Inquisit. l.1.c.34. nu.58.& & 59.* & alij à Diana citati. Tho. Hurtado *to. 1.tr.4.c.8.resol.45.§.2.* plures citans.

701 *Probabiliorem hanc sententiam esse.*

Probabiliorem hanc sententiam esse credidere tot Doctorum authoritate munitam. Nam iniuria Sacramento illata pœnitudine compensatur, vti iniuria illata Deo: at famæ amissio non recuperatur, ad quam conseruandam ius ineſt hominibus. Itaque si aliquod ex præfatis incommodis probabiliter à fœmina timeatur, non tenebitur denunciare, dummodo fidei bonum ex omissione denunciandi non periclitetur, fidei enim omnia nostra cedere incommoda proculdubio debent vti Sousa *numer. 60.* aduertit.

Dvbivm CLXXI.

Tibi secreto naturali, commissum est, fœminam fuisse ab aliquo Confessario solicitatam: excusarisne à denunciatione gerenda?

EXcusaris quidem. Quia obligatio secreti est de iure naturæ, denunciatio autem de iure positiuo, & humano: ergo fortius iuris naturæ vinculum debet minus forti humano prævalere. Sic Fagundez *præc. 2. Eccles. tr. 2.lib.4.cap.3.num.31.* Tho.Hurtado *to.1. tract. 4.cap.7.resol.21.& c.8.resol.27.num.259.* Modo (addens) Sacerdos sit emendatus; nam si emendatus non sit, nec adsit moralis eius emendationis spes, denunciandus, non obstante secreto, erit. 702 *Excusatur quidem.*

Non excusaris. Quia secretum seruare non debes, quoties eius obseruatio in commune cedit detrimentum. At non denunciare solicitantem non emendatum in damnum Sacramenti Pœnitentiæ cedit, & ad id accedentium, qneis venenum loco medicaminis propinatur: ergo secretum obseruare non debes. Ita Castro *part.1.tract.4.dub.9.pun.10. n.5* Diana *part.1.tr.4.resol.24.& p.4.tr.5.resol. 32.* Leand.*part.1.tr.5.d.13.quæst.45* Trul. *lib.1. Decal.capit.3.dub.18.num.90.* Sanci. *in select. dub.11.numer.57.* Huttad.noster *de iur.for.d.2. diffic.7.* 703 *Non excusatur.*

Longe hoc probabilius, si solicitatio non sit à fœmina solicitata viro alicui docto manifestata consilij petendi causa. Hoc enim in casu tenebitur ille seruare secretum; alias enim nullus consilium petere auderet: certe contrarium dissonum rationi, & humano conuictui esset: nisi delatio foret necessaria ad publicum graue damnum euitandum aut priuatum: tunc enim contra rationem seruare secretum, quamuis iuratum, plane esset. Sancius, & Hurtado *vbi suprà.* 704 *Auctorū resolutio.*

Dvbivm CLXXII.

Fœmina solicitata Episcopo loci Confessarium denunciat: Excusatur, ne eum Inquisitoribus denunciare?

EXcusatur. Quia Clemens VIII. non absolut ab Ordinariis facultatem de hoc crimine cognoscendi; sed eam simul Inquisitoribus tradidit. Et Gregorius XV. id expresse præscribit: Ergo mulier solicitata non arctatur ad Inquisitionis tribunal recurrere, sed ad Ordinarij tribunal poterit accedere, quo acceptante denunciationem cessat fœminæ obligatio ad Inquisitionem accurrendi. Sic Fagundez *præc.22.Eccl.l.4.c.4.nu. 32.* Et *lib.9.Decalog.c.12.n.11.* Diana *part.1.tract.4. resol.29.* citans Sanctarellum, Acunnam, Peyrinum, & Bonacinam Sousa *in Aphor.Inquisit.* 705 *Excusatus absolutè.*

ft. l. 1. c. 34. n. 47. Portel. *in addit. ad dub. Regul. v. Solicitare, n. 11.* & alij.

706 *Non excusatur absolute.*

Non excusatur in Hispania. Quia Clemens VIII. ab ordinariis huius criminis cognitionē & priuatiuè Inquisitorib. concessit. Et quia Inquisitores in Hispania de hoc crimine cognoscūt, nō Ordinarij, vigēte quidē cōsuetudine quę est optima legū interpres. Ita Castro Palao *to. 1. tr. 4. d. 9. pun. 10. n. 4.* Leand. *p. 1. tr. 5. d. 13. q. 46.* Diana *p. 4. tr. 9. resol. 52.* Trull. *l. 1. Decal. cap. 3. dub. 18. n. 93.*

707 *Non excusari in Hispania defendo.*

Verū illa verba Bullę Gregorij, *Maneāt obligati denunciandi solicitātes Inquisitoribus, seu locorū Ordinariis prędictis*, manifestè ostendūt primę sententię veritatē, si loquamur non de Hispaniæ Regnis, sed de aliis, vbi Gregorij constitutio omnino est recepta. Attamen circa hoc in Hispania recepta non fuit. Cęterū cū Inquisitores de hoc crimine iudicant, aduocant Ordinarium, & simul cum illo causam decidunt sicuti in causis fidei. Vnde Inquisitoribus & non Ordinariis denunciatio est facienda, formare enim processum Inquisitoribus independenter ab ordinario competit.

Dvbivm CLXXIII.

Scit solicitata fœmina Confessarium fuisse iam ab aliis pœnitentibus de hoc crimine denunciatum, & ab Inquisitoribus punitum: Excusaturne à gerenda denunciatione?

708 *Non excusatur.*

NOn excusatur, sed debet eū & ipsa denūciare. Quia confessarius ille sufficienter punitus nō censetur cū grauioribus pœnis pro pluribus solicitationibus, quā pro vna vel altera afficiēdus esset. Sic Diana *p. 4. tr. 5. resol. 49.* Bonac. *tr. de denunc. d. 6. pun. 3. n. 15.* Trull. *l. 1. Decal. c. 3. d. 18. n. 31.*

709 *Excusatur quidem.*

Excusatur quidē nemo confessariū solicitantē denunciare tenetur, si eū credat esse emendatū. Atqui Confessarius ab Inquisitoribus iā punitus emēdatus vere præsumitur: ergo excusatur fœmina eū rursus denūciare. Ita Sanci. *in select. d. 11. nu. 51.* Peyrin. *de priuil. Minim. comment. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 9. n. 32.* Freytas *ad Acunnam q. 3. n. 34.* Diana *p. 1. tr. 4. resol. 26. & p. 4. tr. 5. resol. 21.* & alij.

710 *Sententia Auctoris.*

Existimo, denunciandū rursus non esse, nisi constet, eū adhuc in solicitandi crimine persęuerare. Nam si exigant, illud vlterius denunciari, vt delictum grauius ex multiplicatione solicitationum vberiori pœna velint punire, proculdubio denunciandus ille erit.

Dvbivm CLXXIV.

Confessarius potestne pœnitentem absoluere, quin prius Sacerdotem solicitantem denunciare pergat?

711 *Non potest absoluere.*

ABsoluere non potest. Quia in DD. Inquisitorum edicto sic imperatur. Sic Auila *de censur. p. 2. c. 7. d. 7.*

712 *Absoluere potest.*

Absolui potest. Quia sufficit propositum firmum denunciandi quamprimum indicare. Et hæc est Sacræ Pœnitētiariæ praxis. Ita Sanctarel: *tr. de hæresi, c. 9. dub. vni. n. 16.* Freyt. *q. 21. n. 25.* Ortiz *sum. c. 29. n. 9.*

713 *Mea resolutio.*

Ego quidē existimo fœminā illam absolui non posse priusquam Sacerdotem delinquentē denunciet, nisi iusta edsit differendi denunciationem causa. Porro iusta erit causa si necessitas cōmunis vrgeat, & Tribunal longe sit dissitum, & persona timoratæ sit conscientiæ, ac promittat data opportunitate (quā quærere tenetur) se acturā denunciationem. Sanch. *l. 2. Decal. c. 13. à nu. 17.* Sanci. *in select. d. 1. nu. 62. & 63.* & alij.

Dvbivm CLXXV.

An Episcopus solicitans sit Inquisitoribus denunciandus?

714 *Est denunciandus.*

DEnunciandus est. Quia illa verba Gregorij XV. *Omnes, & singuli Sacerdotes* generalia de quibuslibet Sacerdotibus sunt. Sic Bonac. *to. 1. d. 6. pun. 3. prop. 2. n. 8.*

715 *Denunciā. dus non est.*

Non est denunciandus. Quia Episcopus subiectus non est. *cap. Inquisitores, de hæresi in 6.* & Trident. *sess. 24. c. 5.* Ita Molina *to. 6. de iust. tr. 5. d. 28. n. 19. & 20.* Castro Palao *to. 1. tr. 4. d. 9. pun. 9. n. 1.* Farinac. *de hæresi, q. 186.* Decian. *to. 1. crimin. l. 5. c. 23. n. 10.* Trull. *l. 1. Decal. cap. 3. dub. 18. n. 78.* Acunna *q. 12. nu. 5. 7. & 12.* Freyt. *ibi. n. 31.* Sanci. *in select. d. 11. n. 33. 34. & 35.*

716 *Idē iudex.*

Profectò si Episcopi in delicto hæresis Inquisitoribus non subduntur, à fortiori in delicto suspicionem hęresis habente non subiicientur. Nomine autē Episcopi Inquisitoribus nō subditi cōprehenduntur Episcopi titulares; quia verè sunt Episcopi. Molina *ibi, d. 18. n. 19.* Et Episcopi electi, & à Sede Apostolica approbati, etiāsi consecrati nō sint. Molina *ibid.* Quod si solū sint electi, Inquisitorib. subiiciuntur, vt de sicut quilibet alius Sacerdos debent denūciari. Acunna *q. 11. nu. 12.* Freyt. *num. 31.* Sanc. *numer. 35.* Molina *numer. 20.* Nuncij, seu Legati Sedis Apostolicæ, aliisque eiusdē Sedis Ministri, & Officiales non sunt denunciandi Inquisitoribus, vel Ordinariis; quia eis nō subduntur in vllo etiā grauissimo delicto. *Extrauag. Cum Matthæus, de hæret.* Molina *tr. 5. de iust. d. 28. num. 20.* Farinac. *de hæresi, q. 186.* Decian. *tom. 1 crimin. l. 5. c. 23. n. 10.* Palao *vbi sup.* Sanci. *n. 33.* Vocantur vero Delegati Sedis Apostolicæ Ministri, ac Officiales ipsius, qui nomine Sedis Apostolicæ ad negotia Sedi Apostolicæ pertinētia mittuntur. Non autem illi, qui ad causas particulares inter alios iudicandas, ac dirimēdas à Sede Apostolica quotidie designantur; hi enim non gerunt sedis Apostolicæ negotium, sed personarum particularium, authoritate tamen Apostolicæ Sedis exerunt. Molina *vbi suprà.* Cæterum possunt Inquisitores, si denunciatio eis fiat, depositiones testium excipere, Apostolicę Sedi remittendas; etsi timeatur fuga, Episcopos detinere, dum ad Sedem Apostolicam, vel ad superiorem legitimum eorum delicta deferantur Sanci. *n. 34.* Acunna *q. 12. n. 9. & 10.* Trul. *n. 80.* Tho. Hurtado *to. 1. tr. 4. c. 7. resol. 14. n. 146.*

Dvbivm CLXXVI.

Inquisitor solicitans estne Generali Inquisitori denunciandus?

717 *Denunciandus est.*

DEnunciandus est. Quia Inquisitores solum sunt Generalis Inquisitoris Subdelegati, ac Commissarij. Vnde si aliquis delinquat illi erit denunciandus. Sic Simanc. apud Castro Palao *p. 1. tr. 4. d. 9. pun. 9. n. 3.*

718 *Non est denunciandus.*

Non est denunciādus. Quia Inquisitores Sedis

dis Apostolicæ Officiales sũt, & inter eius Delegatos annumerãdi: ergo Sedi Apostolicæ, & nõ Inquisitori Generali denunciãdus erit. Ita Eymeric. *l.3. Direct. Inquisit. q.30.* Peña Sch. 39.

719 *Auctoris resolutio.*

Existimo, neq; tribunali Inquisitionis supremæ, nec Episcopo denunciandũ esse, si vera sit Eymerici sententia. Si autem vera sit Simancę opinio denunciandũ esse nõ Episcopo, neq; alteri Inquisitori, quia eis nõ subditur; sed supremo Senatui, vel Inquisitori Generali, cui omnes subduntur. Palao *citatus.* Molina *tr.5.d.28. n.20.* Trull. quem citat, & Leand. *to.1.tr.5.d.13. q.51.* Profecto in casu hoc rarissimo plane, ne dicã metaphysico, nescio quid ex S. Inquisitionis vsu probabilius esse resoluam.

Dvbivm CLXXXVII.

Probaturne sufficienter solicitationis crimen duarum fœminarum delatione?

720 *Sufficienter probatur.*

SVfficienter probatur. Quia cum singulares testes ad causarũ fidei probationẽ admittãtur, sufficit duarum fœminarum testimonium: sicut ad quæque alia delicta, probanda duo contestes sufficiunt: *In ore* enim *duorum, stat omne verbum.* Sic Paramo *de orig. Inquis. l.3.q.10.n.158.159.& 165.* Cantera *qq.crimin. c. de vera probat. n.47.*

721 *Non probatur sufficiẽter.*

Non probatur sufficiẽter. Quia præterquam quod infirmũ sit plerũque muliebre testimoniũ, fœminę iracundia affectę personæ admodum ad vindictam obiiciuntur, ad cuius exequutionem non semel vidimus vnam alteram excitasse, vt contra innocentem falsum texerent testimonium. Ita Ortiz *sum. c. 24. n.11.* asserens requiri saltem trium fœminarum depositionem. Acunna *q.23.n.11.*

722 *Auctoris resolutio.*

Ego autem existimo aliquando duarũ fœminarũ testificationẽ satis probare delictũ, si scil. sint omni exceptione maiores; aliquando tres quatuor, aut plures esse repellendas, dũ videlicet iniqua earum vita infirmat testimoniũ: Vnde quæstionis resolutio Dominorũ Inquisitorũ prudenti iudicio remittenda. Hi debent inspicere mores fœminarum deferentium delictum, scrutarique, an vindictæ affectu, an Religionis zelo & obligationis stimulo ducãtur. Trull. *l.1. Decal. c.3. dub.18. n.98.* Sanci. *in select. d.11.n.47.* Acunna *q.32.n.9.*

Dvbivm CLXXVIII.

Sex dies, qui pro termino in Edicto Inquisitionis ad gerendam denunciationem dantur, debentne à die, & hora publicationis annumerari?

723 *Status quæstionis.*

NOn solũ pœnitens solicitatus, sed etiam quiuis id sciẽs, tenetur (quidquid Homobonus *to.1. consult. p.4. respons. 51.* in contrarium affirmet) Sacerdotẽ intra sex dies naturales viginti scil. horarum Inquisitioni deferre. Inquit Edictũ. *Vengais, y parezcais ante nos personalmẽte, dentro de seis dias primeros siguientes, despues que esta nuestra carta fuere leida, y publicada, &c.* Quæsierim itaque, nũ sex hæ dies debeãt numerari, à die & hora publicationis edicti?

724 *Numerari debent ab hora publicationis.*

Numerari debent à die & hora publicationis. Quia verba illa Edicti præmissa, *Dentro de seis dias primeros siguiẽtes, despues, que esta nuestra carta fuere leida, y publicada.* id non obscurè probant. Nã si postquã edictũ publicatur, an *Escobar, & Mendoza, Theol. Moral.* Tom. VI. numerãdi sint dies, & Edictum hora vndecima ipsius diei Dominici publicatũ est, ab hora vndecima ipsius diei debent sex dies illæ cõputari. Sic Paramo *l.3 q.5.* Suarez, & Hurtado, quos refert Leand. *p.1.tr.5.d.13.q.54.*

725 *Non debent ab hora publicationis numerari.*

Nõ debẽt à die, & hora publicationis Edicti numerari, sed à die immediate sequẽti eadem hora. Quia verba illa, *Despues, que esta nuestra carta fuere leida.* benignũ hũc sensũ admittũt, & hæc est Inquisitionis praxis. Ita Henriq. *l.5. c.18.n.6.* Trull. *l.1. Decal. c.3. dub.18.n.14.* Diana *p.4.tr.5. resol.41.* Leand. *citatus.*

79 *Ho cmihi verius.*

Probabiliorem credo hanc esse sententiam. Vnde si Edictum in Dominica profertur, finitur sex dierũ terminus sequẽti Dominica. Moneo tamen non terminari hora vndecima, qua quidẽ fuerat publicatum, sed toto Dominico die. Quia Clauis Regia, Abbas & Lazarius (quos Leander memorat) asserunt, si vltimus dies termini præfixi in diem festum incidat, in sequentem diem non festum differri debere. Quod probabile Bonacina *de denunc. d.6. pun. 2. §.7.* esse profitetur.

Dvbivm CLXXIX.

Fœmina solicitata Edicti Inquisitionis ignara intra sex præfixos dies denunciationem non gessit: teneturne statim, ac sciuerit, Confessarium denunciare?

727 *Statim tenetur denũciare.*

STatim denunciare tenetur. Quia iam ei sex dierum inducię præteriere, & res fidei instat. Nã cũ quælibet delicta suspicionẽ fidei præferentia vt cancer serpere soleant ad sex dierũ angustias Ecclesia traxit delinquentem denunciari, indicãs nolle fœminã Edicti ignarã pigritare, sed mox ac sciuit, denunciationi operam impertire. Sic Sanci. *in select. d.11.n.59.* Diana *p.4.tr.5. resol.26.*

728 *Nõ tenetur statim.*

Non tenetur statim denunciare, sed intra sex dies in Edicto assignatos, postquã ad eius notitiã venit eius publicatio. Quia non debet esse deterioris conditionis ea, quæ ignorauit inculpabiliter Edictũ, quam illa, quæ notitiam illius habuit illico post eius publicationẽ: sed hic per sex dierũ interstitiũ potest denunciationẽ differre. Ergo & illa. Ita Acunna *q.21.n.4.* Suar. *de Censur. d.20. sect.1.n.14.* Henr. *l.13.c.18.n.6.* Trul. *l.1. Decal. 3.d.18.n.14.* Filliuc. *to.1. tr.14.n.42.* Sà *v. Denunciatio, n.1. & v. Excommunicatio, n.22.* Hurtado noster *de iud. for. d.2. diffic.10.* Bonac. *de denunc. d.6. pun.1 §.7.* & alij.

29 *Probabilior sententia hæc.*

Probabiliorem hanc sententiã esse iudico. Nam ex suauissimo procedẽdi modo S. Inquisitionis colligitur, haud velle strictius edicti verba intelligi. Addiderim, idem dicendũ de eo, qui post Edicti publicationem incipit esse subditus illius, qui tulit: cui quidem terminus sex dierum incipit à die, in quo fit subditus, vt præfati Doctores annotarunt.

Dvbivm CLXXX.

Fœmina solicitata Edicti fuit conscia, sed ægritudine saucia, vel aliunde impedita non potuit assignato tempore confessarium denunciare: teneturne denunciare statim ac commodè possit?

730 *Tenetur quidem.*

TEnetur quidem. Quia post notitiã Edicti infruita est sex illorum dierum indul-

gentia. Ergo ab infirmate libera, vel ab impedimento expedita, illico debet denunciationi operam impendere. Sic Sanci *in select. d. 11. num. 59.* citans Suarium, & Sà Diana *part. 4. tractat. 5. resol. 26. & 41.* & alij.

731 *Nō tenetur.* Non tenetur illico denunciare, sed potest differre denunciationem per alios sex dies, sicut potest illa, quæ fuit Edicti ignara. Quia eadem est vtriusque ratio. Sic Trull. *l. 1. Decal. cap. 1. dub. 18. num. 14.* Leand. *p. 1. tract. 5. d. 13. quæst. 56.*

732 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia ægrotanti, aut legitime aliàs impeditæ sex dies illi assignati ad denunciationis dilationem non præteriere, in illis enim non potuit denunciationem facere.

DVBIVM CLXXX.

An fœminis leuibus haud fide dignis quis audiuit, Confessarium quendam solicitasse pœnitentem: debetne eum denunciare?

733 *Debet denunciare.* DEnunciare debet. Quia in Edicto Inquisitionis absolute & sine distinctione præcipitur, vt si quis sciuerit, vel audierit delicta in eo contenta à quolibet fuisse perpetrata Tribunali denunciet. Sic Diana *p. 4. tr. 5. resol. 18.* citans Octauianum Spatharium, & Thomam à IESV.

734 *Deninciare non debet.* Non debet denunciare, qui ob leuem suspicionem, vel ob signa quę facile fallere possūt vel ob fœminarum leuium dictum mendax plerumque, denunciationem agere. Quia inferret damnum sibi ipsi, qui leuitatis notaretur: & reo, qui ob id rigidius tractaretur, ac fortassis iniuste. Ita Nauar. *l. 5. consil. tit. de hæret. cons. 3. n. i. & sum. c. 25. nu. 46.* Corduba *sum. q. 64. casu 6.* Sayr. *in Clavi, l. 12. c. 14.* Henriq. *l. 13. c. 18. n. 3. lit. Z.* Rodrig. *to. 2. qq. Regul. q. 6. art. 7.* Fagund. *præc. 2. Eccl. l 4. c. 3. n. 31.* Hurtad. *de ind. for. d. 2. diffic. 8.* & alij.

736 *Hoc probabilius iudico.* Ego existimo cum Nauarro. *Edicta, quibus iubemur, demonstrare aliqua, quæ scimus non ligare eos, qui non sciunt illud per visum,* vel aliū sensum corporeum, vel confessionem eius, qui fecit illud, vel quod habetur pro indubitare, vel quod audiuit ab *aliquo fide digno.* Sic Doctor. Quia in hoc casu scire delictum non censetur. Satius duxerim, vt fœminam, à qua audiuit, ad Inquisitores remittat. Addiderim cum Lessio *l. 2. c. 30. d. 6. n. 7.*

DVBIVM CLXXXII.

Si Edictum à Tribunali S. Inquisitionis non publicetur, solicitata fœmina teneturne sub excommunicationis pœna confessarium denunciare?

736 *Certū supono.* CErtum est, perpetuum esse S. Inquisitionis Edictum, quotannis enim in Quadragesima renouatur: & licet nō innouaretur, extat perpetuum præceptum denunciandi hæreticos, vel de hæresi suspectos Sacræ Vniuersalis Inquisitionis Romanæ datum die 3. Ianuar. anno 1623. Quæstio vero est, an non solum lethaliter delinquat verum & excommunicationis pœna, si non denunciet, afficiatur?

737 *Sub pœna excommunicationis non tenetur.* Tenetur quidem pœnitens semper denunciare confessarium solicitantem sub pœna lethali, piaculi, sed non sub excommunicationis pœna. Quia adest obligatio naturalis denunciandi, sed vt pœna excommunicationis incurratur, necessarium est Edictum illam indicens publicari. Sic Freytas *in nouis. Edit. q. 21. num. 44. & 58.* Probabile iudicat Thom. Hurtado *tom. 1. tractat. 4. capit. 8. resol. 47. Parag. 4. num. 589.*

738 *Tenetur sub excommunicationis pœna.* Non solum sub peccati lethalis pœna, sed sub pœna excommunicationis tenetur. Quia huiusmodi confessariis de hæresi quidem suspectis denunciandis, datur (vti præmisi) præceptum vniuersalis Romanæ Inquisitionis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: Ergo licet in Hispania (verbi gratiâ) non publicaretur Inquisitionis Edictum pœnitens denunciationem omittens, non solum lethaliter delinqueret, sed & censura afficeretur. Ita Diana *parte quarta tractatu quinto resolut. tert. & 41.* Peyrin. *de priuil. Minim. tomo secundo. consil. 9. Pauli V. Paragraph. secundo numer. 27.* Trull. *libro primo Decalog. capite tertio dub. 18. numer. 14.* Et omnes qui eloquent non solum præceptum ab Inquisitoribus perpetuum esse, verum etiam excommunicationis pœnam Hi sunt Manu. *in addit. ad Parag. nonum n. 69.* Sanc. *in select. dub. 11. num. 62.*

739 *Cum his opinor aliquid addidisse.* Hanc sententiam longe probabiliorem esse iudico adiiciens eum, qui hoc crimen non detulit intra sex dies in Edicto præfixos, non toties incurrere excommunicationem, quoties commode potest deferre, & id omittit. Quia licet multoties contra Edicti præscripta delinquat nempe toties, quoties moraliter delationis omissio discontinuatur: excommunicatio tamen semel tantum incurritur, quotiē violatio præcepti, ob quam imponitur, est materialiter vna: quamuis ob discontinuationem aduertentiæ, aut aliud requisiti ad peccati malitiam moraliter, vel in esse peccati discontinuetur. Mecum Gasp. Hurtado *de iur. for. dub. sexto diffic. 10.*

DVBIVM CLXXXIII.

Audit fœmina solicitata Edictum, sed ante implecionem sex dierum præscriptorum iter debet agere ad Oppidum, vbi non est opportunitas denunciandi: teneturne denunciationem agere priusquam sex dies compleantur, ac se accingat itineri?

740 *Non tenetur.* NOn tenetur denunciationem præuenire. Quia Edictum non obligat denunciare nisi intra sex dierum terminum, vnde non tenetur quis denunciationem præuenire. Sicut

sicut non tenetur, prœuenire tempus annuę communionis ante tempus per legem determinatum, quamuis sciat, qui non prœuenit, reddendum impotentem ad non implendum. Sic nonnulli Recentiores, quorum sententiam Sanctus *in select. d. ti. num.* 62. docet.

741 *Prœuenire tenetur.* Denunciationem prœuenire tenetur. Quia in præfato casu iam instat præceptum & ligat fœminam ad denunciandum intra illos sex dies: Ergo ante impletionem illorum tenetur denunciare, si postea non possit. Ita Sanct. *numer.* 60. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 29. citans Fagundez, Suarium, & Syluium. Leander *part.* 1. *tractat.* 5. *dub.* 13. *quæstion.* 60.

742 *Probabilius hoc existimo.* Hoc probabilius admodum esse reor. Nam in communionis annuæ lege non instat obligatio vsque ad tempus Paschatis: in lege autem denunciationis intra sex dies faciendæ instat mox à publicatione, vel à cognitione, seu scientia, quoad huiusmodi præceptum impositum.

Dvbivm CLXXXIV.

Assolent Ecclesiastici nonnulli sententiæ contra confessarios solicitantes Inquisitorum iussu interesse: tenenturne hi sub lethali delinquentem non manifestare?

743 *Tenentur quidem.* TEnentur quidem. Quia huius criminis infamia limites Tribunalis inquisitionis nõ excedit: Ergo intra illius limites concludi debet: Ergo silentium in re adeo graui non seruans reus lethali piaculi erit. Sic Sousa *de Confes. solicit. tractat.* 2. *capit.* 16. *numer.* 18.

744 *Non tenentur.* Non tenentur, maxime si vni vel alteri Ecclesiastico id referant. Quia eo ipso quod Domini Inquisitores aliquos Ecclesiasticos ad. nocent ad iudicium, innuere videntur, id gessisse, vt aliis pœna delinquentis illa aliis proficiat ad exemplum. Ita Diana ex Seraphino Freyt. *part.* 1. *tractat.* 5. *resol.* 44. Leander *part.* 1. *tract.* 5. *dub.* 13. *quæstion.* 61.

745 *Auctoris resolutio.* Probabilius iudico, non teceri sub mortali Ecclesiasticos, qui ei interfunt iudicio, subticere: nisi Domini Inquisitores pœnam excommunicationis imponant eis, ne personam delinquentis aliis manifestent: quod quidem assolent præstare, cum nolunt id iudicium Tribunalis limites transilire.

Dvbivm CLXXXV.

An confessarius ad turpia in confessione solicitans sit de hæresi vehementer suspectus?

746 *Quæstionis status.* CErtum est, suspectum de hæresi fieri. Quia id expresse habetur in Bulla Pij IV. Pauli V. & Gregorij XV. & asserunt Acunna *q.* 24. *n.* 12. Diana *p.* 4. *tr.* 5 *resol.* 41. Trull. *l.* 1. *Decal. c.* 3. *dub.* 18. *n.* 18. *n.* 11. Bonac. *de denunc. d.* 6. *pun.* 3. *n.* 18. citans Sanctarellum, & Menochium. Dubium autem est num sit vehementer, an leuiter suspectus?

747 *Vehementer est suspectus* Vehementer suspectus est. Quia Sacramento abutens ad turpia vehemens exhibet fundamentum, se de Sacramentis haud rectè sentire. Sic Director. Inquisitor. *p.* 2. *comment.* 81. Madius *de Sacer. Ordin. c.* 27. *n.* 6. Anton. Genuens. *in praxi Archiepisc. c.* 66. *n.* 2. Aloysi. Bariola *tr. de solicit.* & Inquisitionis Romanę praxis, Diana obseruatore *vbi infra.*

748 *Non est suspectus vehementer.* Non est vehementer suspectus, sed leuiter solummodo. Quia ex solicitatione facta ad peccatum voluptatis adeo humanę infirmitati agnatæ colligitur solicitantis iniquus ausus, ac lenis simul suspicio exoritur, an rectè de Sacramento sentiat, qui eo ad libidinem gerendam abutitur: sed non arguitur esse hæreticum. Ita Acunna *q.* 2. *n.* 20. & *q.* 8. *n.* 9. Castro Palao *p.* 1. *tr.* 4. *d.* 9. *punct.* 6. *n.* 1. Paramo *de orig. Inquisit. l.* 3. *q.* 10. *n.* 115. Freyt. *q.* 2. *n.* 45. Iosephus de Sesse *to.* 4. *dec.* 454. *n.* 3. Sousa *tr.* 1. *c.* 5. *nu.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 51. & *tr.* 7 *resol.* 7. Trull. *l.* 1. *Decalog. capite tertio dub.* 18. *numer.* 101. & 102. Fagundez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 12. *num.* 25. & 27.

749 *Hoc teneo.* Hoc probabilius esse reor. Nam quidquid sit de Romanæ Inquisitionis vsu, scio Inquisitionem Hispanicam solicitatores Sacerdotes obligare, non vt de vehementi, sed de leui solum abiurent. Quod ex proximo Dubio planius fiet.

Dvbivm CLXXXVI.

An confessarius solicitans debeat de vehementi abiurare?

750 *Debet abiurare de vehementi.* DEbet quidem. Quia vehementer sunt de hæresi suspecti. Vnde Romana Inquisitio eos efficit de vehementi abiurare, quod credat esse de hæresi vehementer suspectos. Sic Auctores pro prima sententia dub. proximo *citati.*

751 *Idẽ assero.* Hanc sententiam præferendam existimo, tot munitam Doctoribus. Cęterum quia Hispanicæ Inquisitionis vsus facta est mentio, operæ pretium duxi eius procedendi modum indicare. Quousque reus duobus, vel tribus testibus delatus sit non recluditur. Quia cum hi testes singulares sint, & regulariter præsumptio stet pro Sacerdote, efficacior, quam in aliis delictis probatio requiritur. Quare in Hispania non assolent particularis Tribunalis Inquisitores sine supremi Senatus consilio aliquẽ Sacerdotem, maxime Religiosum in secretum carcerem detrudere. Si vero personæ testificantes satis qualificatæ nõ sint, propria domus, vel Ciuitas pro carcere reo assignatur, vel aliquod Regulariũ Monasteriũ. Interim tamen, quo agitatur causa prohibetur delinquẽs à Missæ celebratione, administratione Sacramentorum, & prædicatione. Causa autem concluſa consultores Ecclesiastici aduocantur & ex eorum consilio Inquisitor &

Ordinarius proferunt sententiam, eamque in Tribunali secreto reo denunciant, præsentibus duobus cuiusuis Ordinis Religiosis Confessariis, ibique grauiter reprehensus de leui abiurat, & ab audiendis confessionibus, & verbi Dei prædicatione perpetuo priuatur si casus grauis sit, hoc est, si plures solicitauit, & solicitationis consequutus fuit effectum. Si vero casus ita grauis non est aliquibus annis ab excipiendis virorum confessionibus, & mulierum in perpetuum priuatur: & vno, aut duobus annis in aliquod Monasterium recluditur. Quod si Religiosus sit, præcipitur, vt in Choro, & refectorio, aliisque in locis communibus vltimam sedem habeat; voce actiua ac passiua interim priuatus. Et aliquando hæc sententia iterum per Secretarium suo in conuentu, præsentibus omnibus Religiosis, legitur, vt delinquenti in confusionem, illis sit in exemplum. Verum si solicitatio ad plures personas se extendit, cum eisque turpitudines graues commisit, ab omnibus Religiosis, post lectam sententiam flagris afficitur. Præterea si delinquens ante duorum testium, depositionem sese Inquisitoribus detulit, in secretum carcerem non recluditur; sed lite contestata & causa concluſa de leui abiurat, & ab audiendis confessionibus priuatur, neque aliæ ei pœnæ imponuntur. Et hoc fit, etiamsi plures solicitasset. At si semel tantum solicitauit, & ante vllius testis depositionem se detulit, graniter reprehenditur, neque vltra punitur. Et idem fit, casu quo solicitatæ personæ examinatæ negant, solicitationem sibi factam esse. Profecto si reus abneget delictum duobus singularibus testibus sibi probatum Inquisitores testium diligenter vestigant qualitatem, num aliquibus vero similibus indiciis suas depositiones comprobent: etsi sic repererint; etiamsi reus abneget, dummodo ob inimicitiam testes non repellat, illum damnant, vt de leui abiuret & ab audiendis confessionibus abstineat.

Denique *Abiuratio* nihil aliud est, quam rei alicuius cum iuramento negatio: ideoque accipitur prosolemni hæresis testatione *c. Berengarius, de consecrat. dist. 2. & cap. Ad abolendam, de hæret.* Abiurare tenetur de vehementi, qui vehementer de hæresi est suspectus: de leui vero qui leuiter de fide suspectus est. Abiuratio autem tam de leui, quam de vehementi siue publice, siue priuatim fiat, debet fieri per scripturam publicam vel priuatam scripta: vel saltem subscripta manu abiurantis: quæ quidem erroris abiurationem, & veræ fidei confessionem contineat. Idque debet verbis claris perspicuis, simplicibus, non conditionatis, aut ambiguis reus profiteri. 753 *Quid sit Abiuratio.*

LIBER

LIBER XLVIII.

SPES.

POST *virtutem Fidei Spem Paulus* 1. Corinth. *13. enumerat, quia obiectum cognitum, & nobis conueniens speramus. Præmittit autem Spem, postmodum Charitatem, & quia Charitate est inferior, & quia sine Charitate esse potest, vt contingit in peccatoribus fidelibus, qui media pœnitentia consequi salutem sperant: at Charitas sine Fide, & spe in hac vita esse non potest. Disseram itaque de virtute spei, de ei annexis, & contrariis.*

SECTIO PRIMA.

De Spe, Receptiores sine lite sententiæ.

CAPVT I.

De Spei essentia, obiecto, ac subiecto.

1 *Spes est virtus Theologica, qua speramus diuinam beatitudinẽ diuino assequendã auxilio.*

LOquor de Spe provt de ea Theologi loquuntur, nempe vt significat desiderium gratiæ, vel gloriæ. *Est* igitur *Spes virtus Theologica, qua speramus diuinam beatitudinem diuino auxilio assequendam.* Dicitur *Virtus Theologica*, quia respicit immediatè Deum vt nobis bonum, éstque habitus ab ipso Deo infusus: ac proinde est principalior omnibus virtutibus moralibus, quæ non immediatè, sed mediate Deum respiciunt. Religio immediate diuinum cultum respicit, mediate vero ipsum Deum. Est tamen minus principalis, quam Fides, & Charitas, nam inter omnes virtutes primum locum Charitas, secundum Fides, & tertium Spes obtinet. Dicitur, *Qua speramus diuinam beatitudinem*, ad innuendum præcipuum obiectum Spei esse ipsum Deum bonum non bonum in se, sed vt nobis bonum, nimirum nobis consequendum; nam minus principale sunt obiectum ea omnia, quæ nos ducunt ad beatitudinem, & ad ipsum Deum, vt gratia, charitas, & Spiritus Sancti dona. Dicitur denique, *diuino auxilio consequendam.* Quia ratio & fundamentum, in quo Spes innititur, est Dei auxilium, quoad sperandum excitamur, & eo excitati, ad sperandum adiuuamur, sine quo & solis naturæ viribus sperare non possumus; quia Spes est de dono arduo, difficili, (naturæ viribus,) & supernaturali. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 17. *articul.* 5. Azor. *lib.* 9. *cap.* 1. *qu.* 8.

2 *Obiectum materiale, Spei primarium, & secundarium.*

Obiectum materiale primarium Spei est beatitudo æterna. Secundarium vero gratia, virtutes, & alia bona opera: imo etiam, & naturalia bona, provt ad beatitudinem assequendam conducunt. Quia omnia hæc speramus à Deo: at quia præcipue speramus diuinam beatitudinem iuxta illud *Matth.* 6. *Primum quærite Regnum Dei*: ideo diuina beatitudo est principale obiectum; cætera vero bona siue spiritualia siue temporalia, ex eo quod sunt media ad hunc finem, id est, ad beatitudinem assequendam, pertinent ad secundarium Spei obiectum. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 17. *artic.* 2. *in corp. & ad* 2. Valent. 2. 2. *disputat.* 2. *quæstione* 1. *puncto* 1. Suarius *disputat.* 1. *de Spe, section.* 1.

3 *Formale obiectum.*

Obiectum formale Spei est Deus vt summum bonum amabile in commodum amantis: ex quo amore oritur desiderium, vel beatitudinis, vel bonorum spiritualium, & ipsa Spes. Ratio autem formalis Spei est Deus, vt est summum bonum nostrum. Suarius *de Spe, disputatione prima, sectione tertia, à numero quarto*, citans Caietanum Sotum, & alios. Trullench. *libro* 1. *Decalogi capite* 4. *dubio* 1. *numero* 3.

4 *Est virtus à fide, & Charitate distincta.*

Porro Spes est virtus Theologica à Fide, ac Charitate re ipsa distincta. Quæ hæ virtutes habent formale obiectum formaliter sumptum distinctum, quod sufficit. Fides enim tendit in Deum, vt verũ: Charitas in Deũ, vt in se bonum: Spes vero in Deum vt nobis bonum. Actu etiam distinguuntur. Quia actus Fidei est credere. Charitatis amare, & Spei desiderare. Habent autem hæ virtutes hunc inter se ordinem, videlicet, vt Fides origine, & causa sit prior Spe: non enim potest voluntas sperare bonum nisi vt cognitum per intellectum tanquam bonum possibile, & per merita, diuino supposito auxilio, assequendum, ad quam cognitionem Fides prærequiritur. Vnde actus Fidei potest esse sine Spe, non verò è contra. Deinde Spes origine etiam & causa prior est Charitate. Quia prius diligimus Deum in nobis, quam vt in se bonum. Azorius *libr. 9. cap. 1. quæst. 5.* Palao *de Spe, tractat. 5. dubio vnico, puncto 1.*

5 *Spei subiectum est voluntas.*

Subiectum Spei est voluntas. Quia eius obiectum est bonum, eius actus sunt desiderare, & expectare bonum futurum absens, quæ omnia ad voluntatem pertinent. D. Thom. 2. 2. *q. 18. art. 1.* & omnes.

6 *In quibus Spes resideat.*

Verum Spes non est in beatis. Quia iam ea, quæ desiderabant, plene possident. Licet enim exoptant corporum resurrectionem, eiusmodi actus non est Spei, sed Charitatis, quo sua corpora diligunt. Christus siquidem Dominus, dum in terris agebat, sui corporis gloriam exoptabat, nec ideo in eo erat Spei virtus. Nec reperitur Spes in damnatis. Quia in eis amittitur per contrarium actum desperationis. Nec adest in hæreticis. Quia, vti Paulus *Hebr. 11* edocet, *Fides est substantia sperandarum rerum*, id est Spei fundamentum: At in hæreticis non est Fides: ergo nec Spes. Manet vero in animabus in Purgatorio existentibus, donec purgatæ plenè, in cœlestem beatitudinem admittantur. Manet in peccatoribus fidelibus, qui per peccatum gratiam amisere. Profecto eadem virtute Spei, qua nobis desideramus beatitudinem, eam alteri exoptamus. Sicut eadem Charitate Deum in se, & proximum propter Deum diligimus. D. Thom. 2. 2. *quæstion. 18. articulo 2. & 3.* & omnes.

CAPVT II.

De Præcepti spei obligatione.

7 *Datur præceptum affirmatiuũ.*

DATVR præceptum affirmatiuum Spei, quo obligamur, aliquando eius actum elicere: quod de fide esse credo. Quia omnis actus ad salutem nobis necessarius est sub præcepto, vt communis Theologorum fert sententia: sed in Deo sperare est actus ad salutem necessarius iuxta illud *Rom. 8. Spe salui facti sumus.* Ergo actus Spei sub præcepto cadit. Vnde in Tridentino *sess. 6. cap. 6.* Spes constituitur dispositio necessaria ad iustificationem, & consequenter ad vitam æternam, quæ sine iustificatione non obtinetur. Profecto ex hoc præcepto affirmatiuo, quo tenemur sperare, aliud negatiuum oritur, quo tenemur, non desperare, nec diffidere de diuina misericordia, ac bonitate. Bonacina *tomo secundo, disputatione tertia, quæstione tertia, puncto secundo, numero secundo*, Valentia *tomo tertio, disputatione secunda, quæstione quarta, puncto primo*, & alij communiter.

8 *Negatiuum semper obligat.*

Præceptum Spei negatiuum in quacumque temporis differentia obligat iuxta præcepti negatiui naturam. Vnde semper tenemur non desperare, & nunquam desperare est licitum. Omnes sic.

9 *Quandoũ obliget affirmatiuũ.*

Præceptum vero affirmatiuum Spei per se tantum obligat, quando quis grauiter diuexatur tentationibus contra Spem, & in periculo desperationis existit, nisi se Spei actibus muniat. Quia quilibet tenetur ex præcepto Spei, ea media adhibere, quæ ad non desperandum sunt necessaria, sed medium necessarium ad non desperandum, dum contra Spem tentamina ingruunt, est actus spei: ergo quilibet tenetur actum Spei elicere, dum contra Spem tentationis cum desperationis periculo diuexatur. Valentia *tomo tertio, disputatione secunda, quæstione quarta puncto primo.* Villalobos *parte secunda, summ. tractat. 2. difficult. 1. num. 3.* Bonac. *tomo secundo, disputatione tertia, quæstione tertia, puncto 2. numero secundo*, Reginaldus *libro 17. numero 78.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite 33. numero 3.* Additionat. *ad Tolet. libr. 4. cap. 7.*

10 *Per accidens quãdoque.*

Per accidens autem, & ratione alterius præcepti, & virtutis obligat affirmatiuum Spei præceptum. Primò cum primum quis rationis assequitur vsum. Quia tenetur se in Deum conuertere, omnia in ipsum referendo, quod absque Spei actu præstare nequit. Secundò obligatio pœnitentiæ de anteacta vita instat ad Dei gratiam obtinendam. Quia cum Spes veniæ obtinendæ sit, pœnitentiæ fundamentum, hæc absque Spei actu nequit consistere. Tertiò, quando est præceptum de oratione, aut quando præceptum dilectionis Dei obligat. Quia præcepta hæc sine Spei actu impleri non possunt. Quartò, quando aliqua tentatio contra aliquam virtutem, verbi gratiâ, castitatem ingruit, quam existimas non posse superare, nisi in animo Spem suscites, diuinum auxilium tibi præsto fore. Vel si in aliquo animę, vel corporis periculo sis constitutus, à quo nisi ad Spei anchoram confugias liberari te non posse existimes. Layman *libro primo, tractat. 2. cap. 2. num. 2.* Valentia *tom. 3. d. 2. quæstion. 4. punct. 1.* Sanchez *libr. 2. Decalogi capite 33. numero 3.* Azorius *libro 9. capite 2. quæst. 7.*

11 *Non est autem diffitum.*

Ille vero, qui omittit, actum spei elicere in casibus, in quibus spei præceptum non per se, sed per accidens obligat, non tenetur, id ex professo in Cõfessione declarare. Quia tunc non contra spem per se, sed contra præceptum, quod per se obligat, delinquit: vnde solum tenetur fateri, se peccatum contra præceptum, quod per se obligat, commisisse. Exempli gratiâ, teneris ad pœnitentiam per se, & per accidens, & ratione pœnitentię obtinendę, & ratione

tione pœnitentiæ obtinendæ ad eliciendum Spei actum, obligaris: non agis pœnitentiam, nec conaris cum Deo reconciliari, & per consequens actum Spei omittis: solummodo tunc teneris fateri, te non egisse pœnitentiam casu quo tenebaris: & sic de similibus. Sanchez *libro secundo, Decalogi capite trigesimo tertio, numero tertio.* Bonacina *tomo secundo, disputat. 3. quæstion. 3. punct. 1. numero 3.* & alij communiter.

11 *Sperare non potest.*

Ille, cui facta esset suæ reprobationis reuelatio (suppono quod sit casus possibilis, de quo *sectione 2.*), non potest, nec debet sperare. Quia in tali casu ei homini est impossibile sperare beatitudinem impossibilem; etsi enim voluntas per velleitatem in obiectum secundum se feratur, tamen secundum actum efficacem tendit in actum hic & nunc futurum: cum ergo hic & nunc ei homini non sit possibilis beatitudo, non potest nec tenetur sperare, non quia proprie sit ablatum præceptum, sed quia ratione status est potestas ablata. Porro si humanæ naturæ fragilitatem attendamus, difficile erit illi, non desperare, imo & in Dei odium non prorumpere. Attamen ex vi charitatis, & auxilij gratiæ Dei possibile est, vt diligat Deum magis, quam se ipsum, & diuinæ voluntati conformetur, quantum ad ordinem iustitiæ proprio peccato suppositio. Quia ex tali reuelatione non statim sequitur, quod homo ille charitatem amittat: ergo potest illam exercere, vereque dicere: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, agat. Bannes 2. 2. *quæstione 22. articulo primo.* Suarius *de Spe, disputatione secunda, sect. 7. numero octauo*, Trull. *libro 1. Decalogi capite 4. dubio secundo, numero 10.*

CAPVT III.

De Peccatis contra Spem.

13 *Peccata cõtra virtutẽ.*

PECCATA contra Spei virtutem, aut ei opponuntur per omissionem, aut per commissionem. Quæ aduersantur per omissionem, sunt omissio actus Spei, in casu, quo illam elicere tenemur. In rebus aduersis Spem in Deo non ponere. Omissióque actus timoris in casu, quo eũ elicere obligamur. Debemus enim Deum timore filiali, & seruili recto aliquando, colere. De filiali dicitur *Deut. 10. Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum.* De seruili autem *Luc. 12. Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam.* Per commissionem vero Spei opponuntur. Primò, desperatio. Secundò, Præsumptio. Tertiò, cum quis Spem suam in toto, vel in parte in aliquo bono creato constituit, tanquam in præsidio, & remedio, quod per se solum ad salutem adipiscendam sufficeret. Non enim prohibemur, in hominibus, aut aliis procreatis rebus Spem collocare tanquam in iis, quæ nos vna cum Dei auxilio iuuant, ac promouent, ad enem vltimum consequendum. Azorius *tom. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 7.* Valentia *tom. 3. d. 2 qu. 1. punct. 1.* Suarius *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 2. à numer. 5. ad 8* Ex D. Thom. *2. 2. quæstion. 97. articulo tertio.*

14 *De desperatione.*

Desperatio est, cum quis abiicit Spem æternæ beatitudinis, vel gratiæ, aut veniæ peccatorum, aut vitæ melioris. Certè duo possunt in desperatione reperiri: primum, iudicium intellectus, quo iudicas, te non posse à Deo consequi salutem, vel simpliciter, vel ex suppositione. Secundum, fuga voluntatis, qua refugis salutem tanquam impossibilem obtineri. Desperatio igitur formaliter consistit in fuga voluntatis, non autem in iudicio intellectus, tametsi illud supponat. Quia desperatio opponitur Spei: sicut ergo spes consistit in prosecutione boni, quatenus iudicatur possibile obtineri: ita desperatio sistit in fuga eiusdem boni, quatenus impossibile obtineri iudicatur. Vnde fit, vt posito tali iudicio intellectus, non sequatur necessario in voluntate desperatio. Quia voluntas non necessitatur à tali iudicio: atque ita manet libera, & non necessario desperat: vnde licet aliquis iudicaret, se non soluendum à Deo posset nihilominus dicere, Nolo desperare, sed faciam quod possum. D. Thom. *2. 2. q. 20. art. 1.* & ibi Doctores.

15 *Desperationis grauitas.*

Desperatio est grauissimum peccatum, nec in eo datur paruitas materiæ, sed ratione solius plenæ deliberationis potest à mortali excusari. Quia in quauis materia misericordiam diuinam graviter lædit. Sanchez *libro secundo, Decalogi capite trigesimo tertia, numero quinto*, Palao *de Spe, tract. 5. dub. vnic. puncto 5. numero 5.*

16 *Grauius est peccatum.*

Peccatum desperatione est ex suo genere grauius, quam omnia peccata contra virtutes morales. Quia opponitur Spei, quæ virtutibus moralibus est perfectior. Est tamen minus peccatum, quam Dei odium, & infidelitas, seu hæresis. Quia maximum omnium peccatorum est Dei odium, secundum hæresis, tertium desperatio; nam odium Dei & infidelitas sunt contra Deum, secundum quod in se est bonus, aut verus: desperatio autem secundum quod eius bonum à nobis participatur. Et quamuis reperiri valeat spes sine Charitate, sicut Fides sine ipsa: non tamen sine Fide. Quia vti docet Paulus *Hebræor. 11. Fides est substantia sperandarum rerum*, id est spei fundamentum. Desperatio quidem ex parte nostra valde est periculosa. Quia per spem à malis reuocamur, & ad bona inducimur: ar, sublata spe, absque fræno homines in viria prolabuntur. D. Thom. *2. 2. q. 20. a. 3.* & omnes.

17 *Oritur ab acedia, vel à luxuria.*

Oritur hoc vitium ab Acedia, quæ est tristitia, ac fastidium rerum spiritualium animum deprimens: tum etiam à luxuria, quæ mentem excœcat, hominemque ad terrena conuertit. D. Thom. *2. 2. quæstion. 20. articulo quarto.* Petr. Ledesm. *tomo secundo, summ. tractat. 2. conclusion. 5.*

18 *Per id habitus spei corrũpitur.*

Per actum desperationis spei habitus corrumpitur: nempe per quemuis actum, quo quis desperat de sua salute, aut de aliquo medio ad illam necessario. Quia reliquæ virtutes infusæ corrumpuntur per quemuis actum infidelitatis,

tis, & Charitas per quoduis lethale piaculum: Ergo & spes per quælibet desperationis actum; nam desperatio directè spei opponitur. Omnes sic.

19 *De Præsumptione.*

Præsumptio vero est affectus, quo speramus aliquid à Deo inordinate. Duplex est, vna, qua quis inordinate propriæ virtuti innititur, verbi gratiâ, si præsumat, se aliquid posse præstare, quod supra eius vires sit, quo pacto Pelagiani præsumebant, se posse propriis viribus sine Dei gratia præcepta omnia seruare, ac beatitudinem mereri. Altera qua quis inordinate diuinæ misericordiæ, ac potentiæ innititur: verbi gratiâ, si speret, se posse à Deo remissionem peccatorum sine pœnitentia, aut sine operibus bonis beatitudinem promereri. Quod agunt illi, qui suis in criminibus perseuerant, sperant tamen, se posse per infinitam Dei misericordiam, ac pietatem saluari. Semper huiusmodi præsumptio est mortalis, nec paruitas materiæ excusare potest, sed solus plene deliberationis defectus. Quia sic præsumens, de Deo falso iudicat, posse beatitudinem assequi absque mediis à diuina prouidentia, ac iustitia institutis, vnde grauissime vtrumque lęditur attributum. Sanchez *libro secundo, Decalogi capite 34. numero septimo*, Bannes 2.2. *quæstion.* 21. *artic.* 2. *dubio* 2.

Est hoc peccatum contra Spiritum Sanctum, sicut & desperatio. Quia contemnit quoad exercitium diuinum auxilium. Minus autem graue est, quam Desperatio. Quia non tam grauiter spei opponitur: desperatio enim tollit misericordiam, præsumptio vero punitionem. Oriturque vitium ex superbia. D. Thom. 2.2. *quæstione* 14. *articulo secundo, & quæstione* 21. *articulo secundo, & quarto*, & omnes communiter. 20 *Peccatis Præsumptionis grauitas.*

Potest Præsumptio, (sicut & desperatio) cum hæresi, & sine hæresi reperiri: tunc est simul cum hæresi, & per consequens cum duplici culpa, quando est error in intellectu, quo quis crederet, beatitudinem absque pœnitentia, & meritis obtinendam: vel solis propriis operibus absque Dei gratia; tunc vere est sine hæresi, quando non oritur ex illo iudicio, sed ex hoc: Deus pro sua ineffabili misericordia mihi meà crimina etiam sine pœnitentia condonabit. Porro si peccatum præsumptionis hæresim inuoluat spem corrumpit. Quia tollit Fidem, quæ est spei fundamentum. At sine hæresi sumptum, non tollit spem, vt si quis delinquat contra spem, quia præsumit de Dei misericordia quod in peccato morietur, & simul vult in peccato persistere. Turrian. 2.2. *q.* 21. *a.* 2. & alij. 21 *Est contra Spiritum Sanctum.*

SECTIO SECVNDA.

De Spe, Dubia.

CAPVT IV.

Circa Naturam, seu Essentiam Spei in communi.

DVBIVM I.

An Sperare sit actus voluntatis?

22 *Status quæstionis.*

IN triplici Dubio proximo loquor de Spe in communi prout abstrahit à diuina, seu Theologica, qua speramus à Deo: & à spe humana, qua ab homine speramus. Quæsierim in primis, Vtrum sperare sit actus intellectus, an voluntatis?

23 *Est actus intellectus, non voluntatis.*

Non actus voluntatis, sed intellectus, quo iudicamus, nobis futurum esse aliquod bonum. Quia qui iudicat, bonum aliquod sibi futurum, dicitur, bonum id sperare: & qui sibi non futurum iudicat illud bonum, dicitur, illud desperare. Sic nonnulli, quos pressis nominibus memorat Gaspard. Hurtado *de Spe, disput.* 1. *difficult.* 1.

24 *Est actus voluntatis, non intellectus.*

Non est actus intellectus, sed voluntatis. Quia si esset actus intellectus, maximè esset iudicium, quo iudicamus bonum aliquod nobis esse futurum: iudicare autem id, non est sperare; nam qui id iudicat, non sperat, si bonum illud non desiderat: & qui iudicat, aliquod bonum sibi non futurum, non dicitur illud desperare, si intendat, & conetur, illud adipisci. Ergo actus Spei est actus voluntatis, & non quicumque, sed quo nobis desideramus bonum aliquod adipisci. Ita Hurtado *citatus*, & iam Theologi omnes.

25 *Hoc certum mihi.*

Hoc certum mihi. Annoto autem, nonnullos hæreticos asseruisse, non distingui actum spei ab actu fidei. Quia in Scriptura aliquando fides sumitur pro spe: vnde colligunt spem non esse actum voluntatis, si quidem fides ad intellectum pertinet. Profecto actum spei non esse actum intellectus, qui est fidei, significat Paulus 1. *Corinth.* 13. dum ait, *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas tria hæc.* Vbi distinguit aperte spem à fide. Quod si aliquando fides in Scriptura sumitur pro spe, seu fiducia, ideo est, quia spes est quasi fructus & effectus fidei.

DVBIVM

Dvbivm II.

An actus sperandi addat aliquid suprà id quod sufficit ad boni futuri desiderij rationem?

26 *Status quæstionis.*

COmmune est, sperare esse actum prosecutionis circa bonum: & non esse gaudium, seu delectationem circa bonum præsens seu possessum: neque esse amorem circa bonum secundum se; sed esse desiderium circa bonum, vt futurum, seu adipiscendum. Quia spes, vt ait Tul. *quæstion.* 4. *Tuscul.* est *Spectatio boni futuri.* Quæsierim itaque, an actus sperandi addat aliquid supra id, quod sufficit ad desiderium boni futuri?

27 *Nihil addit.*

Nihil addit, ac proinde quodcumque desiderium boni futuri est actus sperandi. Quia si spes adderet aliquid supra id, quod sufficit ad desiderij boni futuri rationem, maxime quia spes versatur circa bonum habens arduitatem: at ob hoc nequit addere quidquam, neque à desiderio distingui; arduitas enim non est ratio pertinens ad obiectum actus sperandi, quia non est bonitas, sed potius difficultas, & molestia retrahens voluntatem ab sperando; actus autem non distinguitur nisi ob rationes in obiecto distinctas. Sic Gabriel. *in 3. distinct. 26. qu. vnic. artic.* 1. Almain. *quæst.* 2. Caietan. 2. 2. *quæst.* 18. *artic.* 1. Fanet D. Augustin. *in Enchirid. cap.* 8. dum ait, *Spem esse desiderium boni futuri pertinentis ad sperantem.*

28 *Addit aliquid.*

Aliquid addit supra id, quod sufficit ad rationem desiderij boni futuri, ac proinde non quodcumque desiderium boni futuri est sperandi actus. Quia sperare non est quodcumque desiderium boni futuri, seu adipiscendi: sed est desiderium efficax; nam qui tantum inefficaciter desiderat aliquod bonum adipisci, non dicitur, illud sperare: At quodcumque desiderium non est efficax boni futuri, seu adipiscendi: sed illud est efficax desiderium, quo quis tendit in bonum arduum, seu difficile quoad adeptionem; bonum enim, quod in sui adeptione non est arduum, non dicitur sperari, seu expectari, sed tantum desiderari; & quia voluntas nequit efficaciter tendere ad adipiscendum bonum arduum nisi insurgendo, ac se erigendo, & quasi se exerendo contra einsmodi arduitatem: ideo actus sperandi est desiderium efficax, quo voluntas animose, & erectè in bonum arduum tendit. Ita Suarius *de Spe, disp.* 1. *sect.* 3. Lorca *disput.* 1. Turrian. 2. 2. *disp.* 60. *dub.* 1. Becan. *de Spe, cap.* 17. *quæst.* 4. Granad. *tract.* 1. *disput.* 3. Adamus *quæstion.* 1. *dub.* 1. & alij communiter.

29 *Hic teneo, & pono.*

Cum his sentiens, affirmo, in voluntate circa bonum, quod est obiectum actus prosecutionis ipsius, esse actus in triplici differentia. Alius namque est circa bonum, vt præsens, seu adeptum, qui dicitur gaudium, seu delectatio; alius est circa bonum vt futurum, seu adipiscendum, qui dicitur desiderium; & alius est circa bonum secundum se, prout distrahit à præsenti, & à futuro, qui dicitur amor. Igitur sperare, est actus prosecutionis circa bonum, vt futurum, seu adipiscendum; quia Spe expectamus adipisci bonum: siue desiderium; attamen supra id, quod ad desiderium sufficit, addit aliquid, nempe esse efficax, quo quidem efficaci desiderio tendimus in bonum futurum arduum, seu difficile quoad adeptionem; quia bonum, quod in sui adeptione arduum non est non dicitur sperari, sed tantum desiderari, vt secundę sententiæ fert fundamentum.

Dvbivm III.

An bonitas obiecti, quod speratur Spei sit obiectum formale?

30 *Status quæstionis.*

MAteriale Spei obiectum est bonum ipsum, quod speratur adipiscendum. In hoc Doctores conueniunt, dubitant vero quodnam sit obiectum formale, seu *quo*? Num sit bonitas obiecti, quod adipiscendum speratur?

31 *Non est obiectum formale Spei.*

Non est obiecti quod speratur bonitas, sed ipsa persona potens conferre bonum, quod speratur. Quia actus Spei innititur personæ, à qua speratur bonum; ideo enim desiderium efficax boni iudicati futuri ab altero dicitur spes, quia est ab altero: ergo persona à qua speratur bonum, est motiuum, seu obiectum formale sperandi. Sic Vasquez *part.* 1 *lib.* 84 *cap.* 1. & 1. 2. *disp.* 40. *cap.* 2. Turrian. *disputatione* 60. *dubio* 1.

32 *Est obiectū Spei formale.*

Est bonitas obiecti, quod speratur, non ipsa persona potens conferre eiusmodi bonum. Quia bonitas rei, quæ concupiscitur, est quæ mouet ad rem ipsam concupiscendam. Ideo enim concupiscimus rem aliquam, vel quia est honesta, vel quia est delectabilis, vel quia est vtilis: Ergo bonitas rei, quæ actu spei concupiscitur est obiectum, seu motiuum formale *quo* ipsius actus spei. Ita Suarius *de Spe, disputatione prima, sectione tertia*, Coninch. *disp.* 19. *dub.* 1.

33 *Triplex esse obiectum formale Spei ostēdo.*

Ego autem existimo, obiectum motiuum, seu formale cuiuscumque actus spei esse triplex, sicut & triplex est obiectum materiale. Actus enim spei, vt habet rationem, seu respectum concupiscentiæ, ac desiderij boni futuri, habet pro obiecto materiali rem ipsam bonam quam speramus: & pro motiuo habet bonitatem illius rei bonæ; quia eius bonitate allicimur ad eam concupiscendam. Et idem actus spei, vt habet rationem, seu respectum concupiscentiæ, & desiderij ab altero, habet pro obiecto quasi materiali personam ipsam, à qua res illa speratur: & pro motiuo, seu formali obiecto potentiam ipsius personæ; quia ideo mouemur ad considerandum rem illam ab ea persona, quia persona hæc est potens, seu habet potentiam ad rem illam conferendam: & non quia persona illa sit benigna, aut fidelis, quamuis hæc conducant ad formandum iudicium uturitionis boni.

CAPVT

CAPVT V.

Circa Naturam, seu Essentiam spei Theologicæ.

DVBIVM IV.

An obiectum materiale, & immediatum Spei Theologicæ sit nostra beatitudo formalis?

34 *Est nostra beatitudo formalis, non Deus.*

EST nostra beatitudo formalis, non Deus, qui quidem est tantũ obiecto indirectũ & connotatũ & quasi mediatum. Quia actus spei Theologicæ, vtpote habens rationem amoris beneuolentiæ respectu ipsius sperantis, cui speratur: & rationem amoris concupiscentiæ respectu beatitudinis, respicit hanc vt bonum proprium ipsius sperantis; eo enim actu sperans desiderat sibi beatitudinem vt bonum proprium ex complacentia sui; Deus autem non est bonum sperantis immediate, & ratione sui: sed tantum ratione visionis: sola enim visio ratione sui perficit ipsum beatum, & non Deus ratione sui, vtpote non accidens beati, sed res à beato suppositaliter distincta. Sic Durand. *in 3. distinction. 26.*

35 *Est Deus non nostra beatitudo formalis.*

Non est obiectum materiale, & immediatum Spei nostra beatitudo formalis, sed Deus; beatitudo autem seu visio tantum est conditio, qua Deus voluntati proponitur. Quia si solus Deus non esset obiectum immediatum actus Spei, virtus Spei non esset Theologica, seu diuina. Ita Caietan. *2. 2. quæstion. 17. articul. 2 & 5.*

36 *Deum, & beatitudinẽ esse materiale Spei obiectum, iudico probabilius.*

Ego autem existimo actum Spei Theologicæ immediatè, ac directè esse circa vtramque beatitudinem, nempe circa visionem Dei, & circa Deum ipsum. Quia tam Deus quam visio Dei immediatè, & ratione sui est bonum beato suo quidem modo vnum, & alterum, visio tanquam adeptio, seu possessio Dei, & finis *quo*: & Deus tanquam res adepta, siue possessa, & finis *qui*: & neutrum est bonum beato ratione alterius, seu mediante altero, & vt alteri coniunctum: ac proinde neutrum est finis completus beato, sed ex vtróque vnus integer finis coalescit. Mecum Suarius *de Spe, disputatione prima, sectione prima*, Loca *disputatione secunda*, Turrian. *disputatione sexagesima, dubio tertio*, Coninch. *disputatione 13. dubio tertio.* Granad. *disput. 1.* Vasquez *1. 2. disput. 13.* & Theologi communiter.

DVBIVM V.

Sperare nos aliis beatitudinem, & alia bona, vt bonorum ipsorum ex ipsa complacentia sine ex eadem Spe, ex qua nobis illa ex complacentia nostri speramus?

SVppono, nos posse sperare à Deo aliis beatitudinem, & alia bona. Quia vere possumus efficaciter desiderare, quod alij à Deo præfata bona adipiscantur, iudicantes illa esse adepturos, *Philip. 1. Confidens, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.* Et *2. Corinth. 1. Vt Spes nostra firma sit pro vobis, scientes, quoniam sicut socij passionum estis, ita eritis, & consolationis.* Certum vero est, nos sperare aliis ea bona ex complacentia nostri, quatenus nobis profutura sunt, esse ex eadem peculiari Spe Theologica, qua nobis illa speramus ex complacentia nostri. Quia etiam tunc nobis formaliter nostra. Quæstio igitur est, an sperare nos aliis ea bona, vt bona ipsorum ex ipsorum complacentia, sit ex eadem Spe, ex qua nobis illa speramus ex complacentia nostri? 37 *Nonnulla suppono.*

Est quidem ex eadem Spe. Quia actus, quo nobis ex complacentia nostri ea bona à Deo speramus, & actus, quo alteri eadem speramus à Deo ex eius complacentia, habent idem obiectum materiale, & formale: nam vtróque actu eadem bona ob ipsorum bonitatem, & ab eodem Deo potente speramus: ergo sunt eiusdem Spei, & ex eadem virtute Theologica. Sic Lorca *de Spe, disputatione 1. dub. incidente.* 38 *Est ex eadem.*

Non est ex eadem Spe. Quia actus, quo speramus proximo ea bona à Deo ex complacentia ex ipsius proximi complacentia, est actus beneuolentiæ erga proximum habens quoad hunc respectum beneuolentiæ pro obiecto materiali ipsum proximum, & pro formali ipsius bonitatem. Actus vero, quo speramus nobis à Deo bona ex complacentia nostri, est actus beneuolentiæ non ergo proximum, sed erga nos, habens quoad hunc respectum beneuolentiæ pro obiecto materiali nos ipsos, & pro formali bonitatem nostri. At actus beneuolentiæ huiusmodi erga nos, & erga proximum non solum physicè, sed & moraliter specie distinguuntur: quia diuerso modo est consonum rationi velle proximo bonum ex complacentia ipsius ac velle nobis ex complacentia nostri ob diuersum modum respectus beneuolentię erga nos, ac erga proximum, quamuis eadem bona nobis, & proximo velimus, & ob eandem ipsorum bonorum bonitatem, & ab vno eodem Deo. Ita Suarius *de Spe, disputatione prima, sectione tertia*, Becanus *de Spe, capite 17. quæstione secunda*, Coninch. *disputatione 19. dub. 5.* Vasquez *3. part. disput. 43. numero 6.* 39 *Non est ex Spe eadem.*

Cum his opinor, & amplius doctrinam expono. Affectus, quo proximo speramus bonum à Deo ex Complacentia ipsius proximi, quamuis non tantum habeat honestatem beneuolentiæ erga illum, sed etiam honestatem Spei: nihilo 40 *Cum his opinor.*

nihilominus quando affectus hic est supernaturalis (qualis est ille, quo à Deo speramus bonum siue quoad substãtiam siue quoad modum supernaturale) tantum elicitur ex virtute infusa benevolentiæ erga proximum: & non ex virtute infusa spei, qua nobis ex complacẽtia nostri speramus. Quia affectus ille ab vna tantũ virtute infusa est eliciendus, cum ex virtute infusa eliciatur quoad substantiam suam quæ indiuisibilis est quoad extensionem: & non ex alia virtute, quam ex infusa benevolentiæ erga proximum; bonitas enim proximi est motiuum quasi vltimum, & modificatiuũ in eo affectu, & reliqua se habent quasi materialia, ac modificabilia; modo namque nostro concipiendi præsupponuntur ad illud: quia affectu bonum à Deo proximo ipsi speramus.

Dvbivm VI.

An actus Spei Theologicæ sit sua substantia supernaturalis?

41 *Certum suppono.*

AD actum Spei Theologicæ, quo à Deo bonum supernaturale speramus, & qui est dispositio ad iustificationem, saltem medio Sacramento faciendam, necessarium est gratiæ Dei auxilium, vt in Triden. *sess.6.can.* 3 definitur. Hoc supponito, Doctores conueniunt, actum spei Theologicæ, quo à Deo bonũ supernaturale speramus, esse aliquo modo supernaturalem. Dubitant vero, num sit supernaturalis in sua substantia?

42 *Non est supernaturalis in sua substantia.*

Non est in sua substantia supernaturalis. Quia viribus naturalibus ab homine sperare quodcumque bonum, quod possit ab ipso sua virtute conferri: Ergo etiam eisdem viribus possumus à Deo beatitudinem, ac reliqua bona supernaturalia sperare; magis enim est potens ad ea conferenda, quam homo ad impertienda quæ potest. Ergo actus virtutis spei est quoad suam substantiam naturalis, vtpotè qui viribus naturalibus elici potest. Sic Sotus *de natura, & gratia, c.* 22.

43 *In sua substantia est supernatura. lis.*

Est supernaturalis in sua substantia. Quia actus voluntatis sumit suam substantiam ex ordine ad obiectum formale, seu ad materiale vt formali subest; obiectũ autẽ formale actus spei Theologicæ, quo bonũ, aliquo modo, supernaturale speramus, est vere supernaturale saltem quoad modum, etiam quoad triplicem respectum, qui in eo actu spei reperitur. Obiectum enim formale est bonitas obiecti materialis sperati, quod est supernaturale saltem quantum ad modum; & est omnipotentia Dei vt supernaturaliter potens, seu agens; & est bonitas personæ cui speratur, tanquam concii Sanctorum, & vt eleuatæ ad finem supernaturalem: Ergo substantia actus spei Theologicæ, quo bonum aliquo modo supernaturale speramus, est supernaturalis, vtpotè imbibẽs respectum, imo & respectus ad obiectum supernaturale saltem quoad modum. Ita Turrian. 2.2.*d.*61.*dub.*1. Coninch *de fide, disp.*4. *dub.*3. Granad. *d.*4. Hurtad. *de spe, d.*1. *diffic.*8.

44 Hanc sententiam probabiliorem esse reor. *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. VI.

Quamuis enim Deus sit magis potens, quam homo imo omnipotens: nihilominus quia Deus respectu doni supernaturalis est supernaturaliter potens, & bonitas illius doni est supernaturalis, & bonitas personæ cui speratur: ideo tantum mouent ad actum supernaturalem, & consequenter ad actum; qui nequeat viribus naturæ elici: sed medio habitu supernaturali eleuante voluntatem, sed medio concursu diuino supernaturali illius habitus vices supplente, & etiam medio ordinis supernaturalis auxilio.

Hanc sententiã probabiliorem esse iudico.

Dvbivm VII.

An actus Spei in esse moris sit actu Fidei perfectior?

45 *Nonnulla suppono.*

SVppono, actus fidei, spei, & charitatis, vtpote physice, ac moraliter distinctos secundum speciem esse in perfectione specifica tam physica, quam morali inæquales, ita vt alius alio perfectior existat. Porro actus charitatis in esse moris perfectior est actibus fidei, & spei (& consequenter habitum charitatis esse radicaliter in esse moris habitibus fidei & spei perfectior) 1.*Cor.*13. Paulo id asserente, *Nunc autem manent fides spes, & charitas tria hæc, maior autem horum est charitas.* Et quidem nihil ita honestum est, ac diligere Deum propter se ipsum, seu qui est in se bonus. Quæsierim autẽ num actus spei in esse moris sit actu fidei perfectior?

46 *Fidei actu perfectior est actus spei.*

Perfectior est fidei actu. Quia actus spei ratione sui est liber, & honestus: actus vero fidei non ratione sui, sed ratione actus voluntatis. Sic Suar. *de spe, dub.*1. *sect.* 6. Becan. 2.2.*capit.*17.*quæst.*5. Coninch *de fide, disp.*4. *dub.*8.

47 *Spei actu perfectior est actus fidei.*

Non est perfectior actu fidei, sed è contra actus fidei est spei actu perfectior in esse moris. Quia ex vna parte actus fidei non est minus supernaturalis quam actus spei, & est eo physice perfectior; & ex altera parte actus fidei captiuat intellectum in obsequium fidei, non attendens commodum proprium; actus vero spei id attendit. Ita Medina 2.2.*quæst.*17. *a.*7. Lorca *ibi, a.*8. Bannes *q.*4.*a.*7.*d.*1. Granad. *tr.*1.*d.*6.

48 *Eiusdem mentis sum.*

Cum his opinor. Nam quod actus fidei non sit liber ratione sui, sed ratione actus voluntatis, non obstat, vt sit honestior actu spei, qui ratione sui est liber; libertas enim tantum est fundamentum honestatis, quæ potest esse maior in actu libero ratione alterius, quã in eo altero, à quo ille est liber.

Dvbivm VIII.

An actus Spei pendeat in sui generatione ab actu Charitatis?

49 *Certũ suppono.*

COmmune est Theologis, actum fidei non pendere in sui generatione, seu in suo

elici ab actu spei, nec ab actu charitatis; quia potest elici & esse absque illis. Et actum Spei supernaturalem, & actum charitatis in sui generatione pendere ab actu fidei, siue ex Dei institutione, qui non auxiliatur efficaciter ad illos absque supposito fidei actu: siue ex natura rei; quia actus charitatis sunt actus voluntatis & supernaturales; actus autem voluntatis ex natura rei prærequirit in intellectu cognitionem sibi proportionatam, & in via non est alia cognitio supernaturalis nisi cognitio fidei. Quærierim autem, vtrum actus spei pendeat in sui generatione ab actu charitatis, an è contra?

50 *Dependet ab actu charitatis.* Actus spei in sui generatione, seu in suo elici dependet ab actu charitatis. Quia indicat id Augustinus *in Enchirid. cap.* 8. dum ait: *Spes sine amore esse non potest.* Quomodo enim possumus sperare quod non amanus vt nostræ accinens beatitudini? Sic Magist *in 3. dist.* 26.

51 *Ab actu charitatis non dependet.* Actus spei in sui generatione, seu in suo elici à charitatis actu non pendet. Quia amor concupiscentiæ, quo nobis efficaciter erecte ac confidenter desideramus, verbi gratiâ, gloriam à Deo, iudicantes eam futuram, non requirit amorem beneuolentiæ erga Deum; id enim nullo apparenti fundamento potest affirmari: Ergo actus spei non pendet ab actu charitatis, & multo minus ab habitu. Ita Suar. *de fide. d.* 1. *sect.* 1. Lorca. Granado, & alij, quos memorat, ac sequitur Hurtado *de spe, dub.* 1. *diffic.* 10.

52 *Hanc sententiã communem quidem eligo.* Hanc sententiam communem Theologorum esse video. Indicat Trident. *sess.* 6. *capit.* 6. *& sess* 14. *capit.* 4. dum actum spei enumerat inter dispositiones etiam tempore præuias ad iustificationem. Quia ante iustificationem non præsupponitur tempore charitatis actus, sicut neque habitus. Dum vero ait Augustinus spem sine amore esse non posse, exponitur à Suario de amore concupiscentiæ, quo Deum secundum se vt bonum nostrum nobis amamus: & quo vt nobis bonus placer, & quem actus desiderij regulariter supponit. Imo addiderim, actum spei aliquando esse generatione priorem actu charitatis, & hunc ab illo pendere non ex natura rei, sed ex Dei voluntate quia ex hac prærequiritur ad iustificationem medio Sacramento (vt constat ex Trident. *vbi supra*) & consequenter ad habitum charitatis, qui in Sacramento infunditur: & ad actum charitatis ex eo habitu ortum. Præterea ad actum charitatis elicitum ab habitu infuso extra Sacramentum regulariter conducit immediate; quia ex actu spei, quo nobis speramus Deum ab ipso, regulariter mouemur ad actum charitatis Dei, quamuis ex natura rei non prærequiratur ad actum ipsum charitatis, ex actu enim fidei, quo credimus Deum in se bonum, possumus immediate ad actum charitatis Dei absque actu præuio spei excitari.

CAPVT VI.

Circa personas, in quibus actus spei insit.

DVBIVM IX.

An in beatis sit actus Spei circa corporis beatitudinem?

CERTVM est, in beatis non esse actum spei circa beatitudinem essentialem, neque formalem, neque obiectiuam, Quia eam iam possident. *Rom.* 8. *Quod videt quis, quid sperat?* Et in illis non solum non est spes circa adeptionem beatitudinis essentialis animæ, sed nec circa continuationem, seu conseruationem illius. Quia beatitudo essentialis sua natura est incorruptibilis, & perpetua; ac proinde semel habita ex natura rei continuatur, & ideo nequit sperari. Ob quod dicitur spes in patria euacuari; quia scilicet in patria non manet circa essentialem animæ beatitudinem Quæsierim verò, an in beatis sit actus spei circa beatitudinem corporis.

53 *Certum præmitto.*

54 *Nõ est actus ille spei in beatis.* Non est. Quia gloria corporis non est beatis ardua, seu difficilis. Et quia eam sperant actu charitatis erga Deum. Sic Lorca 2.2. *d.* 7. *de spe.* Turrian. 2.2. *d* 62. Coninch 2.2. *d.* 4. *dub.* 3. Granad. *tr.* 2. *d.* 1. Adam. *q.* 1. *d.* 2.

55 *Est quidem.* Est quidem. Quia beati desiderant efficaciter gloriam corporis à Deo, quam non habẽt in sua potestate. ac proinde est illis ardua, & ab eis erectè desideratur, imo & confidenter: quamuis etiam ab ipsis desideretur vt bonum, & Deo gloria ex complacentia Dei ipsius refundetur. Ita Suar. *de spe, d.* 1. *sect* 8. Becan. *c.* 17. *q.* 6. Vasq. 3. *p. d.* 43. *c.* 2. Hurtado *de spe, d.* 1. *difficul.* 11.

56 *Probabilius hoc mihi.* Hanc sententiam probabiliorem eligo, & confirmo. Desiderium, quo beati sperant aliis beatitudinem à Deo, siue accidentalem corporis est in eis actus beneuolentiæ erga illos alios: & est etiam actus charitatis erga Deum; quia illis absque dubio desiderant beatitudinem vt bonum eorum ex ipsorum complacentia Dei, quatenus ex beatitudine illorum Deo gloria refundetur. Imo etiam est actus virtutis spei ex propria complacentia, quatenus ex beatitudine eorum ipsis redundabit gaudium; quod quidem in beatis fit non vnico tantum desiderio; sed triplici: alio, quo desiderãt aliis beatitudinem ex complacentia eorum: alio quo desiderant illis eandem beatitudinem, ex complacentia Dei: & alio, quo eis illam ex propria complacentia desiderant.

DVBIVM

Dvbivm X.

An in beatis maneat habitus Spei infusus?

57 *Manet quidem.* MAnet quidem. Quia in illis est actus Spei circa corporis, gloriam, qui est Theologicus, & supernaturalis: eo enim sperant eam gloriam à Deo potente supernaturaliter ex parte modi. Nã corporis gloria non est physice debita beatis. Vel quia in illis est gaudium de beatitudine animæ adepta, quod etiã est supernaturale. Ergo in illis est habitus infusus spei vt præfatos supernaturales actus connaturaliter eliciant. Sic Suar. *de spe d.1. sect.* 8. Becan. *de spe, c.*17. *q.*6. Coninch, *d.*4. *dub.*10. Addunt tamen, hunc habitum non manere in beatis sub denominatione spei. Vel quia nullum actum vere spei eliciunt, vt Coninch ait: vel quia non eliciunt principalissimum actum spei circa gloriam adipiscendam, vt Suarius docet

58 *Non manet.* Non manet. Quia quãuis in beatis sit actus ille spei circa corporis gloriam, qui est Theologicus, & supernaturalis: tamen cõuenientius est, eum actum, secundarium quidem, & minus principale, non elici perfectè & connaturaliter medio habitu infuso, sed concursu peculiari Dei: quam in beatis admittere varietatem, ac destructionem illius habitus; qui tandem post adeptam gloriam corporis, destruendus esset: quia in æternum futurus erat otiosus, & loco illius futura sit tentio seu comprehensio, eius, quod speratur. Ita Vasq. 3. *p. d.*43. *capit.*2. Turrian. & Granado, quos citat, & sequitur Gasp. Hurtado *de spe, d.*1. *diffic,*11. Valent. 1.2. *dub.*5.

59 *Hos sequor.* Hos sequor adiiciens, actum gaudij, quo beati fruuntur ob beatitudinem animi adeptam, vt bono proprio ex propria complacentia, quamuis sit Theologicus, & supernaturalis, quia est ob bonitatem Dei visi qua est ipsis beatis bonus ex complacentia ipsorum vt ciuium supernaturalium: non elici ab habitu infuso spei; quia non est actus spei, vt patet: & est diuersæ speciei ab illo; quia voluntas eo actu tendit diuerso modo in illa obiecta quam actu spei quo tendit efficaciter, erectè, & confidenter, & non actu gaudij: & diuerso modo mouetur à bonitate Dei visi, ac quando sperat Deum videre.

Dvbivm XI.

An in Christo Domino in hac vita exiſtente fuerit Spes, quoad habitum?

60 *Non fuit.* NOn fuit. Quia cognouit Christus se gloriam sui corporis, & sui nominis exaltationem certo cõsequuturum: nec timuit àmittere, eo quod virtute suppositoque diuino erat roboratus. Sic nonnulli olim Theologi.

61 *Fuit plane.* Fuit plane. Quia gauisus fuit de visione beata, tum ob gloriam Patris, tũ quia illi erat bonum proprium. Et insuper spem habuit cõsequendi gloriam sui corporis, exaltationemque sui nominis, quibus perfectius Deo vniretur. Ita D. Tho. 3. *p. qu.*7. *art.*4. & *ibi* Suar. *in Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. VI. *comment.* Vasq. *d.*43. *c.*2. Castro Palao *p.*ii. *tr.*5. *dvni. pun.*3. *n.*4. Coninch *de spe, d.*19. *dub.*11. *concl.*1. 2. & 3.

Hoc mihi omnino certum. Quia licet Christus Dominus certo cognouit se omnia illa cõsequuturum: ad rationem spei non videtur necessaria contingentia, sed solummodo possibilitas cum difficultate. Fuit autem Christo Domino gloria sui corporis, exaltatioque nominis possibilis consequi cum graui difficultate, & arduitate: siquidem summis doloribus, ac morte acerbissima illa consequi debuit. *Luc. vlt. Oportebat, Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ergo licet in aliis beatis non esset agnoscendus habitus spei secundum suam denominationem, quia neque sperant gloriam animæ cum iam habeant, neque gloriam corporis, vt rem arduam & difficilem, cum absque vllo labore eam consequuturi sint in Christo Domino agnoscendus est habitus spei quoad gloriam sui corporis, propriique nominis exaltationem?

62 *Hoc mihi omnino certum.*

Dvbivm XII.

An animæ in purgatorio existentes habeant propriissimum Spei actum?

63 *Nõ habent.* NOn habent. Quia licet beatitudo illis sit possibilis, & absens, quia tamen sunt de illius consecutione omnino certæ, non videntur de illius consecutione proprie spem habere, cuius obiectum debet esse aliquomodo speranti contingens. Sic Lorca 2.2. *sect.*2. *d.*9. *n.*7. & 8.

64 *Habent quidem.* Habent quidem propriissimum spei actum. Quia illis beatitudo est possibilis, absens, & acquisitu difficilis, siquidem debent tot grauissimis Cruciatibus pro illius consequutione affici. Ita D. Tho. 2.2. *q.*18. *a.*3. Coninch *d.*19. *dub.*11. *n.*146. Suar. *de spe, d.*1. *sect.*8. *n.*4. Castro Pal. *p.*1. *tr.*5. *d. vni. pun.*4. *n.*5.

65 *Hæc mihi sententia probabilior.* Probabilior hæc mihi sententia est. Nam quod certo sciant, se beatitudinem consecuturas, in causa esse non potest, quominus illam possint sperare. Certitudo enim nõ tollit spem sed tollit anxietatem, & turbationem: alias careret spe consequendi beatitudinem, cui esset eius futura consecutio reuelata. Vnde consequẽter non deficit in illis habitus infusus spei vt ab eo actus ille spei connaturaliter eliciatur.

CAPVT VII.

Circa Timorem.

Dvbivm XIII.

An Timor initialis sit timor filialis incipiens, habens secum vel potens habere seruilem timorem?

66 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto, in genere duplicem esse actum, alium prosecutionis in bonum tibi con-

uenientis, alium fugæ à malo tibi desconuenienti. Actus prosecutionis vocatur spes, actus fugæ vocatur timor. Ad eandem enim virtutem pertinet, amare bonum, & odio malum habere; quia eadem ratione vterque actus versatur: & inter se sunt ita subordinati, vt vnus alterum necessario inferat: Ergo ad eandem virtutem pertinet sperare bonum sibi conueniens, & malum contrarium timere; vterque enim actus proprium commodū respicit. D. Tho. 2.2. q. 17. & 19. Duplex vero hic timor est seruilis, ac filialis. Seruilis est quo inducimur ad non delinquendum, ex horrore pœnæ & seruilis dicitur, quod sit proprium seruorum timore pœnæ ad non male operandum induci. Timor vero filialis est affectus efficax, quo fugimus peccatum ex Dei complacentia, ne scilicet ipsum displiceamus: & filialis dicitur; quia proprium est filiorum induci ad non offendendum patrem ex ipsius complacentia. Profecto non tantum timore seruili & filiali inducimur ad non peccandum sed etiā initiali timore. Quæsierim ergo, quid sit initialis timor?

67 *Non est timor seruilis sed filialis ipse incipiens.*

Non est timor seruilis, sed filialis ipse incipiens & quasi imperfectus secum habens, vel potens habere facile timorem seruilem. Quia huiusmodi filialis amor solet esse in initio. Sic D. Tho. 2.2. q. 19. a. 7. & 8.

68 *Est timor seruilis incipiens, non filialis.*

Est timor ipse seruilis, vt est radix timoris filialis eum introducens in animam. Quia huiusmodi seruilis timor in initio solet adesse, vt viam ad struat filiali. Ita Magist. *in 3. dist. 34.*

69 *Primam eligo sententiam.*

Primam sententiam communem Theologis esse non dubito, quam eligendam mihi duxi. Timor itaque initialis sic acceptus non distinguitur essentialiter à timore filiali, sed tantum accidentaliter: sicut imperfectum & perfectum & purum, & non purum in eadem specie. Dicitur vero timor iuste initialis, tum quia est timor filialis in initio, tum etiam quia est initium & dispositio ad timorem filialem purum atque perfectum.

Dvbivm XIV.

An timor seruilis eliciatur ab habitu Spei?

70 *Nō elicitur ab habitu Spei.*

Ab habitu Spei non elicitur. Quia nec ab vllo elicitur habitu: potest enim esse in peccatore, in quo præter habitus fidei, & spei, à quorum neutro elicitur, non est alius habitus infusus: neque ab habitu elicitur acquisito, quia timor seruilis supponit fidem, quam nullus habitus acquisitus supponit. Sic Bannes 2.2. q. 19. a. 6.

71 *Ab habitu Spei elicitur.*

Elicitur ab habitu spei. Quia desiderare efficaciter, erectè, & confidenter bonum à Deo potente illud potente illud conferre ex propria complacentia: & efficaciter, directè, ac timidè fugere malum à Deo potente illud infligere ex propria complacentia, suat moraliter eiusdem rationis, & habent eandem honestatem: imo physice formali specie non distinguuntur quia non specie desumpta ex obiecto formali modificatiuo ad actum spei, & ad actum timoris: neque ex obiecto formali modificatiuo ad actum benevolentiæ propriæ; sed tantum specie materiali desumpta ex obiecto formali constitutiuo affectus in esse concupiscentiæ, quod in ipso affectu est quasi materiale ad alia esse, seu ad alios respectus ipsius; sed affectus ille desiderij elicitur ab habitu & virtute spei: Ergo etiam affectus fugæ, qui verè est timor. Ita Suar *de spe, d. 1. sect. 2.* Lorca 2.2. *d.* 14. Turtian. 2.2. *d.* 63. Coninch *d.* 20. *dub.* 6

72 *Cum his opinor.*

Cum his opinor iudicans, Bannes falsum supponere, nempe timorem seruilem non elici ab habitu spei. Quod autem dum magis perficitur charitas, minuatur timor pœnæ à Deo infligendæ, ob peccatum, non obstat vt timor hic sit actus honestus, & à virtute elicitus; quia non minuitur maiore perfectione charitatis nisi occasionaliter, nempe diminutione iudicij futuritionis pœnæ, ob cuius diminutionem minuitur modus timiditatis actu huiusmodi timoris imbibitus.

Dvbivm XV.

An timor ortus è virtute Spei sit in Beatis secundum proprium actum?

73 *Est quidem actus timoris in beatis.*

Est quidem. Quia id affirmat Dauid *Psal.* 18. *Timor Domini Sanctus permanens in seculum seculi.* Et quamuis Augustinus affirmet exponi posse de timore quoad fructum, seu præmium, sicut & illud *Psal.* 9. *Patientia pauperis non peribit in finem*; nihilominus communiter à Patribus, & ab Theologis exponitur de timore ipso secundum se, & de eo vt sic exponit illud ipse August. *tr.* 34. *in Ioan. & tr.* 9. *in Epist. 1. Ioan.* In beatis igitur est actus timoris Sancti. Sic communiter Theologi, vt asserit Hurtad *de spe, d. 2. diffic. 3.* Durand. *in 3. dist. 34. q. 3.* concedit beatis habitum timoris, sed eis denegat actum: sed immerito, quia scriptura potius loquitur de actu, quam de habitu vt ipse Hurtadus affirmat.

74 *Non est.*

Non est in beatis timor secundum propriū actum. Quia beati cognoscunt sibi esse impossibilem Dei priuationem, damnationemque æternam: ergo eam timere non possunt. Timor enim proprie est alicuius mali possibilis imminentis. Eadem ratione excludendus videtur filialis timor, qui proprie est culpæ, quatenus est offensa Dei, & etiam pœnæ per illam incursæ provt à diuina possessione separat, & eius honore, quia æque beatis pœna & culpa est impossibilis, illiusque impossibilitatem illi cognoscunt: Igitur illa non possunt timere. Ita Durand *citatus.* & alij.

75 *Existimo in beatis aliquem timorem esse statuendum & qui nam sit ille ostendam.*

Ego quidem, quia Dauid cecinit, timorem Domini manere *in seculum seculi*: & de Christo Domino dixit Esaias, repleuisse eum Dominum Spiritu sui timoris: & Angeli, vti canit Ecclesia tremunt, & contremiscunt: existimo in beatis aliquem timorem esse statuendum, non strictum, & qualem Philosophi agnouerunt, ob illius beatissimi status securitatem; sed qualem Catholici agnoscunt possibilem cum illius perfectione. Inprimis ergo concedendum beatis affero timorem reuerentialem ortum ex cognitione diuinæ excellentiæ, ac propriæ vtilitatis. Nam cum Deum beati

beati,& se ipsos perfectissimè cognoscant, videantque se nimium diuinæ proportionatos familiaritati:efficitur sane ei trementes assistere, non tamen anxios, ac perturbatos,sed cum summa pace, ac securitate. Hæc igitur reuerentia simul cum humilitate dici solet communiter timor,non quia sit alicuius mali, sed quia est reuerentia admiratione plena. Deinde concesserim beatis filialem timorem, quo culpam, vt summum malum, & diuinæ bonitati contrarium abhorreant.Neque obstat cognoscere,se esse à tam graui malo omnino securos; quia sufficit, quod attenta præcisè eorum natura illis sit possibile: hæc enim possibilitas remota sufficiens videtur causare in voluntate beati fugam. An non experimento compertum est,nos tremere, ac pauere viso Leone ligato, à quo tamen scimus certo esse securos; quia sufficit apprehendere,illud malum nostræ naturæ esse possibile ? Fateor, exemplum non esse adæquatum, tum quia timendo feram anxiamur, quod in beatis non contingit : tum quia malum,quod à fera nobis prouenire potest, absolute est possibile, vel quia possibile est à catena dissolui,vel illi coniungi.At beati cognoscunt,culpam, & priuationem Dei illis esse impossibilem.Propter quæ credo cum Ferdinando de Castro *p.1.tr.5.d.vni. pun.3.num.3.* absoluto actu timoris refugere beatos id non posse, bene tamen per quendam simplicem actum,& quasi conditionatum.Et in hoc sensu non reputo inconueniens,quod refugiant pœnam damni,ac sensus,cum etiam apprehendere possint suæ naturæ præcisè spectatæ possibilem esse.Scio Valentiam *2.2.d.2.qu.2. punct.5:* & Coninch.*d.20.de timore,dub.9.*censere,beatis non esse timorem etiam secundum hanc imperfectam rationem, quia sunt Deo intime vniti,& de sua incolumitate parum,de diuino honore multum soliciti.

CAPVT VIII.

Circa Præcepti Spei obligationem.

Dvbivm XVI.

An sit directa eliciendi actum Spei obligatio cum primum rationis vsum quis assequitur ?

76 De præceptiuo negatiuo & affirmatiuo actus Spei elicien. & omnibus tempore.

PRæceptum Spei potest esse affirmatiuũ, vel negatiuum. Negatiuum semper obligat,quia semper tenemur, de diuina misericordia, & vitæ æternæ consecutione non desperare. De affirmatiuo non est constans Doctorum sententia quandonam obliget : etsi apud omnes cum D.Thoma *2.2.q.22.art.1.* sit receptum aliquando obligare,ex illo *Psalm.4.* Sperate in domino, & *ad Tit.2. Expectantes beatam fidem,*& *ad Rom.15.per patientiam, & consolationem Scripturarum Spem habeamus.* Non enim sine Spe beatitudinis potest beatitudo obtineri, est namque nostræ vitæ spiritualis anchora. Certum autem est obligare Spei præceptum, quoties necessarium est eius subsidio vti ad orationem, pœnitentiam, vel tentationem vincendam.Quia præceptum obligans ad aliquem finem,obligat simul ad necessaria ad illum media exhibenda. At hæc obligatio non tam est ex præcepto Spei,quam ex præcepto orationis pœnitentiæ, ac vincendæ tentationis. Loquimur autem de directa Spei obligatione, & requirimus,num sit huiusmodi directa obligatio, cum primum rationis vsum quis assequitur ?

77 *Est quidẽ.*

Est quidem directa actus Spei tunc obligatio. Quia eo tempore tenemur nos ad Deum conuertere,quod fieri non potest, quin in ipsum speremus,Sic Bannes *2.2.q.22.a.1. dub.2.* Arag *ibi.*Petr.Ledesm.*tom.2.summ.tract.2. cap.4. concl.3.*

78 *Non est.*

Tunc non est actus Spei obligatio directa. Quia quæ à Doctoribus præfatis assignatur, non est obligatio directa Spei, sed conuersionis; quæ si fieri posset sine Spe,nullum de Spe esset præceptum.Ita Valent. *2.2.d.1.q.4.pun.1.* Sanch.*l.2. Decal.c.33.n.3.*Bonac.*d.3.q.3 pun.2. num.2.*Palao *tom.1.tractat.5.d.vnic.punct.4. numero tertio.*

79 *Primã sententiã,eligo & defendo.*

Primæ sententiæ ratio non placet. Existimo enim conuersionem perfectam fieri posse sine speciali actu Spei eo ipso,quod Deum cognoscam,vt summum bonum, illumque super omnia diligam; quid enim impedire potest, quominus fidem amor subsequatur sine vllo actu spei formaliter, & distincto ? Sufficit namque regulariter, actum Spei mediare, vt dicamus Spem inter fidem, & charitatem medium locum tenere. Addiderim, pro illo instanti vsus rationis non adesse hoc conuersionis ad Deum præceptum iuxta probabilem sententiam : sed necessarium esse,vt tempus aliquod prudentis arbitrio decurrat : ergo non adest tunc directa Spei obligatio.

Dvbivm XVII.

Obligaturne quis actum Spei elicere:quoties graui desperationis tentatione vexatur nisi animum actu Spei contrario obfirmet ?

80 *Obligatur equidem.*

OBligatur equidem. Quia eodem præcepto,quo tenetur non desperare, tenetur, & sperare,quando sperare, medium est necessarium,ne desperet.Sic Bannes *2.2.q.22. art.1. dub.2.*Valent.*2.2.d.2.de Spe,q.4.pun.1.* Sanch. *lib.2.Decal.c.33.n.3.*Bonac.*d.3.q.3. pun.2. n.2.*

81 *Non obligatur.*

Non obligatur.Quia quis poterit agnoscere,medium esse necessarium,ad superanda desperationis tentamina actum Spei elicere, cum sint plurima alia media à Deo instituta ad quamlibet grauem desperationis tentationem superandam ? Ergo nequit quis aperte dignoscere,an necessarium sit tunc actum Spei elicere:ergo eum gerere non obligatur.Ita Ferdinandez de Castro *tom.1.tract.5.d.vni. pun.4. num.3.*

82 *Auctoris resolutio.*

Fateor ingenue sententiam primam verissimam esse, si aperte cognosceret qui desperã

perationis tentamine afficitur, necessarium esse ad id vincendum, actum contrarium Spei elicere. Sed non calleo, quandonam actus spei reputari possit necessarium medium ad tentamen illud vincendum, si alia plura agnata media possint obiici ea tentatione diuexato: nempe oratio, consideratio, fides, amor, & imaginationis diuersio. Non ergo hoc tempus obligationis est cognito facile. Vnde existimo regulariter tentatum desperationis aculeo haud esse obligatum, actum spei elicere; quia raro dignoscet aperte, eum necessarium esse medium ad illa tentamina superanda.

Dvbivm XVIII.

Teneriſne Spei actum habere quoties obligaris, aut vis aliquid à Deo petere?

84 *Teneris quidem.* TEneris quidem. Quia sine spe consequendi, quod petitur petisse debite nō videris. Sic Coninch. *de Spe, disputation. 19. dub. 9. num. 117.*

85 *Non teneris.* Non teneris. Quia tunc non est spei directa obligatio, sed indirecta, quatenus est medium necessarium ad orationem. Quod inde constat, quia si orationem debitam omittas, non peccas contra Spei virtutem, sed contra Religionem, cuius actum exercere tenebaris. Ita Castro Palao *tom. 1. tractat. 5. dub. vnic. punct. 4. numero 3.*

86 *Probabilius hoc.* Cui adhæreo probabilius. Nam stare optime potest, te obligatum esse ad orationem aliquam faciendam, non tamen esse obligatum, neque indirecte ad formalem spei actum eliciendum: sufficit, si illum habeas implicitum, ac virtualem, vt dixit Suar. *d. 1. sect. 1. nu. 2.* Qui enim postulat à Deo beneficium aliquod, non tenetur illud petere ex amore sui, & ex relatione ad beatitudinem sibi conuenientem: potest namque, illud petere, & sperare consequi ex amore amicitiæ, vel alio honesto fine: Non ergo actum formalem spei elicere obligatur. Restat igitur, vt dicamus, nullum esse tempus determinatum, in quo huiusmodi præceptum obliget, sed prudentis arbitrio mensurandum esse, nec permittendum, longo tempore differri. Suarius *ibi, num. 3.* Regulariter huic præcepto positiuo spei omnes satisfaciunt, cum de peccatis dolent; qui vix aut nunquam omittunt actum formalem spei, quo eriguntur, (vt dixit Tridentin. *sess. 6. c. 6.*) ad peccata detestanda, nouamque vitam ineundam. Et cum propositum habent nunquam lethaliter delinquendi. Hoc enim propositum licet aliquoties ex Dei perfecto amore procedat, sæpe ex imfecto gignitur. Considerat enim quis æternam retributionem, quam ob peccata amittit, & ex illius consideratione in spem vitæ æternæ, vt sibi conuenientis erigitur, ac crimine detestatur.

Dvbivm XIX.

An sit præceptum de actibus timoris filialis, & seruilis formaliter exercendis?

Vidimus, duplicem esse honestum timorem filialem scilicet, & seruilem, filialem, quo quis ex Dei amore timet, & eius fugit offensam, sicut legitimus filius patrem timet offendere, quia illum amore complectitur; seruilem, quo timet more seruorum Deum offendere ob pœnam, quam inde incurrit: quo in affectu potius suæ incolumitati, quam diuino consulit honori. De vtróque timore assero esse præceptum. De filiali *Deut. 10.* dicitur, *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, &c.* De seruili autem *Mat. 10.* & *Luc. 12.* [Eum timete, qui postquam occiderit, habet potestatē, mittere in gehennam.] Et colligitur ex Tridentin. *sess. 6. cap. 6.* definiente, ad iustificationem impij gehennæ timorem concurrere. Quæsierim itaque, an præceptum hoc sit de actibus timoris filialis, & seruilis sit formaliter, & expresse eliciendis, an sufficiat, vt virtualiter sit? 86 *Status quæstionis.*

Præceptum est de his actibus formaliter & expresse exercendis. Quia sæpe quis graui tentatione vexatur, eamque vincit timens, ne Deum offendat, néve pœnam gehennæ incurrat: alioquin non victurus. Ergo huiusmodi timor obligat in præsenti casu: Igitur formaliter, & expresse est exercendus. Sic nonnulli Moderni, 87 *Est præceptum.*

Non est præceptum de his actibus formaliter exercendis. Quia cum necessarium non sit ad impij iustificationem aliquem ex his timoribus expresse, ac formaliter concurrere: sed sufficit, si virtualiter insit, vt notauit Valentia *disputatione secunda, quæstione quarta, puncto secundo*, efficitur plane, nullum adesse præceptum expressum exercendi hos timores formaliter. Ita Valentia *ibi.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite trigesimo tertio, numero quarto,* Palao *tom. 1. tractat. 5. dub. vnic. punct. 4. numero 6.* 88 *Non est præceptum.*

Hanc sententiam veram omninò esse defendo. Nam in casu pro prima sententia proposito respondendum est, obligari illum non ex præcepto speciali timoris, & spei, sed ex præcepto illius virtutis, aduersus quam tentatur. Quod manifestè probo ex eo, quod si ille tentationi consentiat, non aduersus virtutem spei peccat, sed solum aduersus illam virtutem, cuius erat tentatio: eamque solam culpam tenetur in confessione manifestare. Quia ille defectus timoris solum est conditio quædam generalis continens animum à peccatis, sicut diuinorum beneficiorum consideratio fuisset: ac proinde sicut defectus huius considerationis specialem culpam non constituit, neque etiam defectus timoris illam constituere potest. 89 *Hanc sententiam defendo.*

CAPVT

CAPVT IX.

Circa Desperationem virtuti Spei contrariam.

DVBIVM XX.

An Desperatio consistat aut in nolitione beatitudinis, aut intellectus, quo quis iudicat, se non esse saluandum?

90 *Nonnulla sup. pono.*

PRÆMITTO ex *sect.* 1. definitionem Desperationis desumi debere ex contrarietate, quam cum spe habet. Vnde cum Spes consistat in voluntate efficaci obtinendi beatitudinem, illamque procurandi: desperatio consistet in voluntate efficaci nolendi beatitudinis persecutionem: sic enim desperatio directè Spei contraria erit. Quia vt planius fiat, ad quæstionem aduoco, an desperatio consistat in nolitione beatitudinis, aut in actu intellectus, quo quis iudicat se non esse saluandum?

91 *Consistit in nolitione beatitudinis vel in actu intellectus.*

Consistit quidem. Quia Spes consistit in beatitudinis volitione: & supponit actu fidei quo quis credit; saluari posse: At desperatio est Spei contraria: ergo debet consistere in ea volitione, aut in eo intellectus actu. Sic Almain. *tr. 1. moral. c. 1.* & alij, quos, presso nomine, memorat Castro Palao *to. 1. tr. 5. de Spe, d. uni. pun. 5. n. 2.*

92 *Non consistit.*

Non consistit. Quia consistere non potest in nolitione beatitudinis, nullus enim est, qui beatitudinem nolle possit, cum in beatitudine nulla ratio mali apprehendatur. Neque in actu intellectus, quo quis iudicat se non esse saluandum. Desperatio enim est contraria Spei, & cum spes sit in voluntate, desperatio in eadem potentia debet recidere. Ita Vasq. 1. 2. *d.* 39. *num.* 7. Palao *citatus.* Coninch *de Spe, d.* 10. *dub.* 10. *n.* 74.

93 *In duplici voluntatis actu consistere desperationem.*

His hærens affirmo desperationem consistere in duplici voluntatis actu, vel in vno cum duplici respectu. Primo consistit in quadam voluntate efficaci positiuaque omittendi pro tota vita media ad salutem necessaria, quia apparent desperanti difficilia, & eius appetiui sunt contraria. Secunda consistit in ipsiusmet beatitudinis fuga, & recessu; quatenus enim ille actus beatitudinem respicit, dicitur proprie desperatio; quia beatitudinem desperat, qui illam non vult prosequi. Quatenus vero respicit mediorum executionem, quæ ad beatitudinen requiruntur, dicitur nolitio; quia absolute non vult media beatitudini necessaria exequi.

DVBIVM XXI.

Possibilisne est casus de eo, cui Deus fore damnandum reuelaret?

94 *Impossibile est.*

IMpossibilis est. Quia talis reuelatio diuinæ bonitati, ac sapientiæ repugnat. Tum quia constitueret hominem in vehementi occasione desperandi de diuina misericordia, & plurima crimina perpetrandi. Tum quia impediret serium, & fortem conatum in beatitudinem, quem habere non posset, qui sciret, beatitudinem non esse consequuturum. Sic D. Bonauent. *in 1. dist. vlt. circa literam.* & *ibi* Gregor. *q. vlt. paulo ante fin.* D. Tho. *ibid. a.* 4. *ad* 2. vocãs casum quasi impossibilem. Dionys. Richel. *dial. de iudic. animæ, a.* 5. Altisiodor. *l. 3. tr. 5. c. 6. quæst.* 5.

95 *Nõ est impossibilis.*

Non est impossibilis saltem de potentia Dei Quia in hoc nulla videtur adesse implicatio, nec repugnantia: licet enim ille homo ex tali reuelatione constitueretur in vehementi occasione multiplicandi crimina, ac de diuina misericordia desperandi: illa peccata non essent Deo attribuenda, quia Deus obligatus non erat illa impedire, aut ab eiusmodi reuelatione, & occasione cessare, cum grauissima causa motus, scilicet ostensione diuinę iustitiæ id gesserit. Quoties ergo peccata ex alicuius actione per accidens sequũtur, & præter ipsius intentionem ipsi non tribuuntur, si obligatus nõ fuit, ab actione cessare. Ita relato D. Thoma Maior, & Gabriel. quos citat & sequitur Suar *d. 2. de Spe, sect. 2. n. 6.* Coninch *d.* 20. *dub.* 12. *n.* 91. Vasq. 1. 2. *d.* 72. *n.* 15. Bonac. *d.* 3. *q.* 3. *pun.* 2. *n.* 4. Lorca 2. 2. *q.* 22. *a.* 1. *sect.* 2. *d.* 18. & alij.

96 *Hanc sententiam veriorem esse existimo.*

Hanc mentem probabiliorem esse reor. Nã ex huiusmodi reuelatione minime impediretur homo ille firmum conatum in beatitudinem habere, quantum est ex parte sua: licet attenta humana fragilitate sit difficillimum. Ex nullo igitur capite implicat talis reuelatio, præcipuè si fiat homini peccatori in peccati cõmissi vindictã, & ad aliis terrorẽ incutiendum. Dixi *si fiat homini peccatori.* Nam iusto vix crediderim posse talem reuelationem fieri; quia nulla videtur honesta causa adesse, qua Deus reuelationem illam amico suo gerere moueatur. Nam potissima causa, quæ excogitari potest est peccati proprij vindicta, quæ in homine iusto non habet locum. Doctrinam confirmo. Nullam inuenio implicationem, quod Deus Antichristo reuelaret suam impœnitentiam finalem, & æternam damnationem; siquidem impœnitentia illa non ex reuelatione, sed ex malitia illius prouenire deberet eodem modo, ac si non esset facta reuelatio; quia reuelatio, sicuti & scientia Dei causarum operationem non immutat, sed potius illam obiectiue supponit. Mecum Coninch *numer.* 93.

Dvbivm XXII.

Posito, quod Deus alicui suam damnationem absolutam reuelasset, peccaretne ille desperando?

97 *Nonnulla suppono.* SVppono, eum non posse beatitudinem sperare. Quia ad actum spei non sufficit indicium possibilitatis rei, quæ speratur, sed requiritur illius futuritionis iudicium; absque quo non potest cõsiderari, quod in substantia actus spei imbibitur. Homo autem ille non iudicaret, se esse saluãdum, sed potius damnatione afficiendum: ergo non posset suã beatitudinem sperare: vnde excusaretur ab implendo præcepto affirmatiuo spei, non ablatione præcepti, quod præfata reuelatione nõ auferetur, sed impotentia implendi illud; defectu enim iudicij futuritionis non maneret in illo sperandi potestas. Quæsierim verò, an homo ille desperando peccaret, siue num præceptum negatiuum obseruare teneretur nempè non desperandi?

98 *Peccaret quidem.* Peccaret quidem. Quia desperare est intrinsece malum: desperando enim omnipotentiæ Dei irrogatur iniuria, sicut discredendo irrogatur veritati, ac veracitari Dei. Sic Petrus Hurtado *de spe, d* 113. *ad finem.* Inclinat Suar. *de spe, d. 2. sect. 2. fine.* Et supponit Azor. *l. 2. c. 21. q.* 3 Coninch affirmat, desperationem tunc non esse peccatum, si procedat ex iudicio quo credit ille, beatitudinem non esse ex sua infirmitate consequturum: secus si ex iudicio quo credat, misericordiam Dei sibi non esse paratam. Sic ille *d. 20. de spe, dub. 13. concl. 2 num.* 109. Bonac. *d. 3. q. 3 punct. 2. numer. 4.* contestatur.

99 *Non peccaret.* Non peccaret, sed desperare licite posset. Quia hoc in casu desperans nullam potentiæ Dei irrogaret iniuriam, neque alicui alij attributo diuino, desperationis affectu orto ex iudicio certo, quo ille ob diuinam reuelationem iudicat, se à beatitudine priuatum esse non ex defectu omnipotentiæ, nec alius diuini attributi; sed aliunde. Tunc enim affectu illo desperationis nulla Deo iniuria irrogatur non solum physice, sed neque moraliter & interpretatiue. Nam tũc desperat ob iudiciũ non fruitionis saluationis, & non ob aliquod iudiciũ imprudẽs. Si enim ob hoc desperaret Deo moraliter & interpretatiue iniuriam irrogaret; quemadmodum qui discredit dicta à Deo. ita sufficienter proposita, vt nequeat prudenter dubitare esse à Deo dicta, interpretatiue, & moraliter irrogat testimonio Dei iniuriam etiamsi iudicet à Deo dicta non esse; quia id imprudenter iudicat. Neque ille desperationis affectu beatitudinem contemnit; non enim fugit illam ob malitiam aliquam, quam in ea secundum se apprehendat; sed quia prudentissimè imò certissimè iudicat illam non futuram. Ita Turrian. *2. 2. d. 65. dub. 2.* Becan. *de spe, capit. 17. quæst. 8.* Coninch *hic, d. 20. dub. 13.* Hurtado Complut. *de spe, dub. 2. diffic. 7.* & alij.

100 Cum his sentio iudicans desperationem in casu proposito non esse intrinsece malam: sed tunc cum quis desperat vel ex defectu omnipotentiæ Dei, vel aliûs attributi (ex cuius defectu nullus sanæ mentis potest desperare) vel ex iudicio imprudenti non futuritionis obiecti sperabilis; sicut etiã discredere dicta à Deo non est intrinsece malum, quando prudenter iudicatur non esse à Deo dicta: vel quando potest prudenter dubitari esse dicta à Deo: sed tantum quando discreditur ex defectu qui reuelationi diuinæ attribuitur, ex quo nullus sanæ mentis potest discredere: vel ex iudicio imprudenti non reuelationis diuinę; quia non potuit esse prudens, cum ita fuere proposita, vt non potuerit de reuelatione diuina prudenter, seu rationaliter dubitare. *Cum his opinor.*

Dvbivm XXIII.

An ille, cui Deus suam damnationem reuelasset, posset licite desperare: sequereturne eum non posse ad beatitudinem conari: & non peccare, tentationibus consentiendo?

101 *Id sequeri. inf.* PRofecto sequeretur, seu inferretur illum non teneri, imo non posse conari ad beatitudinem. Quia serius conatus ad beatitudinem esse non potest cum iudicio certo de illius non consequutione. Inferretur etiam eum non peccaturum tentationi consentiendo. Quia hanc vincere nemo potest sine serio conatu ad beatitudinem, quem tamen habere ille non debet. Profecto ad serium conatum ad beatitudinem requiritur necessario iudicare probabiliter saltem esse tibi possibile beatitudinem consequi. At qui certo scit, non esse illam consequuturum, non potest iudicare probabiliter, esse sibi possibile, eam consequi. Ergo non potest ad illam efficaciter moueri. Sic Coninch *disput. 20. toto dub. 12. 13. & 14.*

102 *Non sequitur.* Non sequeretur, aut inferretur illum non posse conari ad beatitudinem, nec peccare tentationibus consentiendo. Quia cum iudicio certo de dãnatione potest ille, quantum est ex parte sua serium conatum habere pro illius consequutione. Illa enim damnatio non euenit ex aliqua causa, quæ illi necessitatem inferat; sed euenit ex eius libera voluntate ad peccatum determinante: ergo antecedenter ad illius determinationem conari potest, vt se non determiner. Quid enim impedit? Certè non iudicium, quo iudicat se non euitaturum, quia hoc iudicium supponit eius liberam determinationem cum omnibus causis, quæ ad illam concurrunt: & cum omnes hæ vim, ac necessitatem voluntati non inferant iudicat, se libere esse determinandum. Ergo cum hoc iudicio stare potest aliud iudicium, quo iudicaret se posse non determinari, atque adeo possibile esse sibi non condemnari. Igitur serium conatum habere potest pro peccato ac condemnatione vitanda. Ita Castro Palao *part. 1. tract. 5. dub. vnic. punct. 5. numer. 10*

Ego

103 *Auctoris sententia.*

Ego quidem dubius hærebam, quam sententiam eligerem, mente perpendens, ad aliquem finem consequendum neminem posse eligere medium, quod hic, & nunc inutile reputat ad illius consecutionem. Ergo non poterit serio, & constanter ille eligere medium ad vitandum peccatum, & condemnationem, quod attentis his circumstantiis inutile reputat. Attamen iam secundæ sententiæ adhærere decerno, perspicuam difficultati inueniens solutionem. Quia scilicet quando inutilitas medij aliunde quam ex illius voluntate prouenit, fateor, eum serio, & efficaciter conari non posse ad finis pro illo medio consecutionem. At si medium esse inutile non aliunde quam ex illius voluntate prouenit, optime poterit conari finis consequutionem medio illo, cum hoc obiectum illius voluntatem, & potentiam non excedat.

Dvbivm XXIV.

Præsumptionis peccatum corrumpitne Spem?

104 *Quid sit præsumptio Spei opposita.*

PRæsumptio est Spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, reliquáque supernaturalia dona aliter, quam ipse obtinenda statuit. Nam cum spes sit voluntas obtinendi à Deo gratiam & gloriam mediis ab ipso institutis, & præsumptio alia via intendat. Spei opponitur D. Tho. 2.2.q.21. & omnes cum eo Doctores, Quæsitis autem, num præsumptionis peccatum ita sit contrarium Spei, vt illam corrumpat?

Ita contrarium est, vt corrumpat Spem. Quia si more Pelagij, ac Lutheri præsumas, credens propriis viribus, vel sine meritis beatitudinem te consecuturum manifestum est, te Spem amittere: amittis enim fidem, sine qua Spes non est, neque vlla virtus, vt docent omnes. Sic Moderni quidam. 105 *Corrumpit Spem.*

Spem minime corrumpit. Quia hæc amissio virtutis Spei, quam prima sententia innuit, non prouenit proprie ex præsumptione contraria Spei, sed ex hæresi, quæ præsumptionem antecedit. Quo circa si hæc præsumptio sine iudicio erroneo intellectus haberetur, vt communiter haberi solet, cum ita sperat beatitudinem consequi, aci illam propriis viribus, vel sine meritis iudicates assequendam, Spem non destruis, etsi illi aduerseris per excessum; quia non per quodcumque peccatum Spei contrarium perit Spes; sicut neque fides per quancumque infidelitatem; sed per solum illud peccatum, quocum compati nulla ratione potest, quod non est aliud nisi desperatio. Ita Palao *p.1.tr.5.d.vni.pun.6.n.4.* Suarius *d.2.de Spe, sect. 3.n.4.* Valent. *2.2.d.2.q.3.pun.2.* Turrian. *q.21. a.2.* Coninch. *2.2.d.20.dub.15.n.149.* Sanchez *l.2.Decal.c.33.n.8.* 106 *Spem non corrumpit.*

Hoc certum mihi. Nam cum præsumptione, secluso intellectus errore optime compati potest Spes, cum tam Spes, quam præsumptio conueniant in obiecto formali sperato, quod est beatitudo, vt bonum proprium: & solum differant, quia diuerso modo illam consequi sperant. 107 *Certum hoc mihi.*

LIBER XLIX.

CHARITAS.

CHARITAS *tum in scriptura, tum à Theologis tripliciter sumitur. Primò, pro ipso* Deo, *prout est amoris beneuolentiæ obiectum 1.* Ioann. *4.* Deus Charitas est, qui manet in Charitate, in Deo manet. *Secundò, pro actu dilectionis, vel Dei erga nos.* Ierem. *31.* In Charitate perpetua dilexi te: vel nostri erga Deum; quæ acceptio communior est, & magis huiusce loci propria. *Tertiò, pro habitu supernaturali, qui est Theologalis virtus voluntatem eleuans, & inclinans ad amandum Deum amore beneuolentiæ supernaturali, quæ est admodum propria Charitatis acceptio, de qua Theologi disputant. Exprimam itaque Charitatis essentiam: & obiectum Præcepti Charitatis erga Deum, & proximum obligationem. Dilectionem inimicorum. Ordinem in Charitate seruandum. Differam de Eleemosyna.* De *fraterna Correptione.* De *peccatis Charitati contrariis tractationem attexam, nempe de Odio,* Discordia, *Seditione, Scandalo, Bello.*

SECTIO PRIMA.

De Charitate, Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Essentia, & Obiecto Charitatis.

1 *Charitatis Theologicæ virtutis definitio.*

CHARITAS est *Virtus Theologica à Deo infusa, qua Deum propter se ipsum, & suam bonitatem super omnia diligimus, & reliqua omnia propter Deum.* Dicitur *Virtus Theologica*, quia immediate Deum respicit, sicut Fides, & Spes. Distinguitur tamen ab iis, quia respicit Deum vt nobis verum, Spes vt nobis bonum, Charitas vero vt in se, & propter se bonum. Dicitur *Infusa à Deo*, quia à Deo infunditur iuxta illud Pauli *Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Dicitur, *Qua Deum propter se ipsum, & suam bonitatem super omnia diligimus,* vt innuatur, præcipuum Charitatis obiectum esse Deum, & rationem formalem, seu motiuum Charitatis esse ipsius Dei bonitatem, ac perfectionem: & cum Deus sit summum bonum, & vltimus finis, & eius bonitas sit ratio, cur cætera diligamus, ideo est super omnia diligendus. Dicitur denique, *Et reliqua omnia propter Deum*, ad signandum, secundarium Charitatis obiectum, nempe nos, proximus noster, virtutes, &c. D. Thom. 2. 2. *qu.* 44. & omnes.

2 *Charitas est quædam supernaturalis amicitia inter Deum & hominem.*

Charitas est quædam supernaturalis amicitia inter Deum, & hominem, fundata in quadam æqualitate proportionis inter hominem eleuatum per gratiam supra propriam naturam, & Deum. Vnde multi Doctores definiunt Charitatem esse *amicitiam hominis ad Deum. Ioann.* 15. ait Dominus, *Non vos dicam seruos, sed amicos.* Quia amicitia est amor mutuus, ac reciprocus: cum ergo homo, qui per Charitatem Deum diligit, ab ipso Deo diligatur, fit, hunc

hunc amorem esse amicitiæ, & cum amicitia hæc, & hic amor Deum respiciat non vt nobis bonum, sed propter se ipsum, hinc est, amorem hunc non esse concupiscentiæ, sed benevolentiæ. Diu. Thom. *2. 2. quæstion. 23. articulo primo.* Azorius *tomo primo, libro nono, cap. 3. qu. 2.*

3 *Est omnium virtutum excellentissima.*

Charitas est omnium virtutum excellentissima, & perfectissima, *1. Corinth. 13. Tria hæc; maior autem Charitas.* Quia inter omnes Virtutes, Theologales sunt perfectiores: at, vt ait Apostolus, Charitas est Fide, & Spe maior: ergo erit omnium virtutum perfectissima. Diu. Thom. *2. 2. quæstione 23. articulo octauo,* & communiter omnes Doctores Charitatem omnium virtutum formam appellant, non quidem intrinsecam, cum vnaquæque virtus habeat suam intrinsecam formam: sed extrinsecam perficiétem aliis virtutes in ordine ad vitam æternam.

4 *Duplex est, vna erga Deum, altera pro-ximum.*

Porro duplex est Charitas, vna erga Deum, altera erga proximum. Quia bonitas, quæ est obiectum formale Charitatis, potest dupliciter considerari. Primò, vt est in se ipsa imparticipata, & sic est ratio Deum diligendi. Secundò, vt est in creatura rationali per participationem, & sic est ratio diligendi proximum. Omnes sic.

5 *Duplex Charitatis obiectum Materiale quidē Deus & proxi-mus.*

Iam vero duplex est Charitatis obiectum, alterum materiale, & *quod*: alterum formale, & *sub quo*: sicut in aliis habitibus, ac virtutibus contingit. Obiectum præcipuum materiale, & *quod*, est Deus minus præcipuum, & secundarium est proximus. Proximi autem nomine intelligitur omnis creatura rationalis, quæ est capax beatitudinis. Homo diligendus est primario quoad animum, secundario etiam quoad corpus. Bona spiritualia pertinent ad obiectum Charitatis, ad quam etiam reducuntur omnes res inanimatæ, vt ad proximum pertinent. Diu. Thom. *2. 2. quæstione 25. articulo 10.* Theologi *in tert. distinct. 18.* Suarius *disputatione prima, de obiect. Charitat. sectione prima, numero quarto septimo octauo, & nono.*

6 *Formale ipsa Deus sub ratione boni propter se amabilis.*

Deus autem sub ratione boni propter se amabilis, seu provt continet absolutam excellentiam in omni genere perfectionis, est obiectum formale & ratio *sub qua* Charitatis. Quia per hoc distinguitur Charitas in se, & ab aliis virtutibus: Spes enim respicit Deum provt nobis bonum, Fides provt nobis verum, Charitas vero vt in se, & propter se bonum. Et cum Deus amari possit amore naturali, provt est author naturæ: & amore supernaturali, seu Charitate infusa: amoris naturalis erit obiectum provt dicit bonum summum naturæ accommodatum, & habens cum illa necessariam connexionem; Charitatis vero, seu amoris supernaturalis erit summa bonitas excedens humanæ naturæ ordinem, vt nullam habeat cum tali natura connexionem, sed provt est prorsus alterius ordinis. Suar. *de obiecto Charit. d. 1. sect. 2.* legendus.

CAPVT II.

De Præcepti Charitatis erga Deum obligatione.

DE fide certum est, dari de Dei dilectione præceptum. *Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum. Matth. 17. Hoc est primum, & maximum mandatum.* Quia amor Dei est necessarius ad salutem: quod autem est ad salutem necessarium, est præceptum. Hoc autem præceptum non non continetur expresse in Decalogo, sed est præuium, & præambulum ad illud includitur tamen virtualiter in omnibus, quatenus ex hoc præcepto omnia, quæ ad primam tabulam spectant, facile colliguntur. Valentia *tom. 3. qu. 19 punct. 1.* Palao *de Charitat. tractat. 6. disput. 1. punct. 2.* 7 *De fide est, dari Charitatis erga Deum præceptum.*

Duplex Charitatis præceptum à Doctoribus constituitur; vnum negatiuum, quo ne Deum odio habeamus, prohibemur; alterum affirmatiuum, quo præcipimur, vt actu Charitatis, ac dilectionis Dei aliquando eliciamus. Profecto Charitatis præceptum aliquando obligat per se, aliquando per accidens, seu ratione alterius. Præceptum negatiuum dilectionis Dei semper, & ad semper obligat: vnde nunquam possumus Deum odio habere, & tenemur in quacumque temporis differentia Deum odio non habere. Quia Dei odium est intrinsece malum, & peccatorum omnium maximum. Omnes sic. 8 *Duplex est, negatiuum, & affirmatiuum. Negatiuum semper, & pro semper obligat.*

Præceptum hoc affirmatiuum per se obligat, quando quis ad vsum rationis peruenit. Et quando grauia contra Charitatem tentamina assurgunt. Et semel in anno, aut saltem quinto quoque anno. Non tamen est certum, in articulo mortis obligare. Et quando quis tenetur ad veram pœnitentiam extra Sacrum. Filliucius *tr. 22. n. 188.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 1. n. 3.* Bonacin. *tom. 2. d. 3. punct. 3. num. 8.* Villalob. *p. 2. tr. 3. diff. 2. num. 5.* 9 *Quando obligat præceptum hoc affirmatiuū per se?*

Præceptum hoc affirmatiuum, *per accidens* obligat. Quando adest mortis periculū. Quando quis recipit, vel ministrat Sacramenta, quæ hominem in gratia requirunt. Et quando quis tenetur aliquod opus gerere, ad quod non potest sese sine Charitate præparare. Filliuc. *tr. 22. num. 291.* 10 *Quando obligat per accidens.*

CAPVT III.

De Præcepti Charitatis erga proximum obligatione.

DAtur præceptum naturale dilectionis proximi. Quia recta naturalis ratio dictat, proximum propter se, quatenus homo est, diligendum esse, ei scilicet, bona 11 *Datur præceptum naturale dilin-*

genè. proximum.

na naturalia desiderando. Hic autem amor potest esse benevolentiæ,& amicitia,quo eum propter se absque nullo nostro commodo diligimus:vel concupiscentiæ,quandoscilicet eum propter nostram vtilitatem amamus. Vterque bonus,si bene ordinatus:malus vterque,si male ordinatus fuerit. Azorius *tomo secundo, libro duodecimo, capite quinto,quæstione quinta*, Navar. quem citat, & sequitur Trullench. *libro primo,Decalogi capite quinto, dubio quarto,numero tertio.*

12 *Est præceptum diuinum supernaturale.*

Datur etiam præceptum diuinum, ac supernaturale charitatis, quo supernaturali amore proximum diligere tenemur. *Matth.22.Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et *Ioann.13.* Dominus ait: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* At Christus dilexit nos supernaturali amore:ergo eodem nos inuicem diligere tenemur.Vnde propter se ipsum, & non nostri causa est proximus diligendus.Particula autem illa, *Sicut te ipsum* non dicit æqualitatem,sed similitudinem.D.Thom.2.2.*quæst.44. art.2* Bannes,& Theologi communiter.Et est de fide.

13 *Distinctum est à præcepto Deum diligendi.*

Distinctum est hoc præceptum à præcepto Deum diligendi,& à septem secundæ tabulæ præceptis.Quia postquam Dominus *Mat.22.* mandatum de diligendo Deo expressit,subdidit *Secundum autem simile est huic:Diliges proximum tuum.*Non vero continetur hoc præceptum in Decalogo.Quia est nimis generale, & commune. Reducitur tamen ad illud tanquam principium ad suam conclusionem. D. Thom. 2.2.*quæstion.44,arti cul.2. & 1.2. quæstion.100. art.3. ad 1.*

14 *Quatenus est negatiuũ obligat sem. per, & pro semper.*

Certe quatenus hoc præceptum est negatiuum, obligat semper, & ad semper, seu in quacumque temporis differentia. Quia nunquam possumus excludere proximum etiam inimicum nostrum ab amore,quo Deum, & proximum in genere diligimus,nisi sit iam damnationi addictus. Diu. Thom. 2.2. *quæstion.25. articul.8.& 9.*Navarr. *capit.14. numero octauo, & nono.*

15 *Quandonã obligat,quatenus est affirmatiuũ.*

Præceptum vero affirmatiuum diuinę Charitatis erga proximum obligat: Quando graues odij tentationes circa eum amorem internum exurgunt, & sine huiusmodi actu amoris nequeunt superari. Quando inimicus veniam petit;tunc enim debet quis odium deponere, & cum ipso reconciliari.Quando proximus in extrema necessitate constitutus talis amoris nostri actu indiget,vt salutem spiritualem, vel temporalem consequatur: verbi gratiâ, si necessitas administrandi Sacramentum ei,qui extrema necessitate laborat,vel alia similis causa ad id compellat. Actu vero externo tunc hoc præceptum obligat;cum proximus in extrema necessitate constitutus indiget nostro auxilio, vel consilio ad gratiam, & salutem æternam consequendam:verbi gratiâ,si infans,aut mente captus, aut etiam mentis compos sine Baptismo iam esset obiturus: vel si quis à nobis postularet auxilium,vel adminiclum,sine quo probabiliter damnaretur. Tunc enim dilectio interna non sufficit,sed requiritur actus externus dilectionis, quo spirituali proximi indigentiæ succurratur.Lorca 2.2.*quæstion.54.secti. 3.disputation.18. numer. 10.* Filliucius *tractat. 28. numero vndecimo*, Navarr. *capite 14. numero nono*, Azorius *tomo secundo,libro duodecimo cap.5. qu.3.*

CAPVT IV.

De Inimicorum Dilectione.

16 *De fide est, dari præceptum de inimico diligendo.*

CERTVM de fide est, dari præceptum de inimico diligendo.Quia etiam ipse est proximus noster, vtpote capax eiusdem beatitudinis. Est autem hoc præceptum tùm naturale,tùm diuinum.Naturale quidem, quia odium ex sua natura naturæ rationali repugnat,& est per se malum, quatenus personam respicit: nec potest quis propria authoritate iniurias vlcisci. Diuinum autem tum in lege veteri,tum in noua.In veteri quidem constat ex *Leuit 9.Non oderis fratrem.Prouerb.25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* In noua autem *Matth.5. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Vbi confirmatur vetus, & tria ibi præcipiuntur,dilectio,beneficentia, & oratio pro inimicis. Omnes sic. Lege Castro Palao *de Charitat. tractat. 6. disput.1. punct. 6. num.2.*

17 *Nunquam offensus potest.*

Nunquam potest offensus,inimicum à generali proximorum dilectione excludere.Vnde si quis oret communiter pro omnibus, excluso inimico, peccat. Quia quamuis ad orandum nullo præcepto cogatur,tamen eo ipso quo pro omnibus orat,nequit, tuta conscientia,inimicum excludere: est enim odij signum. Palao *de Charitat.tractat.6.disp.1.pun.6.* Satis tamen est præparatio virtualis,vt scilicet, non habeat quis contrarium voluntatis actum,quo inimicum à generali dilectione excludat. Quia si inimicum non excludat,hoc ipso,quod omnes cõmuniter diligit, etiam virtualiter diligit inimicum.Filliucius *tractat.28.numer.17.* D.Tho. 2.2.*quæstion.25.artic.8.& 9.*Caietan *ibi.* Sylvester *verb. Charitas,q.6.* Navarr. *summ.cap.14. numero 25.*

18 *Tenemur inimicis signa.*

Tenemur, inimico signa communia dilectionis exhibere.Vnde ex suo genere huiusmodi signorũ subtractio est graue peccatum.Leuitas tamen materię,vel alia rationabilis causa, vt si fieret ad correptionem, poterit excusare, Sylvest. *verb. Charitas, quæstione sexta*, Navarra *summ. capite 14. numero 25.* Filliucius *tractat. 28. numero 17.* Trullench. *libro primo, Decalogi capite quinto, dubio quinto, numero quinto.*

19 *Non tenemur communiter.*

Communiter loquendo,non tenemur,signa specialia amoris inimico exhibere. Quia sunt hęc de consilio.Sicut enim non tenemur,communiter loquendo diligere inimicos actu formali,& particulari,ita nec signa dilectionis in actu particulari ostendere.Deponendum tamẽ est odium internum,alioqui periculosum esset, ne ex odio interno talia signa subtrahantur, vel certe ne odium nutriatur,aut crescat. Angel.& Armil.*v.Indignatio.*

Dixi,

10 *In aliquibus casibus potest esse obligatio.*

Dixi, *Communiter loquendo.* Nam in quibusdam casibus potest esse obligatio, signa particularia exhibendi. Primus est, si aliunde hæc sint debita, vt pater in filios, dominus in seruos, vir in vxorem: & è contrà. Secundus est, si ob non exhibendo talia signa; scandalum, licet hoc sit per accidens, sequeretur. Tertius, quando ex tali signo exhibendo salus spiritualis inimici probabiliter speraretur. Huiusmodi vero signa non sunt æqualiter omnibus exhibenda, sed prudentum arbitrio habita personarum ratione Fill. *tr.* 18. *n.* 19. & 20.

11 *Tenemur inimicum nos salutantem resalutare.*

Sub lite est (ad sectionem secundam pertinente) num teneamur inimicum nobis occurrentem salutare. Sine lite vero affirmo, teneri nos inimicum resalutare, si nos ipse salutet. Quia resalutatio est signum dilectionis commune: & quia vix posset resalutatio sine scandalo omitti. Peccabit igitur non resalutans, nisi secluſa inimicitia non soleret ille salutantem non resalutare, qui casus rarus est, & solum habere potest locum in homine tibi longe inferiori: tunc enim resalutationis omissio neque contemptus, neque odij poterit esse documentum. Bonac. *de Charit. d.* 3. *q.* 4. *pun.* 3. *n.* 4. Palao *de Charit. tr.* 6. *d.* 1. *pun.* 6. *n.* 6. Suar. *de Charit. d.* 5. *sect.* 5. *n.* 8. Villalob *part.* 2. *summ. tract.* 3. *diffic.* 6. *num.* 5.

12 *Quale peccatum est, inimicum non resalutare.*

Si autem roges quale peccatum erit, inimicum non resalutare? Respondeo, si persona est superioris ordinis, vt pater, Prælatus, aut nobilis respectu plebei, non esse mortale eum salutantem non resalutare. Quia negatio resalutationis huiusmodi non adscribitur contemptui, nec inde assolet scandalum oriri. Imo nullum in hoc casu esse peccatum, si persona eminentior instam haberet causam non resalutandi, vt ad reprimendam salutantis audaciam, vel ad correptionem, modo non adesset scandalum. At si persona salutata non sit longe supetioris ordinis, non resalutantem grauiter delinquere reor. Quia regulariter scandalum oboritur, & magna in eo, cui resalutatio negatur, contristatio. Certe in Hispania vix non resalutantem à lethali excusare auderem. Led. *tr.* 3. *de Charit. c.* 6. *concl.* 5. Azor. *tom.* 2. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 4. Bonac. *de Charit. d.* 3. *q.* 4 *pun.* 3. *n.* 4. Sylvest. *v. Charitas, q.* 6. Filliuc. *tr.* 28. *nn.* 21. adiiciens probabile esse, teneri nos ad inimicum salutandum, quando antea soliti eramus preuenire, saltem quando ex omissione scandalum sequeretur.

13 *Quid si inimicus veniam petat, ego denegem.*

Inimico veniam petenti, tenemur, deposito odio, offensam dimittere, quod certum est, etiã si non petat. Quia non licet odio alterum prosequi, aut malum ei exoptare absque honesto fine. Si autem petat, non solum tenemur, ei noxam remittere, sed & reconciliationis, ac beneuolentiæ signa exhibere generalia, iuxta personæ conditionem. Non tamen tenemur specialia amoris documenta ostentare, nec eum ad familiarem consuetudinem admittere; sed sufficit esse animo parato ad illa, si opus fuerit, præstanda. Imo aliquando præstat, eum ab huiusmodi familiaritate excludere, si ex familiari nostro sermone insolentior, obstinatiorque fiat. Si tamen ex talium signorum subtractione aliorum sequatur offensio tenemur ea præstare. Caiet. 2. 2. *q.* 25. *a.* 9. Sylvest. *v. Charitas, qu.* 6. Nauarr. *summ. c.* 14. *n.* 25. & alij communiter.

Verum non tenemur inimico damnũ illatum in honore, fama, aut bonis temporariis remittere, sed possumus satisfactionem ordine iuris seruato, & deposito odio, repetere. Quia tenetur inimicus hæc præstare, etiamsi non petantur. Sic nec tenemur remittere pœnam taxatam in pecunia, cum is, qui nos offendit, est soluendo: secus si soluendo non sit. Imo aliquando non licet præfatam satisfactionem condonare, quando scilicet ad ipsosmet pertinet actio contra iniuriantem: sic marito, patri, Prælato aliquãdo nõ licet cõdonare satisfactionẽ pro iniuria vxori, filio, seruo, vel Religioso illata. Porrò sæpe erit conueniens Reipublicę, ne offensus ab accusatione desistat. Quia illo remittente, assolent criminosi facile à Iudice veniam impetrare, & audaciores ad similia perpetranda flagitia reddi. Azor. *tom.* 2. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 3. & 7. Villal. *p.* 2. *tr.* 3. *diff.* 6. *n.* 11. Nau. *sum. c.* 14. *n.* 25. Sylvest. *v. Charitas, qu.* 6. Suar. *de Charit. d.* 5. *sect.* 5. *fine.* Bonac. *de Charit. d.* 3. *q.* 4. *pun.* 3. *n.* 5. Sanci. *in select. d.* 2. *n.* 11. Palao *de Ch. tr.* 6. *d.* 1. *pun.* 9.

14 *Non tenemur damnũ illatum in fama, vel temporariis bonis remittere ei, iure seruato.*

Volens quis aliquibus beneficia conferre ex bonis propriis, potest, secluso scandalo, ab illis inimicum excludere. Quia sicut, præcisa inimicitia, non tenebatur, in eum beneficia conferre: ita neque, posita inimicitia, tenebitur; inimicus enim ob inimicitiam non est melioris effectus conditionis. At si bona sint communia, aut conferenda ex alterius voluntate, non potest inimicus excludi, si ad illa bona ius habeat ex propriis meritis, aut ex voluntate illius, cuius bona sunt distribuenda. Quia non datur personarum exceptio, nec ius alterius violari potest absque violatione iustitiæ. Bon. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 4. *pun.* 3. D. Th. 2. 2. *q.* 25. *a.* 8. legẽdus.

15 *Quonam modo possis inimicum à bonis conferendis excludere. quonam modo non possis*

Demum qui alij iniuriam intulit, tenetur veniam petere, quando offensus est illi notus, & id per se, vel per alium præstare valet. *Mat.* 5. *Si offers munus tuum, &c. vade prius reconciliari fratri tuo.* Quia id ratio iustitiæ postulat. Quòd si mutuo se aliqui offenderunt, tunc si offensus æqualis grauitatis sit tenetur reconciliationem petere, qui prius offendit, dum cætera sint paria: si inæqualis, tenetur ille, qui grauius offendit. Nauarr. *summ. c.* 14. *nu.* 25. Bonacin. *de Charitat. d.* 3. *qu.* 4. *punct.* 3. Palao *tract.* 6. *de Charitat. d.* 1. *punct.* 6. *num.* 10. Bonacin. *numero* 6. Filliucius *tract.* 28. *num.* 27. Azor. *tom.* 2. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 10.

16 *De venia petenda ab eo, cui iniuria fuit illata.*

CAPVT V.

De Ordine in Charitate asseruando.

17 *In spiritualibus teneris, prius tibi subuenire, quam proximo.*

IN bonis spiritualibus tenetur quisque, magis sibi subuenire, quam proximo. Quia dilectio sui est regula dilectionis proximi. D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. Valentia *tomo tertio, disputatione tertia, quæstione quarta, puncto tertio,* Suarius *de Charit. d.* 9. *sect.* 1. *num.* 2. Palao *tract.* 6. *de Charitat. d.* 1. *punct.* 7. *numer.* 2.

28 *Quid in temporariis boni.*

In bonis temporalibus,quæ quisque sibi,& proximo velle tenetur,vt est vita salus, &c. si bona sint inter se æqualia,tenetur homo seipsum magis diligere : quam proximum sibi parem.Si vero bona sint inæqualia, poterit magis proximo,quam sibi succurrere:verbi gratiâ, magis sibi velle paupertatem, vel ægrotum esse aliquo tempore, quam vt proximus moriatur,vel toto vitæ tempore ægritudine affici. Si autem superior esset proximus vel persona publica,prius ille erit succurrendus.Filliuc.*tr.*28. *n.*32.Trul.*l.*1.*Decal c.*5.*d.*6.*n.*9.

29 *Quando liceat pro alio priuato mori.*

Ex charitate, qua quisque magis amat vitã propriam,non licet ei pro altero priuato mori. Quia alias non diligeret proximum sicut seipsum,sed plusquam seipsum.Porro amicus pro amico mori potest. Quia amicitia est maximũ bonum,de qua Dominus *Ioa.*5.dixit: *Maiorem charitatem,&c. quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Requiritur vero vt aliqua specialis ratio intendat, scilicet ostendere amico debitum amicitiæ officium gratificari ei beneficia,alicui vtilitati communi prouidere.Quia tunc non amas proximum plus quã te,sed opus virtutis præ vita diligis. Secus autem quoties nulla specialis ratio adest exponendi vitam propriam, nisi alienæ conseruatio,vt contingit,cũ illam quis exponeret pro extraneo nec ei amico,nec benefactore,nec specialiter Reipublicę necessario.Tunc enim contra sui ipsius charitatem delinqueret:quod peccatum tantummodo veniale esse crediderim.Quia licet charitas obliget prius amare seipsum,quam proximum in necessitate æquali etiam temporali,non tamen sub graui obligatione hunc ordinem imponit,sed sub leui.Vnde non esset mortale, sed solum veniale mortem appetere,& vitam propriam pro præcisè vita proximi extranei conseruanda.Suar.*de Charit.d.*9.*sect.*3.*num.*3 & 7. Palao *tractat.*6.*de Charitat.d.*1.*punct.*8. *numero* 5. & 7.

30 *Licitum est probabili mortis periculo exponi,pro certo proximi vitando.*

Licitum est probabili periculo mortis propriam vitam exponere ad mortem certam certam proximi impediendam. Quia certa alterius mors maius malum est,quam probabile mortis periculum:& consequenter maius bonum est vita alterius certo conseruanda,quam propria non certo amittenda. Vnde sequitur licere tẽpore pestis,vel similis morbi ægrotis inseruire, &c.Fill.*tr.*28.*n.*33.Az.*to.*2.*l.*12.*c.*4.*q.*4.

31 *Quid cum Rege, vel Communitate gerere liceat.*

Quando proximus est persona publica, vt Rex,vel Communitas, teneris personam publicam,vel communitatem tibi præferre.Quia bonum cõmune est bonum totius,&particulari præpõderat.Sic naturaliter quis brachiũ exponit vulneri,ne caput depereat.Az.*to.*2.*l.*12.*c.*4. *q.*4.Fill.*tr.*28.*n.*38.Sylvest.*v. Eleemosyna,n.*2.

32 *Teneris in spiritualibus magis proximo subuenire, quam tibi in temporariis.*

Quisque tenetur,in bonis spiritualibus magis proximo subuenire,quam sibi in temporariis,si proximus constitutus in extrema necessitate spirituali sit. Quia charitas magis inclinat ad amanda spiritualia, quam temporaria bona.D.Tho.2.2.*q.*26.*a.*5.Suar. *de Charit.d.*9. *sect.*2.*n.*2.Bonac.*de Charit.d.*3.*q* 4.*punct.*4.*n.*2. Palao *de Charitat.tract.*6.*d.*1.*punct.*6.*num.*3.citans alios.

33 *Extra extremam necessitatem spiritualem non tenetur proximo subuenire cum periculo vitæ, famæ, & facultatum.*

Extra extremam necessitatem spiritualem proximi non tenetur particularis quisque ex charitate ei subuenire cum vitæ periculo, aut notabili famæ, aut facultatum damno. Quia magnum ius à natura tributum est ad seruandam vitam propriam,famam,& facultates:vnde non est credibile,homines cum tanto grauamine obligari, dum proximus extrema necessitate non laborat.Valen.*p.*3.*d.*3.*q.*4.*pun.*3. Nauar.*sum.c.*24.*n.*12.Suar.*de Charit.d.*9.*sect.*1. *num.*4.Palao *de Char.tr.*6.*d.*1.*pun.*9 *n.*9.Villal. *p.*2.*tr.*3.*diff.*7.*n.*7. ex D.Th.2.2.*q.*26.*a.*5.

34 *Cum nullũ est periculi, debes,si potes,proximo succurrere.*

Quando nullum est vitæ periculum,nec alterius detrimenti, qui potest necessitati proximi succurrere, proculdubio tenetur ex Charitate. *Mat.*22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quia quisque tenetur propriæ animæ subuenire , ergo etiam animæ alterius. Vnde nemo tenetur cum periculo vitæ succcurrere existenti in periculo delinquendi,etiam remedij spe.Quia talis potest nõ peccare si velit.Fill.*tr.*28.*n.*37.Villal.*p.*2 *sum.tr.*3. *diff.*7.*n.*11.

35 *In graui necessitate, tenetur subuenire, quia alienæ saluti cunctam gerit.*

Extra extremam necessitatem, si grauis sit, ij,quibus ex officio incumbit cura alienæ salutis,tenentur eam procurare,etiam cum vitæ periculo.Quia ij strictius obligantur, cum stipendium à subditis recipiant:at alij in extrema cum periculo vitæ obligantur,Ergo ij in graui. *Ioa.*10.*Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.*Fill.*tr.*28.*n.*36.Bonac.*de Char.d.*3.*q.*4. *punct.*4.*num.*5.Palao *tr.*6.*de Charit.d.*1.*pun.*9. *n.*12.Suar.*de Charit.d.*9 *sect.*1.*n.*4.Villalo.*p.*2. *tr.*3.*diff.*7. *n.*7.

36 *Inter proximos alij aliis magis sunt diligendi.*

Inter proximos alij aliis magis ex charitate sũt diligẽdi,tũ interno,tũ externo affectu.Quia cũ duo sint principia dilectionis,vnum ipse diligens alterum Deus,quod est formale Charitatis obiectum:quo magis aliqua erunt propinquiora iis principiis, erunt etiam magis diligenda.Constat autem quosdam proximos esse magis ipsi diligenti coniunctos, v. g.pater,mater: & quosdam magis cum Deo per gratiam coniunctos,quia sanctiores.D.Th.2.2.*q.*26.*a.*6.Palao *de Charit.tr.*6.*d.*10 *punct.*10.*num.*1.Suar.*de Charit.d.*9.*sect.*4.*n.*2.Bonacin.*de Charit. d.*3.*q.* 4.*punct.*5.

37 *Cæteris paribus maioris sanctitati ac coniunctioni absolute est præferenda.*

Cæteris paribus:maior necessitas sanctitati, ac coniunctioni absolute est præferenda.Quia huius præcepti obligatio ex proximi necessitate pendet : Ergo vbi maior necessitas maior obligatio. Vnde magis subueniendũ est patienti spiritualẽ necessitatẽ,quam corporalem.Etsi necessitas sit maior in extraneo,quã in coniuncto,magis subueniendum est illi,quã huic;nisi tantus esset coniunctionis excessus, vt exiguam necessitatem compensaret.Filliuc. *tract.*28.*num.*40.

38 *Si par sit necessitas, sanctior est præferendus Sancto.*

Si par sit necessitas,& vnus sit alio sanctior: hic est minus sancto præferendus, cæteris paribus;si nimirum , vel ambo sint extranei, vel ambo eadem coniunctionis specie coniuncti. Quia ibi sunt duæ rationes dilectionis, necessitas , ac maior sanctitas : ergo maior dilectio erit exhibenda. Quod si necessitas par sit , & vnus sit extraneus , sed melior : alius coniunctus , sed minus bonus: præferendus est sanctior maiori coniunctioni , cæteris paribus. D. Thom. 2. 2. *quæstione vigesima sexta , articulo septimo.* Filliucius *tract.*28.*n.*41.

39 *Maior sanctitas ex obiecto præferenda est maiori coniunctioni.*

Maior sanctitas ex obiecto præferenda est maiori coniunctioni,cæteris paribus.Quod ita intelligendum est,vt sanctiori debeamus velle maius

maius bonum, seu complacere magis de illo, quia est magis cum Deo coniunctus qui est Charitatis obiectum. Quia vero consanguineus, (verbi gratiâ,) habet minorem gratiam, ideo minus complacere debemus de eo hoc ipso, quia est minus coniunctus cum Deo, vnde hæc maior dilectio sumitur. Ex parte autem diligentis maior coniunctio præferri maiori sanctitati potest. Quia etsi minus bonum debeamus minus sanctis velle ex parte obiecti, vt vidimus, tamen id possumus velle coniuncto vehementiori affectu D.Th. 2.2.q.26.ar.8. Filliuc.tr.28.n.42. Azor.tom.2.libr.12.capit.4. quæstion. 1.

40 *Quid quoad debita coniunctionis, & quoad debita sanctitatis.*

Quoad debita coniunctioni, præferendus est sanctiori coniunctior: quoad debita vero bona sanctitati, sanctior coniũctiori est præferendus. Quia coniunctiores nobis non debemus in omnibus diligere: sed in iis tantum, in quibus sunt propinquiores, verbi gratiâ, in iis, quæ pertinent ad naturam, vt quod sint magis sani, diutius viuant, relinquant liberos, &c. Sanctiores autem debemus magis diligere in iis, in quibus sunt Deo propinquiores, vt quod vberiorem gloriam mereantur, honoratiores sint in Ecclesia, plus in proximis fructificent, & similia. Filliuc. tr.28.n.44.

Enim vero coniunctio spiritualis, ex obiecto cæteris præferenda est. Quia magis refertur ad Deum, qui est Charitatis obiectum, & magis ad Charitatem spectat. Vnde ampliora bona spiritualia debemus velle parentibus, ac filiis spiritualibus, quam carnalibus. At ex parte diligentis coniunctio naturalis, seu carnalis, absolute loquendo, cæteris præferenda est. Quia in natura fundatur, & consequenter firmior existit: coniunctio autem spiritualis, cum fundetur in gratia, quæ facile amitti potest per delicta, non est ita firma. Vnde magis subuenendum est patri carnali, quam spirituali. Quia à patre habuimus maximum, ac præcipuum beneficium; eodemque modo magis filio carnali, quam spirituali; quia filius est aliquid patris, & vnio filij carnalis magis est firma. Filliuc. tr.28.n.45. ex D.Th. 2.2.q.26.a.8.

41 *Quid inter personas eiusdem coniunctionis.*

Inter personas eiusdem coniunctionis generaliter loquendo, illę sunt præferendę, quę sunt amanti magis coniunctæ: verbi gratiâ, in coniunctione naturali consanguinei præficiendi sunt affinibus. Inter consanguineos pater primum, deinde mater, tum filius, filia, frater, soror, &c. In coniunctione spirituali pater, ac filius cæteris. In humana amicus coniunctior, ac fidelior est præferendus. Loquendo tamen in particulari pater absolute plus diligedus, quã filius: & in necessitate magis ad illum tenetur quis, quam ad filium. Quia parẽtes magis Deo assimilantur, cum parentibus post Deum debemus quod simus, & viuamus. Extra necessitatem vero magis debet quis procurare bonum filij, quam parentis. Quia naturæ iure, filio prouidentia à patre debetur. Pater præferendus est matri. Quia est generationis principium magis quam mater. Si tamen mater patre esset melior, vel magis egeret, vel plura beneficia contulisset, quam pater: deberet aliquando patri præferri. Parentes ex obiecto plus diligendi sunt, quam vxor. Quia parentes sunt Deo similiores, & ab illis maiora bona, quam ab vxore recipiuntur: ideo teneris eos plus honorare, & necessitate affectis magis succurrere. D.Th. 2.2.q.26.a.9. Fill.tr.28.n.48. Trul.l.1.Decal.c.5. dub.6.n.21.

Beneficia conferens magis est diligendus, quam is, in quem beneficia conferuntur. Quia conferens beneficia est similis parenti, qui autem beneficium recipit, similis filio. D.Th. 2.2. q.26.a.12. Fill.tr.28.n.52.

42 *Magis est diligendus conferens beneficium, quam accipiens.*

Ordo Charitatis in ordine ad proximum, ita vt prius alij quam alij diligantur, & præferantur, non obligat, nisi in extrema necessitate saltem sub mortali: vel in grauissima, vt alij docent. Quia aliter non est valde graue præfatum ordinem non seruare. Vnde si cognatus in grauissima, vel extrema necessitate non existit, mortale non est, alteri prius, quam illi succurrere. Certe in reliquis comparationibus facile colligi poterit, quale peccatum sit, illum ordinem subuertere. Bannes 2.2.q.26.a.8. Led. tr.3.de Charit.c.3.concl.24. Trul.l.1.Dec.c.5.d.6. num.24.

43 *Ordo hic dilectionis maioris solum in necessitate sub mortali obligat extrema.*

CAPVT VI.

De Misericordiæ operibus.

44 *Quanam virtus sit Misericordia.*

Misericordia est *alienæ miseriæ in corde nostro compassio*, quam vtique si possimus subleuare debemus. Est virtus moralis. Quia est habitus rectæ rationi consentaneus, quo alterius subleuamus indigentiam. Non tamen est pars, vel species iustitiæ, sed filia Charitatis. Quia est gratuita sicut Charitas. Virtus autem est à charitate distincta. Quia charitas Deum immediate respicit, misericordia vero proximi miseriã. Est omniũ virtutũ moraliũ excellẽtior, earũ scilicet, quæ ad proximũ ordinãtur. Quia est quidam charitatis actus nõ elicitus, sed imperatus, seu affectus, maxime ei coniunctus, ob idq; dicitur filia charitatis. At Religio excellẽtior est Misericordia. Quia Religio aliquo modo Deum respicit, nẽpe diuinũ cultũ. Misericordia vero proximi miseriã. Possũt tamẽ aliquãdo opera misericordiæ Deo esse gratiora magis quam exteriores Religionis actus iuxta illud *Ose.5. Misericordiam volo, & non sacrificium* D.Th. 2.2.q.26.a.4.

45 *Quatuordecim sunt misericordiæ opera.*

Quatuordecim sunt misericordiæ opera, septem spiritualia, corporalia totidẽ. Spiritualia hæc sunt: Docere ignorantem, dubitanti cõsulere, consolari tristem, corrigere peccantem, offendenti remittere noxam, onerosos portare id est, patienter iniurias ferre, & pro omnibus exorare. Hoc versiculo continentur.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Quæ ideo spiritualia dicuntur, quia ad spiritualem animi salutem ordinantur. Corporalia sũt hæc; Pascere esurientem, sitientem potare, nudum vestire, recolligere hospitem, infirmum inuisere; captiuum redimere, & sepulchro functum vita amandare. Hoc versiculo indicantur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Quæ ideo corporalia dicuntur, quia ad miseriam corporis subleuandam ordinantur. Porrò ex his spiritualia simpliciter excel-

lentiora sunt corporalibus. Quia donum spirituale temporali præeminet, & spiritus corpori præstat. In aliquo tamen casu corporalis eleemosyna spirituali præfertur. Quia ex fame moriens magis debet pasci, quam doceri. D. Tho. 2.2.q.26.a.2. & Doctores communiter.

46 *In præcepto non sunt, nisi in extrema, vel grauissima necessitate.*

Misericordiæ opera hæc in præcepto non sunt, nisi in extrema, vel grauissima necessitate. Vnde lethaliter delinquit qui in extrema, vel graui admodum necessitate proximi, misericordiæ opera in illum non exercet. Extra huiusmodi vero necessitatem talia opera omittens, lethaliter non delinquit. Nauar. *sum. c.* 24. *n.*9. D. Th. 2.2.*q.*26.*a.*5. Caiet. *ibi.*

CAPVT VII.

De Eleemosyna.

47 *Quid sit eleemosyna.*

Eleemosyna est *opus, quo aliquid ex compassione propter Deum indigenti datur.* Vnde est actus misericordiæ corporalis à Charitate imperatus, si ob Dei amorem fiat: vitæque æternæ meritorius. Omnes sic.

48 *Est præceptum de eleemosyna facienda.*

Est quidem in præcepto, tenemurque sub mortali aliquando per eleemosynam proximo subuenire: imo ad hanc obligamur non solum præcepto diuino, verum etiam naturali. Quia ratio naturalis dictat, vt quod nobis volumus, alteri faciamus. Et *Mat.* 25. homines damnandi dicuntur ob eleemosynæ omissionem, at nullus ob consilia omissa damnatur. D. Th. 2.2.*qu.*31. *art.*5. Sylui. *ibi.* Reginald. *l.*4.*n.*244. Valen. *to.*3. *d.*3.*q.*9. *pun.*4.

49 *Quæ sit necessitas extrema grauis, ac communis.*

Vt autem huiusmodi obligationem exponam, præmitto, necessitatem proximi, vel esse extremam, quando scilicet, aliquis est in probabili mortis periculo, siue spiritualis, siue corporalis; vel esse grauem, vt est illa, qua afficiuntur, qui non habent necessaria ad suum suorumque statum, ac conditionem; vel esse communem, vt est illa, quæ passim occurrit in pauperibus ostiatim mendicantibus, & qui in Xenodochio pietatis causa aluntur. Porro bona, ex quibus gerenda est eleemosyna, vel sunt superflua vitæ, ac naturæ propriæ, sed non statui: aut sunt superflua non solum vitæ, sed etiam statui. Necessaria vitæ dicuntur illa, quæ ad conseruatam vitam, & naturam requiruntur: consequenter vero superflua dicentur ea, sine quibus vita transigi potest. Necessaria statui sunt illa, sine quibus conditio propriæ personæ decenter nequit conseruari: consequenter autem supernacanea statui erunt illa, sine quibus decens conditio conseruari potest. Sub necessariis sicro vitæ, vel status veniunt etiam necessitates parentum, filiorum, vxoris, ancillæ, serui & similes. Nauar. *sum. c.*24.*n.*6. Bonac. *de Chari. d.*3.*q.*4.*pun.*6.*n.*4. & 5. Filliuc. *tr.*28.*n.*63. Reginald. *l.*4 *n.*249.

50 *Tempore necessitatis extremæ, vel quasi eleemosyna proximo est impertiẽda.*

Igitur tempore necessitatis extremæ, vel quasi proximi largienda est eleemosyna de superuacaneis vitæ, etiam statui necessariis. Quia ordo Charitatis postulat, vt vita proximi decenti etiam nostro statui præferatur. Deinde tenemur, eleemosynam impertire ex necessariis ad vitam, & status decentiam in necessitate extrema proximi, ex cuius vita Reipublicæ salus notabiliter pendet. Quia ordine Charitatis salus totius præferenda est partis saluti: Vnde pro Principe, ac patria vita est exponenda. Tertio ex necessariis secundum quid ad status decentiam, seu ad vitæ conseruationem, non tenemur agere eleemosynam extra necessitatem extremam, aut grauem. Quia ex præcepto non obligatur homo rerum suarum incommodum pati, & restringere ea, quæ ad vitæ conseruationem, & status decentiam sunt necessaria, vt communibus necessitatibus succurrat. Azorius *tom.*2.*l.*12.*c.*7.*q.*5. Tolet. *l.*8.*c.*34. Soto *lib.*5. *de iust.q.*1.*ar.*7. Valent. *tom.*2.*d.*3.*q.*9. *punct.*4. Filliucius *tract.*28. *num.*64. Diana *part.*5. *tract.*8. *resolut.* 7.

51 *Diuites nõ tenentur, pauperes inquirere, Episcopi vero tenentur.*

Diuites, qui superflua statui habent, non tenentur pauperes inquirere, sed sufficit, vt parato sint animo, ad eorum necessitates subleuandas, cum occurrerint. Episcopi autem, qui pauperes inopum nuncupantur, tenentur ex officio necessitatibus occurrere, & consequenter pauperes inquirere, vt ipsorum subleuent indigentiam. Azorius *tom.*2.*l.*12.*c.*8.*q.*3. Malder. 2.2.*q.* 32.*a*6.*d.*2. Filliuc *tract.*28.*num.*77. Diana *part.* 2.*tractat.*2.*resolut.*28. & *part.* 5. *tractat.* 8. *resolut.* 3.

52 *Non satisfacit, qui existens in extrema necessitate dat titulo mutui, vel contractu.*

Qui extrema necessitate laboranti non in eleemosynam, & gratis, sed titulo contractus mutui, vel alterius non satisfacit. Quia præceptum obligat ad actum virtutis eleemosynæ, non vero ad alium actum. At si non sit extrema simpliciter necessitas, quia scilicet, quamuis egens actu non habeat, habet tamen virtute, vt si egeat pane, sed habeat nummos: vel pauper sit hîc, at diues in patria: vel polleat viribus, & arte, ad facile lucrandum plusquam ipsi necesse sit: tunc satis esse mutuo dare. Reginaldus *lib.*4.*num.*260. Valentia *tom.*3.*d.*3. *quæst.*9. *punct.*4. Azorius *tom.*2.*l.*12.*c.*9.*q.*1. Sotus *l.*4. *de iust.q.*7.*a.*1.*ad* 4. Sylui. 2.2. *quæst.*32. *artic.*6. *quæsi.* 5.

53 *Debitor extremitus, egens non tenetur restituere rem acceptam creditori simili necessitati laboranti, nisi debita iniuste non acceperit, dum verus dominus eadem necessitate laborabat.*

Debitor extreme indigens, per se loquendo non tenetur restituere rem acceptam, seu soluere debitum creditori simili necessitate laboranti, siue rem acceperit medio contractu, siue non. Imo in tali casu, vxor, auus, parentes, filij possunt creditori præferri. Quia maius est debitum naturale, quo illis debetur, quam debitum morale, quo erga creditorem tenemur. Temperanda tamen hæc sententia est, modo debita non acceperit iniuste, dum verus dominus eadem necessitate laborabat. Tunc enim adhuc exstantem rem tenetur domino restituere eandem necessitatem patienti. Secus dixerim de illo, qui accepit ante necessitatem, & termino constituto non soluit. Toletus *libr.*8. *c.*39. Regin. *l.*4.*n.*316. Sotus *lib.*4. *de iust. qu.*7. *artic.*4.

54 *Qui in extrema necessitate constitutus, aliquid accepit, non tenetur restituere, nisi cessante labore.*

Qui in extrema constitutus necessitate aliquid accepit, illudque in eadẽ necessitate consumpsit, non tenetur transacta necessitate restituere. Quia necessitas extrema facit omnia communia. Qui vero ante necessitatem extremam iniustè, aut etiam licite medio aliquo cõtractu accepit, restituere tenetur. Quia contraxit obligationem restituendi, quę obligatio ob superuenientem necessitatem extincta non fuit, sed solummodo suspensa. Azorius *tom.*2. *lib.*22.*cap.*7. Sylueſter *verb. Furtum, q.*5. Bonac. de

de Charit. d. 3. qu. 4. punct. 6. num. 16. Lorca 2.2. *d. 38. n. 4.*

55 *Debet reſtituere, qui ſibi data eleemoſynam cum ex officio tenetur.*

Qui eleemoſynam non impertit, cùm ex officio tenetur, verbi gratiâ, quòd ſit Paſtor, Princeps, vel dominus illius, qui neceſſitate laborat: vel ille, cui à Republica cura pauperũ eſt demandata, obligatur ad reſtitutionem. Quia tales tenentur etiam ex iuſtitia ratione officij. Qui vero eleemoſynam non largitur cum tenetur ſolum ex Charitate, & miſericordia, ad reſtitutionem non obligatur. Quia Charitas violata ad reſtitutionem non obligat, ſed tantum ad culpam: eleemoſyna autem tantummodo ex Charitate debetur. Nauarr. *ſumm. cap. 4. num. 7.*

56 *Qui poſſint eleemoſynã facere. Vbi de filiofamilias, & Curatore, ac Tutore.*

Qui rerum ſuarum dominium, plenamque adminiſtrationem habent poſſunt eleemoſynam elargiri. Vnde filiifamilias de rebus, quarum habent dominium, vel vſumfructum, vt de peculio caſtrenſi, vel quaſi, poſſunt eleemoſynam impendere: non autem de profectitio, cuius proprietas, & vſusfructus pertinet ad patrem; nec de aduentitio, cuius vſusfructus ad patrem, dum viuit, ſpectat. De bonis vero patris poſſet eleemoſynam facere, ſi ipſius habeat conſenſum, vel probabiliter præſumat, & maxime quando eleemoſynæ tenues ſunt, vel quando ipſi filij peregrinantur, vel in Scholis reſident à patre remoti. Vel quando accipiunt aliquam certam pecuniæ ſummam pro ſuſtentatione, ſi reſtringant expenſas, poſſunt, quod ſupereſt egenis erogare. Tolet. *lib. 8. cap. 30.* Sà *verb. Eleemoſyna, num. 13.* Nauarr. *ſumm. cap. 75. num. 141.* Poteſt & Tutor, & Curator, qui pupilli bona adminiſtrat Reginaldus *libro quarto numero 270.*

57 *De famulis.*

Famuli non poſſunt de rebus dominorum eleemoſynam agere extra caſus communes: vt ſi ſit extrema neceſſitas, ſi detur quid modicum & raro, ſi adſit domini conſenſus ſaltem interpretatiuus, vel ratihabitio probabiliter ſperetur, vel ſi de certa ſibi portione aſſignata ad victum detraheret aliquid per abſtinentiam, & hoc in domini præiudicium non cederet. D. Th. 2.2. *q. 32. a. 8. ad 4.* Sylueſt. *v. Eleemoſyna, q. 5. §. 3.* Filliuc. *tr. 28. n. 93.* Tolet. *lib. 8. c. 30. n. 3.* Sà *v. Eleemoſyna, n. 11.*

58 *De Vxore.*

Vxor poteſt eleemoſynam elargiri de bonis communibus, quorum adminiſtratio ad virum pertinet, irrationabiliter inuitus eſſet, quando illa eleemoſynas ageret iuxta aliarum ſuę conditionis conſuetudinem. Quod ſi vir etiam has vetaret, cenſetur tantum exceſſum prohibere. Si tamen exinde rixæ timerentur, vxori conſulerem, vt ab huiuſmodi pia actione abſtineret, niſi extrema proximi vrgeret neceſſitas. Nauar. *ſumm. cap. 17. num. 155.*

59 *De Regularibus Prælatis.*

Superiores Regulatium poſſunt, & debent eleemoſynas elargiri de Monaſterij ſuperfluis, & de non ſuperfluis, licet competentibus ad Conuentus ſtatum, prudentis arbitrio. Molin. *d. 276.* Leſſi. *l. 2. c. 18. dub. 11. n. 83.* Bonac. *de contron. d. 3. q. 12. punct. 1. num. 7.* Filliucius *tract. 34. numer. 50.*

60 *De Regularibus inferioribus.*

Inferiores Monaſterij Officiales, vt Procurator, Cellarius, & ſimiles poſſunt eleemoſynas impertire competentes iuxta regulam, & conſuetudinem, vel iuxta Superioris voluntatem rationabiliter præſumptam. Religioſi verò ſubditi in Monaſterio viuentes non poſſunt niſi ex Prælati conſenſu expreſſo, vel tacito. Qui autem ſtudiorum, vel negotiorum cauſa extra Monaſteria commorantur poſſunt eleemoſynas elargiri iuxta vſus recepti quantitatem. Nauarr. *comment. 2. de Regular. n. 9.* Molin. *d. 276.* Sylueſter *verb. Religio. 6. quæſtion. 7. dicto 2.* Leſſius *libr. 2. cap. 18. dubio 11. numero 85.*

Gerenda eſt eleemoſyna de bonis propriis. *Iſa. 58. Frange eſurienti panem tuum.* Quia per eleemoſynam dominium transfertur: hoc autem fieri non poteſt niſi à domino rei, vel eius authoritate. Nam ex conſenſu expreſſo, vel rationabiliter præſumpto poteſt moderata eleemoſyna fieri, maxime ab illo, qui habet aliquam bonorum adminiſtrationem. Vnde filij de bonis paternis, vxor de bonis viri, ſeruus de bonis heri, & Religioſus de Monaſterij bonis per conſenſum rationabiliter præſumptum aliquam poſſunt eleemoſynam facere D. Thom. 2.2. *q. 32. a. 7. ad 3.* Valentia, Sylui. Malder. *ibid.* Filliucius *tract. 28. num. 86.* Medina *quæſt. 5. de eleemoſyn.* Reginald. *lib. 4. num. 286.* Azor. *to. 2. lib. 12. cap. 14.*

61 *Danda eſt eleemoſyna de bonis propriis.*

Ex bonis communibus quæ particulariter poſſidentur, id eſt, quorum certæ portiones diſtribuendæ ſunt ſingulis, non poteſt fieri eleemoſyna niſi ex conſenſu expreſſo, vel tacito, ſen rationabiliter præſumpto ſingulorum de communitate, quorum intereſt. Quia alioquin omnibus fieret iniuria, cum quilibet habeat certum, ac determinatum ius ad portionem aliquam cuiuſcumque partis bonorum, quæ in communi conferri debent. Medina *Cod. de eleemoſyn q. 4.* Bonacin. *de Charit. d. 3. q. 4. pun. 6. numero 21.*

62 *Quid de bonis cõmunibus, quæ particulariter poſſidentur.*

Porro ex bonis communibus, quæ collegialiter poſſidentur, id eſt, quæ in ſingulos non ſunt diſtribuenda, niſi ad nutum communitatis, vel eius, qui illius curam gerit: non poſſunt fieri eleemoſynæ ſine ſingulorum conſenſu. Sufficit autem Superioris, vel maioris partis Capituli conſenſus. Quia ad bonam adminiſtrationem huiuſmodi bonorum pertinet, vt aliquid in eleemoſynas pro loco, ac tempore diſtribuantur. Poterit ergo hoc agere vel communitas, id eſt maior eius pars: vel is, qui communitatis vices gerit. Reginald. *l. 4. n. 385.* Filliucius *tr. 28. n. 88.* ex *Ca. Cum in cunctis, de his quæ fiunt.*

63 *Quid de bonis cõmunibus, quæ poſſidentur collegialiter.*

Qui non habet, vnde valeat ex propriis bonis neceſſitatem extremam pauperis ſubleuare poteſt, ad id aliena capere, quoties pauper ipſe licite poterat. Quia tunc dominus non cenſetur rationabiliter inuitus. Vnde qui ſic accepit, ad reſtitutionem non tenetur, poſtquam ad pinguiorem fortunam aduenerit. Quia ſicut pauper accipiendo non teneretur, ita nec tenetur, qui accepit, vt pauperi traderet, modo medio contractu aliquo non acceperit. Sà *v. Eleemoſyna, n. 5.*

64 *Si non habes, quo poſſis extremè indigenti ſuccurrere potes ad id aliena capere.*

Poteſt fieri eleemoſyna de bonis turpiter acquiſitis, quoties turpitudo eſt ob circumſtantiam accidentalem actionis, vt ex meretricio, vel homicidio patrato, vel ſententia iniuſta prolata. Quia talium rerum acquiritur iuſtè dominium, etiamſi actio, per quam acquiritur mala ſit. Cauendum tamen eſt ſcandalum. At de turpiter acquiſitis cum onere reſtituendi, vt in rapina, furto, vſura, inuentione, &c.

65 *Quomodo poſſit eleemoſyna de bonis turpiter acquiſitis fieri.*

non potest fieri eleemosyna, nisi domini diligenter quæsiti non compareant. Quia eleemosyna cum detrimento alterius fieri non debet. Quod si domini ignorentur, vel singuli tam leuiter damnificati, vt licet summa vniuersa sit notabilis, respectu tamen singulorum nullius, vel exigui sit momenti, potest, imo debet restitui pauperibus, quibus eiusmodi bona debentur, si non iure naturali, saltem positiuo, & consuetudinario. Ex bonis vero acquisitis cum onere restituendi, sed non ei, qui amisit, nam per legem priuatur dominio rei suæ, potest, ac debet fieri eleemosyna Ecclesiæ, vel pauperibus. Patet in acquisitis per simoniam, per ludum vetitum, per subuersionem iudicij, &c. D.Thom. 2.2.q.32.a.7. Azor. *tom.*2.*l.*12.*c.* 12.*q.*6. Tolet.*l.*8.*c.*32. Filliuc *tr.*28.*n.*91.*&* 92. Laym.*l.*2.*tr.*3.*c.*6.*n.*7. Medina *de Eleem: f.q.*5. Arag.2.2.*q.*32.*a.*7. Caiet. Malder.*ibid.* Regina. *l.*4.*n.*287.

66 *Quomodo ex bonis fisco ob aliquod crimẽ addictis.*

Ille autem, cuius bona sunt ipso facto ob crimen aliquod fisco addicta, potest extra necessitatem proximi extremam illa pauperibus erogare, modo id in fisci fraudem nõ agat, sed quantum fert pauperis sublenandi necessitas. Quia non est priuatus absolute bonorum suorum dominio, nec tenetur ea fisco ante sententiam Iudicis restituere. Sanch. *l.*2. *Dec.c.*22. *n.*3. Vasq.1.2.*d.*170.*c.*3. Mol.*tom.*1.*d.*95.

67 *Ordinem in eleemosyna gerenda expono.*

Ordinem seruandum in eleemosyna gerenda expono. In genere maiori necessitati succurrendum, potius, quam minus graui, cæteris paribus. In specie vero coniunctiores cæteris paribus præferendi sunt minus coniunctis. Meliores minus bonis. Vtiliores Reipublicæ, minus vtilibus. Eleemosyna denique facienda est indigentibus, siue iusti sint, siue iniusti: siue infideles, siue fideles: siue amici, siue inimici. Coniunctiores tamen ex his præferendi sunt sanctioribus. Quia in bono Eleemosynæ magis diligendus est coniunctior quam sanctior. D.Thom. 2.2.*q.*32.*art.*9. Sylui. *ibid.* Valent.*tom.*3.*d.*3.*q.*9.*pun.*4. Reginald.*l.*4. *num.*301.*&* 304. Tolet.*l.*8.*c.*39. Azo.*tom.*2.*l.*12. *cap.*13.

CAPVT VIII.

De Correptione fraterna.

68 *Quid Correptio fraterna.*

CORreptio fraterna est *Spiritualis eleemosyna, qua quis à proximo miseriam peccati depellere misericorditer conatur.* Dicitur *Fraterna*, vt à correptione iuridica, quæ fit per denunciationem iudicialem, aut accusationem, distinguatur. Fraterna enim correptio spectat bonum delinquentis, vt à malo spirituali liberetur, ac propterea est actus charitatis, aut misericordiæ. At vero correptio iuridica spectat bonum aliorum, qui per peccatum vnius læduntur, aut scandalizantur: vnde est actus iustitiæ vindicatiuæ; & peruenit aliquando vsque ad delinquentis punitionem. D.Th.2.2.*q.*33.*a.*1. Clauis Reg.*l.*11.*cap.*4.*n.*2. Valent.2.2.*d.*3.*q.*10.*pun.*1. Filliuc.*tr.*28.*nu.*112. Laym.*l.*2.*tr.*3.*c.*7. Caspens.*tr.*17.*d.*6 *sect.*1.

69 Est in præcepto ad lethale obligante. *Mat.* 18.1. *Thessalon.*5. *Gala.*6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis,* & infrà, *Sic adimplebitis legem Christi.* Quia lege Charitatis tenemur proximo velle, ac procurare bonum, nolle malum, & illud auertere, vbi necessitas occurrerit. Vnde patet, hoc præceptum esse naturale. Quia de eleemosyna corporali extat præceptum pro tempore grauiter obligans: ergo multo strictius de eleemosyna spirituali. Tenemur etiam ad hanc correptionem præcepto diuino. Quia Dominus *Luc.*10. præcipit: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Denique etiam humano. Quia in iure Canonico habetur *Cap. Prouidendum. Cap. Consentire. dist.* 83. *Cap. Facienti, dist.*86. *c. Tam Sacerdotes*, 24. *q.*3. D.Th.2.2.*q.*33.*a.*2. Tanner. 2.2.*d.*2.*q.*5. *dub.*4.*n.*73. Malder.*ibi.a.*2.*dub.*1. Diana *p.*7 *tr.* 3.*res.*3. Laym.*l.*2.*tr.*3.*c.*7.*n.*2. Bonac. *tom.*2.*d.*3. *q.*4.*pun.*7.*n.*1. Pett. Ledes. *tom.*2.*sum. tr.*4.*cap.*4. *concl.*2.*&* 3. *Est in præcepto adhæsionis obligante.*

70 *Qui tenentur ad correptionis fraternæ præceptum.*

Ligantur correptionis fraternæ præcepto non solum Christiani, verum etiam infideles, & peccant lethaliter eam omittendo, nisi inculpabilis ignorantia, vel inaduertentia excuset. Quia præcepto iuris naturæ tenentur. Porro speciatim obligantur Prælati, queis aliorum commissa est cura. Quia ipsis specialis obligatio ex officio incumbit proximum corripere. Vnde tenentur, subditorum peccata inquirere, ad corripiendum. Quomodo autem instituenda sit hæc inquisitio, petendum est ex fine, quem Prælatus siue vt pater, siue vt Iudex, præ oculis habere debet; nam media huic fini sunt accómodanda: & caute admodum, ac prudenter est procedendum, ne nimia suspicio præcipitem, & exosum Prælatum reddat, vel ne incauta multiplicationem pariat delictorum. Filliuc. *tr.*28.*n.*120.*&* 121. Regin.*l.*4.*n.*336. Laym.*l.*2. *tr.*3.*c.*7.*n.*3. Lorca 2.2.*q.*32.*a.*6.*d.*45.*sect.*3.*n.*11.

71 *Non licet subditis inquirere fratrum peccata, vt illos fraterne corripiant.*

Non licet subditis inquirere fratrum peccata, vt illos fraterne corripiant. Quia talis inquisitio vitiosa, ac reprehensibilis est, eo quod scandala generet, & odiis, ac dissensionibus, occasionem exhibeat, homines enim molestè ferunt, actiones suas ab aliis scrutari, cum auersetur bonæ æstimationi, quam de se haberi omnes cupiunt. Petr. Ledes. *tom.*2.*sum. tr.*4.*c.*4. *concl.*11. Diana *p.*3.*tr.*2.*resol.*42. Reginald. *l.*4. *num.* 336.

72 *Materia huius præcepti est omne, & solum peccatum grauc.*

Materia huius præcepti est omne, & solum peccatum, quod proximo notabile in spiritualibus damnum infert. Quia sicut Charitas vult proximo bonum tum spirituale tum corporale: ita etiam inclinat ad auertendum à proximo vtriusque generis malum; & si hoc malum in suo genere sit notabile, grauis orietur obligatio: si leue, obligatio erit leuis, aut nulla. Vnde cum per quodlibet lethale piaculum salus proximi periculo exponatur, ideo quodlibet peccatum mortale est necessaria correptionis materia; peccatum enim mortale est grauis miseria, notabile proximo inferens nocumentum: siue illud peccatum sit occultum, siue publicum, siue palam toleretur à Magistratu, siue non toleretur: siue sit in Deum, siue in proximum, siue contra te commissum; dummodo tale peccatum aliqua ratione pendeat in futurum. Quia si non sit recidendi periculum, eo quod peccator emendatus iam sit, cessat

ceſſat correptionis obligatio, & eleemoſyna ſpirituali non indigeat, cum ſpiritualem iam miſeriam non patiatur. Sylui. 2.2. *quæſt.* 33. *a.* 2 *quæſtiunc.* 2. 3. & 4. Graf. *p.* 1. *l.* 2. *cap.* 60. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 4. *punct.* 7. *num.* 3. Tanner. 2.2 *d.* 2. *q.* 5. *nu.* 76. Nauar. *ſumm. c.* 24. *num.* 13. Petr. Ledeſ. *tom.* 2. *ſumm. tract.* 4. *capit.* 4. Becan. *de Charit. capit.* 21. *numer.* 26. Filliuc. *tractat* 28. *numer.* 117.

74 *Poteſt veniale aliquando eſſe materia.*

Licet peccatum veniale communiter non ſit propria præcepti huius materia, aliquando tamen poteſt eſſe. Quia quædam venialia piacula ſunt tam periculoſa, vt quaſi certum moraliter ſit, eum, qui iis aſſueuerit, mortaliter peccaturum, vt eſt conſuetudo iurandi vix aduertendo, num verum, an falſum affirmetur. Et quidem ſi intelligat ſuum periculum, opus erit fraterna correptione: eo enim ipſo lethaliter peccauit iuxta illud *Eccleſ.* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Si non intelligat, locum habebit Doctrina; & inſtructio, vt ſibi ab imminenti ruina caueat. Hinc fit, ſuperiorem Regularem teneri aliquando ſub mortali culpas veniales ſubditorum corripere, præſertim ſi religioſam turbent diſciplinam. Licet enim ſingula venialia piacula reſpectu priuatorum magni momenti ſint, reſpectu tamen communitatis magnum adferunt nocumentum. Nauar. *ſum. c.* 24. *n.* 12. & 13. Graf. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 69. *nu.* 26. Sylueſt. *v Correptio qu.* 1. *num.* 2. Miranda *de Ord. iudic. to.* 1. *q.* 10. *a* 1. *concl.* 5. Tanner. 2.2. *dub.* 2. *quæſt.* 5. *numer.* 76. Diana *part.* 3. *tractat.* 2. *reſol.* 38. & *part.* 7. *tractat.* 3. *reſolut.* 7. Reginal. *lib.* 4. *numer.* 363. Bannes 2.2. *quæſt.* 33. *a.* 2. *d.* 1. Petr. Ledeſ. *to.* 2. *tr.* 4. *c.* 4. *concl.* 4. *dub.* 1. 2. & 3.

74 *Correptio fraterna ſe ad omnes extendit.*

Correptio fraterna ſicut miſericordia ſe ad omnes extendit. Quia eſt externæ miſericordiæ executio, & eleemoſyna quædam ſpiritualis, quæ omnibus in neceſſitate conſtitutis impertienda eſt. Vnde non ſolum corripiēdi sūt ſubditi, vel æquales, verum etiam ſuperiores ac Prælati. Quia & ipſis tenemur, in ſpirituali neceſſitate ſubuenire: in maiori enim periculo verſantur, & pauciores ſunt, qui illos audeant admonere. Tamen in Prælato corripiēdo certus modus eſt adhibendus, neque enim obiurgandus, ſed humiliter admonendus, & ea reuerentia corripiens debet procedere, vt obſecratio potiuſſe, quam increpatio videatur. 1. *Tim.* 5. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem.* Nomine autem Prælatorum hic intelligo non ſolum Epiſcopos, Parochos, & Abbates: ſed etiam maritos reſpectu coniugum, parentes reſpectu liberorum, Reges, & Iudices reſpectu ſubditorum proportionaliter ad ea, quæ ſui ſunt regiminis. *cap. Duo iſta* 23. *quæſtion.* 4. D. Thom. 2.2. *quæſtion.* 33. *a.* 4. Malder. Sylui. Caiet. & Argon. *ibi.* Bonacin. *to.* 2. *d.* 3. *quæſ.* 4. *punct.* 7. *num.* 5. Petr. Ledeſ. *to.* 2. *ſumm. tractat.* 4. *capit.* 4. *concl.* 16. & 17. Laym. *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 7. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 28. *n.* 125. Reginal. *l.* 4. *num.* 330.

75 *Non ſemper ex præſembre hoc præcepti obligat.*

Cum correptionis præceptum ſit affirmatiuum, non obligat ſemper, & ad ſemper pro aliquo tempore. Vnde concurrentibus queiſdam conditionibus obligabit. Prima vt ſcias, ſeu ſis certus moraliter de proximi peccato, iudicia enim temeraria, & ſuſpiciones vanæ rediligentiſſimè ſunt repellendæ: nec ſufficit probabilis coniectura. Secunda vt ſit fructus ſpes, ſaltem probabilis, qua ceſſante, non teneris inanem ſubire laborem. Tertia, vt correptio commode fieri poſſit. Teneris autem proximo ſuccurrere in extrema neceſſitate ſpirituali, quamuis mors immineat; ſi autem curam animarum geras, etiam in graui. Quod ſi tantum immineat periculum famæ, aut fortunarum, obligabit paulo arctius præceptum, vt ſcilicet, conſiderato commodo, quod probabiliter exſpectas, & incommodo, quod times, iis inter ſe comparatis, videas, quid lex charitatis permittat, conſulat, præcipiat. Quarta, vt non ſit alius magis idoneus ad corripiendum, vel ſi alius idoneior adſit, aut cui onus correptionis incumbit nolit id ſubire. Vnde hoc præceptum non tam frequēter occurrit, præſertim in hominibus vulgaribus, qui nec tantā habēt authoritatē nec tanta prudētia pollēt, vt conueniēter hoc valeant remediū adhibere. Propterea hoc præceptū ample eſt accipiendum, nec credendum facile, timoratos, præſertim viros peccare lethaliter, illud violando, ſpeciatim ſi Prælati non ſint. Imo concurrentibus etiā præfatis quatuor conditionibus, fieri poteſt, vt tantum venialiter delinquas, ſi videlicet correptionem ex quadam negligentia, ac tepiditate omittas, exiſtimo te nunc fratrem iuuare non poſſe. Quia cum præceptum hoc tot circumſtantias requirat, facile interuenire poteſt naturalis quædam ignorantia, vel inaduertentia, quæ in omni materia à mortali crimine excuſat. Tanner. 2.2. *dub.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. *num.* 79. Filliuc. *tr.* 28. *n.* 133. Diana *p.* 7. *tr.* 3 *reſol.* 5. & 39. Adrian. *in* 4. *de correp.* Valent. 2.2. *q.* 33. *a.* 2. *d.* 10. *punct.* 2. Nauar. *ſumm. capit.* 24. *numer.* 12. Granad. 2.2. *contr.* 3. *tr.* 12. *d.* 1. 6. 7. & 8. Reginal. *l.* 4. *n.* 337. Caram. *in Reg S. Bened. n.* 1697. Azor. *p.* 2. 12. *c.* 15. *qu.* 3. Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 7. 6. *n.* 2. & alij.

76 *Non ſtatim faciēda, ſed tēpus opportunū exſpectandum.*

Cum finis correptionis ſit proximi emendatio, propterea ſtatim facienda non eſt, ſed poteſt differri in tempus magis opportunum, quo fructus ex ea ſperaturiimo ſi per præſentem correptionem non ſperetur, niſi inconſtans & parum ſtabilis emendatio, differendo autem ſit ſpes ſolidioris conuerſionis, differri operæ pretium erit. At ſi putaretur, correptum ſtatim firmiter conuertendum, etiamſi minus feruenter, ſtatim corripiendus eſt. Quia quantum fieri poterit, tenemur Dei euitare iniuriā ex peccatis, quæ interea proximus perpetraret. Nauar. *ſumm. capit.* 24. *numer.* 12. Sylui. 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 2. *quæſt.* 7. Reginal. *libr.* 4. *numer.* 346. Filliuc. *tractat.* 28. *numer.* 129. & 138. Sotus *de ſecret. memb.* 2. *quæſtione ſecunda concl.* 4.

77 *Nō obligat, vt corripias ex ignorātia inuincibili delinquentem.*

Non obligat correptionis præceptum, vt ex ignorantia inuincibili peccantem corripiamus, ſi emendationis ſpes non adſit. Quia nulli debemus laqueum iniiciere: ſed in hoc euētu corripere, nil aliud eſſet, quam lequeum, & offendiculum apponere: conſtitutus namque in bona fide, & ſtatu per correptionem tuam in periculoſo, ac malo verſabitur. Porro illum talis ignorantia graui excuſabit à crimine, vnde illius ſalus in periculo non verſatur. Quando vero ex ignorantia vincibili peccat,

& spes adest emendationis corripiendus est. Quia frater eo in casu est peccaturus, vnde eius salus est in periculo: tenemur autem, quantum possumus, & indiget, proximum à periculo auertere. Graf. *p.1. lib.2. cap.68. & 69.* Malder. *2.1.q.33.a.6.* Bonac. *to.1.d.3.q.4.pun.7. n.11.* Sanch. *de matr. l.2.d.38.* Reginal. *l.4.nu. 334.* Nauar. *sum.c.24.nu.12.* Diana *p.3.tract.4. resol.80. & p.7.tr.3.resol.18. & 19.* Filliuc. *tract. 28. numer. 119.* D. Thom. *2.2.quæst.33.art. 7. & 8.*

78 *Quo ordine facienda correptio.*

Correptio fraterna eo ordine facienda est, quem Christus Dominus *Mat. 8.* præscripsit. Debet corripi frater secretissimè *inter nos & ipsum solum.* Si priuata ac secreta monitio non profuit coram vno teste, aut si necesse fuerit, duobus corripiatur. Si adhibitis hisce testibus adhuc correptio non profuit Prælato debet denunciari, si demum delinquens eos non audierit, ad Ecclesiam est recurrendum, cui, si nō ob temperauerit, tanquam *Ethnicus, & publicanus* est habendus. D. Tho. *2.2.q.33.a.7. & 8.* Bannes & Sylui. *ibid.* Petr. Ledes. *tr.4.cap 4. concl.20.* Valent. *2.2.d.3.q.10.punct.5.* Tanner. *ibi d.2.q.5.dub.5.* Becan. *sum.tr.de Charit. c.21. num.30.*

79 *Delinquit qui omittēs ordinem à Domino præscriptū, proximum graniter lædit.*

Qui ex omissione ordinis à Domino præscripti fratrem notabiliter lædit in fama, aut aliis rebus, mortaliter delinquit. Quia Christus vt summus animarum Medicus hoc suo præcepto facillimum nobis remedium exposuit, quo fratrem quam minimo ipsius detrimento sanaremus, idque in fauorem eius, qui deliquit. Vnde cum ille ordo censetur vel necessarius, vel vtilis admodum ad commodam fratris emendationem, & tamen peruertitur: contra charitatem delinquitur plus, vel minus, pro ratione detrimenti, quo proximus afficitur. Profecto in hoc Dominico præcepto, sicut & in aliis plerisque, magis attendenda est intentio, quam verba. Intentio autem Domini est, studiosè tentandum omnibus modis, vt vel frater peccans resipiscat, vel si id impetrari non possit, alij ab illius cōtagio præseruentur. Quod si vel pro altero, vel vtroque eorum aliquid secus fieri conueniat, quam à Domino præscriptum est, id ex mente Domini fieri debebit, qui duo nobis conseruanda proposuit conscientiam fratris, & famam; si vtrumque potest conseruari, optime agetur: si non semper, conscientia famæ est præferenda. D. Tho. *2.2.qu.73.art.2.* Sylues. *v. Correptio, q.5.6. & 7.* Filliuc. *tr.28.n.156.* Tanner. *2.1.d.2 q.5.dub.5.num.109.* Sotus. *relect. de Secre.memb.2.q.4.* Nauar. *sum.c.24. nn.14.* Valent. *2.2.d.3.quæst.10.pun.5.§.1.* Bannes *2.2.q. 33.a.8.*

80 *Non potest Prælatus punire subditū ob notitiam fraternæ denūciationis.*

Ex notitia propter fraternam denunciationem accepta, non potest Prælatus denunciatum punire pœnis à iure constitutis, sed tantum arbitrariis, quas ipse vt pater ad emendationem conferre iudicauerit. Quia per correptionem Euangelicam delictum Prælato indicatur non vt Iudici formaliter, ac præcipuè, neque per viam iudicialem; sed vt patri, & per viam charitatis, sed quia ad patris authoritatem spectat, vt conuenientibus pœnis filios coërceat, id gerere poterit. Nam tamen auferre ei ministerium, aut de loco in locum eum immittere, quando de crimine nō conuincitur. Quia licet hæc omnia quantum est de se subdito grauamen non inferant, nam superioris voluntati tenetur subiacere: concurrente tamen tali circumstantia, quod fuerit inquisitus, aut suspectus, magnum grauamen inferunt: nam intuitu delicti inferri videntur. Quando vero Prælatus certam habet de errore patrato scientiam, potest corrigere subditum, & etiam aliqua pœnitentia regulari punire, ita tamen, vt totum occulte fiat, si error sit secretus: & solum publicè possit corrigi, quando error est publicus. Bannes *2.2.qu. 33.a.8.dub.4.concl.2. & 3.* Valent. *2.2.d.3.q.10. pun.5.§.8.* Petr. Led. *to.2.sum.tr.4 c.4.concl.16. & 17.d.1. & 2.* Sotus *in relect. de secreto.memb. 2.quæstion.4.concl.7.* Filliuc. *tract.at.28. numer. 161.* Tanner. *2. 2. dub. 2.quæstion. 5.dub. 5. num.110.*

CAPVT IX.

De peccatis contra Charitatem erga proximum. Vbi de Amore proprio inordinato, de Discordia, seditione, Rixa, Contentione, &c.

81 *Quæ peccata directè opponantur Charitati in proximum directè.*

PRÆCIPVA peccata Charitati in proximum directe opposita sunt Odium, Acedia, Inuidia, Discordia, Seditio, Schisma, Bellum iniustum, & Scandalum. Dixi, *Directè*, nam indirectè & consequutione quadam omnia peccata in decem. Præcepta Decalogi Charitati aduersantur. Quia per illorum transgressionem violantur ea, quæ præcipit ille, qui ex Charitate est diligēdus. Porro cum inter proximos proximior sit quisque sibi quam alteri, de peccatis contrariis Charitati in nosmetipsos exordium assumo.

82 *De inordinato amore nostri ipsius, amore per excessum.*

Hæc quidem ad duo capita possunt reduci, amorem scilicet inordinatum nostrum, & ad Acediam contra amorem nostri ordinatum peccare possumus aut per excessum, aut per defectum. Per excessum, cum nos ipsos nimiū amamus, quod tunc censetur solum esse de se mortale, & Charitatem destruere, cum per illum nos Deo præferimus, quod Charitati repugnat. Non autem cum præferimus nos proximo. Quia post Deum in ordine Charitatis secundus nobis locus conceditur. Hoc ergo genere peccat ille, qui inferni pœnam ita timet, & præmium beatitudinis ita à Deo expectat, vt ipsum, quod timet, & sperat, Deo præferat, secum statuendo, quod nollet Deo obtemperare, si tale malum non immineret, vel tale bonum non promitteretur. Reginal. *libr. 17. numer. 105.* Trull. *lib.2 primo Decalog. capit. 6. dub.1. numer. 2.* & omnes.

Per

83 *De inordinato in nos amore per defectum.*

Per defectum vero contra eandem Charitatem possumus delinquere, non diligendo nos satis, vt contingit, quando salutem nostram siue spiritualem, siue temporalem negligimus. Quod vt lethale sit, tres requiro conditiones. Primam, vt malum, quod inde prouenit, sit graue, vt mors, mutilatio, morbus grauis, & diuturnus. Secundam, vt id negligens aduertat, vel debeat aduertere, ex tali neglectu sequuturum: vnde excusare possunt à mortali, qui ex gula nonnulla edunt, quę mortem ipsis afferunt, si mortifera esse nesciunt, nec tenentur scire, nec medicinæ studere. Tertiam, vt nõ sit rationabilis causa, cũ is patiatur huiusmodi corporis detrimentum. Et generatim tunc quis peccat lethaliter contra sui charitatem, cum bonum temporale æternæ suæ saluti præfert, vel iis, quæ ad illam sunt necessaria, vt est præceptorum obseruatio. Reginal. *l.* 17. *n.* 106. & alij communiter.

84 *Acedia quid.*

Acedia est *tristitia*, *seu tædium rerum spiritualium*, quatenus ad ipsum hominem pertinent: v. gr. si tædeat pœnitentiam agere. Siue *tristitia voluntatis de bono aliquo diuino & nostro existimato vt malo proprio ob difficultatem illud obtinendi afferens proinde inuriam & negligentiam spiritualium actionum.* Dicitur *Tristitia voluntatis*, quia etsi tristitia hæc possit esse in appetitu sensitiuo, tamen ea, quæ contrariatur proprie charitati, in voluntate sita est. Dicitur *De bono aliquo diuino*, id est, de bono spirituali, circa quod Charitas versatur, siue sit ipsemet Deus, siue gratia, & gloria, quibus Deum assequimur. Additur *Nostro*, quia bonum hoc propositum nobis est ad obtinendum per piarum actionum exercitamenta. Dicitur deniq; *Existimato vt malo proprio ob difficultatem obtinendi.* Omnis enim tristitia est de proprio malo, vel apparentæ: v. gr. si quem tædeat pœnitentiam agere ex quadam veluti nausea, ob asperitatis conceptę horrorem: aut nolit concionem haberi, ieiunium esse ex quodam rerum spiritualiũ fastidio. D. Tho. 2. 2. *q.* 35. *a.* 2. & omnes.

85 *Quod peccatum Acedia.*

Est acedia peccatum mortale ex genere suo Charitati oppositum. Quia quod Charitati opponitur mortale est ex genere suo. Esse autem contra Charitatem acediam patet. Quia Charitas de bono diuino gaudet vt nostro per apprehensionem spei: acedia vero tristatur. Quare grauissime delinquis, si doleas quod sic creatus sis, vt tenearis esse Dei amicus, eiusque mandata obseruare, sin minus æterno supplicio puniri. Semper autem est mortale, nisi adsit consensus pleni defectus. Quia est contemptus Maiestatis diuinæ, cuius refugis amicitiam, & tuarum voluptatum executioni postponis. Palao *de Charit. tr.* 6. *d.* 4. *pun.* 3. *n.* 2. & 5. Suar. *de Charit. d.* 6. *sect.* 3. ex D. Th. 2. 2. *q.* 35. *art.* 3. Plura *volumine* 1. cum de Vitiis Capitalibus disserimus.

86 *Quid Inuidia.*

Inuidia est *tristitia de bono alieno æstimato ob inuidente vt malo proprio, quatenus obscurat seu imminuit proprij boni excellentiam.* Dicitur *Inordinata tristitia*: nam si sit ordinata, ad culpam non imputabitur. Quare peccato inuidiæ non inficitur, qui occasione boni alicuius tristitiam capit, non ex eo quod alter tale bonũ habeat; sed quia videt, se illo carere, nullatenus intendens alterum iniuria, vel damno afficere. Additur, *Quatenus videtur minuere propriam excellentiam*, ad innuendam differentiam inuidiæ ab aliis peccatis, quibus quis dolet de bono alterius. Nam si tristeris de bono Dei, vt bonũ Dei est, dicitur actus Odij Dei. Si tristeris de bono Antonij ex displicẽtia ipsius, est peccatũ odij in proximũ. Si tristeris de bono alicuius, quia illius consecutione times tibi ademptam adulterandi occasionem, est adulterij crimen: actus enim efficax à fine etiam specificatur. Si tristeris de alterius bono, quatenus times damnum proprium allaturum, dicitur timor. Si tristeris de bono alterius, seu potius de proprio defectu, quod ipse bono illo caret, dicitur zelus. Si tristeris de bono alterius, quatenus contingit ei qui est indignus, dicitur indignatio. A quibus omnibus differt inuidia per illam particulam, *Quatenus est tristitia de bono alterius, vt est propry boni diminutiuum.* Turrian. 2. 2. *quæstion.* 56. *dub.* 1. *vnico.* Palao *de Charit. tractat.* 5. *dub.* 4. *punct.* 2. *num.* 2 & 3.

87 *Quod peccatũ Inuidia.*

Inuidia suo ex genere lethale piaculum est. Quia duplici virtuti nempe Charitati, ac Misericordiæ cõtrariatur: Charitati quidem quia hæc delectatur de proximi bono, inuidia vero tristatur: Misericordiæ autem, quiæ hæc tristatur de malo proximi, & de bono gaudet: inuidia autem de bono tristatur. Ex duplici capite potest esse veniale, ob imperfectionem scil. consensus, indeliberatamve aduertentiã: & ob materiæ paruitatem. Semper autem est peccatum, quia est contra Charitatem, quæ de bono proximi gaudet, cum tamen inuidus tristetur, & doleat. D. Tho. 2. 2. *qnæs.* 36. *articul.* 2. & 3. Nauar. *summ.* 23. *num.* 1. & 8. Suar. *de Charit. d.* 7. *sect.* 4. *n.* 2. Palao *de Charit. tr.* 6. *d.* 4. *pun.* 3. *nu.* 3. Valent. *to.* 3. *d.* 1. *q.* 13. *punct.* 2.

88 *Quid discordia.*

Discordia est *dissensus voluntatis à voluntate proximi circa bonum diuinum, vel proximi, quod quis velle ex Charitate teneatur.* Dicitur *Dissensus voluntatis*, quia discordia est, habere diuersum cor, seu voluntate dissentire. Dicitur *contra bonum*, discordia enim in malo, bonum est. Additur, *Quod quis velle tenetur.* Nam discordare circa bonum aliquod supererogationis, ad quod quis non tenetur, non est peccatum. Caiet. *verb. Discordia*, Valent. 2. 2. *d.* 3. *quæs.* 14. *punct.* 1.

89 *Quod peccatum sit discordia.*

Est discordia suo ex genere peccatum lethale. Quia aduersatur peculiari illi actui charitatis, qui est pax & concordia cum proximo: ideoq; supposita graui materia mortale erit. Est autẽ veniale, quando non adest plena deliberatio. Quando materia est leuis: vt si bonum, in quo discordas, sit exiguum. Nullum autem peccatum erit, quando probabiliter existimas non esse bonum, quod alter intendit. Quo pacto à D. Thoma dissensio inter Paulum ac Barnabam *Act.* 15. excusatur. Vel quando quis inuincibiliter ignorat quod alter vult, esse bonum. Infero, discordiam esse distinctum ab aliis contra Charitatem. Quia diuerso modo morali ei aduersatur. Debet autem esse intenta, vt culpabilis sit; si enim ex rationabili facto alterius per accidens sequeretur, non esset peccatum. D. Tho. 2. 2. *quæstion.* 37. *articul.* 1, Caiet. *ibid.* Valent. 2. 2. *d.* 3. *quæstion.* 14. *pun.* 1.

Filliuc.

Filliuc.*tr.*28.*c.*9.*quæs.*1. & 2. Suar. *de Charit.d.* 11.*sect.vnic.num.*4. Bonac. *tom.*2.*d.*1.*quæstion.*4. *punct.vltim.*§.4.*num.*2. Trul. *lib.*1. *Decalog.c.*6. *dub.*4.*num.*3. Palao *de Charit. tr.*6.*d.*4. *punct.*4. *num.*3.

90 *Quid sit contentio, & quod peccatum.*

Contentio est *altercatio verborum cum proximo contra veritatem, ad eam impugnandam.* Est quasi effectus discordiæ, & contraria paci Charitatis, ex qua proximo tenemur velle coniunctionē in veritate, quæ est quoddā bonum. Dixi, *Contra veritatem.* Quia si contra falsitatem esset, laudabilis existeret. Dixi, *Ad veritatem impugnandam,* Quia si tantum contendatur exercitationis causa, vel ad explorandam alterius eruditionem, vt fit in Scholis, peccatum non esset. Est peccatum ex suo genere, vt alia, quæ contra charitatem dimicant. Ad *Rom.* 1. *Plenos inuidia, homicidio, & contentione.* Fit peccatum veniale, si non sit deliberata. Si circa exigui momenti veritatem. Bonac. *to.*2.*d.*3.*q.*4.*pun.vltim.*§.4. *num* 5. citans Sanchez, & alios. Caiet. 2.2. *quæs.* 37.*articul.*1. ex D. Thoma. Luisi. Turria. 2.2.*q.* 38.*art.*1. Palao *de Charit.tract.* 6.*dub.*4. *pun.*4. *num.*5.

91 *Rixa quid, & quod peccatum.*

Rixa est *priuatarum personarum pugna ex mutua ira & excandescentia excitata.* Eius proxima causa est ira. Quia ira vindictam appetit. *Prou.* 17. *Ira excitat rixas.* Oritur etiam ex odio. *Prou.*10. *Odium suscitat rixas* Est suo ex genere mortale peccatum ex parte eius, qui est inuasor. Quia est contra pacem Charitatis, & proximo contra iustitiam damnum infert. Ex parte vero eius, qui se defendit, potest rixa esse veniale solum, & aliquando nullum. Veniale erit, si modice in sua defensione excedat plus repugnando, aut lædendo inuasorem, quam necessarium sit. Nullum vero si modum inculpatæ tutelę obseruet. D. Thom. *quæstion.* 41. *articul.* 1. Filliuc. *tract.*28.*c.*9. *q.*4.& 5.

93 *Quid Seditio, & quodnam peccatum.*

Seditio denique est *dissensio ciuium, cum vna pars Ciuitatis contra aliam ad pugnam insurgit,* Differt à Discordia, quia hæc propriè est in animo, & inter quoscumque: seditio vero in opere, & inter partes multitudinis. quæ pluribus ciuibus constet. Differt à Rixa, quia hæc inter duos, vel paucos, ideo solummodo priuatum damnum infert: at seditio est inter eiusdem Reipublicæ partes. Differt à Bello, quia hoc est inter integras Respublicas: Seditio autem inter eiusdem Reipublicæ partes. Differt demum à Schismate, quia Schisma est vnitati spirituali Ecclesiæ contrarium, Seditio vero politicæ Reipublicæ vnitati aduersatur. Quia bonum pacis politicæ in vno Reipublicæ corpore magnum quoddam est bonum. Ex parte autem eorum, qui in Seditione pacem, & vnitatem Reipublicæ defendunt, constat nullum esse peccatum. Certe peccatum hoc formaliter est contra pacem Charitatis, & quasi materialiter contra iustitiam, propter damnum, quod Reipublicæ infert. D. Tho. 2.2. *quæstion.* 42. *articul.*1. Caiet. *verb. Seditio.* Filliuc. *tract.*28.*cap.*9.*qu.*6. & 7. Sylvest. *verb. Seditio.*

CAPVT X.

De Odio.

94 *Quid sit odiū, & quotuplex.*

ODIVM est *alienatio seu auersio voluntatis ab eo, quos vt malum æstimatur.* Aduersatur amori directe, ac proinde sicut duo sūt amorum genera amicitiæ ac concupiscentiæ, ita est odium inimicitiæ, quo volumus alicui malum, vt ipsi mali sit; & est odium abominationis. quo fugimus aliquid, vt nobis incommodum. Vtrumque rursum est duplex. Aut enim tendit in Deum, aut in proximum, estque intime permixtum omnibus peccatis adeo, vt omne peccatum mortale secundum prudentem æstimationem quoddam Dei: omnisque in proximum iniuria odiū proximi participet. D. Tho. 12.*q.*29.*a.*1.& 2.2. *q.*34.*art.*1. Bonac. *to.* 2. *n m.*3.*qu.*4.*pun.vlt* §.1. Laym. *l.*2 *tr.*3. *c.*8.*n.*1. Filliuc. *tr.*28.*n.*167. Sylui. 2.2.*q.*14.*a.*1.

95 *Odiū repugnat charitati, & est omniū peccatorū grauissimum.*

Si odium sumatur vt est speciale peccatum directe repugnans charitati est omnium peccatorum grauissimum siue quæ in Deum, siue quæ in proximum committuntur. Respectiue tamen si præcisè considerentur Quia quædam peccata odium Dei includunt, & super addūt, alias deformitates, vt blasphemiam complectam, apostasiam, &c. Quædam autem peccata in proximum præter odium inferunt graue nocumentum, vt homicidum, detractionem, &c. vnde odium inimicitiæ tum erga Deum tum erga proximum per se, & intrinsece malum est, & ex genere suo mortale. D. Tho. 2.2. *q.*34.*art.*2.& 4. Sylui. *ibi* Valent. 2.2.*d.*6.*q.*3. *pun.*2. Malder. Turrian. ad D. Thomam *citatum* Tolet. *l.*4.*c.*9.*n.*1. Laym. *l.*2.*tr.*3.*c.*8.*n.*3. Filliuc. *tr.*28.*n.*175.& 176.

96 *Odium in Deū vtrū sit lethale.*

Profecto cum Deus infinite bonus sit, & in eum nulla malitia seu defectus intrinsece vel extrinsece cadere possit, ob quem odio dignus sit odium abominationis erga Deum per se, & intrinsece est malum, suoque ex genere mortale peccatum, Laym. *l.*2.*tr.*3.*c.*8.*n.*5.

97 *Odium in proximum potest esse veniale, aut nullum peccatum.*

Fieri tamen potest, vt odium inimicitiæ erga proximum sit tantum veniale, aut nullum. Secundò, ex paruitate materiæ, quando leue aliquod malum proximo imprecamur. Tertio, quando non fertur immediate in ipsum hominem, sed in vitium. Turrian. 2.2.*d.*91 *dub.*1. Bonac. *to.*2.*d.*3.*q.*4.*pun.vlt.*§.1.*num.*6. Tolet. *de septem peccat.cap.c.*70. Reginal. *l.*17. *num.*114. Sylui. 2.2.*q.*34.*a.*6.*quæs.*4.

98 *Non potest odiū in Deū veniale esse ob paruitatē materiæ.*

Certe odij Dei peccatum nullatenus potest esse veniale ob paruitatē materię. Quia quodlibet odium in Deum maximæ summę bonitati eius, qui summè bonus est repugnat, nec in ipsum vllaratio mali cadere potest. Omnes Sic.

CAPVT

CAPVT XI.

De Bello.

99 *Bellũ quid, & quomodo differat à Seditione, & rixa.*

BELLVM est *armorum conflictus, seu professio nocendi vi & armis contrariæ parti.* Differt à Seditione, & rixa: quod bellum sit multitudinis contra extraneos; Seditio vero multitudinis contra multitudinem eiusdem communitatis: rixa autem paucorum vel singulorum contra paucos, aut singulos. D. Tho. 2. 2. *q.* 42. *a.* 1. D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 4. *c.* 8. §. 1.

100 *Bellũ iustũ licitum est, iniustum grauis peccatum.*

Aliud bellum est iustum, alium iniustum. Bellum iniustum est graue peccatum, tum Charitati, ac paci, tum iustitiæ oppositum. Iustum vero Charitati, ac paci potius inseruit. Quia finis belli est pax & securitas. Bellum iustum est duplex, vnum defensiuum, alterum offensiuum: offensiuum quidem non nisi publica Principis authoritate vel Magistratus nullum superiorem agnoscentis geri potest. Vnde ad illius honestatem tres conditiones requiruntur, legitima authoritas, iusta causa, recta intentio. Omnes Sic.

101 *Prima conditio ad bonitatem belli defensiui est legitima authoritas.*

Prima, inquam, conditio iusti belli, est *legitima authoritas*, qualis residet penes Rempublicam perfectam, seu quæ est per se quoddam totum iure naturali potestatem habens sese gubernãdi. Et in adminiculum iusti belli, licet auxilium petere ab iis, quorum nihil interest, bellum illud gerere quique nullã acceperunt iniuriam, etiam infidelibus, secluso tamen scandalo, ac periculo Fidei. Quia licitum est alium in bono opere adiuuare. Porro Respublica imperfecta (nempe quæ pendet ab alia superiori, cuius quasi pars est, & ad quam in grauioribus negotiis recurrit) vel eius Princeps potest gerere bellum defensiuum sine supremi Principis authoritate. Quia iure naturæ concessa est vnicuique sui, suarumque rerum defensio. Magistratus vero imperfectæ Reipublicæ non potest gerere bellum aggressiuũ sine Principis supremi licẽtia. Quia bellũ aggressiuũ est supremus actus iustitiæ vindicatiuæ: Ergo nõ competit nisi illi, qui supremam exerit potestatem publicam, qualis est Magistratus, vel Princeps Reipublicæ perfectæ. At tamen si qua Ciuitas, aut Princeps antiqua consuetudine præscripta obtinuit, ius gerendi per se bellum, non est ei hæc potestas deneganda, etiamsi alias habere Rempublicam perfectam non videatur. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *capit.* 12. *numer.* 2. Manu. *summ. tom.* 1. *capit.* 125. Filliuc. *tractat.* 29. *numer.* 180. Reginal. *lib.* 22. *numer.* 84. Becan. 2. 2. *capit.* 25. *quæstion.* 1. *numer.* 3. Moli. *de iust. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 160.

102 *Secunda conditio est, causa iusta.*

Secũda conditio est *causa iusta*, quę in vniuersũ est grauis, ac certæ iniuriæ propulsatio. Nec sufficit qualiscumque persuasio de iusta belli causa, sed requiritur certa, vel saltem valde probabilis cognitio, quæ arbitrio prudentum sufficere possit. Vnde Princeps tenetur diligentissime inuestigare belli iustitiam tum per se, tum per alios, adhibito etiam peritorum consilio. Quod post sufficientem examinationem belli iustitia sit æqualiter dubia, is qui est in possessione, non potest ab altero armis inuadi. Quia sequeretur bellum posse ex vtraque parte esse iustum secluso ignorantia probabili, quod est contra communem Doctorum sententiam. Hinc pater, talem aggressorem non solum mortaliter peccare, sed & ad restitutionem teneri Castri, Vrbis, vel Prouinciæ, qua possessorem spoliauit. Porro milites ordinis inferioris, qui ad consilium bellicum non admittuntur, non tenentur belli causas examinare, sed possunt militare, quãdiu de iniustitia belli non constat. Quia milites sunt sententiæ Principis solum executores Secus dixerim de militibus extraneis, qui neque sunt subditi Principis mouentis bellum, neque stipendiarij: in dubio enim militare non possunt. Quia se periculo exponerent grauissimas inferendi iniurias, quod non militando vitare possent. Moli. *to.* 1. *d.* 113. Sà *verb. Bellum numer.* 10. Bonac. *de restit. dub.* 2. *quæstion. vltim. sect.* 1. *punct. vltim. numer.* 10. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* & *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 96. Malder. 2. 2. *quæst.* 40. *articul.* 1.

103 *Tredecim iustas causas, ad inferendum bellum iudico.*

Tredecim vero causas enumero, ob quas ille, qui habet authoritatem iuste potest bellũ indicere. Prima est infidelitas, non quidem sola, sed ob aliquam circumstantiam illi annexam: nempe quando infideles iniuriam Christianis inferunt, illos à vera Religione abducendo, vel impediendo liberam Euangelij prædicationem. &c. Secunda est, hæresis: requiritur tamen, vt hæretici sint ab Ecclesia denũciati. Tertia, quando negatur aliquid, quod iure naturæ debetur. Quarta quando terræ, vel Regna iniuste ab alio possidentur. Quinta, quãdo populus seruitute, vel aliis iniuriis opprimitur ab alio quã à proprio principe. Sexta, quando populus præbet auxilium inimicis, qui iustum bellum gerunt. Septima, quando alicuius principis legati magna contumelia afficiuntur. Octaua, cum quis seditionem, vel rebellionem contra Principem excitat. Nona, cum quis sceleratum, qui iuste petitur ad supplicium, defendit. Decima, quando Princeps, ac populus non stant pactis, & pollicitis. Vndecima est, defensio amicorum, & ex captiuitate liberatio. Duodecima alicuius viri Principi sanguine iũõi cædes iniusta. Decimatertia, quando populus confœderatus, & amicus iustam habet causam bellum inferendi. Valent. 1. 2. *dub.* 3. *quæstion.* 16. *punct.* 2. Bonacin. *de restit. dub.* 2. *quæstion. vltim. sect.* 1. *punct. vltim.* § 2. *numer.* 8. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 104. Diana *part.* 6. *tr.* 4. *resol.* 3. Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *cap.* 12. *num.* 5.

104 *Tertia conditio est recta intentio.*

Tertia conditio est *recta intentio*. Vnde sũt tres belli fines, *Rei ablatæ recuperatio. Vltio iniuriæ, Pax ac securitas Reipublicæ.* Bellum enim non est suscipiendum nisi ob bonum commune spirituale, aut temporale, nempe ob vnum ex illis tribus finibus, aut ob omnes simul. Quia bellum est supremus actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ virtus est personæ publicæ, inclinans hominem in publicam vtilitatem. Sinistra autem Principis intentio licet sit mala mortali

mortaliter aut venialiter nullam tamen obligationem restituendi inducit respectu aduersariorum. Prior pars ostenditur: quia finis in moralibus est mensura bonitatis, aut malitiæ: vnde si bellum ex graui odio geratur, erit peccatum mortale: si ex inani gloria, veniale erit. Posterior patet: quia Princeps non peccat cõtra iustitiam, nam; pono, aduersarios iniuriam intulisse, & bellum legitimè esse indictum. *c. Quid culpatur, 23. q. 1.* Clauis Reg. *l. 7. c. 13. n. 8.* Moli. *tom. 1. tract. 2. dub. 107.* Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 12. numer. 3.* Nauarra *de rest. libr. 2. capit. 3. num. 269.* Bonac. *de rest. dub. 2. quæstion. vltim. sect. 1. punct. vltim. §. 2. numer. 6.* Bannes *2. 2. quæst. 40. articul. 1. dub. 9.* Manu. *part. 1. summ. capit. 125. numer. 1.* Filliuc. *tract. 29. numer. 182.*

105 *Interdictum est in Sacris constituto gerere bellũ nisi in quatuor casibus.*

Interdictum est Ecclesiasticis gerere bellũ: & constituti in maioribus Ordinibus pugnando propriis manibus lethaliter delinquunt, quatuor exceptis casibus. Primo quãdo aliter nequeunt, propriam vitam conseruare. Secundo, in necessitate patriæ, ciuitatis, vel exercitus: & tunc iure naturæ tenentur. Tertio, quãdo id omnino esset, ad defendendam innocentis vitam, necessarium. Quarto, si ad consequutionem iustæ victoriæ, à qua pax, & commune bonum pendet, id omnino conduceret; vnde in hisce casibus occidendo, irregularitatem minime incurrerent. *Cap. Eos, qui 20. quæstion. 3.* Reginal. *libr. 21. numer. 89. & 90.* Bannes *2. 2. quæstion. 40. articul. 2.* Malder. *ibid.* Diana *part. 6. tractat. 4. resol. 35.* Lezana *tom. 3. summ. verb. Bellum, numer. 11.* Filliuc. *tr. 29. n. 110.* Sylui. *2. 2. q. 40. articul. 2. quæstiunc. 1. concluf. 5 & 6.*

106 *Clerici, qui dominio temporali in Republica perfecta fruuntur.*

Clerici tamen, qui dominio temporali in Republica perfecta fruuntur, possunt ex iusta causa, non secus ac alij temporales Principes bellum indicere. Quia omnis Respublica perfecta potest bellum mouere: Omnis autem Reipublicæ potestas in Principe residet: Ergo credendum est, quod cum Pontifex huiusmodi dominium tradit Episcopo, cum illo ab bella gerenda dispenset. Vnde Pontifex summus non solũ tanquam patrimonij D. Petri, Terrarũque in Ecclesiæ bonis contentarũ Princeps mouere potest bellum sicut alij temporales Principes; sed etiam pro potestate, qua in omnes laicas potestates ad finem supernaturalem fungitur, poterit, vel ciere bellum, vel facultatem illud ciendi aliis concedere, aliqua iusta causa oblata: & in aliquo casu prohibere, ne Principes Christiani inter se dimicẽt. Quia pro bono Ecclesiæ non expedit, vt Principes ratione status, & ex dubiis, aliquandoque fictis titulis bellum gerant, & omnia Christicola Regna conturbent. Sylues. *verb. Bellum 3. qu. 1.* Sylui. *2. 2. quæstion. 40. articul. 2. quæstiunc. 1. conclus. 6.* Diana *part. 6. tractat. 4. resolut. 1 & 2.*

107 *Priusquam Bellũ indicatur, Principes debent tentare omnia media, ad suũ ius obtinẽdum.*

Priusquam bellum indicatur, tentanda sunt Principi omnia media, ad ius suum obtinendum, conuenientia. Vnde peti debet ab aduersariis condigna satisfactio: etsi offeratur, acceptari. Quia *bellare non est voluntatis, sed necessitatis*, vt ait D. Augustinus citatus *in cap. Noli. 23. quæstion. 1.* Etsi aduersarij offerunt plenam iniuriarum, damnorumque satisfactionem, iam necessitas bellandi cessat. Caiet. *v. Bellum.* Molina *to. 1. de iust. tr. 2. d. 103.* Laym. *l. 1. tr. 3. c. 12. n. 5. assert. 4.*

108 *Quomodo possit bellũ esse ex vtraque parte iustum.*

Porro bellum potest esse ex vtraque parte iustum formaliter & per accidens, vt propter inuincibilem ignorantiam alterius, aut propter opinionem probabilem, quam quisque sequi potest. Materialiter autem, & re ipsa non potest esse bellum ex vtraque parte iustum, Quia realiter ius vni soli competit: & actus contrarij circa idem non possunt ex se ad eandem virtutem pertinere. Couar. *part. 2. ad Reg. peccatum. Paragraph. 10. numer. 6.* Malder. *de virtutibus, quæstion. 40. dub. 4. articulo primo.* Moli. *tomo primo dub 103.* Sanci. *in select. dub. 44. numer. 6.* Reginal. *libr. 21. numer. 98.* Filliuc. *tractat. 29. numer. 185.* Diana *part. 2. tractat. 13. resol. 8.*

109 *Milites rati bellum iustũ vel iniustũ sequi, in malo fide tu sunt.*

Milites vero, qui parati sunt sequi quomcumque ad bellum vocantem siue iustum sit, siue iniustum, dummodo stipendium præbeat in malo versantur statu, & nisi propositũ corrigant, non debent absolui. Moli. *to 1. de iust. dub. 114.* Laym. *l. 1. tract. 3. cap. 12. nu. 8.* Caiet. *v. Bellum.*

110 *Quæ licent in bello.*

Omnia licent in bello, quæ accommodata sunt aut ad rem ablatam recuperandam, & cõpensationẽ faciendã, aut ad vindictam sumẽdam pro modo culpæ, aut ad pacem componendam, & stabiliendam. Quia in actione iustã licitum est, ea omnia media adhibere, quæ necessaria sũt, & apta, ad finem consequendũ. Valent. *2. 2. d. 3. quæstion. 16. p. 3.* Victor *relect. de iure belli. numer. 18.* Sylui. *2. 2. quæstium. 40. a. 2. quæstium. 6.* Molina *tom. 1. dub 117.* & alii communiter. Vnde, secluso mendacio, licitum est, procurare victoriam per insidias, & stratagemata: & tam in bello defensiuo, quam in offensiuo vltra compensationem iustã belli, alia damna hostibus inferre, ad vindicandam iniuriam illatam, & pro stabilienda pace in futurum, modo adsint conditiones belli iusti supra enumeratæ, Sà *verb. Bellum, num. 15.* Sylues. *ibid. 1. quæstion. 8.* Azorius *part. 3. lib. 2. c. 7. quæstion. 14 & 15.* D. Thom. *2. 2. q. 40. artic. 1.* Sylui. *ibid.*

111 *Quid circa innocentes in bello iusto licet.*

Tempore belli innocentes possunt directe suis bonis spoliari, quando ex eis creduntur iuuandi, vel muniendi inimici. Non licet tamen per se in pugna, aut post pugnã occidere eos, qui sunt, aut præsumi debent innocentes, vt infantes, mulieres, Clerici, Religiosi, legati, oratores, mercatores transeuntes, vel in agricultura existentes. Quia hi in iure Canonico à damnis sunt exempti. In bello autẽ perpetuo contra Turcas licet etiã innocentes captiuare: quod si dati sunt in obsides, & hostes fidem datam violent, non licet eos occidere, nisi sint de numero nocentium. Per accidens tamen possunt innocentes occidi, verbi gratia, si nequeat arx, aut Ciuitas expugnari, nisi diruatur, aut incendatur. Quia tunc necessarium ad finem belli censetur. Semper tamen est perpendendum, an belli finis præponderet innocentum morti, ac aliis damnis inferendis. Molina *tom. 1. d. 119. & 121.* Victor *relect. de bello, numer. 39.* Filliuc. *tr 29. n. 186 & 187. & 191.* Lege *cap. Innouamus, de tregua, & pace. Cap. Paternarum, & cap.*

Sequen

Sequenti 24. *q.* 3. Diana *part.* 6. *tractat.* 4. *resolut.* 11. & 12.

112 *Quid circa mobilia in bello capta, & circa immobilia.*

Contraria consuetudine seclusa, mobilia ab hostibus capta iure gentium militum sunt capientium. Expedit tamen ea tradi Duci exercitus, vt is ea singulis pro dignitate, ac meritis distribuat. Porro immobilia si occupentur, ad supremum belli Ducem spectant, quatenus iustam compensationem, aut pro illata iniuria satisfactionem non excedunt. Victor. *relect. de bello, numer.* 35. Couar. *parte tertia ad Reg. peccat. Paragraph.* 11. *num.* 6. Filliuc. *tractat.* 29. *num.* 188.

113 *Quid quando raptus liber militi. bello concedi tur?*

Quando raptus liber conceditur, si bellum si contra Dominum temporalem, non possunt Ecclesiæ, ac Monasteria spoliari, & deprædantes excommunicati remanent. Si vero bellum geratur iustè contra Ecclesiæ Prælatum, tunc Clerici possunt spoliari tanquam eius subditi. Et quando Ecclesiastici immiscent se bellis ciuilibus, iuuantque hostes: possunt milites eis nocere, si alia ratione victoria obtineri non potest. Et quando Ecclesia est more castri munita ad hostes oppugnandos, potest comburi hostesque ex ea extrahi vel in ea spoliari, & occidi, si hoc necessarium si ad pacem conciliandam: si tamen Ecclesia solum ad defensionem Ecclesiasticorum, aut secularium innocentum in morem castri muniretur, non est ei vis inferenda, neque personis innocentibus: possent tamen arma, ac tormenta bellica ab eis auferri. Sà *v. Bellum, nu.* 3. Manuel. *to.* 1. *sum. c.* 127. *n.* 3. Sylues. *v. Bellum* 1. *n.* 3. Bannes 2. 2. *q.* 4. *a.* 2. Angel. *v. Bellum, n.* 11. Tabie. *n* 18.

114 *Quando possint dari vrbes militibus in prædam, in bello iusto.*

Quando in bello iusto aliter victoria obtineri nō potest, possunt dari Vrbes militibus in prædam. Quia aliquando necesse est præmio milites excitare. Imo parta victoria quandoque licet militibus Ciuitatem diripiendam tradere tum ad alios excitandos ad noua bella: tum ad terrendas alias Vrbes hostiles, tum ad pœnam hostium. Cauendum tamen tunc à direptione Templorum, & ab innocentum occisione. Victor. *relect. de iure belli, nu.* 13. Azor. *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæstion.* 13. Molina *tom. d.* 122. Filliuc. *tr.* 29. *numer.* 198. Reginal. *libr.* 21. *numer.* 115.

115 *Quid in bello iniusto?*

In bello autem iniusto milites, qui deprædantur ciuitatem, mortaliter peccant, & ad restitutionem tenentur propriis dominis, si fieri potest: sin minus Episcopo fieri poterit restitutio, vt in bonum publicum, & commune expendat. Non tenentur tamen milites restituere in integrum totum id quod omnes diripuere, sed singuli tenentur ad restitutionem pro tata, quod ceperunt singuli. Porro si omnes simul confluant excitantes se inuicem, & auxiliantes in deprædatione, vnusquisque in solidum totum damnum illatum restituere teneretur. Petr. Nauarra *de rest. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 12. Angles *in* 4. *q. de rest. ex bello, difficult.* 10. Vuigers *de iust. tr.* 3. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 4. Bassæ. *verb. Bellum, numer.* 15. Diana *part.* 6. *tractat.* 4. *resolut.* 31.

116 *De militū peccatis.*

Peccant lethaliter milites, rusticos, aut alios hospites suos grauando, exigendoue ab aliis id, ad quod iure nō tenentur, iquale est suppeditare sibi victū, & alia necessaria, ad quæ veribus, & vastationibus rei familiaris com-

pelli assolent. Nec illi excusantur ex eo, quod stipendia non recipiāt. Quia bona rusticorum non sunt ea de causa illis obligata: nisi forte milites sint in extrema aut pergraui necessitate: aut omnino necessarij ad defensionem Reipublicæ ipsorum rusticorum non habentes aliūde stipendiū. Caiet. *v. Bellū.* Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *n.* 18. Arm. *v. Bellū.* Diana *p.* 6. *tr.* 4. *ref.* 26.

117 *De supremi Ducis peccatis.*

Supremus Dux seu Magistratus, cuius authoritate bellum geritur, grauiter delinquit, si iusta stipēdia militibus non impertit, ex quo ipsi ad iniustas rapinas inferendas stimulentur: ad quarū restitutionem ipse obligatur. Itē peccat cum obligatione restituendi, si disciplinam militarem seruare intermittat, & milites ab iniustis incursionibus, rapinis, stupris, &c. propositis pœnis non coërceat. Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *n.* 18. Bonac. *de restit. d.* 2. *qu. vlt. sect.* 1. *pun. vlt.* §. 1. *n.* 17. Diana *p.* 6. *tr.* 4. *resol.* 29.

118 *De peccatis Ducis supremo subordinato Duci.*

Profecto Dux supremo subordinatus peccat. Primò si milites suos absque causa necessaria temere certæ internecioni exponat. Secò, si nulla cogente causa, seu necessitate, in locis palustribus, & valde insalubribus castra figat cum morbi, aut contagionis periculo. Tertiò, si in solutione stipendiorum iniustis, ac vsurariis cambiis, seu permutationibus pecuniarum vtatur. Quartò, si pecunias accipiens pro maiori militum numero, eum non complet. Quintò, si stipendium militibus subtrahens, permittat, eos à iusticis, & aliis innocentibus extorquere, quæ sibi sunt necessaria. Sextò, si in delectu plures milites computet Principi, quam verè habeat. Septimò, si donaria ampla à Ciuitatibus, ac Pagis accipiat, ne apud eos milites hospitentur. Licet enim Duci concessa sit electio vnius populi pro alio, quando onus non potest in omnes æqualiter diuidi: non tamen est illi concessum, neque concedi potuit, vt hanc electionē venalem faciat, ac sibi pretium retineat. Expediret potius in hoc casu, si vnus populus hospitando exercitum grauetur, vt reliqui ad eius leuamen media aliqua contributione concurreret. Octauò, delinquit, suos famulos in milites assignans, vt stipendium à Principe signatum imminuat, & sibi illam partem reseruet: nisi constet, ipsos gratis Duci donare, quod rarò est credendum. Nauarra *l.* 2. *c.* 3. *n.* 285. Molina *to.* 1. *d.* 117. Manuel. *to.* 1. *sum. c.* 127. Bonac. *de resti. d.* 2. *q. vltim. sect.* 1. *pun. vlt. n.* 27. Diana *p.* 6. *tr.* 4. *resol.* 27. Malder. 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 6.

119 *De emptione eorū quæ ab aduersariis sunt iniuste extracta.*

Non licet, per se loquendo, emere ab hostibus vili pretio ea, quæ ab aduersariis sunt iniuste extracta. Quia iniustam hostium extractionem, & rapinam priores domini non amiserunt dominium si vero verisimile sit, ea nunquam ad veros dominos peruentura, vt ordinarie euenit: licet illa vili emere pretio, hoc quidem animo, vt priore domino comparente, illi eadem restituantur pro eodem pretio, sin minus licebit ea retinere. Quia sic vtiliter negotium dominorum geritur, qui non censentur rationabiliter inuiti. Reginal. *lib.* 21. *numer.* 117. Vasquez *de restit. capit.* 9. *Paragraph.* 2. *dub.* 5. *numer.* 28. Bonacin. *de restit. dubio secundo quæst. vltim. sect.* 1. *pun. vlt.* §. 2. *numer.* 24.

120 *Quãdo possit captus in bello fugere.*

Denique in bello iusto ex parte capientiũ captus, cessante scandalo, ac speciali manendi pollicitatione, fugere potest. In bello autem iniusto ex parte capientium, non solum fugere, sed etiam bona hostium secum valet afferre in damni, vel iniuriæ illatæ compensationem. Nauar. *capit.* 17. *numer.* 103. Molina *tomo tertio tractat.* 2. *dub.* 693. Lessi. *lib.* 2. *capit.* 5. *dub.* 5. Diana *part.* 9. *tractat.* 4. *resolut.* 14.

CAPVT XII.

De Duello.

121 *Quid Duellum.*

DVELLVM est *bellum, seu pugna singularis deliberata ab vtraque parte, sponte, & ex cõpacto suscepta, statuto loco, & tẽpore cũ periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris.* In iure *Monomachia* vocatur, idest pugna vnius contra alterum. Constat ex hac definitione Duellũ non esse Rixã, quæ ex subita ira, & non ex mutua conuentione suscitatur, interposito aliquo tempore inter conuentionem, & pugnã: nec pugnã, quæ fieri solet ob necessariam sui defensionem, quia regulariter in ea non adest deliberatio saltem ex parte aggressi. Nec proditor, qui consulto ex insidiis aliquẽ inuadit, nec aggressor, qui ex proposito pugnam cum altero capessit, dicitur committere Duellum; quia non adest mutua conuentio. Sayr. *in Clavi l.* 7. *c.* 11. *n.* 11. Valent. *tom.* 3. *d.* 3. *q.* 17. *punct.* 1. Filliuc. *tr.* 15. *n.* 107. Bonac. *de Censur. d.* 2. *q.* 6. *pun.* 2. Salon. 2. 2. *q* 64. *a.* 3. Sylui. 2. 2 *q* 41. *a.* 2.

122 *Requiritur ad Duellum assignatio temporis, & loci determinata.*

Qui ob priuatas inimicitias se ipsos ad pugnandum inuitant, & districtis ensibus alter alterum interimit: non dicuntur committere Duellum, nec pœnas pugnantibus in Duello propositas incurrunt. Quia in Duello requiritur assignatio temporis cum determinatione loci. Secus dixerim de illis, qui sese obuiam procedentes conueniunt in aliquem locum abire, quo statim tendunt, & ibi concertant. Quia assignatio loci & tẽporis adest. Floron. *de Duel. c.* 1. & 2. Peregrin. *de Duel. quæstion.* 18. Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 29. *n.* 112. Filliuc. *tr.* 15. *num.* 112.

123 *Duellũ ob manifestationẽ veritatis, non est licitum.*

Quatuor causæ ob quas suscipi bellum solet à Doctoribus recensentur. Prima est *Manifestatio veritatis*, dum scilicet aliqui confidunt ex victoria manifestatum iri veritatem, quod sint innocentes. Ob hanc causam duellum non licet, & est grauissimum lethale piaculum ob adiunctam superstitionem. Quia contra rectã rationem eligitur proximi percassio, vitæ periculum, & iudicij vsurpatio cum Dei tentatione. D. Tho. 2. 2. *quæs.* 95. *a.* 8. *ad* 3. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 30. *nu.* 4. Tolet. *l.* 5. *c.* 6. *nu.* 32. Sylui. 2. 2. *q.* 41. *a.* 2.

124 *Nec ob virium ostentationem.*

Secunda est *Virium ostentatio.* Quæ quidem insufficiens est ad duellum indicendum: & qui hoc fine ad duellum prouocat, mortaliter delinquit. Quia contra rationem eligitur atrox medium seu vitæ periculum ob vanum finem. Sanch. *l.* 2. *Dec. c.* 39. *n.* 12. citans Nauarrum, & Valentiam.

125 *Nec ad determinandam litem.*

Tertia est *ad determinandam litem ciuilem, vel criminalem.* Nec ob hunc finem Duellum est licitum, sed lethale crimen est. Quia non est proportionatum medium ad terminandam litem armata pugna percussiua cum vitæ periculo. Caiet. *sum. v. Duellum.* Sayr. *in Clavi, l.* 7. *capit.* 13. *numer.* 14. citans Valentiam, & Nauarrum.

126 *Quarta est Euitatio ignominiæ.*

Quarta est *Euitatio ignominiæ*, vel proprij honoris defensio. Porro quamuis hæc causa apud vulgus plurimum valere soleat, vtpotè quia vilis & degeneris animi haberetur, si in eo casu quis duellum non acceptaret: apud Sapientes tamen & bonos viros hæc ratio non valet. Quia apud illos non lassatur fama seu honor, sed potius accrescit ei, qui temere non vult vitam suam & proximi periculo exponere. Vnde hoc ex capite non licet duellum gerere. De quo tamen *Sectione* 2. Sermo recurret. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 39. *n.* 9. citans Lessiũ, Azoriũ, Caietanũ, Sotũ, Nauarrum, Valẽtiam, Sylui. 2. 2 *q.* 41. *art.* 2. Diana *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 99.

127 *In duobus solum casibus licitum est duellu.*

Duellum igitur in duobus tantum casibus est licitum. Primus est, ad sedandos duos exercitus contrarios, pugnam duorum periculo dirimendo. Imo licitum est, duellum acceptare ad conseruandam exercitus æstimationem, aut ad debilitandas hostium vires, Secundus est quando aliquis compellitur sub vitæ periculo duellum acceptare, quilibet enim potest propriæ vitæ consulere, etiam cum inuasoris nece. Neque proprie hoc duellum est, sed nomine tantum; proprie namque defensio est, & iniuriæ propulsio. Quia ius naturę dictat, vim vi repellere. Azor. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 3. Nauar. *sum. c.* 15. *n.* 9. Sà *v. Duellum.* Tolet. *l.* 5. *c.* 6. Sayrus *in Clavi, l.* 7. *c.* 13. *n.* 15. & 16. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 39. *num.* 14.

128 *Prohibitum duellum iure Canonico sub excommunicatione, & pœnis aliis.*

Prohibitum est duellum non solum iure naturali, & diuino, sed etiam ciuili, & Canonico sub excommunicatione, aliisque grauissimis pœnis. Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. Et aliæ sunt circa id Pontificũ constitutiones Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. qui prædecessorum suorum pœnas confirmarunt. Certe excõmunicatio Tridentini vi non erat reseruata, nouissime tamen reseruata est summo Præsuli per Clementem VIII. qui eam extendit ad Reges, Imperatores, & alios quoscumque, qui publice, aut priuatè etiam sine literis prouocatoriis, vel patrinis duellum commiserint. Has pœnas extendit ad Dominos locorum, Magistratus, locum tenentes, Duces militum, qui absque iusta causa non prohibent, quominus hæc fiant: aut qui post commissum crimen veniam & impunitionem concedunt. Iisdem pœnis subiiciuntur suadentes, consulentes, comitantes, Socij, patrini, spectatores ex industria. Ciuitates vero, terras, Oppida, & castra Dominorum tacite aut expresse permittentium, aut tolerantium decernit, Ecclesiastico subiici Interdicto, Pœnarum vero harum relaxationem, sicut & absolutionem excommunicationis summo Pontifici pro tempore existenti reseruata. Verum Clericus in duello pugnans per Tridenti

destinum ipso facto excommunicatur. Per Pium IV. priuatur Beneficiis, Dignitatibus, Officiis Ecclesiasticis, & inhabilis ad illa in posterum obtinenda redditur. Sayr. *de censur. l. 1. c. 21. num. 21.* Bullarium apud Quarantam *fol. 218.* Filliuc. *tr. 15. n. 103.* Suar. *de censur. d. 31. sect. 4. n. 48.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5.*

129 *In quibus casibus non habeat locum huiusmodi pœna.*

In sequentibus tamen casibus existimo præfatas pœnas locum habere. Primò qui alium prouocat ad pugnandum, nullo statuto, loco ac tempore, nó afficitur excommunicatione, etiam in terminis Bullæ Clementis. Quia actio hæc non habet requisita ad Duelli constitutionem. Secundò non incurrit excommunicationem, qui ad locum duelli accessit causa inspiciendi, dummodo actus ad pugnam proximus secutus non sit: imo ex occulto duellum aspiciens, vel obiter transeundo. Quia non est spectator ex industria, ac proposito. Tertiò, pœnas non incurrit qui cum altero contendens cum armis careat, domum adit ad arma capienda, nulla facta ad duellum prouocatione: & postmodum rediens ad inimicum, certamen inter se instituunt. Quia pugna hæc potius dicetur rixa, quam duellum, cum non sit ex condicto, loco ac tempore statuto. Quartò denique, non incidit in pœnas, qui ratam habet prouocationem, vel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificiis expressam suo nomine facta. Quia superior vult pœnam ad ratihabitionem extendere, solet id exprimere: & ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur. Filliuc. *tract. 15. cap. 5. num. 112. 113. & 114.* Bonac. *tom. 3. d. 2. q. 3. pun. 8. num. 14.* Diana *p. 3. tr. 6. resol. 1.* Floron. *de duel. c. 6. §. 2.* Naldus *v. Duellum, n. 2.* Lessi. *l. 4. c. 4. dub. 11. n. 83.* Ricci. *in praxi, to. 3. ref. 42. n. 2.* Reginal. *lib. 22. n. 77.*

130 *Quando duellum non fuit euidenter notum, non potest Parochus defunctum Ecclesiastica sepultura priuare.*

Quando duellum non fuit euidenter notum, non potest Parochus defunctum in illo Ecclesiastica sepultura priuare. Quia publica pœna infligenda non est nisi publicæ culpæ. Quando vero esset Parocho notum, duellum posse per sufficientes testes probari, tenetur causam Ordinario remittere, antequam cadauer sepeliat, vt sumaria informatione premissa, sententiam ferat. Quia Parochus vt legis huius minister debet eius obseruationem procurare sicut in sæculari foro ad inferiores ministros, qui ex Officio sunt deuincti, attinet denunciare Superiori huiusmodi legum transgressiones, quando delictum posse probari norunt. Peregrin. *de Duello q. 7. n. 3.* & alij.

CAPVT XIII.

De Scandalo.

131 *Scandali definitio.*

SCANDALVM est *dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri ruinæ occasionem.* Dicitur, *Dictum, vel factum*, quia peccata mentalia neminem possunt scandalizare, cum vt talia sint ignota. Dicitur, *Minus rectum*, non malum, quia sæpe actus ex se bonus propter speciem mali, quam præsefert, induit scandali rationem, vnde caret debita rectitudine, atq; adeo simpliciter est malus, vt ait Philosophus 2. *Ethic. c. 16.* Dicitur. *Præbens ruinæ occasionem*, non causam; quia nemo alterum inuitum potest ad peccatum impellere humana enim voluntas à nulla re extrinseca tanquam ab efficaci causa potest ad peccandum induci; solum ergo potest esse occasio. Nomine autem *Dicti, aut facti* intelligi omissio externa debet. D. Tho. *2. 2. qu. 43. articul. 1.* Sylui. *ibi.* Laym. *l. 2. t. 3. c. 13. n. 1.* Ledesm. *sum. de scandalo, tract. 4. capit. 5.* Bonac. *tom. 2. dub. 2. q. 4. pun. 2. §. vni.* Diana *p. 5. tr. 7. resol 1.* Sanchez *lib. 1. Decalog. capit. 6. numer. 1.* Azor. *tom. 2. lib. 12. c. 16. q. 1.*

132 *Diuisio, & subdiuisio scandali.*

Aliud scandalum est *Actiuum*, aliud *Passiuum.* Actiuum est actus attrahens ad peccatum. Passiuum est ipsa spiritualis proximi ruina. Porro actiuum est duplex: aliud enim per se intendit proximi ruinam, aliud per accidens, quod non est ex industria, sed præter intentionem; inter quæ medium est illud, quod non quidem ex intentione operantis, sed ex natura operis proximum ad peccatum inuitat. Respectu operantis est per accidens, quia præter eius intentionem: respectu vero operis, est per se, quia suapte natura idoneum est, vt alios trahat ad ruinam: vt si quis in conspectu filiorum adolescentum domi alat concubinam. Scandalum passiuum similiter est duplex *Datum, & acceptum.* Datum dicitur id, quod vere oritur ex actiuo scandalo alterius, & solet etiam *Scandalum pusillorum* vocitari. Acceptum est ruina alterius non vere orta ex scandalo actiuo operantis, sed ex propria malitia, quod alio nomine compellatur *Pharisæorum Scandalum.* Præterea scandalum Actiuum adhuc est duplex, alterum *speciale*, alterum *Generale.* Speciale est peccatum, ad quod quis alium inducit, spirituale ipsius damnum intendens; Generale est peccatum, ad quod quis alterum inducit seu occasionem præbet: sed non intendit ruinam eius spiritualem. D. Thom. *2. 2. qu. 43. a. 1. ad 4. & a. 3. in corp.* Vasq. *1. 2. d. 102. c. 4. n. 8.* Filliuc. *tr. 28. nu. 220. & 225.* Nauar. *sum. c. 14. n. 31. & 32.* Bonac. *to. 2. d. 2. q. 4 pun. 2. n. 2. & 3.* Diana *p. 5. tr. 7. resol. 1.*

133 *Inducēs, & consummās cum altero peccatū duplicis crimi-nis & reus.*

Inducens, & consummans cum altero peccatum, duplicis peccati reus esse videtur, etiāsi ruinam spiritualem proximi non intendat. Quia qui alium ad peccandum inducit, non consummans cum eo peccatum, peccat piaculo inductionis, cum peccatum alienum indicenti imputetur: consummans vero simul cum illo peccatum actionem peccaminosam exercet, peccatum exequendo, vnde est proprij peccati reus. Itaque qui alterum ad furti peccatum inducit, simulque cum eo furtum agit, dupliciter peccat, scilicet proprio furti peccato, auferens rem domino inuito, & peccato alieno, quatenus inducenti imputatur. Sanch. *l. 1. Decal. c. 6. n. 4.* Vasq. *i. 2. d. 102. c. 4. n. 8.* Caiet. *2. 2. q. 43. a. 1.* Valent. *to. 3. d. 3. q. 18. pun. 2.* Azor. *to. 2. l. 12. c. 16. q. 4. & 5.*

134 *Scandalum actiuum suo genere est mortale.*

Actiuum scandalum ex suo genere lethale erit, quoties quis tenetur eā occasionē impe-

dire abstinendo ab opere, quod est occasio, & non abstinet, siue sit expressa ruinæ intentione, siue absque illa. Quia omnis actus liber, qui est causa peccati, peccatum est: omnis autem, qui scandalizat, quantum in se est, causa sufficiens est, cur proximus ad peccatum trahatur, etiam illo non sequuto. Valent. *to.* 3. *d.* 3. *q.* 18. *pun.* 1. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 6. *n.* 9. Tanner. *to.* 3. *d.* 1. *q.* 6. *dub.* 8. *n.* 96.

133 *Veniale esse potest solü.*

Non tamen semper est mortale, etiãsi proximi ruina intendatur. Quia si ruina intenta venialis sit, erit solum veniale illum ad eam inducere: tunc enim leue proximi damnum desideratur. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 43. *a.* 4. Sylui. *ibi.* Azor *tom.* 2. *libr.* 12. *capit.* 16. *quæstion.* 7.

136 *Quid quãdo scandalum est generale?*

Quando scandalum generale est regulariter loquendo, si dictum, vel factum est mortale, etiam scandalum mortale erit. Similiter si opus de se malum non sit, sed mali habeat speciem, & aduertatur, fore proximo grauis ruinæ occasionem, vel fuit grauis culpa illud non aduertere: scandalum lethale erit. Dixi, *Regulariter loquendo*, nam plures coram aliis peccantes à crimine scandali excusantur, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles vt nullatenus peccatis aspectatis ad peccandum moueri censeantur: vel ita prauis moribus sunt imbuti, vt peccatum aliorum nihil illos immutet, nec inde argumentum sumant ad liberius vitiis vacandum, vel ita ad delinquendum faciles sint, vt illud crimen moralis eorum inductio non censeatur. Filliuc. *tractat.* 28. *numer.* 228. Sanchez *libro primo Decalog. cap.* 6. *numer.* 10. Salas *tomo primo in* 1. 2. *tract.* 7. *dubio tertio sect.* 4. *numer.* 84. Sanci. *in select. dub.* 46. *numer.* 11. Diana *part.* 5. *tractat.* 7. *resol.* 3.

137 *In quibus casibus quis peccato alterius cooperari censeatur?*

In multis casibus quis censetur peccato alterius cooperari, seu alterum ad peccandum inducere, vel causam actiui scandali existere. Primus est, quando aliqua gerit, quæ de se alliciunt, & inducunt ad peccatum; verbi gratia, inuitando ad furtum, homicidium, fornicationem: & hæc est vera cooperatio. Quia actiones hæ sunt, sua ex natura, prauas. Secundus, quando aliquid ex se indifferens gerit ea intentione, vt alter delinquat: verbi gratia, si arma vendat, vt emptor aliquem iniuste occidat. Quia cum finis hic malus sit, actionem malam efficit. Qui vero aliquid agit indifferens, ignorans, alterum abusurum, non dicitur cooperari. Quia præstans opus indifferens, non debet præsumere proximum inde arrepturum occasionem delinquendi. Tertius, quando absque iusta & sufficienti causa facit opus indifferens, quo credit alios abusuros ad peccatum. Quia quilibet cauere tenetur, quantum potest absque graui suo detrimento, proximi peccatum: aliter enim faciendo, censetur, illud indirecte velle, cum in moralibus perinde sit, non præcauere malum, ac illud positiue velle. Qui vero agit aliquid ex se indifferens, iusta intercedente causa, non peccat. Quia non censetur velle alterius peccatum, sed solum permittere. Iusta autem causa gerendi aliquid indifferens, quo quis credit, alterum abusurum, non solum est graue damnum, quod ipse pateretur ab huiusmodi opere abstinendo: verum etiam alia quæuis, quę prudentis iudicio iusta censeatur. Valent. 2. 2. *dub.* 5. *quæs.* 21. *punct.* 4. Sanch. *libr.* 1. *Decal. capit.* 7. *num.* 8. 9. 10. 11. Lessi. *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 31. Sylui. 2. 2. *qu.* 43. *a.* 4. *quæst.* 2. *concl.* 1. 2. & 3. Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 4. & 5

138 *Quando peccat.*

Peccat similiter scandali piaculo, qui facit, vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud agendum, siue ad peccandum. Verum si opus indifferens petat, quod remote tantum se habeat ad peccatum, tunc operans posset à peccato saltem mortali excusari. Quia hæc est leuis cooperatio. Vnde vendens ornamenta, fucos, &c. quibus mulier iam parata abutetur, potest excusari à lethali, si ipso non vendente, alter venderet. Sanchez *libr.* 1. *Decalog. cap.* 7 *numer.* 16. Diana *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 38.

139 *Et caupones parati cœnam dare ieiunij non delinquunt.*

Excusari possunt caupones, & tabernarij cœnam, vel ientaculum matutinum, aut pomeridianum parantes ieiunare nolenti, qui alios cibos inueniret, ipsis cœnam, vel ientaculum non parantibus. Nauar. *sum. cap.* 20. *num.* 16. *& cap.* 21. *num.* 25. Lessi. *l.* 4. *c.* 2. *nn.* 24. Bonac. *de peccatis d.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. §. *vnic. num.* 37.

140 *Nec famuli mensam instruentes, aut parantes cibos.*

Excusantur famuli parantes mensam, aut mensæ inseruientes, coquentes cibos &c. Quia hi non concurrunt ad comestionem illam, vt est fractiõ ieiunij; sed vt est quid deseruiens ad refectionem, quod non est intrinsece malum, sed indifferens. Sà *verb. Peccatum, num* 9. Sanchez *libr.* 1. *Decalog. c.* 7. *nu.* 24. Nauar. *sum. c.* 20. *num.* 16. Azor. *to.* 2. *l.* 12. *c. vlt. quæstion.* 8.

141 *Peccat. qui petit aliquid, quod sine peccato fieri nequit.*

Minime à peccato excusatur, qui petit opus, quod sine peccato fieri non potest: & quod alter non fecisset, quamuis animo paratus esset, ad illud faciendum. Quia hoc est directè alterum ad peccandum inducere. Neque refert, quod sit paratus. Quia ad executionem non veniret, nisi tu eius causam, seu occasionem exhiberes. Vnde nullo modo licet inducere aliquem ad iurandum per falsos Deos, vel ad dandũ mutuũ sub vsuris: (quamuis ex causa liceat tale iuramentum petere, & eiusmodi mutuum recipere: puta, quando petens iis indiget,) vel ad dissolutionem maleficij per aliud maleficium. Quia talis petitio ad amicitiam cum dœmone pertinet. D. Tho. 2. 2. *quæstion.* 78. *articul.* 4. Sylui. *ibi.* Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *capit.* 13. *num.* 3. Nauar. *summ. cap.* 17. *numer.* 262. Suar. *in* 3. *part. to.* 3. *dub.* 18. *sect.* 1.

142 *Seruus qui petit quod sine peccato possit præstare.*

Nullum peccatum aliquando erit petere ab alio aliquid, si quod petitur possit absq; peccato præstari: quamuis scias, alterum non sine peccato esse præstiturum. Vnde à Ministro quantumuis malo, licet petere, ac recipere Sacramenta: imo & ipsum ad ea administranda inducere, quamdiu toleratur ab Ecclesia, & ei ex officio incumbit illa tibi ministrare. Quia petẽs vteris tuo iure, & rẽ bonam postulas, quã alter potest, & debet bene exequi. Scio, ex charitate permittendũ illum esse, quem noscis à peccato non recessurũ si æque cõmode possis Sacramentũ recipere ab eo, qui sine peccato ministrabit. Præterea quãdo adest rationabilis causa petendi, licet Sacramenta

petere

petere à malo Ministro tolerato, cui non incumbit ex officio illa ministrare, si ipse ad ministrandum paratus sit. Quia id non est peccato Ministri cooperari, aut ipsum ad peccandum inducere, cum ille iam se offerat ad illud peccatum committendum. *cap. Sciscitanti lu 15. q. 8.* D. Tho *p. 3. q. 64. a. 6. ad 2.* Petr. Ledesm. *de Sacram. in gen. c. 6. dub. 11. concl. 9. 10. 11.* Valent. *to. 4. d. 3. q. 5. pun. 3.* Azor. *to. 2. l. 12. c. 17. q. 7.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 59*

143 *Licet pecuniam petere sub vsura ab eo, qui paratus est dare, si adsit causa.*

Licet pecuniam petere sub vsura ab eo, qui paratus est dare. Quia hoc non est aliud, quã peccato alterius vti ad bonum: quod non est illicitum, quando adest causa: puta tuæ necessitati prouidere, vel alienę succurrere: aut aliud opus pium agere: imo etiam ad aliquem ludũ publicum, à quo non potest quis nisi indecore abesse: vel ad mercaturam honeste exercendam. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 78. *articul.* 4. Petr. Ledesm. *de Vsur. capit.* 33. *concl.* 29

144 *Licet ab Ethnico iuramentum petere, quẽ scit per falsos Deos iuraturum.*

Licet ab Ethnico iuramentum exigere, quem scis, per falsos Deos iuraturum, si necessitate cogaris. Quia hoc non est, cooperari illius peculo, sed iusta ex causa illo, in proximi vti vtilitatem: cum petatur iuramentum quod licite præstari potest ab illo per Deum verum, & ex sua malitia male præstat. Quare ea iuramenti petitio tantum est offerre materiam ex se licitam, qua alter ex propria malitia ad peccandum abutitur. D. Thom. 2. 2. *qu. 98. articul. 4. ad 4.* Couar. *Cap. Quamuis pactum, part. 1. Paragraph. 1. numer. 20.* Reginal. *libr. 18. numer. 20.* Filliuc. *tract. 25. numer. 359.* Bonacin. *tom. 2. d. 4. q. 1. punct. 11. numer. 2.*

145 *Quomodo excusentur famuli comitantes heri ad meretricis domum.*

Excusãntur famuli comitantes herum, dum ad meretricem accedit, si ab huiusmodi comitatu desistere absque graui detrimento nequeant. Imo & conducens concubinam ad heri domum, modo nullum eius internunciũ ei deferant, sed eam solum comitentur. Quia tunc cum conuentum sit inter herum & illam, & ipsa heri veniat in domum, eam in tali casu comitari, nó secus est ac si herũ famulus abeuntẽ ad meretricem comitaretur. Attamen si non esset simplex comitatus, sed actiue cõcurrit physico famuli concubinam deferrent, vt in curru, sella: non sufficeret, ad eos excusandos à lethali communis ratio famulatus. Quia hoc accedit proxime ministerium ad peccatum: & ideo damnum notabile famuli exigitur, vt id ei sit licitum: puta, si dominus è domo illum expelleret, & expulsus mendicare, vel penuriam pati cogeretur. Vnde vrgente tali occasione, famulo liceret concubinam adducere, signare locum, vbi adsit dicere ei, Dominus meus dicit, vt eum hac nocte expectes, Domino ascendere volenti per fenestram, pedem sustinere, aut admouere scalam. Quia hæc obsequia licet sint valde peccato coniuncta, non tamen sunt secundum se, ac suapte natura peccata: & ideo seiungi à peccato per finem diuersum possunt. Sanchez *libr. 1. Decal. c. 7. n. 25. & 26.* Nauar. *lib. 3. consil. de pœnit. consil. 6.* Manu. *to 1. sum. c. 204. nu. 3.* Azor. *to. 2. l. 12. c. vlt. q. 8.* Sà *v. Peccatum, nu. 9.* Bonac. *de matr. q. 4. pun. 14. n. 6.* Diana *p. 3. tr. 5. resol. 36. & tr. 6. resol. 46.*

146 *Et locantes aũmũ meretrici vel vsurario.*

Excusantur à lethali locantes domum meretrici etiam nulla alia iusta, & vrgenti causa excusante. Quia domus locatio nimis est à peccatore mota, cum non sit illius materia, neque occasio. Idem de vsurario dixerim. Nã cum duo hæc hominum genera in Republica permittantur, potest quiuis eis domos locare, alia necessaria vendere absque intentione, aut cooperatione peccati. Profecto si ex loci circumstantia, ratione situs, esset specialis aptitudo ad ea patranda peccata alias non cõmittenda: vel vicinia meretricis domum conducentis plurimum fœminis honestis vicinis noceret: tum quis teneretur meretrici, vel vsurario domum non locare, nisi aliqua iusta causa locantem excusaret: hæc autem erit, si commode aliis eam locare non valeat. Vasq. *de scand. qu. 43. a. 6. dub. 5. num. 38.* Sylui. 2. 2. *q. 77. a. 4. quæst. 1. concl. 5.* Sanch. *l. 1. Decal. c. 7. nu. 20.* Valent. 2. 2. *d. 5. q. 21. pun. 4.* Salon. 1. 2. *q. 77. a. 4. contr. 6.* Diana *p. 5. tr. 7. resol. 26.*

147 *Et puella, quæ adolescente, vel vtilitate, aut ne sese libertate priuet, vel iure exeundi domo, vel ad ostium domus stan- di, per fenestram ve inspiciendi. Quia etiam si occasionem præbeat adolescenti ad illam concupiscendam: tamen huiusmodi occasio potius ex ipsius adolescentis malitia prouenit: vnde est occasio ab ipso accepta, & nõ à puella data, quæ iure suo vtitur. Attamen si puella data opera absque vlla necessitate se conspectui adolescentis obiiceret, sed quadam vanitate ducta & turpis illius amoris conscia, etsi illum non intenderet: tunc à lethali eam nõ excusarem. Quia tenetur spirituali proximi saluti consulere, nisi ex iusta causa excusetur. Caiet. 2. 2 quæst. 154. a. 4. & q. 169. a. 2.* Bonacin. *de matrim. quæstion. 4. punct. 9. numer. 17. & tom. 2. dub. 1. quæstion. 4. punct. 2. num. 25.* Parag. *vnic.* Sanchez *lib. 1. Decal. capit. 6. num. 16. & 17.* Nauar. *summ. capit. 23. n. 18. & 19. & capit. 14. num. 30.* *Et puellæ aut heri.*

148 *Et parentes aut heri.*

Excusantur parentes vel heri, qui filiis, vel famulis non auferunt furandi occasionem, vt de ipsorum fidelitatis experimentum capiant, ipsosque in futurum à furto patrando auertant. Quia non gerunt, petuntve actionem aliquam intrinsece malam: sed iusta de causa negatiuè se habent, ob maius bonum furta permittens. Non liceret tamen offerre filiis, vel famulis furandi occasionem. Sicut nec maritus potest cum vxore pacisci, vt amasio ipsam ad adulterium solicitanti consensum ficte præbeat, vt amasius deprehendatur, & percutiatur. Quia hæc sunt intrinsece mala, & ad peccatum cooperatio. Sanchez *de matr. libr. 10. capit. 12. numer. 52. & 53.* Sà *verb. Peccatum, numero 7.* Sanct. *in select. dub. 35. numer. 12.* Molin. *tomo primo tract. 3. d. 99. numer. 18.* Nauarra *libr. 3. de rest. capit. 4. num. 127.*

149 *Haud licet communiter depingere concubinæ imaginem: si putetur amasio ea ad libidinem vsutum. Quia huiusmodi picturæ traditio homini sic perdito est quasi datio gladij, occidere parato. Communiter*, dixi, quia non est id

Non est licitum communiter depingere amasio concubinæ imaginem: si putetur amasium ea ad libidinem vsutum. Quia huiusmodi picturæ traditio homini sic perdito est quasi datio gladij, occidere parato. *Communiter*, dixi, quia non est id *ginem.*

adeo intrinsecè malum, quin aliquando liceat Imo cum hæc actio de se indifferens sit, & bono vsui valeat deseruire, ac proinde ex aliqua graui causa honestari: lethale erit, huiusmodi imagines depingere ex metu mortis, vel vulneris. Verum amissio lucri ex abstinentia à tali pictura causa grauis minime erit. Azor. *tomo secundo libr. 12. capit. vltim. quæstione nona* Bonac. *de peccat. d. 2. quæstion. 4. punct. 2. §. vnic. num. 19.*

150 *Peccantes publice tenentur scãdali circũstantiam in confessione exprimere.*

Peccantes publice tenentur scandali circumstantiam in Confessione manifestare ob periculum, cui se exponunt, ruinæ proximi. Nec satis est, fateri, se dicto, vel facto alterum scandalo fuisse, sed speciem peccati, ad quam incitauit, fateri debet. Imo quantum fieri potest, numerus personarum exprimendus est, quibus data est ruinæ occasio, etiamsi vnica vice, & vnico peccato coram eis perpetrato detur. Quia sicut explicitè inducere multos ad peccandum, auget peccatorum numerum in confessione necessario exprimendum: ita prauo exemplo inducere. Filliuc *tract. 18. nu. 226.* Sanchez *libro primo Decalog. capit. 7. numer. 40.* Layman. *libro primo tract. 2. cap. 10. numer. 3.* Diana *p. 5. tractat. 7. resol. 3. & p. 6. tract. 6. resol. 33.* Sylui. *2. 2. quæstion. 43. artic. 3. concl. 2.*

151 *Nullũ peccatũ est patrandũ ad vitandum scandalum proximi.*

Nullum peccatum est patrandum, ad vitandum scandalum proximi. Quia nullum peccatum etiam veniale in bonum aliquem finem dirigi potest: habet enim malitiam quandam respectu finis infinitam adeo, vt à nulla finis bonitate valeat exhauriri: verbi gratia, mentiri ad totam aliquam Prouinciam seruandam. Et quia quisque debet se ipsum magis diligere, quam alterum quod non faceret, si vellet potius Deum offendere, quam vt proximus offendat, permittere. D. Thom. *2. 2. quæstion. 43. art. 7.* Laym. *lib. 2. tr. 3. c. 13. nu. 8. & 9.* Becanus *2. 2. tom. 1. cap. 27. quæst. 5. n. 2 & q. 6.* Tanner. *2. 2. d. 2. q. 6. dub. 9.* Valent. *to. 3. d. 3. qu. 18. punct. 4.* Suar. *de Charit. d. 10. sect. 3. n. 9.* Nauar. *sum. c. 14. num. 33.*

153 *Quid de scandalo Pharisæorũ.*

Ad scandalum infirmorum vitandum oportet facere, vel omittere quidquid sine peccato fieri, vel omitti possit. Quia præceptum charitatis vult proximo in necessitate spirituali constituto succurri, quantum commode fieri potest: At qui ex infirmitate, vel ignorantia per nostrum factum incursurus est peccatum in magno salutis versatur discrimine: Ergo. Hoc tamen intelligo, quando scandalum pusillorum aliter vitari non potest. Nam infirmi, & ignorantes debent doceri, eisque reddi sufficiens ratio facti: quod si non acquieuerint, ac post redditam rationem, adhuc duret scandalum, iam ad scandalum Pharisæorum ex eorum malitia transit. Doctores *citati.*

154 *Quæstionis status.*

Ad vitandum denique Pharisæorum scandalum, nil necessum est facere aut omittere cum spirituali, aut temporali detrimẽto. Quia qui ex malitia scandalizatur, non est in ea necessitate spiritus constitutus, vt debeat cum alterius notabili detrimẽto admuari. Vnde opera consilij ob huiusmodi scandalum non sunt dimittenda. D. Tho. *2. 2. q. 43. a. 7. & 8.*

SECTIO SECVNDA.

De Charitate, Dubia.

CAPVT XVI.

Circa Charitatis præceptum erga Deum.

DVBIVM I.

An sit speciale præceptum de aliquo actu interno Charitatis, quo Deum quis aliquando amet?

152 *De scandalo infirmorũ itando.*

SPECIALE præceptum de diligendo Deum latum esse, tenent cum D. Thoma omnes eius expositores. Valent. *2. 2. d. 3. q. 19. pun. 1.* Lorca *sect. 3. d. 47.* Torres *d. 97. dub. 1.* Coninch *d. 24. dub. 2. num. 28.* Sanchez *l. 2. Decal. c. 35. num. 1.* Bonac. *d. 3. qu. 4. punct. 1.* Quia Deut. 6. dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *&c.* Et quia si de fide, & spe datur speciale præceptum (vt vidimus) quomodo negandum id esset Charitati, quæ nos Deo perfectius vnit. Verum hæc solummodo probare videntur dari præceptum de habenda Charitate, vtpote ad salutem omnino necessaria, at non probant dari speciale præceptum de aliquo actu amoris interno. Quæsierim igitur, num sit speciale præceptum de aliquo actu interno Charitatis, quo Deum quis aliquando amet?

155 *Non est speciale præceptum.*

Non est præceptum speciale. Quia in Decalogo nõ continetur huiusmodi præceptum. Ergo signum est præceptum charitatis non esse aliquod speciale præceptum aliquo speciali tempore implendum, sed generale omnium præceptorum, sicuti præceptum de proximi dilectione, quod Christus Dominus dixit secundũ præceptũ esse, nõ est præceptũ speciale, sed in Decalogi præceptis continetur. Porro in his duobus præceptis vniuersa lex pendet. Sic Vasquez *tom. de pœnit. quæstion. 90. articul. 1. dub. 4. nu. 40.* Moli. *1. p. q. 63. art. 2. & 3. d. vni. memb. 2.* Ianſen *concord. Euang. 6. 81.* Maldonat.

donat. *Matth. 22. vers. 39.* dicens, hæc duo præcepta maxima totius legis præcepta à Domino vocari, non quod distincta ab aliis præceptis sint, sed quia cæterorum compendium, Sanci *in select. d. 1. n. 21.*

156 Est præceptum speciale. Est speciale præceptum. Quia *Matth. 22.* docet Christus Dominus, esse maximum, ac *primum mandatum*, quod dici non posset, si non esset à reliquis distinctum, & illorum principium, & radix. Certe Deus est obiectum summo dignum amore, tum ob perfectiones, quas in se habet: tum ob beneficia, quæ hominibus confert: ergo decebat naturæ humanæ imperare, vt obiectum tantum speciali aliquo amoris actu prosequeretur. Ita D. Thom. & alij *num. 54.* citati Castro Palao *tom. 1. tr. 6. d. 1. punct. 2. num. 3.*

157 Hæc longe probabilior. Hæc longe probabilior. Amare enim hoc obiectum actu speciali est naturæ rationali summe conforme. Igitur si ita amandum homini repræsentetur, & ipse per totius vitæ cursum actum specialem repellat amoris, censendus est tantum obiectum iniuria afficere. Fateor, in Decalogi præceptis contineri formaliter præceptum de dilectione Dei, & proximi, sed potius esse præambula ad omnia illa, vt docuit D. Thom. *2. 2. qu. 44. art. 1. ad 3.* Attamen qui seruat illa præcepta diligit quidem Deum, sed non positiuo dilectionis ac formali actu; sed solum virtualiter, & interpretatiue, quatenus interpretari possumus, Deum diligere, qui eius voluntaem exequitur.

Dvbivm II.

An hoc speciale præceptum Charitatis sit partim de dilectione naturali, partim de supernaturali?

158 Est partim de dilectione supernaturali. PEr se est de amore supernaturali, sed in aliquibus casibus amore naturali est contentum. Prior pars probatur. Quia dilectio Dei debet esse ex fide non ficta *1. Tim. 1.* hoc est procedens ex cognitione supernaturali fidei, & circa supernaturale obiectum: ergo debet esse supernaturalis. Posteriorem ostendo. Quia sæpe dilectio expostulatur solum ad impediendam Dei offensam, diuinumque honorem tuendum: sed ad hunc effectum sufficit naturalis dilectio. Ergo supernaturalis non præcipitur. Sic Valentia *2. 2. disputation. 3. quæstion. 19. punct. 1.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite 33. numero quarto.*

159 Non est. Nec est præceptum directe de dilectione naturali, neque de supernaturali determinatè, sed solum vt amemus Deum super omnia ob eius infinitam bonitatem, quantum cum Dei gratia possimus. Ex qua obligationis satisfactione oritur, vt illum amemus supernaturali amore, si habitum supernaturalem habeamus, vel auxilium extrinsecum supernaturale præueniens; si vero illis careamus, Deum naturali amore diligemus. Quia in nostra potestate situm non est Deum amore supernaturali potius quam naturali prosequi; nam cum hæc differentia non tam ex obiecto formali, quam ex principio influente in actum procedat, & hæc principia non cognoscamus, nec voluntati nostræ in operatione subdantur, vt possimus pro libito vti principio naturali, supernaturali excluso: efficitur plane supernaturalem amorem directe præcipi non posse, sed solum indirectè, quatenus nobis præcipitur, vt Deum amemus quantum cum diuinâ gratiâ possimus: talias dignoscceremus esse in gratia, sicut cognoscimus præcepto amandi Deum nos satisfeciisse. Ita Coninch. *de Charitat. d. 24. dub. 2. num. 52.* Palao *tom. 1. tract. 6. d. 1. pun. 3. num. 2.* & alij.

Cum his opinor, iudicans, non obstare, præcipi dilectionem, quæ ex fide supernaturali oriatur, quæque ad salutem sit necessaria. Quia non præcipitur directè, sed indirectè. Nó enim præcipi nobis potest directe præstare, quod nullo modo cognoscimus: At nos non cognoscimus supernaturali cognitione insigniri: Ergo non potest nobis directè præcipi amor ex supernaturali cognitione procedens. 160 *Cũ his opinor.*

Dvbivm III.

An præceptum affirmatiuum dilectionis obliget cum primum quis vsum rationis assequitur?

OBligat præceptum affirmatiuum tempore vsus rationis, vt quis ad Deum se conuertat, omniáque sua in eum tanquam in vltimum finem dirigere. Quia consentaneum est creaturæ rationali, vt suum Creatorem recognoscat, ac diligat. Et quia si pro eo tempore hæc obligatio negetur, contingere potest, vt existens in originali, ad rationis vsum accedens, venialiter delinquat, mendacium scilicet officiosum proferendo, & cum originali, & veniali è vita decedat. At tali peccatori non est locus assignatus: non infernus, quo decedentes in lethali torquentur: non limbus, quia ibi non est pœna sensus, qua veniale purgatur: non purgatorium, vbi Dei amici mundantur argenti in exemplum: ergo concedendus non est huiusmodi casus. 161 *Obligat quidem.*

Minime obligat. Licet enim conueniens sit, vt quilibet se, suáque omnia in Deum dirigat, cum primum rationis vsum assequitur: at hoc ex obligatione fieri, nec suauitati legis diuinæ nec humanæ imbecillitati consonum esse potest: imo potius videtur impossibile, nisi aliquo speciali superno lumine illustretur. Quia ad huius præcepti executionem requiritur illius perfecta cognitio: At ante vsum rationis nequeunt pueri perfectè cognoscere, quonam modo Deus sit super omnia diligendus: si vero vsu rationis accedente præcepto ligantur, sine illius ligantur cognitione. Profecto nullus est, qui cognoscat primum instans, quod est suæ rationis principium. Quomodo ergo ligari præcepto pro illo tempore potest? Ita Azorius *parte prima, libro quarto, capite decimo, quæstione sexta, & libro nono, capite quarto, quæstione prima.* Valentia *2. 2. d. 3. quæstion. 19. puncto tertio.* Suarius *tomo quarto, de pœnit. disputatione vndecima, sectione secunda, numero quarto, & quinto, & de Charitate disp. 5. sect. 3. n. 2.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 35. n. 7.* Coninch. *d. 24. dub. 3. n. 48.* & alii apud Azorium. 162 *Non obligat.*

163 *Eiusdem sum mētis.* Fateor, proximam rationem pro secunda sententia allatam conuincere, si sumatur instans rationis physicum: at si moraliter sumatur pro aliquibus horis, vel diebus, & si non ita conuincat, suo etiam modo efficaciam habet. Nam breui illo tempore vix possunt pueri perfectè instrui in iis, quæ necessaria sunt ad huius præcepti executionem. Cæterum raro vel nunquam instruuntur, quod est signum sufficiens non adesse pro illo tempore talem pueris obligationem. Admitto autem, posse aliquem cum originali peccato, & veniali tantum mori: asseróque ad limbum puerorum descensurum, illique aliqua temporaria pœna confusionis orta ex displicentia sui ob illam maculam esse puniendum. Mecum Coninch. *disputatione 24. de Charitate dubio 8. numero 40. & 41.*

Dvbivm IV.

An præceptum dilectionis obliget pro fine vitæ solum?

164 *Obligat pro solo vitæ fine.* Solum obligat præceptum eliciendi Charitatis actum pro vitæ fine. Quia dum viuimus, Deum, habituali dilectione prosequimur: actum autem amoris elicere oportet speciale dum morimur, è quo fortassè nostra æterna felicitas pendet. Sic Vasquez *de pœnit. quæst. 86. art. 2. dub. 6. num. 11.* Et hoc speculatiuè loquendo iudicat esse verius Sancius *in select. d. 1. num. 11.*

165 *Non obligat pro solo vitæ fine.* Non obligat pro solo vitæ fine hoc præceptum, si pro aliquo tempore obligat. Quia hoc præceptum imponitur ad rectam vitę institutionem, nostrasque actiones dirigendas in suũ debitum finem, ad gratiam, & amicitiam cum Deo conseruandam: quæ omnia potius in principio, quam in fine vitę locum habent. Ita Sanch. *lib. 2. Decal. c. 35. n. 8.* Pal. *tom. 1. tr. 6. d. 1. pun. 4. n. 4.* Suar. *de Char. d. 5. sect. 3. n. 1.* Valentia *2. 2. d. 3. q. 19. pun. 1.*

166 *Primam sententiam reiicio.* Ego quidem iudico, primę sententię Auctores immerito in illud solum tempus hanc reiicere obligationem. Vnde si Charitatis præceptum obligat, pro aliquo tempore actum dilectionis elicere, aptius esse initium, mediumve vitę, quam finem.

Dvbivm V.

Qui semel in vita huic dilectionis præcepto satisfecit: teneturne alium actum elicere?

167 *Nō tenetur plures actus dilectionis elicere.* Tempus huius obligationis est indeterminatum, & vnicum tantummodo. Vnde qui semel in vita huic præcepto satisfecit, non tenetur alium actum Charitatis huiusmodi elicere. Quia cum nullum tempus Deus assignet, quo diligi debeat, sed liberum homini relinquit, vt tempore à se electo obligationem exequatur; fit, mortis tempore obligatum esse si antea obligationem non impleuit; vltra illud enim non restat aliud eligendum. Si vero iam vel semel in vita dilectionis actum gessit, præcepto satisfecit, nec tenebitur alium actum elicere. Sic nonnulli, quos pressis nominibus memorat. Sotus *l. 1. de nat. & gra. c. 22. vers. Dicamus ergo.*

168 *Tenetur omnino.* Tenetur plane elicere plures Charitatis actus, nec præcepto satisfecit vnicum in vita, vel morte eliciendo. Quia derogat admodum amicitię diuinę, vt semel tantum in vita ad sui exercitium obliget. Nam si alia præcepta vnico actu contenta non sunt, sed plures expostulant: cur hoc præceptum omnium dignissimum, vnico contentum erit dilectionis actu. Ita Valent. Sanch. Sà, Coninch, & alii, quos refert, ac sequitur Cast. Pal. *tom. 1. tr. 6. d. 1 pun. 4 num. 5.*

169 *Primam sententiam improbo.* Primam sententiam communiter ab Auctoribus reprobatam omnino reiicio. Quia non solum derogat amicitiæ Dei, vti secundæ sententiæ Doctores asseruêre: sed quia permittit, in finem vitæ hanc reiici obligationem: neque arctat, ibi exercendam esse, si quis antea decursu temporis illi aliquando satisfecit.

Dvbivm VI.

An obligetur quisque quolibet die festiuo dilectionis huius actum elicere?

170 *Obligatur quidem.* Obligatur quidem. Quia Deus non tam honorandus est externo cultu, quam interno corpore, quam mente. Sed præcipuus cultus internus, qui Deo exhiberi potest, est dilectio super omnia: ergo hæc est illo tempore præcepta. Sic Sotus *in 3. dist. 27. q. vnic. ad 3.* Tabien. *v. Charitas, q 10.* Angel. *v. Feriæ num. 41.* Gabr. *in 3. distinct. 37. quæst. vnic. art. 3.* Almain. *qu. vnic.*

171 *Non obligatur.* Minime obligatur. Quia non quælibet honoratio interna, quæ diebus festis fieri potest, præcipitur sed solum quæ necessaria est, vt ab opere seruili abstineamus, & Missæ interesimus sacrificio, solum namque hęc præcepta sunt tam diuino præcepto sanctificandi festa, quam Ecclesiastico. At hęc præstari possunt, vt de se constat sine dilectionis actu, & ab homine in lethali existente: ergo. Ita Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 35. num. 8.* citans D. Thomam, Nauarrum, & alios. Suar. *de Charit. d. 5. sect. 3. nu. 1.* Coninch. *disputation. 24. dub. 3. num. 43.* Bonacina *disputation. 3. quæstion. 4. de Charitate punct. secundo.*

172 *Hactenus esse reor.* Hanc obligationem dierum festorum communiter Doctores merito reiiciunt. Nullus enim est, qui de hac omissione facta die festo se accuset. Ergo credibile non est, hanc inesse obligationem: alias Parochi tenerentur suos fideles de illa monere, & ad illius impletionem excitare, quod videmus à nullo fieri.

Dvbivm

Dvbivm VII.

An obliget Charitatis præceptum, actum dilectionis elicere, cum quis adultus Baptismum recipit?

173 *Obligat plane.*

OBligat planè. Quia suscipiēs Baptismum, se seruum Christi Domini profitetur, in eiusque obsequium promittit toto vitæ tempore perseueraturum. Decet ergo vt hoc propositum diuinæ dilectionis actu obfirmet. Sic Sotus *l.1.de nat.& gra.cap.22.casu 1,& libr.2. de iustit.qu.3.art.10.* Valentia 2.2. *d.3.quæs.19. punct.1.*

174 *Non obligat.*

Non obligat. Quia ad digne suscipiendum Baptismum, sufficit attritio concepta ex metu pœnæ, quæ amorem Dei super omnia non includit. Ita Sanchez *lib.2.Decalog.cap.35.nu.9.* Suar.*d.5.de Charit.sect.3.n.2.* Coninch. *d.24. dub.3.num.44.* Palao *tom.1.tractat.6.d.1.pun.4. numer.7.*

175 *Citius opinor.*

Cum his opinor, sciens P. Valentiam instare, secundæ sententiæ fundamento solum probari, amorem Dei super omnia non requiri tanquam dispositionem ad Sacramentum digne suscipiendum, bene tamen necessarium esse, vt quis rite, ac firmiter se Dei seruum in Ecclesia Christi, cui se aggregat, profiteatur. Profecto neque ad hunc effectum iudicarim, amorem Dei necessarium esse, etsi conuenientissimum. Nam ipsius Baptismi susceptione cū attritione debita satis se seruum Christi adultus ille profitetur, & firmum animum gerit nunquam ab illius obsequio recedendi. Neque opus est militi Christiano, omnia in Deum expresse referre. Sufficit, si virtualiter referat per propositum, quod habet, eius voluntati perpetuo obsequuturum.

Dvbivm VIII.

Quoties Sacra Eucharistia sumenda est, teneturne quis implere præceptum?

176 *Instat præceptum hoc.*

QVoties quis ad Eucharistiam sumendam accedit præceptum Charitatis instat, vt actum dilectionis exerat. Quia sic cum Deo intime vnietur, & fructum Sacræ Communionis vberius percipiet. Sic Bannes 2.2.*q.* 44.*art.*1. *dub.*1.*ad* 3.

177 *Non instat.*

Non instat ad hoc Charitatis præceptum. Quia ex D. Paulo, iuncto Tridentino solum habetur, debere se hominem probare ad Eucharistiam percipiendam media confessione, si peccati lethalis conscientiam habeat. Ita Sanchez *lib.2.Decalog.d.*35 *num.*8. Azor.*tom.1.l.9. cap.4. qu.*1.

178 *Existimo sic fundamento hanc obligationem.*

Existimo obligationem huiusmodi sine fundamento, docti Bannes venia, esse appositam. Nullibi enim affirmatum est, (si scripturam, & Concilia euoluat) per dilectionem actualem esse probandum peccato mortali carentem, ad suscipiendam Eucharistiam. Vnde hanc obligationem cum communi sententiam omnino reiicio.

Dvbivm IX.

An obliget Charitati præceptum, cum quis aliquod egregium opus, difficile quidem, est aggressurus?

179 *Obligat quidem.*

OBligat quidem, cum Martyrium fidelis est aggressurus, vel alium egregium opus difficile plane inire curat. Quia oportet tunc animum ad difficultates superandas Dei amore obfirmare. Sic Valent.2.2.*d.*3.*q.*19.*pun.* 1. citans Sotum.

180 *Non obligat.*

Minime tunc obligat Charitatis præceptum. Quia oratione, aliisque virtutis actibus potest sese fidelis communire, nec necessarium est ad dilectionem Dei super omnia recurrere. Ita Suar.*d.*5.*de Char.sect.*3.*n.*2. Castro Palao *tom.*1. *tract.*6.*d.*1.*punct.*4.*num.*9. Coninch.*d.*24.*du.*3. *num.* 45.

181 *Conuenientiam agnosco, obligationem improbo.*

Profecto eliciendi tunc dilectionis Dei actus conuenientiam agnosco, obligationem autem improbo. Quia fundamento nititur, cum oratio feruens, ac Sacramentorum vsus sit firmissimum cordis fidelis stabilimentum, ad difficilia quęque superanda.

Dvbivm X.

An debeas dilectionis Dei super omnia actum gerere, cum magnum à Deo accipis beneficium?

182 *Debes quidem.*

DEbes profecto. Quia expedit redamare eū qui te magno beneficio donans te amare significat. Sic Sotus *l.*2.*de iust.q.*3.*a.*10. Valen. 2.2.*d.*3.*q.*19.*pun.*1.*casu* 4. Tolet.*l.*4.*sum.cap.*9. *num.*10.

183 *Non debes.*

Non debes necessario. Quia ex beneficij receptione solum iure naturę ad gratias exhibendas poteris obligari. Ita Sanch.*l.*2.*Decal.d.* 35.*n.*9. Suar.*de Char.d.*5.*sect.*3.*n.*2. Coninch.*d.* 24.*dub.*3.*n.*45. & alij.

184 *Eiusdem sum mentis.*

Cum his opinor. Nam primam sententiam firmo fundamento carere iudico. Acceptio enim beneficij solum exigit (vti dixi) gratiarum actionem: & hanc non immediate post beneficium acceptum; potest namque gratiarum actio absque lethali aliquandiu differri.

Dvbivm XI.

An præceptum Charitatis obliget, quoties quis blasphemantes audit?

185

OBligat plane. Quia blasphemia Deo grauis infertur iniuria, quę quidem medio dile

Obligat plane. dilectionis tuæ actu quasi reparatur. Sic Sotus *lib. 2. de iustit. quæst. 3. art. 10.* Nauarr. *summ. cap. 11. numer. 10.* Valentia *2. 2. disputat. 3. quæst. 19. punct. 1.*

186 *Non obligat.* Minime obligat. Quia si tunc aliqua sit obligatio, Religioni est adscribenda, cui diuinum honorem defendere, & ei aduersum impedire quoad quis possit, incumbit. Ita Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 35. num. 9.* Palao *tom. 1. tract. 6. d. 1. punct. 4. num. 9.* Coninch. *disputation. 24. dub. 3. numer. 4.*

187 *Immerito Charitati huiusmodi obligatio imponitur.* Crediderim, immerito Charitati huiusmodi obligationem imponi, cum si quæ sit, ad Religionem pertinere videatur. Imo vt hæc obligatio etiam ex Religione sit, debet honor diuinus periclitari, nisi tu eius partes assumas.

Dvbivm XII.

An huius præcepti exequutio instet cum graues insurgunt, maxime odij Dei tentationes, & illis consentiendi periculum adesse?

188 *Instat quidem.* INstat equidem. Quia actus dilectionis Dei fortissime quæque grauissima tentamina debellat: & ad odium Dei ablegandum agnata est eiusdem dilectio. Sic Sanchez *libr. 2. Decal. cap. 35. num. 9.* Bonacin. *d. 3. q. 4. de Charit. pun. 2. numer. 2.*

189 *Non instat regulariter.* Non instat regulariter. Quia aliis præsidiis roborari præcordia possunt, ad tentamina quæque superanda, consideratione scilicet gloriæ vincenti promissæ, & pœnarum gehennæ succumbenti. Ita Coninch. *disp. 24. dub. 3. num. 45. & 55.* Suarius *d. 5. de Charit. section. 3. numer. 3.* & alij.

190 *Idē assero.* Existimo, obligationem actus amoris eliciendi ad tentationes vincendas affirmari non debere, nisi dilectio Dei medium esset necessarium, quod raro, vel nunquam præsumi potest.

Dvbivm XIII.

Instante mortis periculo, etiamsi peccati mortalis conscius non sis, imo etiamsi illius conscius Sacramentaliter confitearis: obligatusne es Deum super omnia diligere?

191 *Obligatus es.* ES quidem obligatus. Quia licet certum sit attritionem cum Sacramento gratiam conferre, quia tamen tibi non constat, huiusmodi attritionem habere, eniti debes ad contritionem, vt sic saltem attritionis actū elicias: agitur enim tunc de æterna salute, quam omnibus modis reddere securam oportet. Adde, tunc dœmonem grauissimas tentationes immittere, scientem vtique modicum tempus habere: Debes igitur animum in diuino obsequio meliori modo, quo valeas, obfirmare. Sic Valentia *2. 2. disputatione tertia, quæstione 19. punctō primo, casu septimo*, Suarius *disputatione quinta, de Charitate sectione tertia, numero tertio*, Coninch. *disputatione vigesima quarta, dubio 3. numero 51.*

Obligatus non es. Quia si ob incertitudinem attritionis, & gratiæ obtentæ, deberes contritionem, & amorem Dei super omnia procurare, cum de illo amore nunquam certus sis, non solum semel, sed iterum atque iterum obligatus esses contritionem elicere. Nam cum de salute in æternum perdenda, aut assequenda agatur, omnibus modis tibi possibilibus secura reddenda est. Item nullius lethalis criminis conscius obligatus esses, non solum dilectionem habere, sed & Sacramentum Pœnitentiæ recipere, vt ea via securam redderes salutem, quæ forte Sacramento recepto periclitaretur: quæ quidem concedenda non sunt. Ita Azorius *tomo primo, libro nono, capite quarto, quæstione prima.* Palao *tomo primo, tractatu sexto, disputatione prima, puncto quarto, numero nono.* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite 35. numero nono.* 192 *Non est obligatus.*

Profiteor hanc obligationem satis probabiliter adstrui, & in praxi semper esse consulendam. At non est omnino certa, si peccati lethalis conscius non sis. Nam id puto conuinci secundæ sententiæ apposito fundamento. Cui addiderim, ad tentationes vincendas, dilectionem Dei super omnia necessariam non esse, vt ipsemet Coninch fatetur: cum possis diuini iudicij recordatione, & salutis æternæ spe te communire. Quod autem conueniens sit ea firmare animum, vt sic omnibus modis securior existas, non probat, te obligatum esse; alias probaret, te esse obligatum actus omnium virtutum exercere, præcipuè illarum, aduersus quas tentamina insurgunt, siquidem hoc exercitamento securior eris. Ergo sufficit si in illo casu præstes, quæ moralem constituunt securitatem. 193 *Auctoris resolutio.*

Dvbivm XIV.

Quilibet adultus teneturne annis singulis actum dilectionis elicere ex præcepto Charitatis?

194 *Tenetur.* TEnetur quidem. Quia ob beneficia iam accepta, & ob accipienda anno sequenti debetur proculdubio hoc cœlesti Numini obsequium. Sic Petr. Ledesm. *to. 1. sum. tr. 3. cap. 5 post 6. concl.*

195 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia id esset nimis durum, & ideo eius assertio nullo firmo fundamento niti videtur. Ita Castro Palao *tomo primo, tractatu sexto, disputatione prima, puncto quarto, numero 10.*

196 *Cum meo Ferdinando de Castro opinor, duplicemque distingo obligationem.* Cum eo opinor. Cæterum vt certum tempus huius obligationis assignem, duplicem obligationem distinguo; aliam, quæ per se ex vi Charitatis oritur: aliam, quæ per accidens ratione alicuius adiuncti, cui Charitatis dilectio est necessaria. Quando enim dilectio non est per se, sed aliunde necessaria, si illam quis omittat, nō aduersus Charitatem, sed auersus aliquam virtutem delinquit. Exemplum exhibeo In mortali existens vis ministrare, aut recipere aliquod

quod Sacramentum: teneris peccatum ab animo expellere, vt digne ministres verbi gratiâ, Baptismum, aut Pœnitentiam: quod nisi media attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, vel contritione, quæ amorem Dei super omnia includit, fieri non potest. Si igitur tunc hæc media omittas assumere, & Sacramenta ministres non aduersus Charitatem, sed aduersus Religionem delinques; quia ex Religione obligatio dilectionis actum eliciendi, ortum habebat, casu quo Pœnitentiæ Sacramentum non recipiebas. Porro de hac obligatione non est sermo, sed de illa, quæ per se, & ex vi Charitatis oritur. Hac ergo obligatione existimo, quemlibet adultum teneri non singulis annis, sed aliquoties in vita, ita vt non multo tempore hoc exercitium differatur. Signare autem tempus hoc fieri non potest, sed prudentis arbitrio est mensurandum. Reputarem vero trium annorum dilationem grauem esse. Nam qui tanto tempore diuinam bonitatem non reclamat, eam contemnere videtur, & in periculo eam offendendi, & humanis rebus postponendi constituit. Mecum Coninch. *disp. 24. dubio 3. num. 53.* Suarius *de Charitat. d. 5. sect. 3. num. 4.* Monuerim tamen, raro quemlibet fidelem, nisi deprauatis sit moribus, huius peccati reum existere; quia sæpe conatur contritione, se ad absolutionem disponere, sæpeque beneficia diuina, & summam bonitatem considerat quibus ad effectum debitum amicitiæ excitatur.

CAPVT XV.

Circa præceptum Charitatis erga proximum.

DVBIVM XV.

Obligamurne ad aliquem amorem internum erga proximum ex Charitate procedentem?

197 *Quæstionis status.*

SVPPONO, nos obligatos esse ex Charitate proximum sicut nos ipsos diligere. *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Vbi particula *sicut* non qualitatem, sed similitudinem denotat, quod frequens est in Scriptura *Ioann. 13. & 15.* Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. D. Thom. *2. 2. quæst. 44. art. 7.* Athan. *serm. 4. contra Arrian.* Quæsierim vero, num obligemur ad aliquem amorem internum erga proximum ex Charitate procedentem?

198 *Obligamur.*

Obligamur quidem. Quia Dominus eodem modo de præcepto dilectionis proximi locutus est, ac de præcepto dilectionis Dei. *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Hoc est maximum, & primum mandatum.* Mox subiungit, *Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Sed præceptum dilectionis Dei obligat ad actum internum: ergo & præceptum dilectionis proximi ad actum internum obligabit. Sic nonnulli Euangelij Expositores.

199 *Non obligamur.*

Non obligamur. Quia ex Charitate solum tenemur diligere Deum, vel proximum, quatenus talis dilectio illorum cedit in bonum: at actus internus dilectionis in proximum in bonum proximi non cedit cum illi incognitus sit: cedit autem in honorem Dei, cui omnia patent: ergo respectu Dei tenemur amorem internum gerere, & respectu proximi solum quatenus est necessarius ad vitandum odium, vel ad opera misericordiæ, & beneuolentiæ signa illi debita exhibenda. Ita Scot. *in 3. distinct. 30. §. Quantum ad hoc.* D. Thom. *2. 2. quæst. 25. ar. 8. in corp.* Lorca *2. 2. section. 3. disp. 58. numero 10.* Suarius *de Charitate, disp. 5. sect. 4. num. 4.* Coninch. *d. 24. dub. 4. concl. 1. & 2. numer. 66. & 67.* & alij.

200 *Auctoris resolutio.*

Profecto primæ sententiæ ratio omnino conuincit, obligatos nos esse proximum amare, illiusque bonum expetere: sed huic obligationi crediderim fieri satis amore ipsius Dei, qui saltem virtualiter est amor proximi iuxta illud *1. Ioann. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum.* Nam qui Deo placere in omnibus intendit, eiusque exequi voluntatem, necessario salutem proximi velle debet, illamque procurare, prout nouerit Deo placere. Amare autem proximum amore interno distincto ab amore ipsius Dei, non obligamur, nisi forte fuerit aliquando necessarius ad aliqua debita opera exhibenda.

DVBIVM XVI.

Si proximus offensor vltra humilem veniæ petitionem veniæ iniuriæ tibi illatæ satisfactionem offerat sufficientem: vel iniuria talis sit conditionis, vt nequeat reparari, vti in nece filij, aut parentis contingit: poterisne actionem iniuriæ coram Iudice prosequi?

201 *Nonnulla suppono.*

CErtum est ex fide te obligatum esse tam iure naturæ, quam diuino peccatores, & inimicos diligere. Quia sunt vere proximi ad Dei imaginem creati, & supernaturalium capaces bonorum, ob quæ digni amore obiiciuntur. Ex hac obligatione infertur, te non posse peccatori, aut inimico velle malum aliquod, qua malum illius est. Quia hoc intrinsece malum est, & nulla ratione valet honestari. Et obligatum esse iniurias remittere toto ex corde, etiamsi offensor non petat, hoc est, obligari à volitione vindictæ abstinere, qua malum iniuriantis est; imo te ita cum inimico portare, vt neque ipsi, neque aliis præbeas suspicandi fundamentum, te adhuc fouere inimicitias: Quia ex obligatione Charitatis teneris neminiscandalum excitare. Vnde non licet inimicum, quia inimicus est ab oratione, auxilio, beneficio

neficio excludere. Et ſalutantem reſalutare, ſi inimicitiæ publicæ ſint,& antea reſalutare ſolitus fueris.Et ei veniam petenti aliqua exhibere ſigna,queis ſignifices, eum in amicitiam recipere. Quia omiſſio talis ſigni in ea occaſione odij exiſteret documentum. Profecto in hac amicitiæ ſignificatione non comprehendo ſatisfactionis debitæ pro iniuria remiſſionem. Quia non obſtante petitione veniæ poterit offenſor ſatisfactionem debitam coram Iudice petere. Quia petit quod ſibi debetur,& quod Iudex tenetur facere. Certa hæc.Dubito autem, nùm poſſis coram Iudice actionem iniuriæ proſequi, ſi offenſor vltra humilem veniæ petitionem iniuriæ tibi illatæ ſufficientem ſatisfactionem offerat, vel iniuria talis ſit conditionis,vt reparari nequeat,vti in filij,aut parentis nece contingit?

202 *Non poteris.* Non poteris. Quia *Cap. Si quis conſtitutus, diſtinct.*90.Fabianus Papa dicit: *Si quis, ob iniuriam acceptam grauiter contriſtatus eſt, & ſatisfactionem oblatam noluerit admittere,grauiſſimis pœnis ad id eſt compellendus.* Et quia videris ex affectu vindictæ in actione illa, poſt ſatisfactionem oblatam perſiſtere. Sic Beja *parte prima ſummæ caſu decimo.* Azorius *parte tertia, libro duodecimo, capite decimo tertio, quæſtione ſeptima,* inclinat Sylueſt. *v.Charitas, quæſtion.* 9.

203 *Poteris plane.* Poteris ſane.Quia Iudices ſunt conſtituti à Republica,vt delinquentes puniant, & offenſis ſatisfactionem exhibeant: ergo offenſus hanc punitionem poſtulans, hanc ſatisfactionem exquirens, non petit aliquid illicitum, ſed potius quod iuſtitiæ vindicatiuæ eſt conforme. Ergo huiuſmodi petitio non debet in ſignum vindictæ reputari. Ita Suarius *de Charitate diſputatione quinta, ſectione quinta fine.* Coninch. *diſputatione vigeſima quarta, dubio ſexto, numero* 103. Lorca 2. 2. *ſectione tertia, diſputatione vigeſima quinta, numero tertio,* Bonacina *diſputatione* 3.*quæſtione* 4. *de Charitate puncto tertio,numero quinto.* Sancius *in ſelect.d.* 2. *numero* 11.

204 *Auctoris reſolutio.* Iudico,primam ſententiam regulariter conſulendam eſſe. Quia rarus eſt, qui ex amore iuſtitiæ,& non ex vindictæ affectu punitionem iniuriantis petat. Attamen ſi proteſtetur, non ex affectu vindictæ, ſed iuſtitiæ accuſationem inſtituere, & punitionem iniuriantis petere: vrgendus quis non eſt, vt deſiſtat, neque ob id eſt abſolutio deneganda. Addiderim cum Sancio,non ſolum tibi eſſe licitum, coram Iudice vindictam iniuriantis petere,hoc eſt, debitam punitionem:ſed etiam à Deo, dummodo in petitione vindictæ vltra meritum culpæ non excedas. Quia petis quoddam virtutis opus ſcilicet delinquentis punitionem factam ab eo,qui poteſtatem exerit puniendi. Porro *Cap. Si quis conſtitutus,* ſolum probat, grauiter compellendum eſſe eum, qui ſatisfactionem iniuriantis non vult admittere, vt odium deponat. Sic explicat Valentia 2. 2. *diſputatione tertia, quæſtione ſecunda, puncto ſecundo, circa finem.*

Dvbivm XVII.

An peccet quis contra Charitatem, ſi conſtitutus in æquali neceſſitate bonorum, quæ ex obligatione conſeruare debet, vt vitæ, & corporis: cedat ſui conſeruationi,vt vita,& corpus proximi conſeruetur?

205 *Status quæſtionis.* Scio, pro bono Reipublicæ debere quemlibet fortunæ bona, imo & vitam expendere. Scio, non teneri in æquali ſua, & alterius neceſſitate alium ſibi præferre. Scio, in bonis fortunæ poſſe præferre ſibi proximum. Dubito vero, an peccet contra Charitatem,ſi conſtitutus in æquali neceſſitate bonorum, quæ ex obligatione conſeruare debet, verbi gratiâ,vitæ,& corporis: cedat ſui conſeruationi, vt vita, & corpus proximi conſeruetur?

206 *Peccat quidem.* Peccat quidem.Quia Charitas obligat propriam,& alienam vitam conſeruare, & cæteris paribus prius obligat propriam, deinde alienam. Quia propria vita magis eſt cuique coniuncta. Ergo contra Charitatis obligationem precedit, qui hunc ordinem peruertit:ergo pecca. Sic Diu Thom. 2. 2. *quæſtione vigeſima ſexta, articulo quarto,* Paludanus *in quart, diſtinctione decima quinta,quæſtione tertia, articulo ſecundo, concluſione tertia.* Gabriel. *ibidem diſtinctione decima ſexta,quæſtione quarta,articulo ſecundo,concluſione prima,*& Diu. Auguſtin. *l.de mend.c.cap.*6.ait:*Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius,iam non diligit proximum ſicut ſe ipſum, ſed pluſquam ſe ipſum; quod ſane doctrina regulam excedit.*

207 *Ni peccet.* Minime peccat,ſed potius opus gerit laudabile. Quia non tenetur quis propriam vitam ita conſeruare,quin poſſit eam periculo ob aliquem honeſtum finem exponere: Sed conſeruare vitam proximi eſt finis honeſtus, & proprius virtutis Charitatis, & fortitudinis: ergo non peccat, ſi ob hunc finem vitam propriam exponat.Sic Leſſius *lib.*2.*cap.*9.*dub.*6. *numer.*2. Coninch.*diſputation.*25.*dubio* 6. *numer.*81.citans alios.

208 *Veritas ſententiæ conſilii, & ſequor.* Ego quidem vni, & alteri ſententiæ adhæreo verum vtique continenti.Prima enim procedit, quoties nulla ſpecialis ratio adeſt vitam propriam exponendi, niſi alienæ conſeruatio, vt contingit, cum illam quis exponit non pro amico,nec benefactore, nec Reipublicæ neceſſario:ſed pro extraneo.Secunda vero procedit,cum aliqua ſpecialis intercedit ratio, ſcilicet oſtendere amico debitum officium,gratificari illi beneficia,alicui vtilitati communi prouidere. Quia tunc non amat proximum quis pluſquam ſe,ſed opus virtutis præ vita diligit. Huius mentis inuenio eſſe Suarium *d.*9.*de Ch. ſect.*3.*n.*7.& Valentiam 2.2.*d.*3.*qu.*4.*concl.*3.Et hic dicendi modus Ferdinando à Caſtro *tom.*1. *tract.*6.*d.*1.*punct.*8.*num.*5. & mihi probabilior apparet.

Dvbivm

Dvbivm XVIII.

Teneturne quis vnum proximum præ alio diligere?

209 Notenetur. NOn tenetur. Quia Diuus Augustinus *l.1. de Doctr. Christ. cap.* 28. fatur: *Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis hîc potissimum consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus cõstrictus tibi quasi quadam sorte iunguntur.* Vbi distinguit Doctor eximius dilectionem à beneficentia, & in dilectione affirmat omnes debere esse æquales, secus in beneficentia. Quod clarius dixit *ad cap. 6. Galat. Operamur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei. Omnibus*, (inquit,) *pari dilectione vita optanda est: etsi non omnibus eadem possint exhiberi dilectionis officia.* Sic Augustinus.

210 Tenetur quidem. Tenetur quidem aliquando vnum præ alio diligere. Quia vnus præ alio sibi, & Deo coniunctior est. Quod non solum intelligendum est de dilectione in effectu, id est, in exteriori beneficentia: sed etiam in affectu. Ita D. Thom. *2.2. qu. 26. art. 6.* Valen. *2.2 disp. 2. qu. 4. punct. 4.* Torres *disputat. 76.* Suarius *de fide, disput. 9. sect. 4. à numer. 2.* Coninch. *disput. 25. dubio 8. numer. 112.* Bonacina *disput. 3. qu. 4. de Charitat. punct. 5.*

211 Hic certum esse iudico. Hanc sententiam certam omnino esse iudico. Quia in effectu non potest aliquem quis præ alio diligere, quin simul in affectu illum præ alio diligat. Diligere enim in effectu vnum præ alio est conferre illi bonum aliquod, altero omisso. Haud aliter in affectu vnum præ altero diligere est, velle conferre illi bonum, omisso altero. Ergo impossibile est, te posse, & teneri vnum proximum præ alio in effectu diligere, quin simul in affectu tenearis. Nec obstat Augustinus. Omnes enim ex parte nostra sunt æqualiter diligendi, quia omnibus debemus velle æque benefacere, si omnibus possimus. At casu, quo omnibus non possimus prodesse, tenemur coniunctiorem minus coniuncto præferre, & hoc velle.

Dvbivm XIX.

An coniunctio spiritualis sit naturali præferenda in spiritualibus?

213 Quæstionis ratio. CErtum mihi, in necessitatibus temporalibus debere patrem carnalem spirituali præferri: & filium naturalem spirituali subdito: & sic de reliquis. Quærierim vero, an coniunctio spiritualis sit naturali præferenda in spiritualibus, verbi gratiâ, an pater naturalis præferendus spirituali sit, & filius naturalis spirituali, nempe subdito in spiritualibus necessitatibus?

214 Præferenda est spiritualis. Præferenda est spiritualis coniunctio. Quia in spiritualibus bonis videtur pater spiritualis nobis coniunctior, quam carnalis. Sic Bonacin. *d. 3. q. 4. de Charit. pun. 5.* Abul. *in Matth. qu. 66.* Reginald. *lib. 4. num. 317.* Valentia *2.2. d. 3. q. 4. punct. 5.*

215 Non est præferenda. Minime est præferenda. Quia carnalis coniunctio non solùm obligat ad prouidendum sic coniunctis in bonis temporariis, sed præcipuè in spiritualibus, vtpote magis necessariis: ergo obligat ad præferendum hos sic naturaliter coniunctos eis, qui solum extrinsecè, & in spiritu sunt coniuncti. Ita Suar. *d. 9. de Charitat. sect. 4. n. 19.* Coninch *disp. 25. dub. 8. numer. 112.* & alij apud ipsos. Palao *tom. 1. tract. 6. d. 1. pun. 10. num. 7.*

216 Cum his opinor. Fateor me decreuisse, primam defendere sententiam, cum Diui Ambrosij hæc verba perlegi *l. 1. offic. c. 8. Neque enim minus vos diligo quos in Euangelio genui, quam si in coniugio suscepissem; non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Plus certè diligere debemus quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos tantum in hoc sæculo.* Attamen re attentius considerata, existimo, Ambrosium loquutum esse de amore quo ipse spirituales filios prosequebatur, non de obligatione illos præ aliis amandi. Cum autem dicit, plus esse diligendos, *quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam tantum in hoc sæculo*: exponi potest Diuus loquutus vel de amore complacentiæ, vel certè extra casum necessitatis: vel non comparasse spiritualiter coniunctos cum iunctis carnaliter: sed absolutè sanctos cum peccatoribus, & tunc certum est, sanctos esse magis diligendos.

Dvbivm XX.

An cum consanguinei minus sancti, vel fortè peccatores sint extraneis sanctioribus præferendi?

217 Præferendi non sunt. PRæferendi non sunt, sed sanctiores extranei. Quia hi sunt Deo magis coniuncti: sed charitas primò Deum respicit: ergo primo eos respicit, qui Deo sunt coniunctiores. Et quia sanctiores à Deo præ aliis diliguntur: ergo qui eos præ consanguineis minus sanctis, vel peccatoribus diligeret, se diuinæ voluntati conformaret. Sic Gabr. *in 3. dist. 29. a. 2. concl. 7.*

218 Præferendi sunt. Non sanctiores extranei, sed cõsanguinei minus sancti sunt præferendi. Quia ex charitate obligamur sanguine innctis, quia nobis iuncti sunt, succurrere: At sanctitas hanc nobis obligationem non inducit: ergo. Ita Suarius *de Charitate disputation. 9 sectione. 4. num. 19.* Coninch. *disputation. 25. dub. 9. numer. 140.* ex Diu. Thom. communiter recepto *2.2. quæst. 26. artic. 7.*

219 Hoc defendo. Existimo, consanguineos, etsi peccatores sint, sanctioribus extraneis esse præferendos tum in spiritualibus, tum in temporariis in casu necessitatis. Quia Charitas naturam perficit, sed natura inclinat amare nobis sanguine coniunctos, potius quam meliores, ac sanctiores: ergo sunt in dilectione præferendi. Fateor sanctiores esse Deo magis coniunctos, & obiecta magis diligibilia secundum se: ac proinde magis amanda amore complacentiæ

tiæ, non approbationis. At non sunt obiecta, quæ ex obligatione sint magis diligenda amore absoluto, & appretiatiuo. Alias obligatus esses sanctiores diligere illisque prouidere potius quam tibi in peccato existenti.

Dvbivm XXI.

An frater amico, & benefactori præferendus sit in extrema necessitate?

220 *Nonnulla præmitto.* Sæpè amicitia ita arcta esse potest, & beneficentia ita eximia, vt coniunctionem consanguinei intra secundum gradum euincat. Solum est dubium de consanguineis in primo gradu, nempè de filio respectu patris, & de patre respectu filij, & de fratribus inter se: an hi necessariò præferri debeant semper amico, ac benefactori insigni? De patre, filio, & vxore ferè omnes Doctores sentiunt, esse necessariò præferendos cuilibet amico, & benefactori ob horum strictissimam coniunctionem. Solum casu, quo pater, filius, & vxor obligationi sui muneris non satisfecerint: sed potius contrarium agere procurauerint, existimant plures Doctores, nos posse amicum, & benefactorem insignem illis præferre, non tamen ad id teneri. Suarius *disputatione nona, de Charitate sectione quarta, numero decimo quinto*, & alij. At in præsenti fratrem comparatum amico, & requiro, num in extrema necessitate frater amico sit præferendus?

221 *Præferendus est.* Præferendus est. Quia *Prouerb.* 8. dicitur, *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater.* Vnde raro erit lethale piaculum amico, & benefactori fratrem postponere. Sic Lorca 2. 2. *quæstione vigesima sexta, articul. 9. numer. 4.*

222 *Non est præferendus.* Non est præferendus. Quia fraternitatis coniunctio est nimis stricta, quam derogari non decet ob quæcumque signa amicitiæ, & beneficentiæ. Profecto ad exaggerationem amicitiæ alicuius vtimur fraternæ dilectionis comparatione, & dictitamus, illos amare, ac si fratres existerent: ergo fratres amicis sunt necessario præferendi. Ita D. Thom. 2. 2. *quæstione vigesima sexta, articulo sexto, & nono*, Coninch *disp. 25. dub. 9. num. 153.* Valent. 2. 2. *disp. 3. qu. 4. num. 5.* Palao *tom. 1. tract. 6. d. 1. pun. 10. num. 11.*

223 *Auctoris resolutio.* Ego existimo, semper esse lethale, in extrema necessitate amicum, vel benefactorem fratri præferre, nisi casu, quo frater iura fraternitati violasset, vel amicus esset insignis admodum benefactor. Neque putarim Prouerb. testimonium huic doctrinæ obstare. Ibi enim solum significatur societate amici nos amplius delectari, quam cuiuslibet consanguinei; vel significat, interdum amicum esse nobis fideliorem, & vtiliorem fratre. Ex quo tamen non sequitur esse in necessitate præferendum.

Dvbivm XXII.

An mater sit patri in dilectione præferenda?

224 *Certa ex communi sententia suppono.* Comparo iam coniunctos in eodem ordine, quosnam debeas præferre, cum omnibus occurrere non possis. Et quidem communis sententia est, in coniunctione naturali patrem omnibus esse præferendum, secundò matrem, tertiò vxorem, quartò filios. Quia illo ordine sunt tibi coniunctiores. Coninch. *d. 25. de Charitate dub. 9. num. 149.* Bonacin. *disputat. 3. quæstion. 4. punct. 5. num. 2.* Valentia 2. 2. *disputation. 3. quæstion. 4. punct. 5.* Suarius *disputation. 9. section. 4. à num. 5.* Quæsierim vero an hic communis ordo possit inuerti, vt mater patri sit præferenda?

225 *Patri mater præferenda.* Præferenda quidem est patri. Quia mater magis amat filium, & in eius educatione plus laborat. Sic aliqui Doctores, quos præsis nominibus memorat Cast. Pal. *citandus.*

226 *Præferenda non est.* Minime patri præferenda est. Quia pater est filij præcipuum principium, ob cuius causam tenetur arctius, quam mater filio prouidere, & illius curam gerere. Ita Coninch, Bonacina, Valentia, & Suarius *vbi suprà*, Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disputat. 1. punct. 10. numero 13.*

227 *Communem sententiam ratio.* Iudico retinendam esse communem sententiam. Nec enim ratio pro prima sententia adducta præponderant ei, quam pro secunda indicaui.

Dvbivm XXIII.

An vxor sit præferenda parentibus?

228 *Præferenda est parentibus.* Est præferenda. Quia *Gen. 2.* dicitur, *Quam obrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Et *Matth. 19.* Dominus, *Iam non sunt duo, sed vna caro.* Sed quilibet se ipsum præferre debet parentibus: ergo etiã vxorem. Sic nonnulli apud Castrum Palao *tom. 1. tract. 6, disp. 1. punct. 10. num. 13.*

229 *Non est præferenda.* Præferenda non est. Quia esto sit marito intimo vinculo coniuncta, parentes sunt filiorum præcipuum principium. Ita ex communi sententia Palao *tom. 1. tract. 6. disputat. 1. punct. 10. numer. 13.*

230 *Idem confirmo.* Idem affirmo. Nam primæ sententiæ fundamentum solum probat, quoad electionem status vxorem esse præferendam, & quoad ea, quæ ad domus gubernationem pertinent: non tamen quoad extremam necessitatem.

Dvbivm XXIV.

An filij sint parentibus præferendi?

231 *Præferendi sunt auctiori iure.* Præferendi sunt parentibus. Quia amor filiorũ est antiquior, & cura illis prouidendi

arctior est in patre, quam in filio respectu parentis iuxta illud 2. Corinth. 12. *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Sic Valentia 2. 2. *disputat. 3. quæst. 4. punct. 5.*

232 *Non sunt proferendi.* Præferendi non sunt filij parentibus in casu necessitatis. Quia beneficium à patre acceptum est omnium maximum: siquidem ex illo esse hausimus. Ergo sicut Deus omnibus præferendus est, quia nobis contulit esse; ita suo modo pater omnibus debet præferri. Ita Coninch. *d. 25. dub. 6. num. 146.*

233 *Eiusdem sum meris.* Credo patentes semper esse filiis præhabendos. Fateor, appetitum sæpe inclinare magis ad filiorum amorem, quam parentum: eaque de causa facilius patrem amare filium, quam è contra: non tamen inde infertur, patrem non esse præferendum: cum Charitas, & inclinatio naturalis rationalis ad patrem potius, quam ad filium propendeat. Nec contrarium ex Pauli testimonio colligitur; solum enim probat, extra necessitatem filios, præcipue non emancipatos esse parentibus præhabendos; quia filiis sub cura, ac prouidentia parentum existentibus, non tenetur pater tum in temporalibus, tum in spiritualibus prouidere, & pro maiori illorum profectu inuigilare. Addo, neque etiã extra necessitatem in temporalibus teneri filium, etsi possit, prius aliis filiis prouidere, quam parenti; quia prouidendo parenti prouidet, & sibi: cum bona parentis iure hæreditatis ad ipsum deueniant, & nemo tenetur aliis cum iactura propriorum bonorum extra necessitatem occurrere.

Dvbivm XXV.

An filij sint præponendi vxori?

234 *Præponendi sunt.* Sunt præponendi. Quia vxor propter filios gignendos assumitur. Ergo filij sunt vxori præponendi. Sic Valentia 2. 2. *disput. 3. quæst. 4. punct. 5.*

235 *Præponendi non sunt.* Præponendi non sunt. Quia vxor est filiorum principium: & quia marito est intimo vinculo coniuncta: ergo in necessitate filiis est præponenda. Ita Suar. *d. 9. sect. 4. nu. 5.* Bonacin. *d. 3. q. 4. punct. 5. num. 2.* Coninch. *d. 25. dub. 6. n. 146.* & alij.

236 *Hoc reputo esse probabilius.* Cum his probabilius opinor. Neque enim vxor solum propter filios assumitur, sed ad vitæ solatium, & societatem. Copula autem est, quæ propter filios gignendos, vel sedanda tentamina tantum est assumenda. Monuerim autem, inter hos consanguineos adeo stricte iunctos, mortale non esse assignatum ordinem inuertere, (si patrem, & matrem excipias extrema necessitate laborantes.) Quia excessus coniũctionis non est ita grauis: & quia non est satis constans, qui excedant. Quia vltra vinculum coniunctionis naturalis, addidit benevolentiæ vinculum. D. Thom. *qu. 26. art. 10.* Reginald. *l. 4. n. 311.* Bonacin. *disp. 3. q. 4. punct. 5. numer. 2*

Dvbivm XXVI.

An possit quis peccatorem extrema necessitate laborantem iusto eadem affecto præferre?

237 *Nõ potest.* NOn potest. Quia id præcipere videtur Apostolus *ad Gal. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei.* Id est ad eos qui vere fideles sunt credendo scilicet, & operando. Ergo iustus extrema affectus necessitate prius est succurrendus, quam peccator. Haud igitur potest quis peccatorem iusto præponere. Sic Coninch. *d. 25. dub. 9 n. 142.*

238 *Potest plane.* Potest quidem. Quia in peccatore est æternæ damnationis periculum, quod in iusto non adest. Ita Bonacin. *disput. 3. quæstion. 4. punct. 5. num. 3. fine.*

239 *Auctoris resolutio.* Ego quidem existimo, cæteris paribus fidelem, & iustum infideli, ac peccatori esse præferendum: sicut & magis iustum minus iusto. Quia in illo genere coniunctionis arctius nobis coniunguntur. Cæterum credo, nos posse (etsi non teneamur) peccatorem temporali necessitate extrema affectum iusto præponere. Quia in peccatore videtur simul cum corporali necessitate spiritualem adesse. Plura mitto, te ad Volumen de Præceptis Decalogi remittens, vbi plura digessi.

CAPVT XVI.

Circa externum Charitatis effectum, qui est Eleemosyna.

240 *De Charitatis effectibus.* VArios enumera Charitatis effectus, alios internos, externos alios. Interni sũt complacentia, desiderium, gaudium in bono Dei, & proximi, misericordia in proximum, quæ in compassione alienæ miserię consistit: de quibus nil speciale annotandum occurrit. Lege D. Thom. 2. 2. *qu. 27. 28. 29. & 30.* vbi eos apprime exponit. Alij sunt effectus externi, quorum primus est generalis scilicet Beneficentia, quæ, vti ait Doctor Angelicus *q. 31.* communiter receptus, consistit *in faciendo alicui bene.* At quia dupliciter proximo facere bene potes, corporaliter scilicet, & spiritualiter: ideo Beneficentia in corporalem, & spiritualem diuiditur. Corporalis Beneficentia sibi nomen *Eleemosynæ* arrogat: spiritualis vero *Correptio* vocitatur. Et iuxta hanc diuisionem primo de Eleemosyna, deinde de Correptione sermo procedet.

Dvbivm XXVII.

An in extrema necessitate ex necessariis statui, & superfluis naturæ tenetur quis proximo subuenire?

241 *Certa recolo.* Recolo ex *sectione* 1. triplicem esse proximi necessitatem extremam, grauem, & communem: vna, ex quibus facienda est eleemosyna, alia esse necessaria, alia superflua: non esse obligationem ex Charitate proximum egenum inquirendi, sed sufficere, si paratus sis ei subuenire, dummodo Prælatus non existas: obligationem ex Charitate solum esse, quando proximus necessitatem patitur alias non subleuandam. Quæsierim verò, nùm in extrema necessitate ex necessariis statui, & superfluis naturę teneatur quis proximo subuenire?

242 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia alias nullum esset eleemosynæ præceptum, si pro hoc tempore non obligaret conuenientia statui, quæ naturę necessaria non sint, ergo non tribuere. Neque Charitati fieret satis, si bona temporaria tibi non simpliciter necessaria pro vita proximi non expenderes. Sic fere omnes Doctores cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 32. *art.* 5. *in corp.* Medin. *de eleemosyn. qu.* 3. §. *verum.* Valentia 2. 2. *disp.* 3. *qu.* 9. *punct.* 4.

243 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia non videtur obligandum esse, vitam proximi conseruare cum tam graui eius detrimento, quale est fieri miserum. Et quia non obligatur arctius vitam proximi conseruare, quam propriam, sed propriam non tenetur conseruare cum proptij status amissione: alias omnes opes deberet in curatione alicuius infirmitatis expendere, si hac via sanandum sciret, & è contra moriturum. Et quia Reipublicæ vtilius videtur nobilem retinere statum, quam priuatum pauperem è viuis excedere. Ergo non tenetur quilibet nobilis, ac dives à suo statu cadere, vt vitam cuiuslibet conseruet. Ita Coninch. *disputatione vigesima septima, dubio octauo, à numero* 134. Castro Palao *tom.* 1. *tractat.* 6. *disputation.* 2. *punct.* 2. *numero sexto.*

244 *Hanc sententiam satis probabilem esse putarim.* Profecto si bona expendenda sint tuo, tuorumque ita necessaria, vt absque illis nulla ratione conseruari possit status: sed necessario ab illo cadere debeas: censeo esse satis probabile, te non esse obligatum ea proximo particulari extremam necessitatem patienti elargiri. Non enim obstat, vitam esse bonum longe nobilius cunctis fortunæ bonis, vt tenearis omnia tua bona pro vita cuiuslibet expẽdere: quia si non potes ea expendere, quin tuam vitam miseram efficias, non teneris te miserum reddere, vt alium in vita conserues. Esset enim obligare te ad malum æque graue sustinendum, quale est illud quod à proximo vitare contendis: quod nullo modo Charitas dictare potest. Imo crediderim, te non esse obligatum magnas diuitias expendere, verbi gratiâ, ter, vel quatuor malle aureos pro cuiuslibet priuati vita redimenda, etiamsi obinde ab statu cadere non debeas. Quia illi sumptus in morali æstimatione, & quoad Reipublicę vtilitatem pretiosior priuati hominis vita est. Coninch. *disputatione* 27. *num.* 143.

Dvbivm XXVIII.

Extra necessitatem extremam obligaturne quis eleemosynam facere sub graui piaculo?

245 *Non obligatur.* Non obligatur. Quia Charitas quem obligare non potest ad subueniendum proximo arctiori vinculo, quam ad subueniendum sibi: At sibi non est obligatus subuenire in graui necessitate, sed eam libenter pati propter Deum potest: ergo nec proximo tenetur. Certe si graui proximi necessitati esset quis obligatus succurrere, cum hæ necessitates sæpius occurrant, non posset filiis thesaurizare, nec ad fundandam Ecclesiam, (verbi gratiâ,) obseruare diuitias. Sic Gabriel. *in* 4. *distinct.* 16. *quæst.* 4. 2. *conclus.* 4. Medin. *Cod. de pœnit. tractat.* 5. *qu. de necess. dandi eleemos.* Gerson. 2. *part. alph. b.* 31. *littera O.* & alij plures, quos referunt Vasquez *opusc. ul. de eleemosyn. cap.* 1. *dub.* 3. Suarius *disp.* 7. *sect.* 3. & Coninch. *disp* 27. *dubio* 8. *numero* 18. Et probabilem reputat. Bonacin. *d.* 3. *q.* 4. *punct.* 6. *num.* 8.

246 *Obligatur plant.* Obligatur quidem, si superflua statui habeat. Secus si solum necessaria habeat statui. Quia iure gentium dominia rerum sunt introducta: at credendum est, esse taliter introducta, vt quisque assumat, quæ sibi necessaria sunt, reliqua egentibus distribuat: alia inordinata esset rerum diuisio, & contra ordinem Charitatis: ergo ex eo præcisè, quo quis habeat superflua, cogitur in pauperes distribuere. Ita Caietan. 2. 2. *quæstion.* 32. *articul.* 5. Valentia 2. 2. *disputat.* 3. *quæstion.* 9. *articul.* 4. §. 2. Bannes *ibi, quæst.* 32. *articul.* 5. *dub.* 2. Torres *disputation.* 81. *dubio* 2. Reginaldus *libr.* 4. *num.* 252. Lorca 2. 2 *disp.* 39. *numero decimo quarto, & vigesimo secundo*, Bonacin. *citat. num.* 8.

247 *Auctoris resolutio* Ego autem existimo eum obligari sub graui piaculo eleemosynam elargiri proximo grauiter indigẽti ex superfluo statui præsentis. Quia Charitas illum obligat, vt proximi graue damnum euitare procuret, quando sine graui damno proprio id agere potest: ideoque si domum proximi conflagrare aspiciat, & facile, quis valeat impedire: mortaliter delinquat, si non impediat: sed expendendo aliqua bona, quæ illius præsenti statui necessaria non sunt, & ex alio capite quantitatis magnæ non sunt, haud graue patietur incommodum. Igitur ea expendere tenebitur. Suar. mecum *d.* 7. *sect.* 3. *n.* 5. Coninch *d.* 27. *dub.* 8. *n.* 125. Porro in communi necessitate pauperum obligatum eum esse crediderim eleemosynam aliquoties facere ex bonis, quæ illi necessaria non sunt ad præsentem, & futurũ prætensum statum acquirendum, & conseruandum: esto sint necessaria, vt cõmodius illos status valeat sustinere. Quia dives habens superflua, & eleemosynam longo tempore omittens plurimis egenis expostulantibus, graue detrimentũ Reipublicę infert, cũ totum onus alẽdi pauperes, in ipsam transferat, neq; illi subsidiũ præster,

præstet, cum facile possit. Neque obstat, omissionem cuiuslibet eleemosynæ non esse peccatum mortale, imo nec veniale, quando voluntatem habes aliis succurrendi, & de facto aliis succurris. Quia si ea voluntate cares, & nemini intendis succurrere, proculdubio delinquis. In priori enim casu iam aliquo modo Reipublicæ onus alleuas, eique subsidium præstas. At in secundo Rempublicam grauas, & te inhumanum, ac durum ostentas, aliisque impietatis præbes documentum. Lege Valentiam *disputatione vigesima septima, dubio octauo, numero* 131 & Bonacinam *disp.* 3. *quæstion.* 4. *punct.* 6. *num.* 8.

Dvbivm XXIX.

An in casibus in quibus quis obligatus est eleemosynam facere: teneatur ex iustitia?

248 *Tenetur ex iustit.*

TEnetur non solum ex Charitate, sed ex iustitia. Quia ex iure naturæ omnia erant communia ante diuisionem, iusque gentium diuisionem introduxit; sed non est credendum, diuisonem introduxisse cum violatione Charitatis: ergo cum Charitas obligat relinquere egenti bona necessaria, iam illa bona cessant esse illius, cui iure gentium fuêre applicata: ergo manent communia, ac proinde illius, qui illis indiget. Porro iudex cogere potest habentem superflua, vt egenis succurrat, ab illoque bona tanquam iniuste detenta auferre: ergo ipse ante talem coactionem ex iustitia tenebatur. Sic Caietan. 2. 2. *quæstione decima octaua, articulo quarto*, Aragon. *quæstione trigesima secunda, articulo quinto*, Turrecremat. *ad Cap. Si fœneraueris, octuagesima sexta distinctione.* Sarmiento *libro secundo, de reddit. Ecclesiastic. parte tertia, capite quarto, numero tertio.* Diu. Thom. 2. 2. *quæstion.* 118. *articulo quarto, ad secundum*, vocat hoc debitum *legale*, quod condistinguit contra *morale* debitum: ac proinde docet esse ex iustitia.

249 *Nō tenetur ex iustitia.*

Non tenetur ex iustitia, sed ex sola Charitate. Quia proximus duplici tantum genere bonorum potest indigere ad indigentiam propulsandam, scilicet nostris actionibus personalibus, vel bonis fortunæ iam à nobis possessis. At nullum ex eiusmodi bonis tenemur ex iustitia in eius obsequium impendere, sed solum ex Charitate: ergo. Et quidem de personalibus actionibus videtur manifestum. Non enim ob necessitatem alterius amittis libertatem tibi à natura donatam, neque seruus indigentis efficeris: sed æque liber manes, & æque dominium retines actionum, ac si nullus eis indigeret: ergo non delinquis contra iustitiam eas actiones denegando. De bonis autem iam à te possessis sic probo. Quia licet iure naturæ illa bona ante possessionem nullius essent, ideoque communia dicuntur: At semel à te accepta, & collecta, tua quidem sunt. Neque ob indigentiam alterius desinunt esse tua: quod à fortiori militat in pecuniis, vestibus, ac cibis, quæ tua, vel tuorum industria laboréque sunt comparata: ac proinde sunt fructus ma-

gna ex parte personales, quorum dominio priuari ob vllius indigentiam potes. Ita Nauarr. *Summ. cap.* 24. *num.* 7. & 8. Turrian. 2. 2. *disp.* 82. *dub.* 3. Lorca *sect.* 6. *disp.* 39. *num.* 45. Vasquez *opuscul. de eleemosyn. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 17. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 7. *num.* 104. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 264. Suarius *disp.* 7. *sect. vltim. de Charit.* Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 4. *de Charit. punct.* 6. *num.* 29. & alij.

Cum his sentiens concesserim, ius gentium diuisionem rerum cum Charitatis violatione non introduxisse: abnego tamen, inde fieri reliquisse res extra possidentis dominium; sed solum obligasse possidentem, vt eas ex Charitate egenis impertiret. Dicuntur vero fieri communes in necessitate, quia Charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, eas communes facit, ratione cuius egens potest eis vti absque vlla domino illata iniuria: dominus enim ipse in tali vsu teneretur ex Charitate consentire; quod si de facto repugnet, obstare non potest, quominus egens iure sibi à Charitate concesso vtatur; quia est repugnantia contra Charitatem, ac proinde nullius momenti.

250 *Solum ex Charitate teneri, re. solvo,*

Dvbivm XXX.

Proximus in extrema necessitate versatur, neque habet alunde bona, quibus sibi traditum valeat reddere, neque spem habendi illa sine magna difficultate: teneris ne ei gratis dare: satisfacisne eimutuum offerendo?

NOn teneris ei gratis dare, sed satisfacis mutuando. Quia solum teneris necessitati proximi subuenire, & huic æque subuenis mutuo, ac donatione: Potes igitur quod malueris eligere. Et quidem facta mutatione necessitas tollitur: At sublata necessitate eleemosyna non obligat: ergo, Sic Nauarr. *Summ. cap.* 17. *numer.* 51. Toletus *libr.* 5. *cap.* 24. Hanc sententiam approbant grauissimi Doctores sub quadam limitatione, scilicet, vt mutuum non sit absolutum, sed conditionatum, nempe si proximus ad lautiorem fortunam deuenerit. Quia hac via satisfacis eleemosynæ præcepto, cum gratis dones, quæ proximo necessaria sunt; cui donationi non obstat grauamen impositum restituendi acceptum casu, quo pinguiorem fortunam inierit. Sic Vasquez *opuscul. de eleemosyn. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 54. Lessius *libr.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 11.

251 *Satisf. eis mutuando.*

Teneris ei gratis dare, nec satisfacis mutuãdo sub obligatione absoluta, aut conditionata reddendi. Quia vel accipiens eleemosynam spem habet absque magna difficultate fore, vt possit acceptum reddere, vel non: si habet, iam non est re, & spe pauper, & ita poteris ei non donare, sed absolute mutuare. Si autem caret tali spe, illi obligatio absoluta imponi non potest; quia esset contra Charitatem talis impositio, cum ex Charitate tenearis proximũ à graui necessitate, seu difficultate liberare, si facile possis, & quia esset inutilis talis obligatio, quam ipse subire nõ tenetur ob opus ex Cha-

252 *Non satisfacis mutuando.*

ritate sibi debitum. Imponere autem obligationem sub conditione expectando præcisè casum fortuitum, si fortè, inquam proximus lautiorem fortunam resumpserit, præterquam quod auarissimi est animi, tollit libertatem, quam patres in elargienda eleemosyna recognoscunt. Ita Valentia 2. 2. *disp. 3. qu. 9. punct. 4.* Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 4. num. 5.* Turrian 2. 2. *disp. 82. dub. 6. & 7.* Coninch. *disp. 27. dub. 9. num. 153.* Bonacin. *disput. 3. quæst. 4. punct. 6. numer. 15.* Suarius *disput. 7. de Charitat sect. 5. num. 2.*

253 *Hoc existimo probabilius esse.*

Hoc existimo probabilius esse. Quia scriptura, & Patres nomine eleemosynæ præcipue intelligunt donationem absolutam sine vllo onere, & obligatione retributionis, vt colligitur ex parabola incidentis in latrones *Luc.* 10. cui nulla fuit imposita obligatio reddendi acceptum: & ex modo loquendi Patrum, qui dicunt, diu iter superflua dispensantes, non bona propria, sed pauperum dispensare. Si autem pauperibus imponi posset obligatio acceptum reddendi etiam sub conditione, non bona ipsorum, sed propria diuitum dispensarentur. Vt ergo hanc obligationem excluderent, videntur illo loquendi modo vsos fuisse. Igitur non poteris sub obligatione absoluta, aut conditionata ei, qui extremè indiget, & verè pauper est, succurrere.

Dvbivm XXXI.

Afficitur quis graui, vel communi necessitate: sufficitne ei ex mutuo succurrere?

254 *Sufficit quidem.*

Svfficit quidem. Quia huic non debetur sustentatio æque ac ei, qui extremam necessitatem patitur: Ergo quomodocumque ei subueniatur, siue gratis, siue ex mutuo fiet satis eiusmodi obligationi. Sic Lorca 2. 2. *sect. 3. d. 39. num. 53.*

255 *Non sufficit.*

Non sufficit. Quia ratio ob quam Dubio proximo asseruimus, in necessitate extrema teneri obligatum donatione, & non mutuo proximo succurrere est, quia erat friuola, & nulla obligatio, cui nulla aderat spes satisfaciendi: sed cum patitur quis grauem, vel communem necessitatem, tanquam vere pauper caret spe satisfaciendi acceptum in illius remedium: ergo si obligatus es, in extrema necessitate per donationem egenti subuenire, etiam in graui, vel communi obligaberis. Ita Coninch. *disput. 27. dub. 8. numer. 154. & 155.* Suarius *de Charitate disputatione septima, sectione quinta, numero septimo.* Valentia 2. 2. *disputation. 3. quæstion. 9. punct. 4.*

256 *Auctoris resolutio.*

Crediderim, idem dicendum esse in vtráque necessitate, cum obligatus es proximo subuenire. Nam eleemosynæ, quæ pro graui necessitate, & speciarim quæ pro communi impertiuntur, ita leues sunt, vt ridiculum videatur, velle accipientem ad restituendum obligare, cum nulla sit spes fore, vt possit accipiens sine notabili difficultate acceptum reddere. Fateor equidem, non æquè deberi sustentationem graui, aut communi egestate presso, ac si extrema afficeretur, sed quia in vna, & altera absolute debetur, esto in vna strictius, quam in altera: ideo affirmo, te obligatum esse in vtráque necessitate constituto gratis succurrere.

Dvbivm XXXII.

In his casibus, in quibus quis debet eleemosynam mutui facere, potestne lucrum cessans in pactum deducere?

257 *Potest quidem.*

POtest profectò. Quia nō peccat contra iustitiā, cum non teneatur ex iustitia ad mutuandum sine pacto. Sic Bonacin. *disputatione tertia, quæstione quarta, de Charitate puncto sexto, num. 16.*

258 *Nō potest.*

Minime potest. Quia in tantum obligare quis potest mutuatarium ad lucrum cessans, in quantum is lucrum licite poterat acquirere. At vigente mutuandi necessitate, non poterat lucrum acquirere, tenebatur enim mutuare: ergo. Ita Vasquez *de eleemosyna cap. 1. dub. 6. numer. 57.* Palao *tom. 1. tract. 6. disputat. 2. punct. 4. numero 9.*

259 *Eiusdem sum ment.*

Iudicarim, nullatenus illum posse ad lucrum cessans mutuatarium obligare. At si requiras, nùm omittens dare eleemosynam, aut gratis, aut ex mutuo, cum ex Charitate tenetur, obligatus sit damna inde consurgentia restituere: Respondeo, probabilius esse, non teneri. Quia restituendi obligatio solùm ex læsione iustitiæ exoritur.

Dvbivm XXXIII.

Cum certum sit, Beneficiarios teneri sub mortali eleemosynam facere, vel in alia pia opera expendere omnia, quæ ex beneficij fructibus sua congrua sustentationi supersunt: Quo Clericus est nobilior, & doctior, eóne plus est illi pro congrua sustentatione assignandum?

260 *Plurimum laudo Exiliensium peculiarem obligationem ad eleemosynam dem.*

REcolo, in omnibus casibus, in quibus laici obligantur, obligari, & Clericos. Bona Clericorum esse in triplici differentia: patrimonialia, quæ successione obueniunt: ad quæ reducūtur, quæ donatione, labore, & industria sunt acquisita; bona intuitu Ecclesiastici ministerij percepta, verbi gratiâ, stipendia pro celebratione Missarum, pro verbi Dei prædicatione, pro Sacramentorum administratione, etiamsi hæc omnia ex obligatione fiant: itemque dantur pro Vicaria temporaria, & hæc quasi patrimonialia vocantur; & bona mere Ecclesiastica, nempe ex Beneficio percepta; qualia sunt annui fructus ex decimis, Capellaniis, aliisq; piis legatis Beneficio annexis. Ex bonis patrimonialib. aut quasi, nō alio titulo Clericos obligari facere eleemosynā, quā laicos. Clericū ex patrimonialibus bonis in sui sustentationem insumentem posse ex Beneficij redditibus tantundem in vsus, quos voluerit, expendere, vel si

si parce viuendo, minus in sui sustentationem insumat, quam in sumere posset. Beneficiarios teneri ex redditibus Beneficij, quæ sibi supersunt, in eleemosynam, vel pia opera expendere: peccareque lethaliter si ex superfluis sustentationi congruæ, in profanos vsus in graui quantitate expendat: grauem quantitatē eā esse existimarim, quæ tertiam, vel quartam partem huiusmodi fructuum expenderit. Congruæ sustentationi assignari posse portionem infimam, mediam & summam, sicut in pretiis rerum venalium cernimus: vt infima portio congruæ sustentationi designentur. 500. mediæ 600. summæ 700. quod si Beneficiarius aliquid inde subtraxerit, possit vt fructus industriæ, ac laboris in quos libet vsus expendere, & ditandis consanguineis applicare. Ex Nauarro Lessius *libro secundo capite quarto dubio sexto numero quadragesimo* Molin. *tractatu secundo de iust. dub.* 145. Coninch *disputatione vigesima septima dubio vndecimo numer.* 177. Iam requiro, num quo Clericus nobilior, & doctior sit, eo plus illi sit pro sustentatione congrua assignandum?

261 *Nō est plus assignandū.* Non est assignandum. Quia Beneficij fructus dantur pro competenti Beneficiarij sustentatione, quatenus beneficiarius est: ergo non possunt ex maiori nobilitate, aut doctrina crescere: ex illis enim non crescit dignitas Officij, ad cuius conseruationem fructus ordinantur. Sic Lorca 2.2. *sect.* 3. *d.* 40. *n.* 39.

262 *Plus assignandū est.* Plus assignandum est. Quia hæ personæ tatione suæ nobilitatis, & doctrinæ regulariter plus aliis Ecclesiis prosunt tum authoritate, tum sapientia: cedit enim in vilitatem, & honorem Ecclesiæ huiusmodi Ministros habere. quibus se ab aduersis tueri valeat. Ergo quo plus Ecclesiæ prosūt, eo vberiorem ab illa sustentationē habere merentur iuxta illud 1. *Tim.* 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore*, idest, stipendio, *digni habeantur*. Attendendum tamen est, ne fabrica, & ornatus Ecclesię obinde pericliretur. Ita Coninch *d.* 27. *d.* 11. *n.* 149. Moli. *tr.* 2. *d.* 145. Nauar. *in apolog. de redit. q.* 1. *monito* 82. *n.* 7.

263 *Hoc tenendum iudico.* Hanc sententiam tenendam esse iudico. Quia sic est in praxi receptū satisque colligitur ex *cap. De multa, de præbend.* Vbi Innoc. III. cum Concil. Lateran. statuit in pluralitate Beneficiorum posse cum valde nobilibus, seu notabiliter doctis dispensari: inutilis autem dispensatio esset si plusquam alij in suam congruam sustentationem insumere non posset. Consentit Trid *sess.* 24. *capit.* 17. Et *Extrauag. Execrabilis, de præbend.*

Dvbivm XXXIV.

An Beneficiarij sint domini reddituum, qui sibi applicantur?

263 *Non sunt domini reddituum.* NOn sunt domini, sed dispensatores. Quia tempore nascentis Ecclesiæ vsque ad tempus Simplicij, qui anno 471. gubernauit Ecclesiam, Clerici in communi viuebant, nullumque Beneficiorum reddituum habuere dominium, sed Episcopus omnia administrabat, & ex illis sibi, Clericis, & fabricæ, quæ iudicabat necessaria, concedebat, reliqua expendebat in pauperes, sed quia in hac partitione nō ita fideliter Episcopi nonnulli procedebant, multæque ex Clericis, fabrica, & pauperibus querimonię excitarentur: ideo Simplicius *c. de reddit.* 1. *q.* 2. in quatuor partes fructus diuisit. Primam Pontifici, secundam Clericis pro meriti qualitate, tertiam fabricæ quartam pauperibus assignauit. Postea vero temporis successu aliæ diuisiones pro locorum commoditate fuere factæ, de quibus Gratian. in *cap. Constitutum*, 16. *q.* 1. Ex hac varietate factum est, vt fere in nulla Ecclesia pars pauperibus designata reperiatur intacta, sed potius cum aliis partibus permixta: Ergo Clerici, non habent absolute reddituum Beneficij dominium, sed eorum sunt dispensatores, saltem circa portionem illam, quæ ad pauperes spectat, & cum fructibus illis assignatis permixta existit. Sic Nauar. *quæstion.* 2. *de reddit fere per totum*, alios citans.

265 *Sunt reddituū dominium.* Domini sunt fructuum, qui sibi sunt pro congrua sustentatione assignati, non dispensatores. Quia portio illa eis assignata in præmium & retributionem iusti laboris impensi. Et quia inutilis esset præfata diuisio, si dominium illi non acquirerent. Et quia diuisio rerum communium, & illarum assignatio dominium transfert iuxta *leg.* 1. *Cod. Communia vtriusque iudicij*. Ita Sarmiento *part.* 4. *de reddit capit.* 1. Soto *libr.* 10. *de iust. quæstion.* 4. *articul.* 3. Couar. *ad cap. Cum in Officiis de testam. numer.* 3. Vasquez *de reddit. capit.* 1. *Paragraph.* 2. *num.* 27. Molin. *tr.* 2. *d.* 243. Coninch *d.* 27. *dub.* 11. *mm.* 185. Valent. 2. 2. *dub.* 10. *qu.* 3. *punct.* 7.

266 *Hoc asserēdum esse vnice reor.* Hoc omnino asserendum esse reor. Quod quidem colligo ex *cap. Vnico de Clericis non resid. lib.* 6. & ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 3. vbi expresse dicitur, *absentes nullomodo fructus, & prouentus faciant suos, neque illorum dominium acquirant.* Supponit ergo Concilium interessentes fructus facere suos, & dominium acquirere: alias ridicula esset priuatio dominij facta à Concilio, si absentes alias illius essent incapaces.

Dvbivm XXXV.

Clericus teneturne ex iustitia, quæ ex sua, suaque familiæ congrua sustentatione supersunt, egenis exhibere?

267 *Status quæstionis.* QVæstio celebris est, an Clericus teneatur ex iustitia sub onere restituendi, & quæ sibi, suæque familiæ ex congrua sustentatione supersunt, pauperibus elargiri. Stat enim optime dominium fructuum illorum acquirere posse, & hanc obligationem habere. Quia potuit Clericis ab Ecclesia hoc dominium sub onere & obligatione concedi?

268 Profecto tenetur Clericus ex iustitia. Quia Ecclesia potuit Episcopis, & Clericis fructus

Tenetur ex iustitia. Beneficij concedere in tam ampla magnitudine, quæ regulariter præmium, seu mercedem labotis excedat, cum hoc onere & obligatione, vt si ex illis aliquid supersit congruæ sustẽtationi nõ necessarium, pauperibus impendatur: Ergo credendum est, ita factum esse, tum quia hæc dispositio fauorabilior erat egenis: tum quia S. Patres hoc satis indicant, dũ Clericos fructus Beneficiorum male expendentes fures vocitant, ac latrones. *Cap. Præcipimus, cap. Ex his cap. Habebat. cap. Conuenienter. cap. Ordinamus, dist. 42.* & alibi. Ergo Beneficiarij ex iustitia obligantur, superflua in pia opera expendere, & contra agentes ad restitutionem tenentur, si aliunde bona habeant. Sic pluribus relatis. Nauar. *cap. vltimo decimo sexto quæstione prima in quæstion. secund. monito septimo* & alij plures, quos referunt Molina *de primog. libro secundo capite decimo numero quinquagesimo secundo* & noster Molina *tractatu secundo de iust. dub. 144.* Couar. *cap. Cum in Officiis de testam num. 2.*

268 *Non tenetur ex iustitia.* Non tenentur ex iustitia. Quia non est imponenda obligatio iustitiæ sine manifesto textu, vel ratione: At nullus est textus, nec efficax ratio hanc obligationem persuadens: Ergo. Quod nullus sit textus inde ostendo: nam licet in præfatis decretis Clerici profane expendentes bona, raptores, & homicidæ pauperum vocitentur, id per exaggerationem dictum est, & de sæcularibus auaris id ipsum Patres testantur, quos certum est, ex iustitia obligatos non esse superflua in pauperes expẽdere. Quod vero nulla adsit ratio efficax obligationem ex iustitia persuadens, sic probo. Hæc enim obligatio debet oriri ex eo, quod hi fructus dati sint à fidelibus vel ab Ecclesia sub hoc onere, & obligatione: nullibi autem constat sic data esse à populo; sed potius constat absolutè esse donata in Ministri sustentationem, & vt ipse Deo feruentius famuletur, maiorique cum splendore procedat & populo honorabilior existat. Ita Valent. 2. 2. *disput. decima quæstione tertia puncto septimo* Lessi. *libro secundo capite quarto dubio sexto numer. 43.* Coninch *disputatione 7. dubio vndecimo numer. 185.* Sarmien. *ad cap. si priuatum 12. quæstione prima & alibi.* Sotus *l. 10. de iust. q. 4. a. 3.* & 4. vterque Molina *citatus.*

269 *Hanc sentẽtiam his tẽporibus cõmunem esse affirmo.* His temporibus hæc sententia communior est, & mihi plane probabilior. Quod si scrupulus pungat, alios textus esse, in quibus Ecclesiastici non domini fructuum, sed administratores esse dicuntur, vt *in cap. Qui Christi, 12. q. 2.* & *cap. Res Ecclesiæ. 12. q. 1.* existimo, intelligendum esse de bonis ipsius Ecclesiæ, vel de redditibus ante diuisionem (de qua *Dub. 34.*) vel facta diuisione de redditibus fabricæ applicatis: vel si de applicatis ipsis Clericis intelligatur, dixerim, non esse dominos adeo absolutos, quin habeant strictissimam ex charitate obligationem in pauperes superflua expendendi.

Dvbivm XXXVI.

An Pensionarius teneatur sicut Beneficiarius quæ ex congrua sustentatione de Ecclesiasticæ pensionis fructibus supersunt pauperibus erogare?

270 *Nõ tenetur.* NOn tenetur. Quia licet bona illa sint Ecclesiastica, dantur tamen in pensionẽ propter bonum Ecclesiæ, & in pensionarij alimentum, status autem pensionarij (si alias beneficiarius non sit) non obligat specialiter. Sic Vasquez *Opusc. de eleemos. c. 4. n. 22.* asserens, se nullum vidisse Auctorem obligantem pensionarios ex charitate adhuc ad vberiores vel alias eleemosynas, quam sæculares.

271 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia hæc obligatio est redditibus Beneficiorum annexa. Ergo ad quoscumque transeunt, debent cũ hoc onere, transire argum. *c. Literis, de pignor. c. Pastoralis. de decim.* Porro remedium ordinarium fauorabilius extraordinario est, & Glos. *penult. Clement. 2. de offic. ordin.* At redditus pẽsionum est extraordinarius, redditus vero Beneficiorũ est ordinarius: si ergo redditus Beneficiorum hoc onus subit, non debet pensionum redditus ab eo eximi. Ita Nauar. *in app. quæstion. 1. monit 80.* & *in opusc. de spoliis Cleric. Paragraph. 1. numero sexto* & *Parag. septimo numer. 7.* vbi pensionarios Beneficiariis æquiparat. Sed latius id probat *tract. de reddit. quæst. monito 32.*

272 *Auctoris resolutio.* Ego autem existimo duplicem esse pensionem ex Beneficij fructibus concessam, aliam sæcularem, aliam Ecclesiasticam. De pensione sæculari opinionem P. Vasquez procedere affirmo: de pensione vero Ecclesiastica Nauarri sententiam. Ecclesiastica pensio est quasi quoddam Beneficium, illiusque naturam imitatur; vnde quidquid obligationis beneficiario imponitur ex Beneficij fructibus, imponi etiã pensionario debet. Mecum Molina *tract. 2. de iust. d. 145.* Pensio autem sæcularis sæcularium fructuum naturam induit. Vnde pensionarios huiusmodi minime ad vberiorem eleemosynam gerendam, quam alios sæculares obligarem.

Dvbivm XXXVII.

Episcopus Religiosus habetne dominium reddituum Beneficij eodem modo quo Episcopi sæculares?

273 *Quæstionis status.* SCio: Religiosos assumptos ad aliquod Beneficium sæculare, vel Regulare nullum redditiuum Beneficij dominium habere, sed penes Monasterium existere, ipsisque administrationem solum ad vsus pios concedi, & non aliter. Quocirca si aliquid in profanos insumant vsus, lethaliter delinquent, tum contra paupertatis, votũ tum contra iustitiam, & alienatio

natio facta nulla erit. De Religiosis autem ad Episcopalem statum assumptis requisierim num sicut alij sæculares Episcopi reddituum Beneficij dominium habeant.

274 *Dominium vt Episcopi sæculares habent.*

Dominium eodem modo ac Episcopi sæculares habent. Quia in *cap. Statutum.18.q.1.* dicitur: *Statutum est, & secundum Sanctos Patres à Synodo confirmatum est, vt Monachus, quem electio Canonica à iugo Regulæ Monasticæ absoluit, & Sacra ordinatio de Monacho. Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat.* In quibus verbis videtur clare expressi habere dominium paternę hęreditatis. Primò quia dicitur esse legitimus hęres. Si autem Monasterium, vel Ecclesia dominium acquireret, ipsum, vel ipsa, & non ille legitimus hæres diceretur, sicut dicitur de Monacho existente in Monasterio. Secundo, quia ei conceditur potestas vindicandi hæreditatem paternam, non Ecclesiæ: vindicare enim, sibique acquirere, proprium est veri domini *leg. In rem actio, ff. de rei vindicat.* Sic Sotus *l.7. de iust. q.4.a.2.* Vasq. *1.2.q.96.a.4.d.165.c.8.nu.91.* & 104. Micha. Medi. *de Sacr. homin. contin. l.5.c.* 26. Angl. *florib p.2 q.vni. de voto. a.2 post 3 difficul. dub.5.* Palaci. *4. dist.38.d.1.* Gratian. *regul.* 320. *n.4.*

275 *Non habent dominiũ vt sæculares Episcopi.*

Non habẽt dominium sicut Episcopi sæculares, sed manet voto paupertatis astrictus. Quia Religiosus factus Episcopus verus Religiosus existit, alias non obligaretur habitum suæ Religionis gestare: sed de essentia Religionis non solum est votum castitatis, sed etiã paupertatis, & obedientiæ *cap. Cum ad monasterium, de statu monachor, fine.* Ergo hic factus Episcopus omnia hæc vota retinet. Ita D. Thom. *2.2.qu.185.a.8.* Caiet. *ibi.* Valent. *2.2.d.* 10. *q.3.p.8.* Couar. *c.1. de testam. n.18.* Molin. *de primog. l.2.c.10.n.28.* Coninch *d.27. dub.11.n.* 200. Banch. pluribus relatis, *l.6. Decal. c.6. nu.* 8. Lessi. *l.2.c.4. dub.5. nu.29.* Sarmien. *de reddit. p.1.c.1.n.10.* Nauar. *l. de reddit. Eccles. q.1. moni.* 11. *n.1.* & 2.

276 *Ab hac cõmuni sententia non recedo.*

Ab hac communi quidem sententia nõ recedam. Quia vota Religiosorum in tantum dispensari poterant, quatenus Episcopali muneri obstarẽt: sed abdicatio dominij huic muneri non obstat, concessa libera facultate administrãdi Episcopales redditus, reliquaque bona in quoslibet decentes vsus: Ergo dicendum non est, in voto paupertatis esse dispensatos. Fateor, equidem, Episcopum esse legitimum hæredem (vti ex *cap. Statutum* vidimus) sibique vendicare hæreditatem: non tamen pro se, sed pro sua Ecclesia: sicut existens in Monasterio ius successionis habet, & hæreditatem sibi vindicat, non pro se, sed pro Monasterio, iuxta *l. Deo nobis, 56.§. Hoc etiam. C. de Episc. & Cleric.*

Dvbivm XXXVIII.

An qui graui necessitate premitur, possit inuito domino aliena surripere?

277 *Casu supponam.*

CErtum mihi, in extrema necessitate posse, si alia via succurrere sibi non valet. Quia quis habet strictissimum ius propriam vitam defendendi, & consequenter assumendi, quæ ad hanc defensionem sunt necessaria. Diues vero, à quo assumit, habet obligationẽ ea ipsi donandi, vnde non est præsumendus innitus, vel saltem nõ erit rationabiliter. Dixi *si alia via sibi succurrere non valet.* Nam si rogando amicabiliter diuitem, vt succurrat, valeat sibi prouidere nullatenus licebit ab eo bona clam auferre. Quia nemini licet, aliena surripere cum vti propria per donationem habere potest. Coninch *d.27. dub.110. numer.* 158. Lessi. *l.2.c.12.d.12.n.66.* Quæsierim autem num graui necessitate pressus, possit, inuito domino, aliena surripere?

278 *Non potest aliena surripere.*

Non potest. Quia pauperi non licet à diuite surripere, nisi in quantum diues obligatus est illi dare: alias esset bellũ ex vtraque parte iustũ: sed diues obligatus non est huic pauperi patienti graue necessitatẽ dare, sed potest, eo omisso aliũ eligere: Ergo. Sic D. Th. *2.2.q.66. a.7.* Caiet. *ibi.* Sotus *l.5. de iust. qu.3.a.4.* Couar. *reg. peccatum, p.2.§.1.nu.3.* Suar. *d.7. de charit. sect.5.n.8.* Fauet. *c. Si quis 3. de furtis,* vbi ponitur pœnitentia ei, qui in graui necessitate furatur.

279 *Surripere potest.*

Potest si alia via sibi subuenire non valet, clã à diuite necessaria surripere. Quia diuiti est insita obligatio ex charitate succurrendi cuilibet grauem necessitatem patienti, sicut patiẽti extremam, si commodè possit. Ergo pauper accipiens non peccat. Ita Nauar. *sum. c.17.nu.5.* Nauarra *lib.2. de rest. cap.1.num.374.* Lessi *l.2. cap.12. dub.12. num.71.* Vasq. *de eleem. capit.1. dub.7. numer.60.* Coninch *disput. 27. dub.10. num.162.*

280 *Probabilius hoc censeo.*

Probabilius hoc censeo, præfatæ si existant conditiones. At si de facto plures patientes grauem necessitatem concurrant, & cogniti sint à diuite quibus omnibus satisfacere non potest ex bonis, quæ sibi supersunt, sed solum vni, vel alteri: crediderim, tunc non posse pauperem clam surripere, si ipsi non constat, nolle aliis diuitem eleemosynam impertire. At in tali casu diues non tenetur, ei eleemosynam concedere, sed potest eam aliis seruare: Ergo. Neque obstat, patientem extremam necessitatem posse à diuite clam necessaria surripere, etiamsi plures alij simili necessitate pressi concurrant, & diues nequeat omnibus prouidere. Quia ius conseruandi vitam, nimis quidem exemptum, hanc tribuit facultatem, neque vllus conqueri rationabiliter potest. Fateor tamen ob hanc rationem eriam in graui necessitate, id esse probabile. Nam cum diues omnibus illis diuisim teneatur prouidere, qui præuenit accipiendo, iure à natura sibi concesso videtur vti. Porro *cap. Si quis* textus loquitur, quando furtum commissum est propter necessitatem communem: non tamen vrgentem, & grauem. Lessius *libro secundo capite duodecimo dub.12. fine.* Coninch *disp. 27. dub.10.* & alij.

Dvbivm

Dvbivm XXXIX.

Rem alienam quis ante necessitatem ex delicto furti, vel rapinæ habet, eamque, superueniente necessitate consumit: ad pinguiorem fortunam veniens, teneturne similem domino restituere?

281 *Certa præmitto.* SI rem alienam ante necessitatem possideas & in necessitate constitutus, illam consumas, an à restitutione excuseris, sicut si tunc accipiens rẽ illam consumpsisses? In hac re est certum, si rem possessam & tibi necessariam habebas ex contractu dominium transferente qualis est mutuum, & venditio, teneri te eam restituere. Quia tunc non consumis alienum, sed proprium, & obligatio ex contractu reddendi rem, perseuerat. Coninch *disputatione vigesima septima dub.* 10. *numer.* 167. Vasquez *de eleemosyn. capite primo dubio octauo* Si autem ex contractu non transferente dominium habebas, verbi gratiâ, ex commodato, vel depositio: censeo probabilius, te non esse obligatum restituere. Quia non teneris ex re accepta, cum nihil illius supersit, vt suppono: neque ex iniusta acceptatione, cum nulla fuerit: neque etiam ex contractu prius facto; hic enim solum obligare potest, ad reddẽdum rem, quando culpa depositarij periit, secus si absque illius culpa, vt in præsenti contingit. Azor *l.12.c.8.q.7.* Torres *2.2.d.82. dub.* 7. Lessi. *l.2.c.16.dub.15.* Quid verò si quis rem alienam ante necessitatem ex furti aut rapinę habeat, eamque, superueniente necessitate, cõsumat? teneturne ad pinguiorem fortunam veniens, similem domino restituere?

282 *Tenetur, vt similẽ domino restituere.* Tenetur quidem. Quia esto illam licite in necessitate consumat: at obligatio ante necessitatem contracta ex iniusta acceptione non periit, sed suspenditur. Sic Vasq. *de eleemos. c.1. d.8.n.68.* Bonac. *d.3.q.4.de char. pun.6.num.16.* Lorca *2.2.d.38.numer.14.* & alij plures apud ipsos.

283 *Nõ tenetur.* Non tenetur. Quia sic consumens rem, videtur satisfacere obligationi restituendi antea contractæ, cum rem consumat sicuti dominus tenetur velle cõsumi, si apud ipsum extaret. Ita Petr. Nauar. *de rest. l.4.c.4.n.24.& 25.* Castro Palao *to.1.tr.6.d.2.pun.10. num.3.* Coninch *d.27. dub.10.n.166.*

284 *Cum his opinor.* Cum his opinor, doctrinamque roboro. Quia ab onere restituendi rem liberatur iniquus retentor, si absque eius culpa periit res furto ablata, eodem modo apud dominum existens peritura, vt probat. Lessi. *l.2. c.23. dub.15.* At qui si res illa apud dominum existeret, eodem modo periret, ac periit apud iniquum detentorem, cum ipse dominus teneretur, illi in extrema necessitate existenti donare: Ergo.

Dvbivm XL.

Eleemosyna data pauperi simulato transfertne in illum dominium?

285 *Transfert quidem.* TRansfert quidem. Quia si error non præcedit circa substantiam actus, sed circa accidentia, non reddit actum ipso iure irritum sed solum irritandum pro voluntate decepti. Sed talis videtur esse huiusmodi error, substantia enim eleemosynæ non petit veram paupertatem, sed sufficit existimatæ impendi; quia non minus apud Deum valet donatio facta vero pauperi, quam ficto, si fictio prorsus ignoratur. Sic Lessi. *lib.2.de iust. cap.18. dub. vltim. numer.132.* Coninch *d.27. dub.6.* Sotus *lib.9.de iust.q.7.articul.3 fine.* Addunt Lessius & Coninch consequenter accipientem sic eleemosynam non esse obligatum directe eam restituere; quia illius habet dominium, obligatum tamen esse deceptionem tollere; quia iniuste alium decepit, & ad sibi donandum per fraudem induxit: vt sublata deceptione, donans liber maneat ad confirmandam donationem, vel ad illam repetendam.

286 *Non transfert.* Non transfert dominiũ, sed nulla est huiusmodi eleemosyna, & pauper fictus obligatus est acceptam restituere. Quia error hic est substantialis, & reddit actum quoad substantiam inuoluntarium: Ergo & nullum. Antecedens probo. Quia eleemosyna essentialiter relucit miseriæ reuelationem: Ergo si nulla est miseria, quæ releuetur, nulla esse potest eleemosyna. Ita Nauar. *sum.c.17.n.107.* Medi. *C.de rest. quæstion.124.* Addrian. *in 4.tr. de rest.* Scot. *in 4.dist.15.q.2.a.3.* Angel. *v. Restitutio 1.* Caiet. *sum.v. Restitutio, c vltim casu 4.* Vasq. *de eleemos. capit. 3. dub. vltim. numer. 12.& 15.* & alij.

287 *Hanc sententiã probabiliorem esse puto.* Hanc sententiam probabiliorem esse existimo. Nam licet quoad Deum donatio illa habeat eleemosynæ meritum, quia ad hanc finem sufficit esse existimatam miseriam, Deus enim solum donantis intentionem spectat: at in re illa donatio non est vera eleemosyna, cum in re non sit vlla miseriæ releuatio. Quod quidem exemplo adorantis Hostiam non consecretam, existimantis esse consecratam, illustro. Ille enim externus cultus meritum adorationis, & Religionis habet: in re tamen non est vera Religio, cum Hostia illa nihil Religione dignum existat.

Dvbivm XLI.

Qui fingens paupertatem eleemosynam accepit debetne eam ei, qui dedit, restituere?

288 *Quæstionis status.* VIdimus, eleemosynam datam ficto pauperi, nullam esse, & accipientem obligatum

tum esse sic acceptum restituere. Cuinam vero hæc restitutio sit facienda, requiro? Debet sic accipiens eleemosynã, eam ei qui dedidit, restituere, præcipuè si res sit magni momenti. Quia id fuit velut ex furto acceptum: quod autem ex furto acquiritur, domino est reddendum. Sic Lessi. *libr. 2. capit. 18. dub. vlt. numer. 132.* Sotus *libr. 9. de iust. quæst. 7. artic. 3.* & alij.

289 *Restituere non debet ei qui dedit, sed paupertibus.*

Non debet accipiens sic acceptum restituere ei, qui dedit, sed exequutioni mandatur voluntas donantis: hæc enim facit, à se dominium abdicare, pauperibus tribuere; quæ voluntas ob simulatam paupertatem non potuit effectum obtinere. Ita Nauar. *summ. capit. 17. numer. 107.* Caiet. *summ. verb. Restitutio, capit. vltim. capit. casu 4.* Medin. *Cod. de restit. quæstion. 12 4.*

290 *Auctoris resolutio.*

Ego autem crediderim cum Vasquio *de eleemosyn. capit. 3. dub. vltim. numer. 24.* vtrique restitui posse, & domino & vero pauperi, cui simulatus inops maluerit. Domino quidem, quia illius est: pauperi, quia dum non constat voluntatem retractasse, censetur, in prioti voluntate persistere, quæ fuit, velle rẽ illam à se abdicare. & pauperibus tribuere. Ergo pauger fictus reddens id veris pauperibus voluntatem domini exequitur, & iuxta eius beneplacitum de re disponit.

Dvbivm XLII.

Regulares Mendicantes possuntne ab Ordinario impediri, nè pro suis Conuentibus eleemosynas petant?

291 *Nonnulla præmitto.*

Eleemosynarum quæstores, quia falsas reliquias, indulgentias, ac facultates publicabant, indecenterque cum non leui Christianæ Reipublicæ detrimento viuebant, in *cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiss. & Clement. 2. eodem tit.* statuitur, ne absque facultate Sedis Apostolicæ vel Diœcesani Episcopi hoc munus gerant. Et Trident. *sess. 5. c. 2.* decreuit, ne quæstores eleemosynarum, qui *Quæstiarij* vulgo dicuntur, cuiuscumque conditionis existãt, nullomodo, nec per alium prædicare præsumant, & contra facientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum, priuilegiis queiscumque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur. At quia hæc prohibitio sufficiens non fuit, vt illorũ malitia retunderetur, *sess. 21. cap. 9.* Concilium statuit, vt post hac in quibuscumque Christianę Religionis locis eorum nomen, atque vsus penitus, aboleatur neque ad Officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, *non obstantibus priuilegiis Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, piis locis & quibuslibet cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Iam requiro, vtrũ Regulares Mendicantes possint ab Ordinario impediri, ne pro suis Conuentibus eleemosynas petant?

292

Possunt quidem. Quia in præfato decreto reuocantur omnia priuilegia tam Monasteriis, quam singularibus personis cuiuscumque cõditionis existant, concessa. Sic nonnulli Theologi. *Possunt Religiosi impediri.*

Minimè possunt. Quia à Sede Apostolica constituuntur Mendicantes. Ergo nequid eis mendicatio ab Ordinariis prohiberi. Et quia non sibi, (vt quæstuarij illi) sed communitati eleemosynas quærunt, cum proprium habere non possint: ergo non sunt propriè quæstores à Concilio prohibiti. Ita Nauar. *libr. 3. de Regular. capit. 79. numer. 4.* Manuel. *tom. 2. qq. Regul. quæstion. 57. articul. 7.* Barbosa *3. p. alleg. 109. num. 7.* 293 *Non possũt.*

Omnino hoc tenendum esse defendo. Quia Sacra Concilij Congregatio declarauit anno 1621. Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus, eleemosynas quærant; sed tantum si extra loca, vbi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorũ superiorum licentiam Ordinario ostendere. Quod si compertum fuerit licentiam à suis Prælatis habere, etiam extra præfata loca impediri non possunt. 294 *Hoc tenendũ existimo.*

CAPVT XVII.

Circa externum Charitatis effectum, qui est fraterna Correctio.

Dvbivm XLIII.

An præceptum fraternæ Correctionis oriatur ex Charitate Dei, & proximi?



Svppono, aliam esse correctionem fraternam aliam iuridicam: fraternam quidem, quia primo & per se bonum proximi intendimus: iuridicam, qua per se bonum aliorum, qui per peccatum vnius scandalizantur, & bonum commune spectamus. Fraterna correctio potest à patre in filium à filio in patrem: ab inferiore in superiorem, à superiore in inferiore exerceri. Iudicialis vero non potest esse ab alio, quam à Superiore potestatem iurisdictionis habente. In præsenti sermo est præcipuè de fraterna correctione. De qua præceptum esse, nemini Catholico potest esse dubium. *Eccles. 19. Corripe amicum, corripe proximum.* Traditur expresse in *cap. Tam Sacerdotes. 24. quæstion. 3.* Hoc autem præceptum affirmatiuum est, ac proinde solum obligat, cum aliquæ circumstantiæ interueniunt. Tres sunt potissimæ. Prima, vt proximus in graui spirituali necessitate sit cõstitutus. Secunda, vt possimus ei absque graui nostro, nostrorúmve incommodo subuenire. 295 *Nonnulla suppono.*

Tertia

Tertia, vt fructus ex tali correctione sperentur. Quæsierim in primis, ex quanam virtute hoc præceptum oriatur? An ex Charitate Dei, & proximi?

296 *Non oritur ex Dei, & proximi Charitate.* Non oritur ex Dei, vel proximi Charitate, sed ex illa virtute, aduersus quam proximus delinquit. Quia quælibet virtus nos inclinat, non solum in nobis eius honestatem conseruare, & contraria fugere; sed etiam in aliis. Sic aliqui Doctores, quos pressis nominibus memorat Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 1. num. 6.*

297 *Oritur ex Charitate Dei, & proximi.* Oritur ex Charitate Dei, & proximi. Quia hæc virtus obligat, quodlibet malum à Deo, ac proximo auertere, quoad fieri possit: sed peccatum est vtrique malum: ergo obligat illud auertere. Auerti autem debet correctione: ergo obligat, ad correctionem exercendam. Ita Diu. Thom. 2. 2. *quæstione trigesima secunda, art. 2.* Palao *citatus.* Coninch. 2. 2. *disp. 28. dub. 2. à num. 12.*

298 *Hanc sententiam vnice defendendam.* Hanc sententiam vnice defendendam esse iudico. Neque enim obstat, quamlibet virtutem nos inclinare, vt eius honestatem tam in nobis, quam in aliis procuremus conseruare. Quia esto ad id inclinet, non tamen obligat: alias contra honestates delinqueres, quoties luxuriantem non impedires: & contra iustitiam, quoties furantem non corrigeres. Quod dicendum non est, quia neque ex omissione correctionis luxuriosi intemperans es, neque iniustus ex omissione correctionis iniusti.

Dvbivm XLIV.

Proximus in peccato habituali existit, absque periculo iterum actuale aliquod committendi: Estne nobis Correctionis gerendæ obligatio?

299 *Est obligatio.* Est quidem obligatio corrigendi proximum in peccato habituali existentem, etiamsi ipse tunc de illo pœnitere, non teneatur, si spes sit, nostra correctione ad pœnitudinem adducendum. Quia existens in peccato, in damnationis periculo existit, quo nulla est maior miseria: ergo cum correctio ad subleuandam miseriam proximi dirigatur, efficitur plane ad hominem in peccato existentem habituali debere dirigi. Adsunt enim ibi omnes circumstantiæ ad obligationem huius præcepti inducendam, nempe proximum esse in graui miseria, & nos posse absque incommodo eum ab illa liberare. Quod vero ipse non teneatur tunc à peccato surgere, in causa non est, quominus nos non teneamur, eius reductionem procurare: ipse enim potest cedere iuri suo, & gratiæ sibi mox donandæ: at nos non possumus cedere bono alterius ex nostra correctione sperato. Sic Suarius *de Charitate disputatione octaua, sectione tertia, numero octauo.* Bonacina *disputatione tertia, quæstione quarta, puncto septimo, numero quarto,* Valentia 2. 2. *disputatione tertia, quæstione decima, puncto secundo.* Bannes 2. 2. *quæstione trigesima secunda, articulo tertio, dubio primo ad quartum.*

300 *Obligatio non est.* Non est obligatio corrigendi proximum de præsenti, si speratur, à se, vel alio suo tempore corripiendus. Quia non censetur, in graui necessitate esse constitutus, nisi ex ausu peccati commissi occasionem sumat aliud peccatum committendi, aut probabiliter existimetur, ita in illo peccato permansurum, vt suo tempore de illo non doleat, quod iam est nouum peccatum. Extra hoc periculum perseuerantia in peccato, etiamsi grauis miseria sit, non tamen ex misericordia obligamur procurare illam tollere. Nam si ipse ex Charitate sui, quæ strictius obligat, non obligatur, statim illam miseriam depellere, quare nos ex misericordia obligabimus eius reductionem illico procurare? Haud enim cohærere videtur nos esse obligatos corrigere, & illum obligatum non esse correctionem admittere. Ita Abul. *ad Matth. 18. quæstion. 83.* Gloss. *ad cap. si peccauerit, 2. quæstion. 1.* Villalobos *tomo secundo, summæ tractatu quarto, difficultate secunda, numero quarto,* Suarius *de Charitate disputatione octaua, sectione tertia, numero septimo,* Sà *verb. Correctio, numero primo, & quinto,* Reginaldus *libro quarto, numero 332.* Sotus *de tegendo secreto, quæstione secunda, conclusione secunda,* Lorca 2. 2. *quæstione trigesima tertia, articulo quinto, disputatione quadragesima prima, numero tertio,* Turrian. 2. 2. *quæstione trigesima tertia, disputatione octuagesima sexta, dubio primo,* Coninch. 2. 2. *disputatione vigesima octaua, dubio sexto, numero 117.*

301 *Probabilior mihi hæc sententia.* Hæc sententia probabilior est plane. Nam cum peccator non statim ac delinquit teneatur conteri, (vti ferè omnes Doctores fatentur cum D. Thoma *in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4. ad 2.* Soto *ibidem qu. 1. art. 6.* Durando *qu. 10.* Medina *Cod. de pœnit. qu. 6.* Nauarro *summ. cap. 1. num. 27. & 29.* Suario *de pœnit. disp. 15. sect. 15.*) non tenetur correctionem admittere, quæ sibi tunc adhibetur: ergo nec nos videmur obligati, ei correctionem suggerere. Fateor equidem, existentem in peccato mortali habituali in graui existere miseria: at non in graui necessitate, ab illa surgendi, cum pœnitendi tempus non instet, & existimetur, illo adueniente fore, vt pœniteat.

Dvbivm XLV.

An sub veniali teneamur proximum in occasione peccandi venialiter constitutum corrigere?

302 *Non tenemur.* Non tenemur. Quia per peccatum veniale proximus non est perditus: ergo correctio, quæ ad lucrandum fratrem ordinatur, *Matth. 18. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* in veniali piaculo locum habere non potest. Porro à peccato veniali facillimo negotio se potest, vel in Sacramento, vel extra expedire. Ergo corripientis auxilio non indiget. Sic Paludanus *in quart. distinction. 19. quæst. 3*

quæstion.3.numer.4. Alenſ.*lib.2.ſumm.tractat.6.* Bannes *2.2.quæstion.32.a.2.dub.2.* Sà *verb. Correctio.numer.5.* Reginal.*lib.4. num.333.* Bonacin *d.3 quæstion.4.punct.7.numer.3.* Turrian.*2. 2.q.33.d.86.dub.2.* Azor.*l.11.c.p.4.quæstion.4.* & alij.

303 *Tenemur quidem.* Tenemur quidem. Quia hæc eſt quædam miſeria, & maioris momenti, quam quælibet temporalis: Ergo ſi abſque incommodo poſſumus corrigendo præcauere, cur non obligabimur? Ita Caiet.*ſumm.verb.Correctio fraterna.* Suar. *de Charit. d.8. ſect.2.numer.6.* Sotus *lib. de tegendo ſecre. memb.2.quæstion.2.concluſ.* 3. Valent.*2.2.d.3. queſtion.10.punct.2.* Villalob. *tom.2.ſumm.tractat.4. difficul.2.numero quinto* Lorca *2.2. dub.41. numero nono* Caſtro Palao *tomo primo tractatu ſexto dub. 3. punctо tertio num.3.*

304 *Auctoris reſolutio.* Fateor, primam ſententiam eſſe communem, ſed probabiliorem cenſuerim ſecundam eſſe: eiſe inquam veniale piaculum, non corrigere proximum in occaſione peccandi venialiter conſtitutum, ſi ex ea correctione fructum ſperemus, & abſque incommodo id præſtare valeamus. Nam charitas, amicitia, & miſericodia in proximum non ſolum nos obligat ne illi conſulamus, aut adiuuemus ad peccandum venialiter: ſed etiam ne permittamus cadere, cum commode poſſumus eum à caſu remouere. Sicuti in temporalibus non ſolum obligamur damnũ etiã leue non inferre proximo: ſed etiã præcauere damnũ alibi ei imminẽs, cum poſſumus. Fateor, Chriſtum Dominũ *Matth.18.* de correctione peccati lethalis, non venialis fuiſſe locutum. At inde non infertur, non eſſe præceptum de corrigendo fratre venialiter delinquente in illo præcepto tacite incluſum, non quidem ſub culpa graui, ſed leui; quia leuiter, & ſecundum quid per peccatum veniale deperditur frater, & ſic per correctionem eum lucramur. Dixi autem, nos obligatos eſſe ſub veniali corrigere fratrem venialiter delinquentem, ſi fructum ex tali correctione ſperamus, & abſque incommodo illam præſtare poſſimus. Quæ conditiones raro colligantur, ac proinde regulariter excuſamur ab huiuſmodi correctione, vti Coninch. *d.18.nu.27.* aduertit.

Dvbivm XLVI.

An cognitio certa de peccato proximi requiratur, vt quis eum corrigere teneatur?

305 *Non requiritur.* NOn requiritur cognitio certa, ſed probabilis ſufficit. Quia ex probabili notitia prudenter quis in correctione procedit: & qui corrigitur non poteſt iuſte conqueri probabilitate (ſi fuerit opus) delicti commiſſi à corrigente obiecta. Sic Sotus *de ſecreto, membr. ſecund. queſtione ſecunda concluſione* 4. Torres *2.2. quæſt.33.diſp.86.dub.3.in prine.*

306 *Requiritur ſaltem probabilis.* Requiritur certa cognitio, nec probabilis ſufficit. Quia corripiens ſine hac certitudine, non amorem, ſed iram & odium in fratre concitaret cum illi peccatum forte non commiſſum obiiceret, facillimoque negotio correctio eludi poſſet Ita Adrian. *in quarto tract. de correct.* Nauar. *ſumm. capite decimo quarto numero duodecimo* Suar. aliis relatis, *diſputation.8 ſectione tertia numero primo* Lorca *2.2. quæſtione trigeſima tertia articulo ſexto dubio quadrageſimo quarto numero quarto* Sà *verb. Correctio*, fatus, *Si mortale incertum, non eſt adhibenda correctio.* Villalob. *tomo ſecundo ſumm. tractatu quarto difficultate tertia numero primo* Coninch *2.2.diſp.28. dub.6. num.87.*

307 *Hoc certum eſſe reor.* Hanc ſententiam certam omnino eſſe crediderim. Quæ probari videtur ſatis ex illo *Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus. In te* (inquit Auguſtinus) *ideſt, te ſciente.* Et exiſtimo primæ ſententiæ Auctores id etiam ſentire, dum aſſerunt, requiri, & ſufficere notitiam probabilem, & prudentem. Cum enim dicunt *prudentem*, neceſſario expoſtulare debent notitiam delicti commiſſi, & committendi moraliter certam.

Dvbivm XLVII.

An ſi proximus ex ignorantia inuincibili peccat, ſit neceſſario corrigendus?

308 *Status queſtionis.* CElebris quæſtio eſt, num excuſemur à correctione facienda, eo quod proximus delictum non cognoſcit? Et quidem ſi id procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, certũ eſt obinde nos excuſari non poſſe, cum illa ignorantia non excuſet proximum à peccato. Quid vero ſi ex ignorantia inuincibili legem transgrediatur?

309 *Non eſt neceſſario corrigendus.* Non eſt neceſſario corrigendus. Quia proximus non eſt abſolute in ſpiritualis miſeriæ ſtatu cum non peccet. Et quia præceptum correptionis eſt de peccato proximi iuxta illud *Matth.18. Si peccauerit in te.* Ergo vbi non adeſt peccatum, non eſt obligatio corrigendi. Sic loquens de ignorantia iuris poſitini Bannes *de Charit.a.2.d.3 q.33.a.5.* Nauar. *ſumm.c. 24.n.12. & 13.* Valent. *2.2.d.3.q.10.pun.2.* Villalob. *to.2.ſum.tr.4.diffic.4.n.6.* Et de qualibet ignorantia id affirmat Bonac. *d.3. de Charit.q. 4.pun.7.n.10.* modo non vergat in graue ipſius delinquentis, vel tertij nocumentum, neque obligatus quis ſit ex officio corripere.

310 *Neceſſario corrigendus eſt.* Siue obligatus quis ſit ex officio, ſiue non ſiue ignorantia ſit iuris poſitiui, ſiue naturalis, ſi monitione fructus ſperatur, neceſſario eſt proximus corrigendus. Quia id exigit ipſius reuerentia. Et quia illa ignorantia abſolute malum quoddam eſt, eſto culpæ non imputetur. Et quidem ſi officio Parochi, Prælati Confeſſarij, vel domini fungaris fere omnes Doctores tenent te obligatũ eſſe. Quia ratione Officij teneris ſubditos inſtruere in præceptorum obſeruatione. Et debes procurare, ne

aliis scandali occasionē exhibeant, quod sæpe vel materiali legis transgressione causatur. Et impedire, ne alij intelligant subditorum errores à te approbari. Ita Sanch. *l.2.de matr.d.38. num.5.* Bonac. *d.3.quæstion.4 punct.7.numer.10.* Et quando ex Officio non obligaris. Lorca *2.2.dub.41.nu.15.* Suar. *de Charit.dub. 8.sect. 2. numer. 6.* Azorius *libr.12.capit.15. quæstione quarta &* 5. Coninch *2.2.disput.28. dub.4. num.58.*

311 *Cum his probabilius opinor.* Cum his probabilius opinor. Nam regulariter ex materiali legis transgressione fit quis facilis ad formalem: Ergo si commode valeas hoc periculum vitare, quænam causa inesse potest, vt excuseris. Certe si transgressorem legis non corrigis, cum potes, tacite denotas, eam transgressionem approbare, & scandalum generas.

Dvbivm XLVIII.

An spes probabilis fructus sufficiat ad præcepti Correctionis obligationem?

312 *Quæstionis status.* EXistimo cū communi Doctorū spem fructus necessario requiri, vt correctio sit in præcepto: alias enim esset otiosa. Moneo tamē non esse necessarium fructum ex correctione statim sperari: sufficit enim, vt decursu temporis speretur futurus. Difficultas autem est, quæ spes requiratur? an sufficiat probabilis?

313 *Non sufficit probabilis spes.* Non sufficit probabilis, sed certa debet esse Quia ad actionem adeo difficilem exercēdam, non videtur præceptum obligare posse sine certa emendationis proximi spe. Sic Caiet. *sum. v. Correctio.*

314 *Sufficit omnino.* Sufficit probabilis fructus spes. Quia si certa requireretur, nunquam adesset correctionis gerendæ obligatio, cum talis certitudo esse non possit, siquidem est de re ab alterius voluntate dependente. Quare sufficit probabile esse, correctionem profuturam, & non obfuturam, vt corrigere quis obligetur. Ita D. Tho. *2.2. quæstion. 33. articulo secundo ad tertium* Bannes *hic, articulo secundo dub.vltim.* Torres *2.2.disputat.86. dub.3.* Adrian. Sotus, & alij, quos refert, ac sequitur Suar. *disput.octaua de charit.sectione tertia numero tertio* D. August. *libro primo de Ciuit. capite nono* dum damnat eos, qui metuunt leuiter, proximum corripere, cum fortasse possent corripiendo corrigere.

315 *Hoc defendo, & expono.* Receptam ab omnibus hanc sententiam defendo, eam Medici exemplo explicans, & illustrans. Tenetur ille ægro corporalem medicinam præbere, quam credit probabiliter, profuturam, & non obfuturam. Ergo etiam Medicus spiritualis tenebitur, medicinam probabiliter salutiferam peccatori offerre, cū sciat, nullum ex illa damnum esse accepturū. At si probabiliter tibi persuadeas, nihil per correctionem effecturum nō teneris illā exercere. Et quādo dubius es, an correctio sit profutura, vel obfutura sit, nulla est obligatio. Secus si dubius sis de profectu, at securus de damno non inferendo. Verum in extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumento, est adhibenda. Quia nocumentum, adhibita correctione, est certum grauissimum, & irreparabile, vtpote damnatio æterna. Nocumentum vero ex correctione timendum non est ita graue, quod abunde non compensetur spe etsi dubia, illum æternum nocumentum reparandi.

Dvbivm XLIX.

An peccator, dum in crimine existit, teneatur proximum delinquentem fraterne corrigere?

316 *Quæstionis status.* SVppono, omnes obligatos esse corrigere proximum, cum sit præceptum naturale ac diuinum omnes adstringens. *Vnicuique enim Deus mandauit de proximo suo. Eccl.17.* Solum de peccatore dum in crimine existit quæsierim, num proximum corrigere teneatur.

317 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia ipse indiget correctione, ineptusque est ad corrigendum, cum ei dici possit: *Hypocrita, Eiice prius trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.* Et illud, *Medice, cura te ipsum.* Sic nonnulli Doctores haud infimę notæ.

318 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia potest proximum delinquentem corrigere, non exprobrando eius peccatum, neque se iustiorem ostentando: sed potius cognoscendo se iniustum & suā indignitatē per humilitatem ostendendo. Hoc modo proculdubio potest efficaciter corrigere proximum. Ita D. Tho. *2.2. quæstion 33. art. 5.* Torres *ibi, d.88. dub.2.* Valent. *2.2.d.3.q.10. punct.3.* Palao *tom.1.tract.6. dub.3.punct.7.numer.2.*

319 *Auctoris resolutio.* Ego quidē his hæresc ens Doctoribus crediderim, in tali casu haud esse posse dubium, quin peccator in crimine existens præcepto correctionis gerende obligetur. Fateor tamen primæ sententiæ ratione, me omnino conuinci peccatorem publicum, vel notorium corrigendo regulariter deobligatum esse à correctione facienda vtpote ineptum, & à cuius monito nullus fructus speratur. Quod ex Castro Palao accipi. Attamen cum eodem resoluo, obligari adhuc, si valeat facile modum à Doctoribus secundæ sententiæ traditum adhibere. Illud autem sine cunctatione, crediderim, peccatorem occultum obligari ad corrigendum. Quia potest exhuiusmodi correctione fructus sperari.

Dvbivm

Dvbivm L.

Qui ob peccatum proprium ineptus est ad proximum in extrema necessitate existentem corrigendum, teneturne pœnitentiam de crimine agere vt aptus ad corrigendum reddatur?

320 *Nonnulla præmitto.*

Extra casum extremum eum non teneri existimo. Quia absque pœnitentia potest sufficienter per humile monitum corrigere. Nec vllus tenetur diuitias quærere, etiamsi prodige consumpsisset, vt eleemosynam grauiter indigenti faciat. Ab hac doctrina excipio Prælatum, cui ex Officio correctio incumbit, qui aut officium debet deponere, aut se in statu apto correctioni constituere. Lorca 2.2. *quæstion.33, articul.5.d.42.n.12.* Coninch 2.2. *d.28.dub.7. num.32.* Valent. 2.2.*d.3.q.10.pun.9.* Bañes 2.2.*q.33.a.5.* Quid si proximus constitutus in extremis correctione indigeat, & fructus ob peccatum corrigentis impediatur: teneturne de crimine pœnitentiam agere, vt aptus ad corrigendum reddatur?

321 *Tenetur parere.*

Tenetur quidem. Quia charitas obligat misereri proximo, eiusque fragilitati attemperari. Sic Suar. *de Charit.d.8.sect.4.n.6.* Torres 2.2.*d.88.articul.5.dub.2.* Bannes *citat. concluſ.5.* Villalob. *tomo secundo ſumm.tract.4.difficul.8. numer.2.*

322 *Nō tenetur.*

Non tenetur. Quia peccator tenetur correctionem admittere, à quocumque fiat, præcipue in mortis articulo: & corrigens sufficienter proponit, quid faciendum sit, temperando humilitate sermonis suam indignitatem: Ergo correctionis præcepto satisfacit: sicut satisfacit eleemosynæ corporalis præcepto, qui illam in lethali existens impertit. Ita Valent. 2.2. *dub. 3. quæstione decima punct. 3.* Castro Pal. *tomo primo tract.6.d.1.pun.7. numer.6.* Sotus *relect. de secreto, memb. 2. quæstione tertia concluſ.6.* Coninch 2.2.*disputat.28. dub.7. numer.132*

323 *Auctoris reſolutio.*

Fateor primæ sententiæ doctrinam mihi esse difficilem. Quia correptus non potest aduersus sic corripientem retorquere argumentum, vt se ipsum curet, cum facile satisfieri possit, Medicū emendandum fore, si in simili necessitate esset constitutus. Agit ergo quantum videtur necessarium, vt correctio sit fructuosa. Si vero fructu careat, ex malitia corrigentis, & non ex defectu corrigentis prouenit. Igitur ratione præcepti correctionis raro vel nunquam, quis tenebitur, nisi Prælatus sit, pœnitere. At ratione scandali obligatio esse potest, quando scilicet quis suo crimini, exemploque prauo efficit, vt proximus peccatis inhæreat.

Dvbivm LI.

An peccent lethaliter Concionatores, aut Iudices, delicta proximi in peccato corrigentes?

324 *Lethaliter peccant.*

Lethaliter peccant. Quia sunt actiones quasi Sacræ à peccatoribus non exercendæ. Sic Caiet. 2.2.*q.*187.*a.*1. & 3. & insinuat *ibi* D. Tho. Syluest. *v. Correctio, n.*16. loquutus de correctione iudiciali.

325 *Non peccāt lethaliter.*

Non peccant lethaliter. Quia hæ actiones nec sunt annexæ ordinibus Sacris ex Christi Domini institutione; nec sunt ita Sacræ, quin à peccatoribus effici possint. Ita Suar. *de Charit.d.8.sect.4.n.6.* Sermonem gerens de Iudice: & de Concionatore loquens *to.3. in 3.p. d. 16.sect.3.* Medina *C. de pœnit.tr.2 qu.6.* Torres 2.2.*quæstion.33.articul.5.disput.88.dub.2.* Villalob. *tom.2. ſumm. tractat.4. difficul.8. numer.3.*

326 *Hoc dicendū existimo.*

Hoc omnino dicendū existimo. Nulla enim mihi ratio efficax sese offert, qua obligetur Concionator, aut Iudex in gratia existere, vt peccata publica corrigant.

Dvbivm LII.

An ordo Correctionis à Christo Domino assignatus Matth. 28. *sit in præcepto?*

427 *Nonnulla præmitto.*

Ordinem Correctionis sic Dominus præscripsit: *Si peccauerit in te* (id est, te sciente) *frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Quod si te non audierit, induces testes vnū vel duos. Si illos non audit, dices Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Profecto correctionis ordo consistit primo, vt peccantem admoneas secreto, & absque teste vllo. Deinde si secreta correctio non proficit, testes adhibentur, vt te in correctione adiuuent, forte enim peccator, qui te contempsit, testes reuerebitur. Quapropter solum sunt inducendi, quando speretur, ex eorum inductione delinquentis vtilitas. Lorca 2.2.*q.*33.*a.*8.*d.*46.*n.*20.

328 *Nō est sub præcepto.*

Non est sub præcepto seruandus, sed sub consilio solum. Quia Christi Domini verba nō videtur generalia cum solum de peccatis, quæ sunt iniuriosa corrigenti loqui videatur, in quibus secreta correctio vix habet locum, sed illa omissa, potest ad denunciationem procedi. Sic Martinus de Arenalo *tr. de correct. frat.* Salmer. *to.4. in Euang. part.3. tract.* 11. Quia alias rationes, & testimonia adducunt, queis hanc sententiam probabilem esse defendunt.

329 *Sub præcepto est.*

Est seruandus non solum sub consilio, sed sub præcepto. Quia Christus Dominus ibi tradidit correctionis præceptum, & modum tradidit, quo fieri debet. Non quia nouū aliquod præceptū tulerit, quod ex ipsa naturę le-

ge nō oriatur;sed quia præceptū à lege naturæ obscurius traditum clarius explicui. Ipsa enim natura dictat, corrigendum esse proximum cum memori damno famæ, & honoris, quo fieri possit:vnde si absque testium inductione corrigi valeat,ipsa natura dictat, vt sic correctio fit: etsi vnicus testis sufficit, quare duo sunt adducendi: Igitur ordo hic est in præcepto.Ita definitum videtur ab Innocent. III.*in cap.Nouit,de iudic.& cap.Cum ex iniuncto,de hæretic.* & ab Alexand III.*in cap.Licet Heli.de simonia.*Lorca *vbi suprà* Torres 2.2.*d.* 89.*dub.*2.*concl.*1.*&* 3.Suar.*to* 4.*de Relig.l.*10. *c.*7.*n.*10.Coninch *d.*28.*d.*8.*n.*138.Villalob.*to.* 2.*sum.tr.*4.*difficul.*9.Valent.2.2.*d.*3.*q.*10. *punct.* 5. Bannes 2. 2. *quæstion.* 53. *articulo octauo dub.*1.*conclus.*4. & alij plures, quos hi referunt.

330 *Hoc mihi admodum certum.*

Hæc sententia mihi admodum certa.Nam rationes,queis Doctores illi primæ sententiæ probabilitatem conantur adstruere,solum probant, hunc ordinem non esse semper seruandum,sed debitis temporibus,& circumstantiis quando scilicet est secretum delictum,& per correctionem secretam sufficienter emendatum præsumitur,neque alia ratio boni cōmunis,qui cessio iuris cogit illum omittere.Porro quod Christi verba generalia esse non videātur,cum solum de peccatis corrigenti iniuriosis visus sit loqui:*Si peccauerit in te frater tuus.* minime obstat. Nam esto expresse de solis illis peccatis Dominus loquatur, ex communi Ecclesiæ sensu ad omnia alia peccata,quę proximus, te sciente, committit, extenduntur. Quemadmodum *Mat.*25 Operibus tantum misericordiæ vita æterna promittitur, & tamen inferunt omnes Patres, ac Doctores de reliquis bonis operibus idem esse dicendum; qua est æqua, vel efficacior ratio: ita in præsenti.

Dvbivm LIII.

Potestne iuri suo quis renunciare,ne secum hic ordo seruetur quando alias ex præcepto diuino erat seruandus?

331 *Renunciare non potest.*

REnunciari iuri suo non potest. Quia est quilibet propriæ famæ dominus, vnde ob aliquem honestum finem pati illa posset detrimentum: at præceptum diuinum de ordine in correctione seruando,non solum attēdit famam proximi,vt quam minus fieri possit, lædatur, sed præcipue attendit bonum ipsius correctionis, vt melius, ac congruentius fiat, & pacem, ac quietem communitatum, & rixarum euitationem, quæ ex occultorū defectuum manifestatione possunt oriri: cui iuri quilibet priuatus cadere nequit.An nō sæpe Prælatus minus aptus alio particulari ad corrigendum erit, vel quia gratus delinquenti non est,vel ob eius imperitiā forte,aut per prauū affectū?Ergo in casu haud poterit subditus se abdicare iure, quod habet de secreta sibi monitione gerenda:alias renūciatio prodiga fāmæ esset,ac perniciosa.Cum autē qualiber in Religione plures esse possint Prælati inefficaciores in corrigendis secretis subditorum piaculis, quam alij particulares, effici videtur,non posse generatim hoc ius renunciari.Sic Philiarc.*de offic.Sacerd.to.*1.*p.*1.*l.* 4.*c.*14.Lorca 2.2.*q.*33.*a.*8.*d.*47.*nu.*13. & alij *in manuscriptis.*

332 *Potest renunciare.*

Potest equidem renunciare. Quia quilibet potest ob honestos fines detrimentum in fama & honore pati, etiāsi dominus famæ propriæ ac honoris non sit: Ergo potest renunciare ius quod habet,vt sibi fama integra cōseruetur in correctione ob honestos fines quales sūt maior spiritualis correcti profectus, maior à recidiuo securitas, submissio, & humilitas propria,communitatis integritas.Negari enim non potest, Religiosum maiori circumspectione processurum, si sciat, peccata propria occulta à quolibet sciente extra Confessionem, vel gratia petendi auxilium, esse superioribus manifestanda, omissa correctione,securiorem à recidiuo esse,& cōmunitatem magis idemnem seruari. Ita Bannes 2.2.*q.*33.*a.*8.*dub* 2.Petr.de Ledes.*sum.to.* 2.*tit.*4.*c.*4.Sancius *in select.d.*46.*n.*28. Cantarel.*Decal.l.*2.*c.*69.*n.*211. Alfons Rodrig.*to.*3. *tr.*8 *c.*6.*de correct.frat.*Sanch. *Decal. l.*6.*c.*18. Valent.2.2.*d.*3.*quæstion.*10.*punct.*5. Torres *de charit.quæs.*33.*artic.*7.*d.*89.*dub.*4.Suar.*d.*8.*de charit.sect.*6.*numer.*12.*&* 17. Ribadeneira *de inst.Societ.cap.*34.Castro Palao *tom.*1.*tr.*6.*d.*3. *punct.*9.*n.*2.Coninch 2.2.*d.*28.*dub.*11.*num.*197. & alij.

333 *Hanc sententiā certā esse defendo. Et constitutioni Societatis IESV circa fraternā correctionē authoritatem expono.*

Certa sententia mihi est,posse quemlibet,& totā aliquā communitatē (vti sanctissime nostra Religio Societatis IESV gerit)renunciari iuri,quod habet, vt sibi peccata secreto corrigantur, priusquam deferantur ad Prælatum ipsumque deferentem nullius culpę esse reum, etiamsi correctionem non præmiserit.Nam si subditus ob præfatos fines propriū peccatū Prælato manifestaret proculdubio laudandus esset.Ergo etiamsi ex ipsius consensu eius peccatum alius manifestet superiori, opus gerret laudabile.Dic quæso, si proximus iam famam apud Prælatum amisisset, recte posset quisquam id sciens cum illo de socij peccato agere, si ex bono fine duceretur ad huiusmodi tractationem. Ergo idem dicendum, quando ipse proximus non vult suam famam apud Prælatum seruari, sed alij iusta de causa potestatem impertit, vt illi peccatum manifestet.At hic finis obtinetur, quando ex ipsius correcti voluntate delictum superiori quis manifestat. Quemadmodum obtinetur finis præcepti seruandi sigilli in confessione, (qui est, non solum famam proximi conseruare,sed & facilitas ipsius Sacramenti, & rectus illius vsus) qui quidem finis obtinetur,vel, vt aptius dicam,nullomodo læditur, quando ex pœnitentis voluntate culpæ ad rectum finem manifestantur. Equidem cessio iuris à Religiosis nostrę Societatis facta non est temeraria, sed prudens:ac proinde etsi generatim fiat subintelligitur fieri, seruato fine præcipuo correctionis,qui est correctio,& emendatio delicti, quem

quem finem, si certum non sit per Prælatum non esse obtinendum, vel non esse obtinendum ita bene, ac per inferiorem vel de eo dubium est, (quod raro contingere potest, præcipue in Societate nostra, vbi superiores tot informationibus de vita & moribus præcedentibus assignantur) haud quaquam tunc censetur quis iuri conseruandæ famæ cedere. Abul. *ad cap.* 18. *Matth. quæstion.* 98. Sanchez *lib.* 6. *Decalog. capit.* 18. *numer.* 47. Infero, nemini licere hanc nostram Regulam de cessione iuris, & manifestatione delicti, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directe, vel indirecte impugnare. Tum quia à Paulo III. & Iulio III. nostrum Institutum fuit approbatum, & confirmatum, & in eo omnes constitutiones, præcipue quæ contradictionem patiebantur. Tum quia Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino* prohibet sub excommunicationis pœna hanc nostri Instituti impugnationem, ac cuiusuis constitutionis. Tum quia de facto idem Gregorius damnauit libellum cuiusdam, qui hanc nostram constitutionem impugnauit. Coninch *disput.* 28. *dub.* 12. *numer.* 226. Suar. *tomo quarto de Relig. libro decimo numero primo fine.* Alfons. Rodriguez *Exercitij perfect. parte tertia tract.* 8. *capit.* 6.

DVBIVM LIV.

An quando existimatur, Prælatus melius delinquentem correcturus, quodlibet peccatum quantumuis secretum possit omissa secreta correctione deferri?

334 *Quæstionis status.*

NEmini potest esse dubium stante iuris cessione posse peccatum proximi ad Prælatum vt ad Patrem deferri. Quæstio autem est num cessione seclusa, possit correctio secreta omitti, & peccatum occultum illi manifestari, quando creditur. Prælatum aptius esse delinquentem correcturum.

335 *Minime potest.*

Minime potest. Quia manifestatione criminis Prælato facta, fama proximi læditur: Ergo cum læsio hæc necessaria non sit, apponi non potest, etiamsi Prælatus valeat aptius operam dare correctioni. Sic Adrian. IV. *qu. de correct. frater.* §. *Pro huius decisione* Sotus *de secreto. membr.* 2. *quæstion.* 4. *dub.* 3. Nauar. *ad cap. Inter verba, quæstion.* 3. *concl.* 2. *num.* 113. Nauarra *de restit. lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 12. *numer.* 120. Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *summ. tract.* 4. *diffic.* 6. *conclus.* 24. Lorca 2. 2. *quæstion.* 33. *a.* 8. *sect.* 3. *d.* 47. *dub.* 10. *num.* 7.

336 *Potest omitti.*

Potest quidem omissa secreta correctione, Prælato vt Patri manifestari delictum in hoc casu. Quia Medicus corporalis prudenter vtitur acerbiori medicamine, quamuis valde necessarium non sit, si tamen est valde vtile: Ergo etiamsi correptio per Prælatum non sit necessaria simpliciter, si tamen est valde vtilis, & & secreta correctione efficacior: poterit quis, hac omissa, delictum ad Prælatum deferre. Ita Suar. *de Charit. d.* 8. *sect.* 6. *numer.* 17. & latius *to.* 4. *de Relig. l.* 10. *c.* 9. & 10. ex D. Tho. & Richardo. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *pun.* 10. *num.* 3.

337 *Eiusdem sũmentis.*

Cum his opinor. Iudicans tamen Religiosos hanc sententiam aptiorem esse, & sequi oportere, cum iudicatur sic errantem aptius posse reduci. In aliis vero, quia magis sui iuris sunt, admittendam non esse, nisi notabilis fructus pro certo speretur. Porro in Religionibus præcipue in nostra Societate præsumendum est subditum delinquentem melius per Prælatum esse corrigendum, quam per quemlibet particularem, dum contrarium non constat. Quia Prælatus peccati occasiones remouere potest, quod non potest alius subditus. Et quia remedia applicare valet, quæ per alios subditos adhiberi nequeunt Coninch 2. 2. *d.* 28. *dub.* 11. *nn.* 202. Suar. *to.* 4. *de Relig. lib.* 10. *c.* 9. *num.* 11.

DVBIVM LV.

An mortaliter peccet Rector Collegij, qui Prouinciali subditi delictum, quem absque tali manifestatione corrigere, & emendare potest, manifestat?

338 *Multa certa mihi recolo circaea quæ Prælatus possit, & nõ possit, ex denunciatione sibi vt Patri facta.*

OPeræ pretium est, indicare, quid possit, & quid nõ possit Prælatus facere ex denunciatione sibi vt Patri facta de subditi delicto. In primis certum est, non posse ex tali denunciatione iudicialiter procedere. Potest tamen aliqua moderata pœnitentia delinquẽtem punire. Potest subditum à loco & Officio remouere, si id absque infamia geri valeat. Sed circa huiusmodi demonstrationem debet magna vti prudentia. Potest alicui vel aliquibus viris grauibus delictũ manifestare, si hoc necessarium sit ad subditi correctionem. Potest subdito delinquenti sociũ designare fidelẽ, qui eius exploret actiones, & Prælato deferat. Potest subditum delinquentem coram duobus vel tribus testibus reprehẽdere, si ei moraliter de delicto cõstet, saltem per delationem vnius oculati testis, de quo nulla possit esse suspicio falsum imposiurum. Si per denunciationem paternam remedium sufficiens non adhibetur, & delictum cõmunitatis vergit in damnũ vel tertiæ personæ nocet, tenetur denuncians iudiciali delationi operã dare. Quæsierim verò, nũ lethaliter delinquat Rector, qui Prouinciali subditi delictum sibi vt Patri delatum manifestat cum ipse sine tali manifestatione valet subditum emendare.

339 *Lethaliter peccat.*

Lethaliter peccat. Quia iam illa manifestatio delicti, & amissio famæ non habet paternæ delationis finem, quæ est fratris lucrum, cum absque illa lucrari eum Rector potest. Si tacite innuitur in nostra Congregat. VI. *decreto* 63. ibi. *Potest etiam vnus superior dicere rem sic delatam & notam alteri superiori eiusdem delati, quando res ita postulauerit ad finem paternæ delationis.* Ergo è contra quando id non ita res non expostulat nequaquam poterit. Castro Palao

part.1.tr.6.d.3.punct.11.numer.7.

340 *Non peccat lethaliter.*

Non peccat lethaliter. Quia licet id non expostuletur, vt necessarium, expostulatur vt conueniens, ne Prouincialis ignarus huius delicti, similibus, vel grauioribus incommodis delinquentem exponat. Ita idem Ferdin. de Castro, qui quidem hac ratione affectus probabile esse iudicat, nullum peccatum in tali manifestatione committi.

341 *Auctoris resolutio.*

Ego quidem hanc sententiam etiam existimo esse probabilem. Nam si in materia detractionis, (vti *Volum.* 5. vidimus) reuelare peccatum vni, vel duobus viris grauibus, qui magis prodesse, quam obesse possunt, lethale piaculum non est (etiamsi ex leuitate, & loquacitate reueletur) ex probabili sententia, à fortiori probabile erit, quando ex recto fine manifestatur. Attamen, quia in ostium aperitur manifestandi pluribus delictum commissum, probabilius crediderim, cum Castro Palao *citato*, non licere Rectori Prouincialem monere. Quia si solum ob maiorem à recidiuo securitatem, & non ob necessitatem, quæ appareat, monere licet: etiam licebit monere quemlibet superiorem immediatum, quem delinquens habeat, & Prouincialem sequentem, cum eo modo delinquens securior à recidiuo erit: quod quidem non est concedendum. Vnde eadem Congregatio VI. *decreto* 6. Congregatio VII. *decreto de manifest. delicti capite decimo quinto numero secundo. Sine vrgenti necessitate, & magna vtilitate nemini esse crimen delati reuelandum.* Expende verba. *Sine vrgenti necessitate, & magna vtilitate.* Quæ non conuenientiam, sed necessitatem magnam indicunt.

Dvbivm LVI.

Cum Prælatus subdito, cuius delictum vt Pater agnouit, designat socium fidelem, qui eius exploret actiones, & sibi deferat: potestne socio designato significare, se male de subdito sentire, vt sic diligentius explorationi studeat?

342 *Quæstionis status.*

INnui *Dub. proximo*, posse Prælatum subdito delinquenti socium designare fidelem, qui eius actiones explorer, & sibi deferat. Quia superior ratione sui Officij obligatus est, vitam subditorum inquirere. Quia propter D. Gregor. *libr.* 2. *Regist. Epist.* 52. nullomodo excusat Prælatum à correctione subditorum eo, quod dicat, se subditorum delicta ignorare. *Quæ* (inquit) *potest esse Pastoris excusatio, si lupus oues comedat, & Pastor nescit?* Ergo signum clarum est, teneri Pastorem vigilare, & examinare, an lupus oues comedat, & damnum inferat. Igitur quæstio est, an illi socio fideli designato possit Prælatus significare, se male de subdito sentire, vt sic diligentius explorationi studeat?

343 *Potest quidem.*

Potest Prælatus socio significare, aliquam malam se de subdito habere suspicionem, dicens: *Obserua illum*: si iam apud Prælatum subditus hic designatus potest, non præmissa correctione, delictum fratris superiori vt Patri deferre. Quia vnum & alterum ad spirituale bonum subditi ordinatur, nec magnum inconueniés videtur esse, defectum eius vni prudẽti ac religioso socio à Præsule reuelari. Sic Bañes 2.2.*q.* 33.*a.*3.*d.* 2. Torres *ibi. d.* 89. *dub.* 5.

344 *Non potest.*

Non potest socio indicare de subdito non bene sentire. Quia si absque malæ opinionis significatione potest socio illi vigilantia cõmẽdari, quænam causa esse potest infamationem illam honestans. Nec socius potest, non præmissa correctione, superiori deferre delictum. Quia si delinquẽs correctione fraterna sufficienter intelligitur emendandus æque bene, ac per Prælatum, (raro succedet) non debet Prælato denunciari. Nam apud Prælatum grauata sit iam eius opinio, haud dubium, quin multo amplius per repetitionem delicti grauetur: quod si excusari possit, charitas id exigit. Ita Ferdin. de Castro *to.* 1. *tr.* 6. *d.* 3 *punct.* 11. *num.* 9.

345 *Auctoris resolutio.*

Ego quidẽ si superior corrigens delinquentem de eius emendatione securus non manst, existimo cum eodem Doctore, posse socio exploratori significare, se non recte de tali subdito sentire, ac proinde necessariam esse vigilantiam (specialem; vt sic via socio aperiatur superiori crimẽ, si viderit, deferendi. At in tali casu socius præsumere non debet, se posse efficaciter corrigere, cum præsumere debeat monitum fuisse, sed non emendatum. Vnde absque præmissa correctione debet tunc manifestare, & Prælatus sub præcepto ad eius obligare manifestationem. Tum quia nomine Prælati delictum cognoscit, tum quia præsumere non potest rationabiliter, correctione fraterna esse sufficienter emendandum.

Dvbivm LVII.

Si proximus de delicto commisso sit iam emendatus, potestne quis Prælato vt Patri illud deferre, vt sic delinquens securior à recidiuo existat?

346 *Potest quidem.*

POtest quidem. Quia talis manifestatio potest prodesse, & non obesse. Potest enim Prælatus cum sit occasiones & pericula relabendi iterum remouere: Ergo prodest. Ex scientia illius delicti ad punitionem non potest procedere: Ergo non obest. Sic Richard. *in* 4. *dist.* 19. *articul.* 3. *quæstion.* 1. Gabr. *in Can. Miss. lect.* 74. *litter. V.* Rosel. *verb. Inquisitio.* Angel. *verb. Denunciatio. numer.* 10. Graf. *part.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 69. *num.* 30. Gers. *part.* 2. *titul. de correct. prox. Alphab.* 14. *litter. T.* videtur consentire Alphons. Villagutier. *libro secundo titul. de denunc. Euangel. conclus.* 5. *pag.* 94. & 96.

347 *Non potest.*

Minime potest. Quia fama apud Prælatum plurimi æstimatur à subditis, & ægrius ferunt apud illum infamari propter eius dependentiam, quam apud plures socios: Ergo ob solam maio

maiorem securitatem huiusmodi infamatio licita esse non potest. Nemini enim licet, bona temporalia à proximo auferre eo fine, vt securior sit in virtute: alias liceret, diuitias ab eo auferre, & pauperibus impertire, vt pro illo exorent. Ita Adrianus *qu. de correct. §. Pro huius decisione.* Sotus *relect. de secreto, membr. 2. qu. 4. conclusion. 4.* Sà *verb. Correctio, numer. 4.* Nauarr. *summ. cap. 24. num. vlt.* Aragon. *2. 2. quæst. 33. art. 7.* Valentia *2. 2. disp. 3. quæst. 10. punct. 5.* Nauarr. *lib. 2. de rest. cap. 4. part. 2. dub. 12. num. 120.* D. Thom. Antonin. Syluest. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *libro 6. Decalogi capite 18. numero 49*

348 *Aduersi resolutio.* Ego autem probabilius his hærens Doctoribus, existimo, si certo tibi constat, fratrem esse emendatum, nec periculum probabile relabendi habere, nullatenus posse eius delictum superiori manifestare, nisi ipse expresse consentiret: neque consensum in Societate nostra præstitum ad hunc casum extendi. Nam finis præcipuus in Societate, ob quem mandantur delicta superioribus deferri, est correctio delinquentis, quod constat ex *reg. 10. Boni etiam omnes consulant, ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem iuuare debito cum amore, ad maiorem spiritus profectum.* Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus, neque periculum sit recidiui, cessat finis, ob quem consentit, delicta superioribus deferri *per quemuis, qui extra Confessionem, ea acceperit. reg. 9.* Attamen si proximus periculum probabile subeat relabendi, si prælapsum eius peccatum Prælato non manifestetur, manifestandum esse, non dubito, cum Valentia *disputation. 3. quæstion. 10. punct. 5.* D. Thomam, Adrianum, & Sotum citante: vt subditum præseruet. Probabile periculum relapsus vocito, quando ita proximus occasionibus peccati est innodatus, vt moraliter loquendo, iudicetur casurus, nisi ab illis diuertatur. Nam de alio periculo magis remoto non est curandum, cum omnibus tale insit periculum ex naturę fragilitate.

CAPVT XVIII.

Circa Odium, Inuidiam, Chisma, Vitia Charitati contraria.

DVBIVM LVIII.

An in odio proximi sint plures actus specie distincti?

349 *Inuidia a proximi odio recolo.* Recolo, Odium esse charitati cõtrarium, dupliciterque contingere. Primo, abominando personam proximi tanquam tibi contrariam, & desiderando, vt non sit: & hic actus est *Odium abominationis.* Secundò, desiderando illi aliquod malum ex præfata abominatione, quod *Odium inimicitiæ* vocitatur. Quodcumque ex his odiis circa Deum lethale est, nec fieri potest veniale ex materiæ leuitate. Circa proximum vero aliquando potest esse veniale, verbi gratiâ, si quis proximum absque iusta ratione leuiter auersetur, malumque ei leue exoptet, vel plena non adsit deliberatio. Odium proximi ab odio Dei differre specie non dubito. Quia licet vtrumque Charitati opponatur: diuersimode tamen opponitur. Vnum namque Dei Maiestatem directè, alterum indirecte offendit. Maior est difficultas de odio proximi, num in eo sint plures actus specie distincti?

350 *Non sunt odij in proximum plures actus specie distincti.* Non sunt. Quia odium non sumit speciem, neque indiuiduitatem ex obiecto materiali, sed ex formali: obiectum autem formale semper est idem, scilicet personæ displicentia: ergo quantumvis obiecta materialia varientur, actus non variatur. Hinc infertur, te obligatum non esse, in Confessione manifestare, quæ mala proximo desideraſti: sed satisfacere, si dicas, te odio proximum toties fuisse prosecutum, optando illi graue malum. Quia omnia illa mala sub eadem ratione sunt appetita, scilicet quia proximo mala erant. Sic Caietan. *2. 2. quæstion. 34. art. 6. ad vltim.* Bonacin. *disputat. 3. de Charitate quæstion. 4. punct. vltim. num. 6.* Torres *2. 2. disputation. 91. dub. 61.* Valent. *2. 2. disput. 3. quæst. 11. punct. 2.*

351 *Sunt plures.* Sunt quidem plures actus specie distincti. Quia vnum odium proximi ab alio differre potest tum ex fine, quo eum odio habes: tum ex malo, quod illi exoptas. Ex parte finis differt si proximum auerseris, quia est Dei imago ad beatitudinem creatus, qualiter dœmones nos odio habent: aut quia aliquam tibi iniuriam intulit; vtrumque enim odium est odium proximi, etiamsi primum ex odio Dei ortum habeat: ergo negari non potest, vnum actum ab alio differre. Ex parte vero mali, quod proximo optas, etiam specie differunt. Quis enim abneget, optare inimico, ob illius displicentiam, æternam damnationem, esse diuersum peccatum in Confessione aperiendum ab eo, cum solum amissionem status, & temporalis vitæ desideras, cum diuersæ rationis eum priuet bonitate? Ita Suarius *disp. 6. de Charitate sect. 2. numero 2.* Palao *tomo 1. tractatu 6. disputation. 3. puncto 1. numero 7.* Coninch. *disputat. 29. dub. 3. numero 61.*

352 *Hoc dicendum omnino reor.* Hoc dicendum existimo. Nam voluntas inferendi proximo malum in vita, diuersum peccatum est à voluntate inferendi malum in fama, aut pecuniis: ergo etiam voluntates, quibus hæc mala appetuntur euenire, diuersæ sunt. Quia species odij inimicitiæ non sumitur præcisè ex displicentia, & auersione personæ, quam auersaris; sed ex malo, quod illi desideras. Alias nullum odium proximi esset odium inimicitiæ, sed odium solum abominationis Ex quo infero, in Confessione omnino esse explicanda, vti Suarius, & Coninch. expresse docent.

Dvbivm LXI.

An liceat optare mortem proximo, vel de illa gaudere ob hæreditatem acquirendam?

353 *Quæstionis status.* CElebris quæstio est, nùm ob bonum temporale, & aliquando inferioris ordinis liceat tibi aliquod graue malum proximo desiderare, & de illo gaudere, déque ipsius bono tristari, eo quod tibi impedimento est ad boni temporarij assecutionem? Exempli gratiâ. An possis desiderare mortem alicuius, vt illi in bonis succedas, vel ne in ei alimoniam præbendo, vel eum curando ægrotantem graueris.

354 *Minime licet.* Minime id licet. Quia ex Charitate obligaris præferre vitam proximi tuis diuitiis, temporarióque emolumento. At si ob acquirendam hæreditatem illius mortem expetis, iam temporarium emolumentum vitę proximi præfers: quod contra Charitatem esse, quis non videat? Sic Nauarr. *summ. cap. 15. num. 10.* asserens esse omnium.

355 *Licet equidem.* Licet equidem, si cum debito moderamine faciasnon scilicet id appetens ex personæ dispicentia, sed ob aliquod temporale emolumentum inde sequutum. Quia huiusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono tibi inde sequuto: ergo non habet malitiam, quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit: cum tota species actus ineficacis ex fine desumatur. Ita Sà *verb. Charitas, numero octauo.* Azorius *parte prima, libro tertio, capite 12. quæst. 2.* Bonacina *disp. 3. de Charit. quæstione quarta, puncto vltimo, numero septimo,* asserens licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam haud possit eas nuptui tradere. Sancius *in select. d. 2. numero 9.*

356 *Auctoris resolutio.* Existimo, proculdubio licere, optare tibi, vel proximo mortem ob vitandam molestiam laborumsinfirmitatum, mendicitatis, vitæ pœnalis à marito inflictæ, &c. dummodo desideres huiusmodi incommoda proximi, vt à Deo infligenda, non ab homine iniustè, vel à Diabolo. Profecto ingenue fateor, debere te bonis fortunæ vitam proximi præfere quoad effectum, ac voluntatem efficacem, ac proinde teneri, bona fortunæ exponere, vt vitam proximi conserues. Secus dixerim de efficaci affectu, ac simplici complacentia; quia respicit obiectum secundum se, & ex illius bonitate sumit speciem, non ex illius executione.

Dvbivm XL.

An inuidia solum sit mortale quando ex illa mouetur quis ad remouendum proximi bonum?

357 *Solum est mortale.* SOlum est mortale, cum ita vehementer quis bono proximi inuidet, vt ex illo affectu moueatur ad iustè remouendum proximi bonum: secus si absque hoc periculo inuideat, quemadmodum auaritia, ac vana gloria, in qua non sunt peccata mortalia earum actus, nisi aliqua circumstantia mortali vestiantur. Quia dolere de bono proximi, quatenus meum bonum imminuit, non est, absolute de bono, proximi dolere; sed dolere de illo, quatenus hunc causat effectum: & licet non causet media iniuriosa actione, negari tamen nõ potest, esse cuique molestum, & iniucundum? tollit namque illi, qui ab omnibus (verbi gratiâ) doctus admodum habebatur, singularem ideo plausum acquirebat, opinionem, & honorem illum, si doctor aliquis superueniat. Ergo talis tristitia, ac dolor, non videtur adeo inordinatus, vt piaculum lethale constituat. Sic Lorca 2. 2. *quæstion. 36. in addition. articul. 3.*

358 *Non solum est mortale.* Non solum est mortale, quando ex inuidia quis mouetur, ad remouendum proximi bonum, sed & quando dolet de bono alterius, quia diminutionis proprij boni est causa. Quia hoc vitium est charitati contrarium, cum de bono proximi tristetur, & de malo illius gaudeat. Quod vero quis gaudeat de malo illius, vel tristetur de bono, quia propriũ suũ bonũ, non est sufficiens causa honestandi actum. Ità D. Thom. 2. 2. *quæstion. 36. articul. 2. & 3.* Valent. *ibi. dub. 3. quæstion. 13. punct. 2.* Coninch. *d. 30 dub. 2. num. 20.* Reginald. *lib. 17. num. 129.* Nauar. *summ. capit. 23. numer. 118.* Bonacin. *d. 3. de Charit. quæstion. 4. punct. vltim. Parag. 2. num. 3.* Suar. *dub. 6. de charit. sect. 4. numer. 4.* & alij.

359 *Hanc communiùs planè sententiam amplectitur.* Ad hac communi quidem sententia non recedam, quàm vberius expendo. Potest quis dolere de bono alterius, eo quod per se, & ratione sui proprium eius bonum diminuit: bonum, in quam alterius potest esse occasio diminuendi proprium alicuius bonum, sine eo quod aliquam vim inferat, actionemque iniuriosam exerceat: v. gr. si existente illo in Ciuitate aliqua, in qua nimis doctus, ac peritus reputatur, accederent alij æque docti, quorum aduentu illius peritia non tanti, vti antea æstimaretur, quia non est iam ita rara. Ex qua ratione bonum vnius per se potest alterius bonum diminuere. Si igitur doleat quis de bono alterius, quia huius diminutionis est causa, inuidus est, & peccat, ex genere suo mortaliter. Plura de Inuidia *Volum. 1.* vbi de de vitiis Capitalibus disserui.

Dvbivm LXI.

An non solum qui proprie Chismaticus est, sed etiam qui quomodolibet Pontifici est inobediens, contrahat excommunicationis pœnam?

360 *De Schismate non nulla præmitto.* CHismain præsenti sumo pro scissione, vel diuisione ab Ecclesia, eiusque Capite. Dupliciter autem quis potest se ab Ecclesia separare. Primo, deserendo fidem, & tunc est hæreticus, ac consequenter Chismaticus, secundo Ecclesię deserendo vnitatem, quam fideles

deles omnes inter se habent cũ suo capite tum in Sacramentis, ac cultu diuino: tum in subiectione ad Pontificem, Ecclesiæ Caput. Dupliciter vero quis potest se à subiectione Pontificis, & Ecclesiæ vnitate diuidere. Primò directè, secundò, indirectè. Directè se diuidit, cum expresse, ac formaliter intendit, Pontificem non recognoscere vt superiorem; Indirectè autem, cum facto ipso ostendit, non eum recognoscere: quod videtur contingere existentibus in Anglia, & exhibentibus Regi obedientiæ signa, quibus testantur esse Christi Vicarium, in spiritualibus, quãuis interius id esse nullo modo credant; quia seiunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque obedientia in opere ipso externo consistit: ac proinde hi vere Schismatici sunt, esto non sint hæretici. Suarius *de Censur. disputatione vigesima prima, sectione secunda, numero decimo tertio*, Sanchez *libro secundo, Decalogi capite trigesimo sexto, numero decimo quarto*. Porro Schismaticis variæ ab Ecclesia pœnæ præscribuntur. Prima est priuatio potestatis Ordinis, & iurisdictionis. Secunda, excommunicatio ipso facto. Tertia inhabilitas ad Beneficia. Quarta, suspensio Ordinis à Schismatico scienter recepti. Quinta, collatio Beneficiorum à Schismatico facta irritanda. Sexta, suspicio hæresis vehemens. Septima, subiectio Ecclesiasticis Iudicibus pro pœna sustinenda Circa huiusmodi pœnas dissidium est apud Doctores. In præsenti igitur requiro, an non solùm Schismaticus propriè, qualem esse asserui, sed etiam etiam qui quomodolibet Pontifici inobediens est, pœnam excommunicationis contrahat?

361 *Contrahit excommunicationem.* Contrahit quidem. Quia in Bulla Pontifex excommunicat Schismaticos, & qui se ab eius, & cuiusvis Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Cum ergo nihil in Pontificiis decretis superfluum esse dicendum sit, efficitur, non solum recedentes à Pontificis obedientia tanquam à Vicario Christi Domini, sed quomodocumque recedentes intelligi debere. Nam recedentes pertinaciter à Pontificis obedientia tanquam à Vicario Christi, & Ecclesiæ capite, sub Schismaticorum nomine comprehenderant. Vt quid ergo reliqua verba adiiciuntur? Sic Farinac. sibi contrarius *quæstion.* 186. *numer.* 11. citans Toletum *libro quarto, capite duodecimo, numero secundo*. Attamen in editione Lugdunensi circa primum nihil dicit: circa secundum contrarium docet.

362 *Non contrahit.* Non contrahit nisi qui Schismaticus propriè est. Quia recessus à Sedis Apostolicę obedientia proprie non stat cum illius recognitione. Ergo dum quis Pontificem vt superiorem recognoscit, etiamsi illi ob aliquam causam non obediat, à Pontifice vt tali non videtur absolute recedere, ac proinde excommunicationem illam non contrahit. Ita Azorius *parte prima, libro octauo, capite vigesimo, quæstione quinta*, Palao *tomo primo, tractatu sexto, de Charitate, disputatione quarta, puncto sexto, numero septimo*, Suarius *de Censur. disputatione vigesima primo, sectione secunda, numero duodecimo* Sanchez *libro secundo, Decalogi capite trigesimo sexto, numero duodecimo*. Bonacina *disputatione tertia, quæstione quarta, de Charitate puncto vltimo, Paragrapho quinto, numero nono*, & alij apud ipsos.

Cum his opinor. Et quidem etsi sub nomine Schismaticorum ij recedentes comprehensi erant, fuêre tamen expressi ad maiorem claritatem, specialemque timorem incutiendum. Monuerim hac excommunicatione non ligari fautores, defensores, receptatores Schismaticorum. Quia in Bulla non exprimuntur, & exprimuntur hæreticorum fautores, in odiosis autem non est vltra proprietatem verborum extensio gerenda. Ligantur tamen excommunicatione non reseruata ob *cap. Li et, de elect cap. 1. de Schismaticis, in 6*. Sed clarius ob constitutionem Pauli IV. quæ incipit, *Cum ex Apostolatus officio*, vbi excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur Schismaticorum fautores, vti Bonac. *vbi sup.* annotauit. 363 *Cum his sentio, & nonnulla adiicio.*

Dvbivm LXII.

Schismatici non denunciati priuanturne iurisdictionis potestate?

Dixi, primam Schismatici pœnam esse potestatis Ecclesiasticę, Ordinis, & iurisdictionis priuationem. Verum licet Ordinis potestate in spirituali charactere consistente priuari non possit, priuari vero potest, ac de facto priuatur legitimo talis potestatis vsu. De potestate autem iurisdictionis fere omnes Doctores conueniunt, Schismaticum esse iure ipso priuatum. 364 *Quæstionis status.*

Schismaticus non denunciatus post Concilium Constantiense minime priuatur iurisdictione. Quia cum solum denunciatum vitare teneamur, solum is carere debet iurisdictione nobis conueniente. Sic Bonacina *disp. 3. quæst. 4. de Charitate, puncto vltimo, Paragrapho sexto numero 8*. 365 *Non priuatur, si denunciatus non sit.*

Etiamsi occultus sit, vel non denunciatus, ipso facto quilibet Schismaticus iurisdictionis potestate priuatur. Quia occultus Schismaticus exterior ab vnitate Ecclesiæ, ac subordinatione ad illius Caput se subtrahit: ergo indignus est, cui iurisdictio ab Ecclesia concedatur. Ita D. Th. 2 2. *q. 36. a. 3*. Turrec. *l. 4. sum. p. 2. c. 20*. Castr. *l. 2. de iusta hæret. punit. c. 23. & 24*. Azor. *p. 1. l. 8. c. 2 q. 9*. 366 *Licet non sit denunciatus priuatur.*

Hæc sententia mihi magis probatur. Quia textus in *cap. 1. de Schism. cap. Nouitianus, cap. Audiuimus, cap. Didicimus*, expresse notant, ipso iure hanc priuationem incurri. Dicunt enim, Ordinationes esse irritas, & conferentem nihil iuris habere, ac potestatis; & ex alia parte hanc priuationem ad omnes Schismaticos extendi probat textus in *cap. Didicimus*, & omnes omnino hæreticos, & Schismaticos nihil habere iuris, ac potestatis. Verumtamen vt huiusmodi priuatio iurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem declaratoria sententia criminis, vt tradit Suarius *disputatione 12, sectione 2. numero 2*. 367 *Hæc sententia mihi arridet.*

Dvbivm LXIII.

Schismaticis pœnitentibus, & Ecclesiæ reconciliatis tolliturne inhabilitas quam ad Ecclesiastica Beneficia habenda contraxerant?

368 *Status quæstionis.* TErtiam Schismaticorum pœnam esse vidimus inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica in posterum habenda, *cap. Quia diligentia, de elect.* vbi Schismatico in Episcopum electo dispensatiue confirmare permittitur. Non igitur valida erit electio ante dispensationem, vti Glos. & omnes. Dubium autem est, num pœnitentibus Schismaticis, & Ecclesiæ reconciliatis hæc inhabilitas tollatur?

369 *Tollitur inhabilitas hæc.* Tollitur profectò. Quia huiusmodi inhabilitas ex Schismate procedit: ergo illo sublato, cessat. Neque obstare videtur *Cap. Quia diligentia* citatum, nam electio illius Schismatici in Episcopum forte fuit, durante Schismate, ideoque indiguit dispensatione: qua non indigeret, si sublato Schismate, & Ecclesiæ reconciliato, electio facta esset. Sic Decianus *tractatu crimin. libro quinto, capite 54. numero 15. & 16.* Conrad. Brunus *tractat. de hæretic. libr. 3. cap. 7.* Bursat. *consil. 14. numer. 34.* Quintil. Mandos. *in addit. ad Repertor. Inquisit. v. Abiuratio, litt. A.* Farinac. plures referens, *qu. 189. & 193. num. 66.*

370 *Nõ tollitur.* Non tollitur. Quia *cap. Quia diligentia,* id videtur expresse præscribere. Glossa enim *ibi* manifeste asserit abiurato Schismate in Episcopum electum fuisse, & nihilominus indiguisse dispensatione: ergo signum est, inhabilem remansisse. Ita Azor. *parte prima, libro octauo capite vigesimo, quæstione octaua,* asserens, communi sensu hoc esse receptum. Sanchez *libro secundo, Decalogi capite trigesimo sexto, numero decimo octauo,* Bonacina *disputatione tertia, quæstione quarta, de Charitate parte vltima, Paragrapho quinto, numero decimo.* Pegna *Direct. parte secunda, quæstione quadragesima octaua, comm. 73.* Suarius *de Censur. disp. 43. section. 2. numer. 7.* Farinac. pluribus relatis, *quæstione 184. numero trigesimo sexto.*

371 *Hoc probabilius, & securius esse veor.* Probabilius, & securius censeo, Schismaticum Ecclesiæ reconciliatum adhuc inhabilem esse ad Ecclesiastica Beneficia, nisi per Pontificem, aut vices ipsius habentem fuerit dispensatus. Quia eius est soluere, cuius ligare fuit. Habet tamen Episcopus ex Tridentin. *sess. 24. cap. 6.* concedente casus occultos, potestatem ad dispensandum in quacumque inhabilitate ad Beneficia ex delicto occulto prouenięte. Quare si delictum Schismatici occultum sit, poterit ab Episcopo Schismaticus ad vnitatem Ecclesiæ rediens habilis reddi. Si tamen Schisma publicum sit, asserit Abbas *ad cap. 2. de Schismat. numer. 7.* Decius *ad cap. Atsi Clerici numero 124.* & alij, posse Episcopum dispensare ad Beneficia omnia, præter Episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter Ordinem à Schismaticis non receperint. Addo, esse probabilem occultum Schismaticum, & Ecclesiæ reconciliatum dispensatione non indigere. Quia pœna inhabilitatis non cuilibet Schismatico videtur imposita, sed publico, & manifesto, qualis erat ille Episcopus relatus in *Cap. Quia diligentia.* Quare occultus, & maxime emendatus, & conuersus hanc pœnam nullo modo contrahit, vt multis probat etiam de hæretico. Garcia *part. 11. de Benefic. capite 10. numero 81.* & specialiter de Schismatico *numero 162.*

CAPVT XIX.

Circa Bellum, ac Duellum, quatenus sunt Charitati contraria.

Dvbivm LXIV.

Potestne dari secluſa ignorantia iustus bellandi ex vtraque parte titulus?

372 *Dari potest.* DAri potest. Quia sæpè oppugnans, & oppugnatus non peccant bella gerendo eo, quod vterque probabiliter credit, sibi Regnum pertinere: Ergo ex parte vtriusque iustus est titulus. An non oppugnans Ciuitatem, interficere potest innocentes, si alia via non potest illam subiugare: innocentesque possunt se ab oppugnatione defendere? Quis dubitet? Datur igitur titulus bellandi iustus ex vtraque parte, iustumque bellum etiam nulla ignorantia intercedente. Sic nonnulli bonæ notæ Moderni.

373 *Dari non potest.* Dari non potest per se, & secluſa ignorantia iustus titulus belli ex vtraque parte circa eandem rem. Quia nulla virtus potest habere actus sibi contrarios, alias secum pugnaret, & bonum bono contradiceret. Ergo iustitia, quæ tibi titulum iustum possidendi præbet, verbi gratiâ, Ciuitatem, & ibi existentes oppugnandi, non potest præbere iustum titulum oppugnatis tibi contradicendi.

374 *Idē affirmo.* Idem affirmo. Concedo enim, sæpe oppugnantem, & oppugnatum non peccare, quia ex ignorantia inuincibili iuris procedunt. Hoc tamen non probat ex vtraque parte iustum dari titulum; sed ex vna parte dari, & ex alia præsumi: rationéque illius præsumptionis potest ille actus ad iustitiam pertinere.

Dvbivm

Dvbivm LXIV.

Oblata ab aduersario tibi sufficienti satisfactione, teneris ne à bello desistere, quocumque tempore satisfactio detur?

375 *Non teneris à bello desistere quocumque tempore detur satisfactio, sed ante bellum incœptum.*

SI satisfactio sufficiens detur ante bellum incœptum, teneris ab eo desistere, si offeratur tibi ab aduersario sufficiens iniuriæ satisfactio, & damna illata compenset. Quia tunc bellum non est tibi necessarium, sed voluntarium, ac proinde illicitum, sola enim necessitate potest assumi *cap. Noli, 23. qu. 1.* Si autem satisfactio post bellum incœptum offeratur, non teneris eam acceptare, & à bello desistere. Quia iam aduersarij non sunt in statu satisfaciendi, sed satis patiendi. Sic Caietan. *summa verb. Bellum.* Sà *verb. Bellum, numero nono.*

376 *Quocunque tempore detur satisfactio teneris.*

Quocumque tempore satisfactio plena ab aduersario offeratur, teneris à bello desistere, si securè desistere possis. Quia bellum solum necessitate, non voluntate licite suscipitur, vti ait Diu. Augustin. *Epistol. 207. ad Bonifacium Comitem* Sed cum debita satisfactio offertur, cessat omnis bellandi necessitas: ergo contra iustitiam delinques, si bellum pro sequare. Ita Molina *disp. 103. vers. Belli causa.* Valent. 2. 2. *d. 3. quæst. 16. punct. 2.* Coninch 2. 2. *disput. 31. dub. 2. numero 38.* Suarius *disputatione 13. de Charitate, sectione septima, numero tertio.* & alij apud ipsos.

377 *Hæc probabiliora esse iudico, & defendam expono.*

Sententiam hanc, communem quidem elego, aduertens tamen sub debita satisfactione comprehendi, vt non solum tibi reddantur omnia illa, quæ tunc sunt: sed etiam soluantur expensæ in bello factæ, & pericula, & molestiæ quibus te, ac tuos exposuisti, & iniuriæ factæ compensentur. Quia cum ad hæc omnia ius habeas, omnia hæc compensari debent, prinsquã à bello cessare tenearis. Insuperque petere potes, quidquid in posterum tibi necessarium est, vt secure viuas, & pacem obtineas; hic enim est præcipuus belli scopus. Quæ omnia in ipso conflictu, ac belli congressu ferè sunt impossibilia: ideoque forte Caietanus dixit, tunc aduersarium potius esse in statu satis patiendi, quam satisfaciendi; quia vix est possibile offerre tunc satisfactionem, quæ præ angustia temporis tum sufficiens, tum secura iudicetur.

Dvbivm LXV.

An quando pars rebellis digna est morte ob iniuriam illatam sit obligatus Dux victor aliam satisfactionem admittere?

378 *Victoriosus non.*

PArs rebellis ob iniurias illata digna est morte, itavt post partam victoriam absque vllo periculo valeat victor eam perimere: petit tamen veniam, & in quantum potest, sese illi submittit, & iniuriam pecuniis, tributis, & aliis eiusmodi compensat, ac pignora præbet, quibus illum securum reddit à timore in posterum similis iniuriæ. Quæsierim, an victor Princeps teneatur hanc satisfactionem acceptare, & à bello desistere: vel possit bellum producere, quousque pars nocens ei iugulanda tradatur?

379 *Obligatus non est, satisfactionẽ accipere.*

Obligatus non est, satisfactionem admittere. Quia Princeps ille iniuria affectus factus tũc est Iudex rebellium ob iniuriam acceptam illiusque vindex: sed Iudex non tenetur acceptare satisfactionem à delinquente oblatam, sed pro delicti grauitate pœnam illi infligere potest, quæ sibi magis placuerit, modo iustitiæ limites non excedat. Ergo sic dicendum est in casu præsenti sis spectato iuris rigore. Molina *tractatu secundo, disputatione 103. vers. Dubium est.* Lorca 2. 2. *disputatione quadragesima nona, numero sexto, & disputatione quinquagesima secunda, numero tertio, & disputatione quinquagesima tertia, numero duodecimo,* Bannes 2. 2. *quæstione quadragesima, articulo primo, dubio secundo, conclusione quarta,* Castro Palao *tomo primo, tractatu sexto, de Charitate, disputatione quinta, puncto tertio, numero 15.*

380 *Est obligatus.*

Obligatus est. Quia bellum contra non subditos iudici non potest ad iniuriam vindicandam, nisi quatenus iniuriato necessarium est, vel ad honoris reparationem, vel ad futuram securitatem, vt enim Diu. Augustin. relatus in *cap. Nulli, Bellum sine necessitate iudici non potest.* Alias obligati essent nocentes se ipsos tradere iugulandos, neque possent vi resistere, neque alius illos defendere. Ita Ægid. Coninch 2. 2. *disputatione trigesima prima, dubio secundo, à numero vigesimo nono, & dubio septimo, à numero 106.*

381 *Primam sententiam eligo, & expono.*

Primam sententiam longe probabiliorem esse non dubito. Fundamentum enim Ægidij mei pugnat contra sententiam affirmantem, bellum esse actum vindicatiuæ iustitiæ: quod stare non potest, si iniuriæ vindicandæ solum essent, quatenus earum vindicatio necessaria est ad iuris læsi reparationem; quia tunc potius commutatiuam, & legalem iustitiam, quam vindicatiuam exerces. Vt ergo firmum sit, bellum esse iustitiæ vindicatiuæ actum, affirmo, bellantem non solum reparationem sui honoris, & securitatem in futurum intendere posse: sed etiam debitam pœnam iniuriantibus infligere. Neque inde fit, teneri nocentes se iugulandos tradere; sufficit enim si vi & armis non resistant; quia ius vitam conseruandi vtpote naturæ conforme aliis iuribus præponderat.

Dvbivm LXVI.

Requiriturne moralis certitudo victoriæ, vt bellum possit indici?

382 *Moralis victoriæ certitudo requiritur.*

NOn potest indici iustè bellum, si non adsit moralis victoriæ certitudo. Quia tunc temeritatis Princeps arguetur, & suis subditis iniuriosus existet, eos ob exiguam vtilitatẽ, & incertam

incertam victoriam grauissimis periculis exponens. Sic Caietan. 2.2. *quæstione nonagesima sexta, articulo quarto.* Coninch. 2.2. *disp.* 31. *dub.* 4. *num.* 73.

383 *Non requiritur.* Indici potest iuste etiamsi moralis victoriæ certitudo non adsit. Quia solum probabilis spes victoriæ potest damnis, quæ ab aduersariis timentur, præualere. Et quia raro liceret Regi minus potenti bellum potentiori indicere, si moralis certitudo victoriæ necessaria esset, cum hæc à minus potenti fere nunquam haberi posset. Ita Castro Palao *tomo primo, tractatu sexto, disputatione quinta, puncto tertio, numero decimo septimo*, Suarius *disputation.* 13. *de Char. section.* 4.

384 *Auctoris resolutio.* Ego quidem existimo his hæresces Doctoribus, omnia pensanda esse, & videndum, an spes victoriæ præualeat damnis, quæ timentur. Nam si spes præualeat, tentari bellum potest; sin minus cessandum à bello, bello inquam aggressiuo: secus à defensiuo, hoc enim cum aliquali spe victoriæ tentandum est; quia est necessitatis, non voluntatis. Ex quo fit, verum non esse, quod Caietanus affirmat, requiri moralem victoriæ certitudinem, vt bellum possit indici, cum solum probabilis spes valeat damnis, quæ timentur, præualere: & bono Reipublicæ maxime expedire possit, vt inimici intelligant Principem non esse pusillanimem, ac timidum, sed forti animo, audacem, periculáque contemnentem.

Dvbivm LXVII.

An innocentes possint licite redigi in seruitutem: cum Respublica est hac pœna digna?

385 *Quæstionis status.* SCio, licitum esse libertate priuare hostes, & in seruitutem redigere, si rei naturam spectemus, quoties in recompensationem iniuriæ factæ, & in satisfactionem damnorum, quæ victor passus est, fuerit necessarium. Si enim victor priuare vita hostes potest, à fortiori poterit libertate. Habetur §. *Item ea, quæ ab hostibus Institut. de rerum diuis.* Ab hoc autem iure excipiuntur Christiani capti ab aliis Christianis & eorum filij, qui non possunt redigi in seruitutem ob consuetudinem inter eos præscriptam: possunt tamen detineri aliquantulum, dum pecunia aliqua in præmium capientium conceditur. Suarius *disputatione decima tertia, de bello, sectione septima, numero decimo tertio*, Coninch. 2.2 *disputatione trigesima prima, dubio septimo, numero* 120. Hoc tamen priuilegio Christicolæ Apostatæ non gaudent siue subditi sint bellantis, siue non. Quia quod in Fidei fauorem introductum est, non debet, iis prodesse, qui fidem abiurarunt. Valentia 2.2. *disputatione tertia, quæstione decima sexta, puncto tertio*, Suarius *ibidem.* Dubito autem, an innocentes possint etiam in seruitutem redigi, cum Respublica huiusmodi pœna est digna?

386 *Nō possunt.* Non possunt. Quia nemo innocens potest occidi directe à victore. Nulla enim causa legitima est eum interimendi, nam si aliqua esse posset, maxime culpa totius Ciuitatis, sed hæc esse non potest, quia licet ipse Ciuitatis sit pars, ab illa tamen culpa est immunis: ergo si à communi iugulatione innocens est immunis, etiam immunis erit à communi seruitute, quæ ex culpa procedit. Sic nonnulli, quos, pressis nominibus memorat Castro Palao *tom.* 1. *tractat.* 6. *disputation. quint. punct.* 4. *numero decimo tertio.*

387 *Possunt quidem.* Possunt quidem, si iniuria Ciuitatis aduersæ hanc pœnam mereatur. Quia libertas inter bona fortunæ, quorum Respublica dominium habet computatur: Respublica enim illorum bonorum habet dominium, quorum eius subditi habent: sed quilibet subditus propriæ libertatis dominio fruitur, illamque vendere vrgente necessitate potest. Ergo Respublica idem facere poterit. Ita Victor. *de iure belli, numero quadragesimo secundo*, Molina *tractat.* 2. *de iustit. d.* 119. & 120.

388 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam pater, necessitate vrgente, poterit filium libertate priuare, & creditor debitorem impotentem soluere, si ius positiuum non obstaret: ergo à fortiori poterit Respublica quemlibet ciuem, cum quilibet debeat satisfacere pro debito Reipublicę, vtpote pars illius. Addo, receptissimum esse, tradi infantes obsides inimico nolenti aliter à bello desistere: qui quidem in arctam, & sæpe in perpetuam seruitutem reducuntur.

Dvbivm LXVIII.

An capti bello iusto, possint aufugere: eosque possit ad quilibet fugam iuuare?

389 *Quæstionis status.* SVppono, esse captos bello iusto; nam si iniusto capti fuissent, quales sunt omnes Christiani capti à Mauris, & Turcis: clarum est fugere posse. Quia iniustè detinentur, & laudabile opus Charitatis esse, illos iuuare ad fugam, & à possidentibus iniustis eripere. Quæstio igitur est, an capti bello iusto, possint aufugere, eosque quilibet ad fugam iuuare.

390 *Nemplicit fugam.* Fugere non possunt, nec alij eos possunt ad fugiendum auxilium præstare, (quod si seruus Christianus sit, & ab infideli domino fugiat, obligatus est mittere pretium, non tamen redire ob periculum peruersionis.) Quia seruus pretio emptus fugere non potest; ergo nec bello captus. Et quia hęc seruitus est quędam pœna à Republica imposita iis, quibus forte pœna mortis debebatur ob illatam iniuriam: & ex pietate in hanc leniorem commutatur: ergo facta commutatione, & pœna seruitutis imposita, non licet damnatis fugere ab illa: alias cuilibet damnato ad triremes liceret ab ea pœna aufugere. Sic Nauarra *summa capite decimo septimo, numero* 103. & 104. & plures alij relati à Coninch, Valentia, ac Lessio mox citandis.

391 *Fugere possunt.* Capti bello iusto licite possunt ad suos aufugere, aut ad aliquam Ciuitatem amicam, vbi tuti sint. Quia §. *Item ea, quæ ab hostibus, Instit. de rerum diuis.* de seruis bello captis dicitur: *Si nostram potestatem euadant, & ad suos redeant*

deant, pristinum statum accipiant, hoc est, consequantur, libertatem, quam antea habebant. Ergo tacite conceditur eis facultas fugiendi à dominorum confinibus: alias irrationabilis esset lex, quæ concederet libertatem in præmium actionis iniquæ, & quæ hac via ad malum incitaret. Ita Couarruu. *reg. peccatum. part. 2. §. 11. num. 6. & l. 1. var. cap. 2. num. 10.* Bannes 2.2. *quæst. 40. art. 1. dub. 3.* Valent. 2.2. *d. 3. q. 16. punct. 3.* Lessi. *l. 2. c. 5. dub. 5. num. 24.* Sà *ver. Bellum, num. 7.* Bonacina *d. 2. de restit. q. vltim. section. 1. punct. 12. num. 26.* & alij.

392 *Eiusdem sententiæ.*

Eiusdem sum mentis, doctrinam tamen limitans, vt procedat, modo seruus fidem non dederit non fugiendi. Quia si dedit fidem hāc, speciali fidelitatis titulo, & maxime si iuramento firmasset, tenetur à fuga abstinere: vti relati Valent. Lessi. & Couar. annotarunt.

Dvbivm LXIX.

An bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium occupentur licite à Principe, cum necessarium est ad finem belli consequēdum. Et an victoria parta teneatur iis satisfacere, licet ex occupatione horum bonorum ditior factus non fuerit?

393 *Plura reco. la.*

Scio, bona hostium etiam eorum, qui innocentes sunt posse à victore occupari, si bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium excipias. Per accidens autem deuastari, occuparique possunt, si necessarium fuerit ad finem belli consequendum. Idemque de cuiuscumque innocentis bonis dixerim. Quod à fortiori procedit, si credat Princeps, illis bonis aduersarium vsurum, vt eum iniuste oppugnet; quia tunc est quædam naturalis defensio. Valen. 2.2 *d. 3. q. 16. punct. 3.* Molina *d. 121. initio.* Quæstio autem est, num Princeps, reportata victoria, teneatur satisfacere Ecclesiæ, Ecclesiasticisque innocentibus, si ob eorum bonorum occupationem ditior factus non fuit?

394 *Non tenetur satisfacere.*

Non tenetur. Quia non apparet, ex quo capite ad restitutionem teneatur: non ratione rei acceptæ, quæ non extat; nec ratione iniustę acceptionis, quæ nulla fuit: ergo minime tenetur his satisfacere. Sic Molina *d. 121. conclus. 2.* Bonacina *disp. 2. de restit. quæst. vltim. punct. 12. numero 19.*

395 *Satisfacere tenetur.*

Tenetur omnino. Quia innocens, qui pars non est Reipublicæ offendentis, non tenetur victori donare sua bona, vt ille suum ius recuperet, & sicut non potest licite occidi, ita nec bonis spoliari. Ergo victor debet ei ablata bona restituere. Ita Cast. Pal. *tom. 1. tr. 6. d. 5. pun. 4. num. 21.* & alij.

396 *Hæc teneo, sed ampliora vera.*

Horum doctrinæ adhærens, probabilius existimo, victorem obligatum esse damna Ecclesię innocentibusque Ecclesiasticis restituere. In primis de bonis hostis, si aliqua sint; quia ille causa fuit iniusta horumce damnorum: Dux vero illorum bona occupans eandem contrahit obligationem. Quod si bona hostis non acceperit ad reparationem suæ iniuriæ sufficientia, aliorumque damnorum: crediderim ex propriis bonis illum esse obligatum satisfacere. Quia (vti iam innui) innocens, & qui pars non erat Reipublicæ offendentis, non tenebatur victori suo bona donare, vt ille proprium ius recuperaret. Non enim erat absolute, ac simpliciter pauper, & sufficiebat ea ei mutuare: atque adeo ex tacito contractu mansit obligatus.

Dvbivm LXX.

An Monachi laici, & Clerici in minoribus Ordinibus constituti prohibiti sint propria manu dimicare?

397 *Certa suppono.*

CErtum est, si bellum sit iustum, omnes in eo pugnare, adiuuaréque posse nisi eis specialiter sit prohibitum. Porro Episcopis, Clericis, & Monachis interdictum est propria manu dimicare, vel exercitum ducere. *Cap. Eos qui 20. q. 3. Cap. Clerici, Cap. Quicumque ex Cleric. 23. quæst. 8. Cap. Sententiam, 9. ne Clerici, vel Monachi.* Quæstio autem est, an Monachi laici, & Clerici in minoribus Ordinibus constituti hac prohibitione rigorosa contineantur?

398 *Non sunt prohibiti dimicare.*

Prohibiti non sunt propria manu dimicare. Quia consuetudine receptum est, hos Canones ad illos non extendi. Vnde sicuti laici possunt ad bella procedere. Sic Couar. *ad Clement. Si furiosus, 2. num. 2.* Bonac. *d. 2. de restit. qu. vltim. punct. 12. §. 4.* Lorca 2.2 *sect. 3. disp. 51. num. 12.* Idem docet Suar. *d. 13. de bello section. 3. num. 5.* modo Beneficium Ecclesiasticum non habeant si enim habent, ratione Beneficij ad altiorem Ordinem aspirare debent, aut saltem debent impedimentum non apponere.

399 *Sunt prohibiti.*

Sunt plane prohibiti. Quia de Monachis etiam laicis habetur expresse in *Cap. Eos, qui De Clericis. Cap. Clerici, Cap. quicumque ex Clericis.* Nomine autem *Clericorum* etiam in minoribus constituti intelliguntur. Et quidem Religiosi, & Clerici dicati sunt Deo seruire, à qua professione sæcularis pugna multum reuocat. Item Clerici Christi Domini sunt Ministri, ipsumque repræsentant, quolibet in Ordinum munere, qui proprium sanguinem pro aliorum salute profudit. Ergo eis non licet effundere alienum. Ita nonnulli bonæ notæ Moderni. Molina, & Coninch. *citandi.*

400 *Auctoris resolutio.*

Ego autem quæ didici à Molina *tractatu secundo, disputatione decima octaua*, & Coninch. 2.2 *disputatione trigesima prima, dubio sexto, numero octuagesimo sexto*, teneo, & expono. Clericus in minoribus constitutus priuilegio fori non gaudens ad bellum procedere potest æquè ac laicus. Quia tanquam laicus reputatur (idē de Monacho laico dixerim.) Neque Canones obstant, saltem ex recepta consuetudine. Si autem priuilegio fori gaudeat, prohibetur. Quia cum ex officio deputatus sit Ecclesiæ seruire, indecens est ad malitiam sæcularem se transferre. Non autem videtur hæc grauis culpa, quia longe ille est à ministerio Altāris, & repręsentatione Christi, quod etiam

Suarij, Magistri mei de Beneficiario in minoribus constituto asserendum existimo, peccare inquam, venialiter solum, sed grauius. Quia nullus textus specialiter de eo loquitur. Et quia Beneficium solummodo obligat, vt non apponat ille impedimentum ad officium illud exercendum casu, quo illud velit retinere.

DVBIVM LXXI.

Ad euitandam mortem, ad quam quis est condemnatus, licitene possit acceptare Duellum?

401 *De duello plures recolo.*

REcolo, duellum esse illicitum, si nulla eius legitima causa inueniatur: tunc autem licitum esse sicut bellum, cum legitima aderit occasio. Certe ostentare vires, & voluptatem spectantibus causare, causa est insufficiens. Veritatem aliquam duello firmare, non solum est illicitum: sed & superstitiosum, vindicatio propriæ iniuriæ per duellum est illicita. Defensio honoris proprij, quem videris amittere, si oblatum duellum respuas, non est censenda sufficiens causa illud honestandi: Verum si aliquis tibi minatur mortem, vel grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi duellum acceptes, acceptare illud potes, nisi cum aliquo innocente procuret, vt pugnes. Dubitarim vero, an ad euitandam mortem, ad quam quis est condemnatus, licite possit duellum acceptare? Verbi gratiâ, inique es accusatus, ac condemnatus, vel credis certo te esse condemnandum, & offertur tibi duellum ab accusatore, vel Iudice, si velis à condemnatione liberari acceptare idne potes?

402 *Potes duellum acceptare.*

Potes quidem. Quia tibi licitum est eum occidere, qui tuam vitam, honorem, vel diuitias aggreditur, à cuius aggressione ne quis alia via liberari: sed accusator ille iniquis testibus tuam vitam, honorem, & diuitias aggreditur: ergo potes illum duello perimere, cum non suppetat tibi alia via euadendi periculum. Sic Nauarr. *summ. cap. 11. numer. 39. & cap. 15. num. 17.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 289.* Sanchez *libr. 2. Decal. cap. 39. num. 8.* Coninch. *2. 2. disp. 32. dub. 2. numer. 17.* Molin. *tract. 3. disp. 17. numero 7.* Lessius *libro 2. capite 9. dubio 8. numero 47.*

403 *Non potes.*

Minime potes Iudex in præfato casu duellum tibi offerre, neque tu illud potes acceptare. Quia vel tu es condemnatione secundum allegata & probata dignus, vel non. Si dignus condemnatione es, etsi nullam tibi irroget iniuriam Iudex, vel Princeps, condemnationem debitam in duellum commutans, at grauem irrogat accusatori, quocum duellum inire debes: cũ absq; causa legitima probata, illũ manifesto vitæ periculo permittat exponi. Quod si accusator in illud periculum libere consentiat, esto ei Princeps vel Iudex iniurioſus non sit, est tamen Reipublicæ, cuius gerit administrationem cum absque causa publica, & legitima sibi subditum periculo vitæ permittat exponi. Si autem dignus non es condemnatione, & nihilominus Iudex te vult condemnare, & loco condemnationis duellum offert: adhuc non potes illud acceptare, nisi forte ille, quo duellum est ineundum, dignus condemnatione sit, & in duellum condemnatio eius committeretur, vel te ipsum ille aggrediatur. Quia extra hos casus iniuste illum oppugnas, illumque perimere intendis ob tuæ vitæ conseruationem. Licet enim in aliquo casu tibi permissum sit, innocentem occidere, vt vitam conserues; debet esse casus, ex quo sequatur ea occisio per accidens ad tuam actionem: vt contingit, cum inimicum fugis, & in medio itinere est innocens constitutus, quem perimere debes, si cursum prosequaris. At acceptatio, vel indictio duelli per se inferunt occisionis periculum: Nequeunt ergo libere contra innocentem fieri. Ita Abul. *1. Reg. 17. quæst. vltim.* Salon. *2. 2. qu. 64. num. 3. controu. 3.* Suarius *de bello d. 13. sect. vltim. num. 5.* Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 7. numero 12.*

Placet mihi sententia hæc, sed probabiliori adhæreo primæ adiiciens, non solum licitum esse acceptare duellum, vel illud indicere ad hanc iniuriam propulsandam: sed te posse occulte calumniatorem occidere, si alia via non suppetit periculum euadendi. Quia illa non est occisio, sed defensio. Nauarra, & Sanchez. Imo hi Doctores adiiciunt, te obligatum' esse non acceptare duellum, si calumniatorem secreto interimere potes. Quia sic te non exponis vitæ periculo, & ab alio tollis occasionem nouum committendi peccatum; duellum acceptando, vel offerendo. 404 *Primam sententiam eligo.*

CAPVT XX.

Circa scandalum Charitati contrarium.

DVBIVM LXXII.

An ad rationem scandali sit necessarium esse proximo ruinæ spiritualis, seu peccati occasionem?

NOn est scandalum nisi ruina spiritualis proximi succedat, vel timeatur probabiliter successura. Quia scandalum actiuum, quod proprie est Scandalum, definitur sic: *Est actus minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ.* D. Tho. ab omnibus receptus *2. 2. q. 43. a. 1.* Ergo quando proximo ruinæ occasio non exhibetur, scandalum non est. Ex quo fit, plures coram aliis peccantes à peccato scandali excusari, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles, vt nullatenus, peccatis visis, censeantur ad peccatum moueri: vel ita sunt deperditi, vt peccatum aliorum nihil illos immutet. Sic Nauar. *summ. cap. 6. num. 19.* Sanchez *lib. 1. Decalogi capite sexto, numero septimo.* addit. Si ex 405 *Scandalum non est.*

ex tuo dicto, vel facto nihil aliud præter admirationem, & rumorem in videntibus excitetur, non debere censeri peccatum scandali commisisse. Quia admiratio, rumor, & suspicio de peccato si fundamentum præbes, non est peccatum, & consequenter ruinæ spiritualis proximi causa non existes.

406 *Scandalum est.* Scandalum est, licet ruina spiritualis proximi non succedat, vel probabiliter successura timeatur. Quia si die Veneris (verbi gratiâ) coram aliis carnes comedas non censeberis scandalum dare, siquidem ex illa actione potius excitatur in videntibus horror, & detestatio, sine admiratio conscientiæ tam perditæ, quam propositum vescendi carnibus. Similiter si Religiosus fœminam suspectam frequenter inuisat, alij Religiosi non inde mouentur ad peccatum, sed potius Religiosi libertatem detestantur: & tamen scandalum censetur hic Religiosus exhibere. Ergo ad rationem scandali non est necessarium esse proximo ruinæ spiritualis occasionem. Ita Nauarr. *summ. capit.* 14. *num.* 31. Sylvest. *verb. Scandalum, quæstion.* 2. *fine*, asserentes, Religiosum illum scandalum proculdubio præbere.

407 *Primam sententiam defende.* Ego quidem primam sententiam omnino præferendam existimo. Nam si ex casibus assignatis solum detestatio peccati, vel admiratio oriretur: & ex visitatione fœminæ à Religioso facta, aliquis rumor, ac suspicio nasceretur: censeo nullo modo te peccato scandali delictum. Suarius *disputatione* 10. *de Charitate sectione* 1. *numero* 1. Sancius *select. disputation.* 48. *numer.* 45. & clarius *disput.* 46. *num.* 11. At quia raro contingit ex præfatis actionibus non dari videntibus, aut scientibus alicuius ruinæ occasionem, scilicet viuendi liberius, vel contemnendi Religionem, Religiosasque personas; ideo regulariter apte dixit Nauarrus, scandalum præbere, qui absque necessitate, vel vtilitate alicuius suspectæ mulieris consuetudine familiari vtitur: & qui frequenter Moniales debitam clausuram non obseruantes inuisit: ex qua frequenti visitatione populus arripit occasionem detrahendi, ac murmurandi, etiamsi alioqui caste ille viuat, & recta intentione loca illa frequentet.

Dvbivm LXXIII.

Inducere aliquem ad veniale peccatum ea deprauata intentione, quia malum illius est, potestne solum esse veniale piaculum?

408 *Non potest esse solummodo veniale.* NOn potest esse solummodo veniale, sed mortale necessario est. Quia velle alicui directe veniale peccatum, est velle illi grauius nocumentum quolibet alio temporali, cum veniale peccatum quolibet temporario nocumento sit præferendum. Et quia esto, inducere aliquem ad veniale peccatum, veniale solum sit, at inducere ex affectu illum damnificandi, graue esse videtur: cum eiusmodi affectus non videtur posse nisi ex Dei, aut proximi odio prouenire. Sic Vasquez 2. 2. *disp.* 102. *cap.* 7. *numero* 23. & 24. Coninch. 2. 2. *disputation.* 32. *dubio quinto numero quinquagesimo primo.*

Potest esse veniale solummodo. Quia talis affectus non videtur obiectum graue habere, solum enim pro obiecto habet proximi damnificationem leuem: sicuti si velles, Antonium aliquo peccato leui infici, & ex hoc affectu illi verbum otiosum dicere persuaderes: talis persuasio ex præfato affectu, nullo modo grauis esse videtur. Non enim grauis est ex obiecto, ad quod persuades, cum hoc sit verbum otiosum, neque etiam ex ratione formali persuadendi, cum hæc solum sit veniale peccatum. Ita Diu. Thom. 2. 2. *quæstione quadragesima tertia, articulo quarto*, Nauarr. *summæ capite decimo quarto, numero vigesimo nono.* Azorius *tomo primo, libro quarto, capite vigesimo, quæstione tertia.* Salas 1. 2. *tractatu decimo tertio, disputatione quinta, sectione decima quinta, numero quadragesimo secundo*, Bonacina *disputatione secunda, de peccat. quæstione quarta, puncto secundo, Paragrapho vnico, numero decimo*, Suarius *de Charitate, disputatione decima, sectione prima, numero quarto*, Lorca 2. 2. *quæstione quadragesima tertia, numero sexto.* Sanchez plures referens, *libr.* 1. *Decalog. capit.* 6. *numero* 10.

409 *Solummodo veniale esse potest.*

Ego quidem non leuiter alliciebar, vt primam sententiam eligerem hac ratione illectus: si peccet quis venialiter ex contemptu alicuius beneficii à Deo accepti, ingratitudinem formaliter committit, & tamen ille contemptus mortalis est. Ergo etiamsi ad veniale quis inducat, si tamen inducat ex proximum damnificandi affectu, talis affectus mortalis erit, est enim diaboli proprius. Attamen à communi sententia non discedere statui. Quia ei rationi respondere possum, contemptum beneficij à Deo accepti semper esse grauem; quia tacite Deus contemnitur, cui summa reuerentia debetur, quod in hominibus aliter contingit.

410 *Hanc sententiam probabiliorem esse reor.*

Dvbivm LXXIV.

An qui consulit proximo aliquod peccatum, peccet eadem specie peccati, qua ipse proximus delinquit, debeat id in Confessione explicare?

411 *Non peccat eadem specie peccati.* NOn peccat eadem specie peccati? Quia sequeretur, si proximus peccaret iniustitiæ delicto, verbi gratiâ, furti, vel homicidij, eum, qui consilio, vel opere aliàs prauo illius causa extitit, teneri damna ex tali furto, vel homicidio reparare: consequens est falsum: ergo. Sic Magister meus sapientissimus P. Ioann. de Salas 1. 2. *tom.* 2. *tractat.* 13. *disp.* 5. *sectione.* 15. *num.* 134.

412 *Eadem peccati specie delinquit.* Eadem peccati specie delinquit in Confessione aperienda. Quia si quis consulat proximo aliquod peccatum, illud intendit. Si prauo exemplo proximum ad peccandum inducit, specialem malitiam contrahit in Confessione manifestandam; quia saltem indirecte vult proximi peccatum, illiusque est causa mora-

lis. Ita Vasquez referens 1.2.d.102.c.7.num.33. Bonac.d.2.de peccat.q.4.pun.2.§.vni.n.12. Sāch. l.1.Decal.c.6.n.4. Azor.tom.1.l.4.c.20.q.6. Valent.2.2.d.3.q.18.pun.2.

413 *Hoc vniuersè tenendū esse iudico.*

Mihi (mei Ioannis de Salas venia) videtur pro certo habendum, te peccare illa specie delicti, qua peccat is, cui malum consilium, aut exemplum præbes; quia illud peccatum tibi est voluntariū. Profecto, si consilio vel mādato causa fuisti damnorum illius furti, vel homicidij, haud dubium, quin ea resarcire teneatis; quia tunc directe furto, vel homicidio cooperatus fuisti. At si solum prauo exemplo ad furtum, vel homicidium induxeris, non videris ad restitutionem obligari: quia is, cui damnum est illatum, ius non habet te obligandi ab actione abstinere, ex qua alius tertius sumit occasionem malum inferendi. Peccas tamen contra iustitiam; quia ad hoc peccatum sufficit, si indirecte malum proximi intendatur: seu occasionem illius dederis; sicuti si absque causa iusta aliquem induceres, vt tibi sub vsuris mutuaret peccares contra iustitiam, non quia tibi facis iniuriam: nemo enim se lædere potest Aristotel. *lib.5.Ethicor.cap.6.* Sed quia es occasio, vt alius tibi iniuriam irroget. At restituere non teneris, quia tibi obligari non poteras. Ergo bene poterit quis prauo exemplo contra iustitiam peccare, quin restituere obligetur. Vasquez *1.2.disputation.102.capit.7.numer.21.* Sanchez *libr.1. Decalog. capit.6. numer.5.* Suarius *de Charitate disputation.10. section.2. numer.9.*

Dvbivm LXXV.

Si aliquem induxisti, vt tecum delinqueret: teneriſne in Confeſſione indictionem manifeſtare?

414 *Status quæstionis.*

Circa peccata, quæ sine complice patrari non possunt, requisierim, num quis teneatur in Confessione aperire inductionem, verbi gratiâ, Induxisti aliquam fœminam, vt tecum delicto veneris indulgeret, an teneatis in Confessione aperire inductionem, vel sufficiat dicere, te fornicationis crimen commisisse?

415 *Non teneris aperire inductionem.*

Non teneris inductionem fateri. Quia talis inductio ad peccatum subsequutum refertur: ergo manifestato peccato, ea, quæ ad ipsum referuntur censeri debent manifestata. Ideo enim tactus, oscula, & amplexus præcedentes coitum non obligaris ex communi sententia manifestare, coitu subsequuto, quia ex coitus manifestatione alia manifestata esse censentur. Et quia tota malitia horum actuum sumitur ex obiecto, cuius sunt dispositiones: sed similiter tota inductionis malitia sumitur ex actu, ad quē inducit: ergo manifestato actu, inductio censeri debet manifestata. Sic Vasquez *de pœnit.quæst.91.art.1.dub.4. & 5.numer.34.* & alij.

416 *Aperire teneris.*

Teneris quidem manifestare inductionem. Quia manifestata copula non manifestatur inductio, cum fieri possit, absque inductione, vt regulariter in fœmina contingit, quæ non inducit, sed est inducta. Ita Sanch. *l.1. Decal.c.6. n.14.* Cast. Pal. *tom.1.tr.6.d.6.pun.3.n.4.* Conin. *2.2.d.32.dub.5.n.55.*

417 *Probabilior hac mihi sententia est.*

Satis probabilem primam sententiam esse reor, sed probabiliorem proculdubio secūdam. Monens tamen, in viris, quia regulariter indu. cūt, forte hanc inductionem manifestare, haud fore necessarium; quia subintelligitur, cum non exprimitur contrarium. At si fœmina adeo extiterit impudice, vt virum ad peccandum secum inducat, tenetur aperire inductionem. Nam cum regulariter soleat induci, expresso actu, non censetur inductionem aperiri.

Dvbivm LXXVI.

Præfatum consilium, vel inductio indirecta ad crimen, estne speciale peccatum Scandali virtuti Charitatis, ac misericordiæ contrarium?

318 *Est speciale scandali peccatum.*

Est quidem speciale peccatum scandali aduersus beneficentiam, ac misericordiam. Quia sufficit ad contrahendam alicuius peccati malitiam, si illud intendatur, cui illa malitia est necessario coniuncta. Vt si intendas cum nupta fornicationem, peccas iniustitiæ delicto, intendis enim eam actionem, cui iniustitia est annexa: sed cuilibet proximi peccato est coniunctum damnum ipsius, in quo scandalum consistit: ergo intendens peccatum proximi, peccas scandali delicto. Sic Coninch. 2.2. *disp.31.dub.5.num.45.* Salas *1.2.tract.13.disp.5. sect.15.num.132.& 127.* plures pro hac sententia refert. Suarius *de Charitate, d.10. sect.2.n.3.* Nauarr. *summ.cap.6.num.19.* Valent. *2.2 disp.3. quæstion.18.*

419 *Non est peccatum scandali speciale.*

Non est speciale scandali peccatum, sed generale solum. Vnde consulens alicui, vt peccet, non peccat alia specie peccati, præter illam, in qua est peccatum, ad quod consulit. Verbi gratiâ, Persuades alicui fornicationem, peccas aduersus temperantiam, non aduersus charitatem, & misericordiam, si ruinam proximi formaliter non intendis. Quia si malum proximi specialiter non intendatur, non potest lædi positiuè virtus beneficentiæ, & misericordiæ: beneficentia enim non respicit pro obiecto proprio ipsius benefacere proximo, sed benefacere illi, quia bonum illius est: & misericordia non respicit pro obiecto remotionem mali à proximo, vtcumque, sed quatenus illi est mala. Nam remouere malum, & benefacere proximo æque est obiectum Charitatis, ac misericordiæ, gratitudinis, aliarumque virtutum: ergo vt hæ virtutes distinguantur, necessario concedendum est, misericordiam intendere subleuare miseriam proximi, quia talis subleuatio bona est illi: ergo actus, qui positiue debet opponi huic virtuti, necessario debet esse actus qui velit, miseriam proximo inferre, quia mala illi est. Ita Vasquez *1.2.d.102.c.4.* Sanchez *l.1. Decal.c.6.n.3.* Azorius *tom.1.l.4.c.7.q.1.& cap. 20.q.6.& tom.2.l.12.c.16.q.2.& 4.* plures citās. Salas *tom.2.tr.13.d.5.sect.15.num.124.* Valde probabile reputat Bonac. *de peccat. d.1.q.4.§. vni.n.13.* Et est sententia expressa D. Tho. *2.2. q.43.a.3.*

Hanc

410 *Hanc eligo sententiam.*

Hanc eligo sententiam, eam ab inconuenientia confirmans. Quia ex oppositâ sequeretur, consulentem alicui fornicationem, (v.gr.) grauius peccare quam ipse, qui fornicationi dat operam. Nam qui fornicatur solùmodo aduersus temperantiam delinquit: at qui consulit, non solum aduersus temperantiã, sed etiam aduersus misericordiam, vel charitatem peccat: ergo grauius delinquit. Peccat, inquam aduersus temperantiam, quia est causa fornicationis alterius: & peccat aduersus misericordiam, vel beneficentiam, quia damnum infert. Ergo ne sic peccata multiplicentur, dicendum est, consulentem fornicationem, non delinquere aduersus charitatem, nec aduersus misericordiã, quoties malum, quatenus malum est, non intendit.

Dvbivm LXXVII.

Ex peccato publice patrato oriturne scandali malitia in confessione manifestanda?

421 *Non oritur.*

NOn oritur. Quia publice delinquẽs, ignorat, quisnam ex prauo eius exemplo mouendus sit ad peccandum: aut quænam peccata ea occasione perpetranda sint: ergò prauum illud exemplum scandali malitiam habere non potest. Consequentiam probo, quia nullam quis malitiam potest contrahere, quin prius illam cognoscat, & sibi repræsentetur: cum autem nulla malitia ei repræsentetur specialiter nullam specialiter contrahit. Dicere autem, quod omnes contrahat malitias, ridiculum videtur. Sic Nauar-*sum.c.*14.*n.*33. Vbi ad lethale peccatum scandali requirit certam aliquam personam esse inducendam: neque sufficere, ait, credere aliquem generaliter peccaturum. Sicut nec sufficit ad peccatum suspicari, aliquẽ male viuere in Oppido, & si nulla sit ad male suspicandum ratio *cap. Ofius, de elect.* Esset tamen peccatum, si in particulari de aliquo male suspicaremur.

422 *Oritur profecto.*

Oritur quidem generalis scandali malitia in Confessione aperiẽda. Quia negari nõ potest, peccatũ in publico cõmissum de se ad malum mouere, ingenerareque virtutis contemptum ac ad liberius viuendum excitare: & per accidens omnino esse, si nullus ex illo moueatur: per se tamen esse, vt moueantur aliqui: ergo iã peccans mali huius causa existit. Quod vero in particulari nesciat, ad quodnam peccatum videntes mouendi sint, & qui sint mouendi, non obstat, quominus determinatam malitiam scandali ille contrahat. Ita Sanch.*l.*1. *Decal.c.* 6.*n.*7.& 20. Azor.*to.*2.*l.*2.*c.*16.*q.*3. Bannes 2.2. *q.*43.*a.*4. Petr. de Ledes.*tom.*2.*sum. tract.*4. *c.*5. *dub.*3. Bonac.*dub.*2.*de peccat.qu.*4. *pun.*2.§. *vnic.num.*41.

423 *Hoc omnino dicendum existimo.*

Hoc omnino dicendum existimo, primamque sententiam improbabilem esse reor. Nam si aliquos quis sine vlla determinatione persuaderet, vt peccatum mortale committerent, talis persuasio, & vna est, & vnam malitiam habet, licet obiectum nimis commune esse videatur, atque confusum. Si requiras autem, quænam hæc malitia sit? Credo esse malitiam reductiue aduersus charitatem, Charitas enim vt Regina omnium virtutum obligat, ne fiat aliquid, quo Deus offendatur, & eius diuina deperdatur amicitia. Ergo qui daret occasionem, vt offendatur Deus, & eius amicitia dissoluatur aduersus charitatem procedit. Igitur peccato scandali delinquit. Ex quo fit obligatum esse, fateri in Confessione, se publice peccasse. Quia cum non sciatur, quot personæ ex illius prauo exemplo mouendæ sint, debet periculum explicare. Si enim sciret quot personæ mouerentur, & ad quę peccata: & numerum personarum, & peccatorum speciem explicare teneretur: alias non satisfaceret, siquidẽ peccatorum non declarat speciem, neque numerum exponit. Sanch.*l.*1. *Decalog.capit.*6.*num.* 10. Bonacin. *de peccat. dub.* 2. *quæstion.*4. *pun.* 2. *Paragrapho vnic. numer.* 11. & alij communiter.

Dvbivm LXXIII.

Licitumne est offerre peccandi occasionem, vt te indemnem serues vel vt peccator deprehensus efficacius corrigatur?

424 *Nonnulla suppono.*

SVppono peccare eum, qui permittit peccatum alterius, vt deprehensus in illo puniatur. Quia non videtur hæc sufficiens causa honestãdi permissionẽ: pœna enim non est per se digna, vt appetatur, cum solum ob peccatum possit imponi: imo cum antecedenter ad peccatum pœnam peccati ille intendat, tacite ipsum peccatum censetur intendere. Medi. *C.de rest.q.*12. Sanch.*l.*12.*de matr.d.*12,*n.*52. Bonac. *d.*2.*de peccat.q.*4.*pun.*2.§.*vni.n.*28. Verum qui permittit peccatum alterius, vt sic deprehensus corrigatur: licite agit. Quia tunc videtur sufficiens causa honestandi permissionem correctio absoluta delinquentis. Nauar.*sum.c.*17. *nu*12. Valent.2.2.*d.*5.*q.*6.*pun.*5.*dub.*7. Sanch.*l.* 10.*de matr.d.*12.*n.*52. Debet tamen ferè certo de emendatione futura constare. Cæterum vt quis se indemnem asseruet, poterit delictum permittere, seu non tollere ab alio delinquendi occasionem, cum possit. Qua ratione poterit maritus conscius secreto adulterij vxoris, id permittere, & adhibere secum testes, quibus valeat delictum probare & diuortium gerere. Quia cum grauissima viro irrogetur iniuria, si vxor adulterium perpetret, cogatur simul cum illa habitare: poterit hanc propulsare iniuriam, & cum non apparuerit alia via commoda, qua propulsare valeat nisi peccatum permittendo, & adhibẽdo testes, licebit permittere, ac testes adhibere. Navarra *de rest.l.*3.*c.*4.*n.*104. Sanch. *ibid.num.*52. Móli.*tr.*3.*de iust.d.*55. Hæc mihi certa. Dubito vero, an ob prædictos fines licitos, licitum etiam erit offerre delinquentibus occasionem delicti committendi?

425 *Licitum nõ est.*

Licitum non est. Quia id non est permittere malum, sed ad malũ cooperari. Sic Sà *v. Peccatum,n.*7. Sanch.*l.*10.*de matr. d.*12. *n.*53. Bonac.*de peccat.d.*2,*q.*4.*pun.*2.§.*vni.nu.*28.& 34. Vnde hic & Sanchez inferunt, non licere marito paciscí cum vxore, vt amasio eius castitatẽ violare tentanti conniueat, concedens tempus,

& locum, non vt adulterium gerat, sed vt in crimine deprehendatur. Quia talis oblatio est tacita, imo expresse adulterij intentati acceptatio, quod de se est illicitum.

426 *Licitum est.* Licitum est, sed raro offerre delinquentibus peccandi occasionem. Quia offerri potest occasio medio aliquo indifferenti; vt contingit, si pater volens deprehendere filium furantem, relinquet clauem in arca quasi oblitam, apponatque nummos in eo loco, quo commode illos possit arripere, & surreptionis conuinci: tunc, inquam, actionem præstat indifferentē. Ita Nauarra *l.3.de rest.c.4.p.1.dub.vlt.nu.*104. Sanci. *in select. dub.* 35. *fine*, cum aliis, quos refert.

427 *Auctoris resolutio.* Profecto si mulier solicitata ab aliquo, cuius non valet importunitatem repellere, aliqua æquiuocatione vtatur, qua solicitanti videatur annuere, in re tamen non annuat, non videtur peccare. Nam si dicat solicitanti: Placet, vt tali hora, venias, ostium erit apertum: verba indifferentia sunt; & licet sonent solicitanti adulterij acceptationem, at re vera acceptatio nō sunt: ergo licite poterit illis vti, cum sufficientem causam habeat vtendi æquiuocatione. Hæc quidem aliquo modo probabilem videntur reddere secundam sententiam non solum in foro externo, in quo talis consensus non obstat accusationi adulteri: sed etiam in foro conscientiæ. Attamen primam sententiam amplector, & an secunda sufficienti probabilitate nitatur Doctorum iudicio submitto.

Dvbivm LXXIX.

Licetne persuadere minus malum, parato maius committere?

428 *Nonnulla pramitto.* Si recta via quis possit diuertere proximum à grauiori peccato committendo, non licet ei minus peccatum suadere. Determinatum occidere Antonium, non licet ad vulnerationē Pauli incitare. Determinatum vni ex pluribus iniuriam inferre, non licet inclinare in aliquē illorum, tametsi minus malum quam alij patiatur. At determinato graue malum perpetrare, licitum est materiam minoris proponere, vt sic alliciatur ad maius malum omittendum. v. gr. Sodomiam intentanti licebit tibi materiam fornicationis illi proponere. Quia huiusmodi propositione non inducis eum ad fornicationem, sed solum viam ostendis, qua grauius malum valeat euitare. Valent. 2.2.*d.*5. *q.*21. *punct.* 4. Sanch. *l.*7. *de matr. d.*11. *n.*19. Hęc certa mihi. Dubito autem, num determinato graue peccatum facere, liceat expresse consulere, ac persuadere, vt minus efficiat, si alia via diuerti non possit?

429 *Licet persuadere minus malum.* Licet quidem. Quia non persuadetur minus malum absolutè, sed sub cōditione, quod aliud grauius esset perpetrādum. Sed casu, quo grauius ille esset effecturus, bonum est, illi persuadere vt minori malo sit contentus. Quia in hoc eius & Dei negotium vtiliter geritur. Sic Sanch. plures referens *l.*7. *de matr. d.*11. *num.*15. Lessi. *l.*2. *c.*13. *dub.*3. *nn.*19. Rebel. *l.*2. *q.*14. *sect.* 4. *n.*21. Moli. *to.*2. *d.*335. *n.*3. Bonac. cum aliis *d.* 1. *de rest. q.*2. *p.*7. *n.*8. Vasq. *Opusc. de scand. dub.* 1. & 2. Basil. Legion. *lib.*5. *de matr. cap.*18. §.5. *num.*26.

Minime licet. Quia illud consilium de minori malo absolute est de malo: comparatiuum enim positiuum supponit, sed cōsulere absolute malum, est illicitum: ergo. Ita Caiet. 2.2. *qu.* 78. *a.*4. *not ab.*3. Couar. *l.*4. *Decretal. p.*1. *cap.*4. *n.* *vlt.* Syluest. *v. Matrimonium*, 7. *q.*5. *dicto.* 9. Sà *v. Peccatum, n.*8. Valent. 2.2. *d.*5. *qu.*21. *punct.*4. Conrad. *de contract. q.*26. *coral.*1. & 2. quæ infert *ex* 2. *concl.* 430 *Non licet.*

Ego existimo in primis, priorem sententiā esse veram, si quis consulat, & persuadeat minus malum ei, qui non solum grauius, sed etiam minus paratus erat perpetrare. Quia in hoc casu non consulit, aut persuadet ad minus malum, sed ad carentiam præcisè maioris, neque determinat delinquentis voluntatem ad minus malum, sed potius retrahit à grauiori committendo. Deinde putarim nulli licere consulere minus malum ei, qui paratus non erat illud efficere. Vnde non licet fornicationem suadere ei, qui paratus erat committere adulterium. Quia iam illius peccati consulens causa est, & vere peccatorem ad illud inducit, etiamsi recto fine procedat: ergo delinquit. Profecto peccator ille non recto medio vtitur ad vitandum malum grauius, operando minus. Ergo neque alius recte illi consulit cum consulat minoris mali operationem. 431 *Auctoris sententia.*

Dvbivm LXXX.

Potestne quis volenti surripere pauperi nummos, rogare, vt diuitem surripiat, non determinando diuitis personam?

Potest quidem sine piaculo. Quia tunc nullius damni videtur esse causa, damni pauperis repulsor. Et quia nō inducit ad aliquod peccatum ad quod fur ipse inductus non sit; sed potius eius prauam voluntatem temperat. Ipse enim cum ad furandum à paupere, inductus etiam sit, absolute inductus est ad furtum committendum. Ergo cum quis eum rogat, vt à furto pauperis abstineat, & furtum diuitis exequatur, & non determinat cui diuiti inferendum sit illud damnum, relinquit eius voluntatem in prioris determinatione: ergo non delinquit. Sic Sanch. *libr.*7. *de matr. d.*11. *n.*24. Moli. *to.*1. *d.*335. 432 *Potest sine peccato.*

Minimè potest. Quia illius consilium tendit, ad commutandam prauam voluntatem furis non in aliquod bonum, sed in aliud malum, etsi minus: tendit enim loco furti faciendi pauperi, subrogare furtum diuiti irrogandum: ergo prætendit ad aliud furtum ab eo, ad quod fur erat determinatus, determinare: ergo peccat; esse enim personam diuitis indeterminatam non obstat quominus furtum, ad quod inducis aliud sit ab eo, ad quod erat primo fur determinatus, à quo ille prætendit remouere. Ita Ferpin. de Castro *to.*1. *tr.*6. *dub.*6. *punct.*7. *numer.*12. 433 *Non pot.*

Porro

414 *Auctoris diſtinctio.*

Porro in hoc caſu dupliciter ſe conſulens habere poteſt. Vel conſulendo abſolute furtum diuitis, vel illud proponendo. Si ſolum proponat conuenientiam, quę in anteponendo pauperę diuiti relucet: vt ſi dicat, Minus peccatū eſt, minorque iniuria diuiti irrogatur, quam pauperi: ac proinde caſu quo vnum illorum gerendum ſit, minus malum eſt, eligere furtum diuitis quam pauperis: nullam exiſtimo eſſe culpam in tali repræſentatione. Quia ibi tunc non eſt conſilium, neque inductio, vt de ſe cōſtat. At ſi verè inducit ad diuitis furtum proculdubio peccat, ob ſecundæ ſententiæ appoſitam rationem. Addiderim, ſi induceresad furtum determinando diuitis perſonam, omnes, præter Vaſquium, conueniunt, te peccaturum, quia iniuriam irrogares illi diuiti, eo quod cauſa determinata fores illius damni, quod aliàs nō eſſet perpetrandum, ſi tuum conſilium non adeſſet. Sed quando non determinas perſonam diuitis, etiam es cauſa damni etſi non determinati, vagè ſumpti, hoc eſt, huius, vel illius diuitis. Ergo peccas. Merito enim omnes diuites de te conqueri poſſunt, quod voluntatem furis ad illos inclinares, aliàs non inclinandam.

Dvbivm LXXXI.

Qui conſilium præbet furi, vt potius à diuite (indeterminato quidem) quam ab inope furetur: huius conſilij ratione tenetur̃e reſtituere, ſi alicui diuiti furtum ſit effectum?

415 *Non tenetur.*

NOn tenetur. Quia conſilium bonum eſt in ſubſtantia, cum ſit de minori malo maioris comparatione: & ſolum ſit malum in modo, quia eſt contra charitatem, quæ obligat, vt omnia mala vitentur. Sic Sanch. *libr. 7. de matr. d. 11. n. 23.*

416 *Tenetur quidem.*

Tenetur reſtituere, ſi diuiti factum eſt damnum. Quia fuit poſitiua illius cauſa. Nam licet non fuerit cauſa, vt huic diuiti potius, quā alteri damnum ſit illatum; quia tamen cauſa fuit, vt alicui diuiti fieret, conſequenter fuit cauſa huius in particulari. Ita Caſtro Palao *to. 1. tr. 6. d. 6. pun. 6. n. 13.*

417 *Idem defēdo.*

Sapientiſſimo ac amiciſſimo adhæreo Doctori. Quis etenim neget, te obligatum eſſe reſtituere, ſi aliquem non cogitantem de furto gerendo ad furandum inducas, etſi innominata perſona, cui debeat furtum fieri? Ergo hæc vniuerſalitas non tollit obligationem.

Dvbivm LXXXII.

Mulier ſe ornans, & virorum offerens aſpectui ſciens ab aliquibus turpiter ſe amari poſſe, perpetratne ſcandali peccatum?

418 *Perpetrat quidem.*

PErpetrat quidem. Quia dum ſe videndam offert ſciens ſe turpiter diligi poſſe, cauſa videtur eſſe peccati: nec eiuſmodi ſcandalum iudicandum eſt eſſe paſſiuum, ſed actiuum omnino. Sic plures Theologi antiqui, ac moderni non immerito.

419 *Non perpetrat.*

Minimè perpetrat. Quia ſunt mulieres innumeræ ſeſe ex ingenio muliebri ſuperfluè ornantes, & vix de vlla affirmari poteſt, grauē occaſionem peccandi tribuere. At ſi alicui ſcādalum exhibeant præter earum intentionem, paſſiuum proculdubio erit. Ita Nauar. *ſumm. c. 23. n. 29.* aſſerens huiuſmodi peccatum minime eſſe fœminæ tribuendū, etiāſi nuda pectora oſtentet, vt pulchrior appareat. Caiet. *2. 2. q. 169. a. 2.* Sanch. *l. 1. Decalog. c. 6. n. 17.* Bonac. *de matrim. q. 4. pun. 9. n. 17.*

440 *Hoc aſſerēdum eſſe puto.*

Si ornatus eſt iuxta perſonæ qualitatem, & communem vſum, nullum reor eſſe peccatum ſe ita ornare, & aſpectui virorum offerre, modo abſit praua intentio, etiamſi ſciat, turpiter ab aliquo eſſe amandam. Eſſet enim graue onus, mulieres obligare ſemper inornatas procedere, vel domi eſſe recluſas. Quod ſi ſuperfluus ſit ornatus, non puto ex hac parte peccatum mortale committi, ſed veniale ſolū. Mecum Caſtro Palao *p. 1. tr. 6. d. 6. pun. 7. num. 1.*

Dvbivm LXXXIII.

Fœmina è domo egrediens, ſtans ad oſtium, vel feneſtram ſciens, ab adoleſcente turpiter eſſe amandam, nulla cauſa honeſta exiſtente committitne delictum ſcandali?

441 *Non committit.*

NOn committit. Quia durum eſt fœminam libertate propria priuare, & iure, quod habet è domo egrediendi, ſtandi ad oſtium, vel feneſtram ob malitiam adoleſcentis etiam turpiter amantis. Caiet. *2. 2. q. 154. a. 4. & 169. a. 2. ad 5.* Armil. *ſum. v. Ornatus, n. 3. & v. Scandalum, num. 3.*

442 *Committit quidem.*

Committit profecto ſi nulla neceſſitate, vel vtilitate, ſed ſolum vanitate ducta, aſpectui viri eam turpiter adamantis ſe offerat. Quia ex obligatione charitatis quilibet tenetur euitare proximi ruinam, ſi commode poſſit. Poteſt autem commode, quando abſque iactura alicuius rei neceſſariæ, vel vtilis poteſt. Ergo tenētur. Ita Sanch. *l. 1. Decal. c. 6. n. 16.* excuſans fœminā à mortali ob cauſam neceſſariam vrbanitatis, ne ſcilicet inurbana cēſeretur, ſi vicinas, vel amicas non inuiſeret. Vaſq. *1. 2. qu. 43. a. 8. d. 2. n. 27.* Ludou. Lopez *p. 1. Inſtruct. c. 20. fine.* ſolum obligat eam ſe ſemel aut iterum domi continere. Strictius loquitur Caſtro Pal. *p. 1. tr. 6. d. 6. pun. 7. n. 3.*

443 *Auctoris reſolutio.*

Ego quidem exiſtimo cauſam iuſtam adeſſe debere. Non autem iudico cauſam eſſe iuſtam exercitium libertatis vtpotè bonis, ac pravis actibus commune. Fateor ingenue non debere fœminam ob adoleſcentis malitiam abſolute exeundi, ac procedendi per plateas libertate priuari, quia priuatur re ſibi vtili & ſæpe neceſſaria?

Dvbivm

Dvbivm LXXXIV.

Vendit, vel subministrat quis indifferentia quibus proximus potest sumere occasionem delinquendi: teneturne ea illi non vendere, aut subministrare, si credat, eum illis male vsurum?

444 *Nonnulla præmitto.*

INdifferentia vocito ea, quæ bono, ac malo vsui possunt deseruire. Exhibeo in exemplũ Idoli venditionem. Nam si Idolum vendatur vt in atiquitatis memoriam asseruetur, & in cœcitatis detestationem: bona erit venditio. Si verò vendatur, vt cultum accipiat, mala erit. Ex indifferentibus alia sunt, quæ omni tempore in malum destinantur, alia quæ aliquo tempore, alia quæ potius in bonum. Venditio veneni, Idoli, clauis falsæ regulariter omni tempore malum seruiunt in vsum: esto aliquibus personis in bonum valeant deseruire. E contra venditio armorum, animalium, & aliarum rerum, quæ communiter assolent venundari, in bonum vsum destinantur, licet aliqui eis abutantur. Carnium comestio in Quadragesima omnibus communiter prohibetur, ac proinde earum præparatio ac venditio communiter illo tempore malum destinantur in vsum. At si res in bonum vsum communiter ordinãtur, licet cuique vẽdere, ac subministrare, modo de petentis abusu futuro non constet. Si verò credat, proximum iis indifferentibus male vsurum, quæsierim, an quis teneatur, si commodè possit ea illi non vendere?

445 *Nõ tenetur eas illi non vendere.*

Non tenetur. Vnde tabernarij & caupones possunt libere cibaria ministrare, ac vendere iis, qui ieiunia soluunt. Quia neque inducunt ad ieiunium violandum, & actionem de se honestã deseruientem naturę sustentationi gerũt. Sic Manu *to.1.sum.c.23.n.8.* Caiet. *2.2.q.147. a.4.* Petr. de Ledes. *to.2.tr.27.c.2. dub.4.* Salon. *2.2.q.147.a.4.fine.*

446 *Tenetur omnino.*

Tenetur quidem, si commodè possit, ea illi nõ vendere, vel subministrare. Quia cum ex charitate obligetur proximi peccatum impedire, si possit à fortiori obligatur, materiam peccati non ministrare. Ita Sylvest. *v. Infidelitas, qu.4.* Suar. alios referens, *de Charit. d.10. sect.4.n.4.* Sanch. *l.1. Decal. c.7.n.34.* Castro Palao *tom.1. tr.6.d.6. pun.8.n.9.*

447 *Probabilior mihi sententia hæc.*

Hanc sententiã veriorem esse credo, dummo commode fieri valeat. Nam si absque detrimento tuo non possis ab earum rerum subministratione, vel venditione subtrahi, nõ peccat subministrando, vel vendendo. At illi talis subministratio vtilis, vel necessaria est, causare peccatum alterius non censetur, sed potius iudicatur vendens, vel subministrans iure vti suo, & peccatum alterius permittere. Mecum Sanchez *lib.1 Decalog. capite septimo numer.9.11.& 34.* Suar. *eod.c.10. sectione quarta numero quarto* Bonacin. *disputatione secunda de peccat. quæstione quarta puncto secundo Paragrapho vni. numer.17.*

Dvbivm LXXXV.

Ministrans indifferentia excusaturne à graui scandali peccato, eo quod proximus aliàs erat præceptum transgressurus, etsi ei ille ea indifferentia non ministraret?

448 *Quæstionis status.*

CAsum propono. Violaturus erat Antonius ieiunium, etsi tu illi cœnam non apponeres: vel Petrum occisurus, etsi gladium nõ ministrares: patraturus furtum, licet ei scalã non adhiberes. Quæsierim. An Antonius à lethali peccato scandali excusetur, apponendo cœnam, porrigendo gladium, scalam adhibendo?

449 *Excusatur quidem.*

Excusatur quidem. Quia illæ actiones de se malæ nõ sunt: aliàs nunquã possent honestari: Ergo solum sunt malæ, quia mouent, ac adiuuant in mala operatione. At hoc non contingit, quando ipse operans eodem modo male esset operaturus excluſis ministrantis actionibus, ac illis positis: ergo illæ actiones non vidẽtur malæ operationis causa existere. Sic Manu. *to.1.sum.c.23.n.8.* Petr. de Ledes. *to.2.sum.tr. 27.c.2.dub.4.* Less. *l.4.c.2.dub.4. n.24.* Caiet. *t. 2.q.147.a.4.*

450 *Non excusatur.*

Nõn excusatur à mortali peccato scandali ex eo quod proximus aliis actionibus esset vsurus, si ministrantis illius actiones non adessent. Quia hæc conditionalis non tollit, quominus causa sit illius peccati, & sit eodem modo causa, ac si proximus aliis actionibus adiutus peccaturus non esset: Nam si proximus (v.gr.) alibi non esset ieiuniũ soluturus, & tu nulla causa intercedente, cœnã ei subministras, fere omnes cõueniunt, te peccaturũ, quia aliquo modo ad alterius peccatum concurris. At quod alias proximus sit ieiunium soluturus, non immutat tuum concursum, qui in subministratione cœnæ consistit. Ergo eodem modo concurris. Ita Suar. *d.10. de charit. sect.3.n.2.& sect.4.n.5.* Castro Pal. *to.1.tr.6.d.6. pun.9.n.4.*

451 *Communis opinio.*

Cum his opinor. Quia tota malitia eiusmodi actionum indifferẽtium sumitur à peccato, ad quod adiuuant, cum autem hoc graue sit (vt supponimus) semper debet grauem malitiam adiicere. Ergo vel esse alias peccaturum proximum excusat, ne peccatum proximi iis actionibus indifferẽtibus malitiam tribuat: vel si non excusat, non poterit illam imminuere. Addo, esse proximum eodem modo peccaturum, esto tu necessaria ad peccatum non ministres, est contingens & forte ita non erit, poterit enim alia via impediri à peccato, vel Dei inspiratione remoueri, quantumuis modo sit determinatus. Ergo quãtum est ex te, teneris hunc effectum bonum possibilem promouere, & impedimentum ei non apponere.

Dvbivm LXXXVI.

Potesne inuitare ad cœnam eum, qui paratus erat soluere ieiunium?

452 *Potest plane.* POtes quidem. Quia inuitas ad cœnam, non quatenus est solutio ieiunij sed quatenus est humanæ naturæ sustentatio. Item inuitas vsurarium ad præstandū cum vsuris, & non peccas, Quia paratus est præstare. Sic Nauar. *sum. c.* 21. *n.* 23. & 24. Caiet. 2. 2. *qu.* 147. *a.* 4. & alij.

453 *Non potes.* Minime potes inuitare ad cœnam eum quem scis paratum esse soluere ieiunium. Quia inuitas ad actum, à quo non potest malitia separari. Ergo peccas. Quid ergo interest actui esse malum ex obiecto, vel esse malum ex præcepto, si de facto ab illo malitia non potest separari? Ergo cum ab hac cœna, ad quam inuitas separari malitia nequeat inuitando ad cœnam ad malum inuitas: ergo delinquis. Ita Vasquez *de scandalo quæstion.* 43. *artic.* 1. *dub.* 3. *numer.* 17. Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 6. *punct.* 10. *numer.* 2.

454 *Hanc sententiam amplectitur.* His hæreo Doctoribus. Peccas nāque, licet inuites ad cœnam, quatenus est naturæ sustentatio, quia ab illa cœna tali tempore facta inseparabilis malitia est. Sicuti delinquentes, si ad fornicationem inuitares, licet solum inuites, quod sit coitus aptus generationi. Profecto optime potest peti ab vsurario mutuum, quia non petis rem, à qua malitia separari non valeat; in mutuo enim hic & nunc concesso nō inuolnitur malum vllum: at à cœna, quam petis, haud potest malitia separari.

Dvbivm LXXXVII.

Cum quis petit rem indifferentem, excusaturne à peccato scandali, si proximus omnino paratus sit peccare, attamen ad id petendum causa rationabilis non adest?

455 *Status quæstionis.* PRocedit quæstio de inductione indirecta, scilicet petendo rem indifferentem. Petrus v. gr. à Ministro peccatore petit sibi Sacramenta ministrari, quæ scit in peccato ministraturū. Petit ab vsurario mutuum, quod scit, absque vsuris non concedendum. Quæsierim itaque, an si causa rationabilis non adsit, id petens à peccato scandali excusetur?

456 *Excusatur.* Excusatur quidem. Quia petit, quod sibi est vtile, & alius rectè præstare potest se disponēdo ad Sacramēta digne ministranda, mutuum sine vsuris conferendo. Quod si non præstet, sibi debet imputare. Sic D. Tho. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. Caiet. *ibi.* Nauar. *sum. c.* 14. *n.* 39. & *c.* 17. *nu.* 262. Sotus *l.* 9. *de iust. q.* 1. *a.* 5. Sà *v. Peccatum, n.* 12. *in addit.*

457 *Non excusatur.* Non excusatur, si rationabilis causa ad petendum non adsit. Quia si æque bene, & facile ab alio Sacramentum, vel mutuum quis potest accipere, non video, quonammodo ille à mortali piaculo excusetur: siquidem causa est, quod alius hic & nunc mortale peccatum cōmittat, aliàs nō cōmissurus. Ita Vasq. *de scand. p.* 43. *a.* 8. *dub.* 3. Bonac. *d.* 2. *de peccat. q.* 4. *pun.* 2. § *vni n.* 2. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 21. *punct.* 4. Nauar. *sum. c.* 21. *n.* 26. Suari. *to.* 3. *in* 3. *p. d.* 81. *sect.* 1. *corollar.* 2. & *de Charit. d.* 10. *sect.* 3. *n.* 2. Sanch. *lib.* 1. *Decal. c.* 7. *n.* 15.

458 *Hanc præpono sententiam.* Hanc sententiam lubens præpono. Quia Dei amor, & misericordia in proximum nos obligat vitare, quantumcumque alius ex malitia delinquat, eius piacula, quæ cōmode possimus. Vnde non approbo, quod Caietanus & Nauarrus edocent, esse solummodo veniale peccatum petere mutuum ab vsurario, si ad expendendum in ludis, & negotiatione superflua fiat. Quia tunc nulla est causa permissionem piaculi honestans, vt apte Basi. de Leon. *l.* 5. *de matr. c.* 18. *n.* 50. aduertit.

Dvbivm LXXXVIII.

Petit dominus libidinem aggressurus famulum, vt eum custodiat, si forte aliquis damnificare intendat: licitumne est eum custodire?

459 *Nonnulla suppono.* SVppono illicitum esse, si custodia dirigatur, vt famulus, vel amicus comitans inuadat alios concubinæ competitores cum illis pugnaturus. Quia hoc de se constat esse intrinsecè malum. Quid autem si solum custodiat herum vel amicum, si forte aliquis ei damnum inferre intenderit: vel moneat, vt aufugiat, cum adest, qui illum offendere possit? Estne licitum?

460 *Licitū est.* Licitum est. Quia est quid indifferens eiusmodi custodia. Sic Sanchez *lib.* 3. *Decal. capit.* 7. *num.* 23.

461 *Non est licitum.* Non est licitum. Quia tali securitate ex custode adhibita, dominus, vel amicus ille maiori libidine dat delicto operam, quam si timore agitaretur: Ergo non est licitum eum tunc custodire ac securiorē reddere. Ita Ferdin. de Castro *to.* 1. *tr.* 6. *d.* 6. *pun.* 21. *n.* 6. adiiciens famulo, vel amico comitanti maximam causam necessariam esse, vt id licite gerat.

462 *Idē affirmo.* Profectò famulus, vel amicus sic comitans maximo sese periculo exponit, non solum dominum vel amicum defendendi, sed etiam excedendi defensionis modum: & ex alio capite, (vt dixi) tali securitate posita, dominus, vel amicus liberius in libidine excedit. Vnde existimo cum Ferdinando de Castro, maximam causam esse necessariam, qualem esse iudico, si famulus, aut amicus timeret non obediendo, vel annuendo grauē iacturam in bonis fortunæ, vel honoris, vel corporis futuram timeret. Leuiorem enim causam sufficientem esse non iudicarim.

Dvbivm XC.

Cogitur quis scribere, aut deferre amatorias litteras turpia continentes: liberaturne à scandali peccato?

463 *Liberatur quidem.* Liberatur quidem. Quia hæc non videntur intrinsecè mala, si absit à deferente vel scribente malus finis. Turpia enim verba scribi possunt sicuti Doctores scribunt ad ponderandam malitiam illorum, qui ea malo proferunt ex fine: possuntque scribi, & dici non tanquam ex proprio marte, sed ex alieno. Item nó serio, sed irrisorie. Ergo scribere hæc verba turpia de se non est intrinsece malum; quia solum sunt turpia, & mala, quatenus prauo procedunt ex animo, & prauum diriguntur in finem. Ergo excluso hoc animo, & fine, mala esse non videntur; & à fortiori non erit intrinsecè malum, scripta illa ad concubinam deferre; poterit enim illa deferre, non vt excitetur ad venerem, sed vt illam irrideat. Actio igitur illam deferendi quatenus à deferente (non à mittente) procedit, bono vsui potest deseruire. Idem videtur dicendum, de scriptis ad duellum prouocantibus. Sic Sà *v. Peccatum, num.* 9. excusans famulos has litteras amatorias deferentes. Castro Palao *to.* 1. *tr.* 6. *d.* 6. *punct.* 11. *n.* 7. dubius hæret, an sit hæc sententia satis probabilis.

464 *Non liberatur.* Non liberatur. Quia verba turpia sunt intrinsecè mala nisi inter coniuges, aut sponsos de futuro: ergo idem erit de scriptis. Idem à fortiori dicendum de scriptis ad duellum prouocantibus, qualia essent, si in eis diceretur: conueniamus cras tali hora, & tali in loco pugnaturi. Quia hæc nullo bono vsui possunt deseruire. Ita Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 7. *n.* 26. Bonac. *d.* 2. *de matr. q.* 4. *pun.* 14. *n.* 6. Rebel. *p.* 1. *de iust. l.* 2. *q.* 14. *num.* 53.

465 *His hæreo.* His hæreo. Existimo, hæc prorsus esse illicita, neque vnquam honestari posse. Scio doctos aliquos primæ sententiæ fauere Neotericos. Quibus si velis morem gerere, tibi firmiter persuade, hęc nunquam honestari posse, nisi vrgens causa intercedat. Crediderim verò si dubium negatiuũ, vel probabile sit, an hæc scripta contineant verba ad libidinem, vel duellum inuitantia, posse famulum deferre; quia in casu dubij ratione subiectionis potest; imo pluribus Doctoribus placet, obligatum esse obedire. Rebel. *parte prima libro secundo quæstion.* 14. *numer.* 53.

Dvbivm XCI.

Remigantes in Turcarum triremibus ob mortis timorem possuntne à peccato scandali excusari?

466 *Excusari non possunt.* Excusari non possunt. Quia bello iniusto, rapinæ, & innocentum grauí incommodo cooperari, est intrinsece malum: sed illi captiui remigantes hanc videntur cooperationem præstare. Ergo quod malum intrinsecè est, gerunt: ergo nequeunt à peccato scandali excusari. Sic Vgolin. *de cens. Papæ reseru. p.* 2. *capit.* 3. §. 2. Tolet. *summ. in expos. Bullæ Cœnæ, excom.* 5. Nauar. *sum. c.* 2, *n.* 6. Suar. *to.* 5. *in* 3. *part. d.* 21. *sect.* 2. *num.* 60. Pedraza *Ad andato* 7. *numer.* 29. A censuræ autem incursione illos excusant. Alij neque à culpa, neque à censura excusari docent.

467 *Possunt excusari.* Possunt excusari. Quia hi non directè, sed indirectè cooperantur: cooperatio autem indirecta, si sit per actionem de se indifferentem, honestari potest, causa graui intercedente, scilicet mortis metu, vel alicuius grauissimi damni: vti de cooperatione indirecta ad libidinem, ad intemperantiam, ad irreligionem admittunt communiter Doctores: ergo. Ita Nauarra *l.* 3. *de rest. cap.* 4. *dub.* 4. *nu.* 51. Moli. *to.* 1. *de iu. d.* 115. *concluſ.* 1. Sanchez alios citans, *libr.* 1. *Decal. c.* 7. *n.* 18. Vasq. *de scand. q.* 43. *a.* 8. *dub.* 7. *& tractat. de restit. capite nono dubio secundo Paragrapho primo numer.* 39. Corduba *quæstion.* 137. *dubio secundo* Salas 1. 2. *d.* 3. *sect.* 1. *numer.* 30. *corollar.* 1. Lessius *libro secundo capite nono dub.* 18. *numer.* 122. Rebel. *parte prima de iust. libro primo quæstione* 14. *sectione septima numer.* 52.

468 *Eiusdem sententiæ.* Cum his opinor, iudicans captiuorũ actiones illas provt ab eis procedunt, indifferentes esse. Quia ipsi nihil aliud faciunt, quam applicare nauem, scalas apponere, propugnacula deferre, quibus præstitis, poterant Turcæ nullum Christicolis damnum inferre: Ergo actio provt à captiuis procedit, non trahit necessario damnum. Secus est de emissione sagittæ, vel bombardæ; hæc enim secum necessario trahunt damnum proximi in vita, ac proindè intrinsecè mala sunt, neque vnquam possunt honestari. Limito tamen doctrinam cum Molina, Sanchez, Salas, Vasquez, Lessio, ac Rebello, nempe non excusari mortis timore remigantes, si videant, damnum graue Reipublicæ Christianæ, ipsis non remigantibus euitari posse. Quia tunc tenentur, propriã vitam ob commune bonum exponere. At rarò vel nunquam casus hic contingere potest, in quo aliquis in particulari obligatus maneat. Quia raro poterit aliquis sibi persuadere, alios cessaturos fore à remigio ducendo, si ipse cessaret: & sola ipsius cessatione damnum commune posse euitari.

Dvbivm XCII.

An captiuis mortis timore presis licitum sit, si à Turcis cogantur actiones per se proximo iniuriosas exercere?

469 *Quæstionis status.* Maior est difficultas de aliis actionibus directè & per se proximo iniuriosis, quales sunt eius domos perfringere, deuastare, bona surripere. Rogito igitur num mortis timore

timore exactis licitum sit huiusmodi actiones exercere?

470 *Non est licitum.* Licitum non est. Quia cum intrinsecam cõtineant malitiam ne ob mortis timorem possunt huiuscemodi actiones honestari. Sic Coninch 2.2.*d.*31.*de charit.d.*7. *n.*104. citans Lorcam *d.*51.

471 *Licitũ est.* Licitum est. Quia cuique est licitũ externis proximi bonis vti, provt necessarium est ad extremã necessitatẽ vitandã: sed illa deuastare, capere, asportare, & tradere bona minanti mortem, est captiuis illis necessarium ad mortem vitandam: ergo id licite gerere possunt. Ita Molin. *tomo secundo dub.*115. *conclus.* 4. Castro Palao *tomo primo tractat.6.d.6.punct.*11.*nu.*12. consentit ex parte Lessi. *libr.*2. *cap.*18.*dub.*3. *num.*30. edocens, has actiones iniurioſas esse, nisi forte quis eas gerat animo compensandi; quia tunc dominus debet permittere, nè grauissimum ille malum incurrat.

472 *Probabilior sententia.* Profecto ex timore mortis huiusmodi actiones posse honestari probabilius existimo. Nec enim dominus illarum rerum debet esse inuitus, sed potius debet ex charitate consentire, & actionem illam provt à captiuis fit, minimè iniurioſam reputare: quemadmodũ iniurioſum reputare non debet, qui à necessitatem extremam patiente, necessario subsidio expilatur.

Dvbivm XCIII.

An possit quis carius locare domum meretrici, vel vsurario, quam aliis iuste viuentibus personis?

473 *Contra supra.* EX communi sententia suppono, nullam causam requiri, vt quis possit l bere locare, ac vendere domum, cibaria, ac testes meretricibus, & vsurariis ad eorum habitaculum & sustentationem. Quia hæc nimis à peccato remota sunt, cum nec illius materia, nec occasio existant. Et ille vtitur iure suo res suas locando & vendendo. Quæsierim vero, an possit quis carius locare domum meretrici, vel vsurario, quam aliis iustè viuentibus personis?

474 *Locare carius eam nõ potest.* Non potest locare eam carius, eo quod domus accommodata sit, vt in ea magis lucrentur. Quia videntur esse particeps lucri obuenientis ex peccato. Sic Nauar. *summ. capit.* 17. *num.*145.

475 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia neque talis locatio est contra castitatem, nec contra iustitiam. Non contra castitatem, nam sicut locare domum, & recipere locationis pretium etiamsi sit ex turpitudine acquisitum, non est contra castitatem; neque etiam erit recipere maius pretium. Non enim ob turpitudinem, sed ob domum locatam recipitur. Item hæc difficultas inueniendi domos accommodatas potius retardat à meretricio, quam compellit. Quod vero non sit contra iustitiã, inde constat: quia ex habitatione meretricis, & vsurarij domus vilescit, & consequenter minoris postea est ducenda. Vnde ratione huius damni poterit ille pluris locari meretrici, vel vsurario, quam fœminæ aut viro honesto ac iustè victitanti. Ita Castro Palao *tom.*1.*tract.*6. *dub.*6. *punct.*12. *num.*2.

476 *Auctoris resolutio.* Hoc ita esse reor. Attamẽ si tua domus aptior sit ad illam turpitudinem, vel negotiationem exercendam, existimo te nec vendere, nec locare teneri iis perditis personis, si inuenias alias, quibus loces, aut vendas. Quia charitatis lege teneris peccata vitare, quæ possis absque tuo graui detrimento: præcipuè cum Respublica solum intendat iis habitationem concedere ad viuendum, non aptitudinem ad peccandũ Mecum Bonac.*q.*4.*de matr.pun.*14.*n.*5. Valent.2.2.*d.*5.*q.*20.*pun.*5. Sanch.*l.*1. *Decal.c.* 7.*n.*20. & Palao profitetur. Vnde eius sententiam veram esse crediderim solum, quando alium non inuenias, cui domum tuam possis vendere, vel locare.

Dvbivm XCIV.

Pingens imaginem concubinæ amasio, vel statuam Idoli Ethnico efformans estne peccati scandali reus?

477 *Reus nõ est.* REus non est. Quia actio de se indifferens est, & bono, ac prauo vsui potest deseruire: vnde ex aliqua graui causa poterit honestari. Sic Sanch.*l.*1.*Decal.c.*7.

478 *Reus est.* Reus equidem est. Quia turpis amoris fomentum & incitatiuum existit Idololatriæque excitat ad delictum. Ita absque distinctione vlla Bonac.*d.*2.*de peccat.qu.*4.*punct.*2.§. *vni.n.*29. Azor.*to.*2.*l.*12.*c.vlt.q.*9.

479 *Primam sẽtentiam eligo, & expono.* Ego autem Sancij mei adhæreo sententiæ iudicãs, id geri posse, si artifex aliqua grauissima causa adstrictus imaginem concubinæ amasio, Idoli statuã Ethnico traderet. Porro hæc causa grauissima non est lucri ex tali pictura, aut sculptura amissio: alias semper eis liceret eiusmodi operi incumbere. Quare illam solummodo causam sufficientem esse crediderim, quæ grauem mortis, vel vulnerationis diræ metum valeret incutere. Nam eius picturæ, aut sculpturæ fabricatio hominibus sic deperditis est quasi porrectio gladij parato se occidere.

Dvbivm XCV.

Licetne ob metum vllum effingere Idolum, vel Sacerdotalem vestem facere ad infidelis petitionem?

480 *Non licet.* NOn licet. Quia cum id fit ad infidelis petitionem, fabricatio illa falsi cultus cedit in honorem, & est quædam illius professio, siquidem infideli famulatur artifex, & sicut illius instrumentum agit, cum ad illius petitionem operatur. Sic Coninch 2.2.*d.*18. *dub.*18. *num.*113.

481 *Licet quidem.* Licet quidem, si artifex grauissimo feratur

ex metu, si ab eo non expostuletur Idolum aut vestes fieri Religionis in contemptum, nec aderit scandalum iudicantium artificem eam habere contemptui. Nam Idoli aut vestium fabricatio intrinsecè mala non est, sed sæpe valet honestari. Ita Ferdinand. de Castro *tom. 1. tr. 6. d. 6. pun. 11. n. 7.*

482 *Eiusdem sumentis.* Scio, plures olim sculptores maluisse, grauissima sustinere tormenta quam Idola ad Imperatorum petitionem fabricare. Sicut de Marco Aretuso Episcopo testatur Theodoret. *l. 3. hist. cap. 5.* Attamen secundam eligo sententiam. Nam præterquam quod eiusmodi fabricatio intrinsecè mala non videtur: quod fiat ad petitionem illius, qui illa ad malum vsurus est finem, non constituit in fabricante malitiam. Quia ipse non famulatur petenti in mala illa intentione, sed in re petita, & hoc ex grauissimo metu: neque agit vt instrumentum mali operis, sed operis in se indifferentis.

Dvbivm XCVI.

Requiriturne causa grauis, ad deponendas apud vsurarium licite pecunias, quibus ad vsuras vti velle?

483 *Non requiritur.* NOn requiritur grauis causa. Quia huiusmodi pecuniarum depositio non videtur vsurarum causa, sicut locatio domus eidem vsurario facta. Sic Caietanus, Aragon, Bannes, & alij, quos affert. Thom. Sanch. *l. 1. Decal. c. 7. n. 36.*

484 *Requiritur quidem.* Grauis causa necessario requiritur. Quia cessante depositione illa forta vsurę non exercerentur, vel saltem non exercerentur intanta quantitate. In præsenti autem non solum est obligatio vitandi peccatum vsurarij; sed etiam damnum, quod mutuatarij recipiunt. Ita Sanc. *citat.* Rebel. *de iust. p. 2. lib. 8. quæstion. 16. sect. 4. n. 10.* Valent. *2. 2. dub. 5. quæstion. 21. punct. vltim. fine.* Molin. *tomo secundo disputation. 331.* Nauar. *summ. capite decimo quarto numer. 40.* & alij.

485 *Probabilius hoc mihi.* Probabiliorem hanc iudico esse sententiam. Vnde adiicio, deponentẽ obligatũ esse restituere vsuras, quas mutuans ab aliis accepit ex eius pecunia mutuata. Quia præbuit materiam iniustitiæ, sicuti obligatur qui præbet ensem volenti occidere inimicum. Tenet Basil. Legion. *libr. 5. de matrimon. cap. 18. Paragrapho 4. num. 23.*

Dvbivm XCVII.

Fssene potest causa excusans à peccato scandali, præbenti munera Iudicis concubinæ, ab eaque petenti, vt Iudicem interpellet?

486 *Non potest esse causa excusans.* NOn potest causa esse huiusmodi actionem excusans. Quia à concubina petitur, quod ipsa licitè præstare non potest: non enim ipsa Iudicem inuisere, illive scribere, aut internuncium immittere, siquidem iis omnibus turpis amor fouetur, & saltem illa se, ac Iudicem delinquendi periculo exponit. Sic Sanch. *l. 1. Decal. c. 7. n. 38.*

Causa potest esse excusans, si negotium sit graue, videatque qui litem agit, Iudicem sibi non esse propitium, speretque intercessione concubinæ gratum fore, neque alia via apparet, qua possit illum ad seruandum suum ius inflectere, licet illi petere à concubina, vt in eo negotio intercedat. Quia non petit aliquid quod ipsa licite præstare non possit. Nam licet intercessione illa Iudex, vel concubina turpem foueant amorem, hoc non ille intendit, neque illius fomenti est causa. Stante enim intercessione illa, adhuc Iudex, & concubina poterant à praua voluntate sese continere. Ergo intercessio de se mala non est. Ita Palao *to. 1. tr. 6. d. 6. pun. 15. n. 1.* Bonac. *d. 2. de peccat. q. 4. pun. 2. §. vlti. n. 24.* 487 *Esse potest excusans causa.*

Probabilem esse hanc putarim sententiam. Nam quod media intercessione illa Iudex, & concubina periculo peccandi exponantur, non obstat, quo minus id licite vrgente graui necessitate fieri valeat. Neque putari debet in ordinatum obligatione, & amore ex peccatis iam factis acquisito vti aliquando ad bonum finem, scilicet, vt iustitia seruetur, & vnicuique suum ius reddatur. Attamen P. Sancij ratio probat semper contrarium esse consulendum. Et quidem, mei Ferdinandi de Castro venia, mihi inordinatum videtur turpi concubinæ amore causam, ac iura defendi. 488 *Probabile hoc, sed itael consulendum.*

Dvbivm XCVIII.

An præcepta affirmatiua positiua possint ob scandalum fratris omitti?

489 *Certum sup. pono.* CErtum est ob nullam causam obseruantiã præcepti affirmatiui omitti posse. Quia non potest quis furari, fornicari, occidere, vel aliam praua actionem præstare, ad vitandum proximi scandalum. Nec enim gerenda sunt mala, vt inde bona eueniant. Dubium esse potest de affirmatiuo præcepto, an ob scandalum vitandum aliquando valeat omitti.

490 *Possunt omitti.* Possunt quidem præcepta affirmatiua, si positiua sint, omitti. Quia obligatio præcepti naturalis præferenda est præcepti positiui obligationi: sed vitandi scandali obligatio est præcepti naturalis: ergo omittenda est obseruatio præcepti positiui ob præcepti naturalis obligationem. Sic Couar. *reg. Peccatum, parte prima numero quarto* Suar. *dub. 10. de scand. sect. 4. num. 9. & 10.* Valent. *2. 2. d. 3. q. 8. pun. 4. §. 2.* Sà *v. Missæ auditio, n. 3.* Lorca *2. 2. q. 43. n. 10.* Fauent plures Doctores asserentes, ob scandalum omitti posse Confessionis integritatem. Sylnest. *verb. Confessio 1. quæstion. 8.* Sotus *in 4. dist. 18. quæstion. 2. articul. 5.* Medina *Cod. de confes. quæstion. de integr. confes.* Nauar. *summ. capite septimo numero tertio* Petr. de Soto *lect. 10. de confess.* Cano *in relect. de pœnit. parte quinta.*

Non

491 *Omitti non possunt.*

Non possunt præcepta affirmatiua, licet positiua sint, ob vitandum scandalum præcisè, omitti. Quia cum ex obseruatione præcepti scandalum oboritur, tunc scandalum id non est datum, sed acceptum. Non enim censetur scandalum dare, qui præceptum sibi impositum exequitur. Executio namque præcepti neque est mala, neque speciē mali habet. Profecto obligatio cuiusque de vitando scandalo est obligatio secundaria; prius enim tenetur quis propriæ saluti consulere, quam alienæ, & præcepta sibi imposita adimplere, quam curare, vt alius adimpleat. hic enim est rectus ordo Charitatis: ergo non poterit præcepta sibi imposita omittere, vt alius præceptis sibi impositis satisfaciat. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 7. Antonin. *part.* 3. *tit.* 7. *cap.* 4 §. 5. Nauarr. *summ. cap.* 14. *num.* 44 Vasquez pluribus relatis, *qu* 43. *art.* 7. *dub.* 1. *num.* 4. Basil. Legion. *lib.* 5. *de matri. cap.* 18. §. 2. *num.* 7. Et sumitur ex *cap. Qui scandalizauerit, de regulis iuris.* Vbi vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Palao *tom.* 1 *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 16. *num.* 3. Et videtur tradi ab Innocent. III. *Cap. Cum ex iniuncto, de noui operis nunciat. circa medium.*

492 *Hanc eligo sententiam.*

Hanc eligo sententiam, quam probabiliorem esse iudico. Nam si Antonius, qui tibi est inimicus Missam omittat, eo quod tu ad illam accedis: non poteris vllo modo licitè Missam omittere, vt ille exaudiat. Ergo ob scandalum præcepta non sunt omittenda. Ex quo fit, fœminam credentem turpiter se à viro adamari, non obinde teneri Missam die festo relinquere. Quia ipsa præceptum exequendo, non censetur occasionem peccandi approbare, sed illum sua malitia illam arripere.

Dvbivm XCIX.

Opera consilij dimittendane sunt ad vitandum scandalum proximi, qui ex ignorantia deliquit, sed adhuc ratione ei exposita, in ignorantia persistit, non capiens rationem?

493 *Plura de operibus cōsilij supponuntur.*

CErtum est, non esse prætereunda consilia propter scandalum ex malitia vitandum. Peccatum vero ex malitia vocito, quod oritur ex opere bono tam in re, quam in specie. Ex quo qui accipit occasionem peccati, non habet vnde illam accipiat, nisi ex sua prauitate. Porro consilia differri debent, quando aliquis per ignorantiam inde arrepturus est occasionem delinquendi. Peccatum autem ex ignorantia oritur ex opere non quidem malo re ipsa, habente tamen mali speciem. Quod quidem est scandalum pusillorum. Potest igitur aliquis implere consilia in aliqua circumstantia præ se ferente speciem mali: quia propter aliquam occasionem poterit aliquis censere obseruationem illam consiliorum hîc, & nunc esse malam: vel quia aliqui ex cognatis, (verbi gratiâ) sunt in necessitate, essentque iuuandi ab impleturo consilia: vel si quis vir nobilis careat aliis liberis, & existimet, filium teneri ad matrimonium ineundum, vt suscipiat prolem, per quam eius familiæ nobilitas perēniter conseruetur. Tunc, inquam, si cognati hac specie mali sint commissuri aliquod peccatum: tenemur differe consilium, illosque docere, non esse peccatum id efficere, cognatis enim, qui parentes non sint, non tenemur tantam operam impendere: neque deserere Christi cōsilia, Religionis, vel castitatis, ad familiæ diuturnitatem. Quod si his rectè peractis, illi nolint ab iniusta persuasione recedere, non tenemur abstinere à consiliis. Quia iam illi non ex ignorantia, sed ex malitia peccant. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 7. Sed quid si proximus adhuc rationem non capiat?

494 *Cōsilij opera sunt dimittenda ob scandalum.*

Consilij opera sunt dimittenda. Quia adhuc ille peccat ex ignorantia. Sic Caiet. & Bannes relati à Petro Hurtado de Mendoza 2. 2. *d.* 173. *sect.* 2. §. 272.

495 *Dimittēda non sunt.*

Dimittenda non sunt. Quia non possunt illi in ignorantia persistere in hoc casu, nisi per affectationem: affectatio autem ex pura malitia exoritur. Ita D. Thom. *citatus: Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse.* Hurtad. *vbi sup.*

496 *Hoc dicendum existimo.*

Hoc dicendum existimo. Licet enim Caietanus inquit D. Thomam dixisse, *Videtur*: quasi dicat, *Contingere potest, vt non sit ex malitia.* Verum detorquet Doctoris Angelici doctrinam. Quia illud *Videtur* non dixit diminutiuè, sed posuit effectum pro causa, acsi diceret, *Iam est ex malitia*, & tale videtur, ac iudicatur. Etenim paulo prius dixerat, ea opera esse differenda, donec ratio reddatur. Quod clarissime dixerat *in quart. distinction.* 38. *quæstion.* 2. *articul.* 4. *Ignorantia si duret, in malitiam per obstinationem commutatur.*

Dvbivm C.

Licitumne est Comœdiis interesse?

497 *Licitum non est.*

LIcitum non est. Quia histriones fœminis, & viris quandam societatem sub vno duce constantes, & frequenter agentes fabulas amatorias, ratione sui muneris in peccato mortali existunt: amorum enim fabula non potest moraliter non inferre mala innumera, & ipsis Comœdis, & auditoribus. Ergo histriones sūt in scandali peccato, dum eas agunt. At qui dat pecuniam histrionibus, illos alit, & conseruat in peccati lethalis statu, in quo multis sunt scandalo. Ergo licitum non est comœdiis interesse. Sic P. Petrus Puente Hurtado de Mendoza 2. 2. *disputatione* 173. *sectione vigesima octaua*, erudite admodum suam probans sententiam ex Patrum sententiis, & rationibus admodum efficacibus. Vnde inuehuntur in comœdos P. Ioann. Mariana *de spectac. capite* 10. P. Petr. Guzman. *de bonis honesti laboris, discur.* 10. P. Thom. Sanchez *tomo tertio, libro nono, disputatione sexta, numero* 165. P. Francisc. Ribera *in cap.* 1. *Mich.* vbi grauitate tanto Doctori digna reprehendit histriones, & comœdiarum amatoriarum similiumque librorum auctores. Ioan Lorin. *ad Psalm.* 119. *vers.* 172. Mart. Bonacina *tomo primo, disputatione prima, de Sacrament. quæstione sexta, numero nono*, censent

idem de omnibus histrionibus, vt nunc sunt in vsu, quos iudicat à Sacra Communione arcendos, vt peccatores publicos, donec artem deserant.

498 *Licitũ est.* Licitum est. Quia histriones vt in Hispania histrionicam artem exercent, in peccato mortali non sunt. Quia per se loquendo, nec turpes fabulas, nec turpiter agunt. Possunt vero per accidens esse in mortali, idque contingit si aliquando certum immineat scandalum. Et quia hi scenici ab Auctoribus non damnantur, & à Principibus permittuntur. Comœdiis viri graues, Ecclesiasticique intersunt. Etiam sequuntur plurima damna ex aliis rebus, quæ publicè fiunt, quæ tamen absque lethali crimine exercentur. Nec tenentur histriones cum graui suo damno ab his occasionibus alieni peccati abstinere. Ita Alphons. de Mendoza *in quodlibet. quæstione nona, Scholast.* aliique plures asserentes comœdiæ spectaculum esse indifferens, ab eóque solum abstinere esse obligatum cui scandalum infert. Vtinam tot non haberent comœdiæ patronos.

499 *Auctoris resolutio.* Quid mihi verius sit, paucis expediam. Histronia per se non est lethale piaculum. Quia potest honeste exerceri sine vlla scandali occasione. Quando scilicet' honestæ puellæ fabulam agunt non inhonestam, neque inhonestè. Vel adolescentes agunt comœdiam, aut tragediam minimè turpem: siue id quasi ex officio exerceant, siue eventu aliquo accidentali. Porro si histriones viri, & fœminæ agant fabulas turpes, ducant inhonestas choreas, cantent turpia, vestes induant, succis vtantur occasione alios ad libidinem prouocandi, in statu mortalis piaculi esse non dubito. Profecto, si honestas honeste comœdias agant, in mortali non existere iudico, nec ideo esse à Sacra Communione repellendos. Item cum communi Doctorum existimarim non cõmitti ab auditoribus peccatum luxuriæ mortale assistentiam, nisi experti sint probabile periculum in graue piaculum labendi. Si vero illud periculum sint experti, peccant graniter contra castitatem, quoties, cuiusmodi fabulis interfunt. Si quando vero non possunt sine graui damno illis abesse, quia tenentur comitari heros, aut aliquam fœminam custodire, tunc tenentur oculos claudere, animum diuertere, alióque auocare. Præterea reor, omnes eos peccare mortaliter, quoties per delectationem vehementem in rebus ipsis turpibus, adsunt comœdiis. Omnes autem proculdubio venialiter delinquunt, etiamsi in theatra confluant, non propter rerum turpium delectationem, sed ob aliam captam ex carminum suauitatem, fabulę artificium, actionum viuacitatem, & alia id genus. Vnde D. Thom. *quæst. 168. art. 2.* dixit, non posse licite voluptatem quæri, quando capitur ex ludo turpi.

500 *Eiusdem Placitum circa permissionis comœdiarum damna.* Cæterum, (vt cum Alfonso de Mendoza *numero decimoquinto*, loquar) iudico histrionum societates minimè esse publicę vtilitati necessarias, vt alia crimina vitari possint, vt nonnulli contendunt, & plurimas subesse causas, vt eas Principes, ac Magistratus funditus dissipent. Nihil enim (vt dixi) vtilitatis Reipublicæ, & plurimum spectantibus afferunt nocumenti. Nec est simile de militibus, mercatoribus, telonariis, tabernariis, stabulariis, &c. Nam licet horum status multis sit peccatis accommodatus, & expositus: tamen propter eam vtilitatem, quæ inde Reipublicæ resultat, permitti debent. At ex eo quod mimici isti, & scœnici homines, ac mulieres permittantur, quænam, quęso, vtilitas adest, quænam damna absunt? Quæ stupra, ac turpitudines sequi necessum est ex tam crebro ac familiari conuictu, & contubernio horum scœnicorum, in quibus viri, & fœminæ perditissimę cohabitant, conuersantur, conuescuntur? An credi potest, eos caste, & sancte, candidéque in mediis turpitudinibus victuros? Sed spectatores habenas auditui, & visui licentiosissimè laxantes, quonammodo animum frenare, & continere poterunt à desiderio, amore, delectatione, & aliis illicitis motibus? Certe quam iuste nimius ornatus, & fucatio, culeusque faciei posset interdici, & viris aleæ: tam iustè, & longè iustius, ac rationabilius comœdiæ eliminari à Republica stabili Principum decreto deberent.

AD

AD DEIPARAM DOMINAM MEAM EPILOGVS.

FIDEI, *Spei*, *& Charitatis ô Domina diuitias è Thesauro tuo opulentissimo per te diues èxhaurio. In te enim splendentis Fidei aurifodinam*, *Spei nitentis smaragdum*, *Charitatis flagrantis carbunculum felix inuenio. Fidem tuam sic Laurentius Laurentinus* lib. 4. *decantat.* Maximæ diuitiæ Fidei Mariæ fuerunt, quòd in se fieri posse credidit, & sperauit, quod nunquam fuerat auditum neque in cœlo, neque in terra. *Concinit Origenes ab ipso Laurentio allegatus:* Per fidem Mariæ erigitur iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat ante deiectum. In conceptione Filij Dei Fides Mariæ vxor extitit Spiritus Sancti. *Pergit Richardus*, Maria credula verbis Angeli Fide concepit Saluatorem, vnde per aurem dicitur (*mysticè*) concepisse. Ideò dicit ei Elisabeth, Beata, quæ credidisti. *En fide Mariæ inops natura humana ditescit.*

Iam vero Deiparæ Spes, vt Thesaurum efformet est omnis Spei Sanctorum epilogatio. Vnde Eccles. 24. *Virgo profatur.* In me omnis Spes vitæ, & virtutis: *Verùm Spei Marianæ diuitiæ ipsius animum opplens in homines miro modo refunditur. Spei enim iam fructu fruens se nostræ spei parentem ostentat.* Eccles. 24. Ego (*inquit*) Mater Sanctæ Spei. *Audi Richardum* vbi suprà. *Tam præstans spes Mariæ, vt meruerit spei Mater appellari. Vnde qui in Domino speramus,* debemus etiam sperare in eam, quia Mater est spei. Sicut verè de Filio dicitur Prouerb. 29. Qui sperat in domino subleuabitur, idest, sursum leuabitur: sic dici potest de Maria. Qui sperat in Domina subleuabitur, hoc est, sursum leuabitur in præsenti supra carnem, mundum, & diabolum per gratiam: & sursum leuabitur per gloriam in futuro. *O quanto mortalium fructu spei Deiparæ diuitiæ profluunt.*

Iam vero quid de Charitatis Mariæ in Deum, & proximum opulentia attexam? Eam sic celebrat Laurentinus lib. 4. Charitas Mariæ fuit inseparabilis tanquam Sponsæ ad Sponsum, Dilectæ ad Dilectũ. Insuperabilis, quia fortis fuit vt mors, imò fortior morte, quia Filium tantum dilexit, quod mori pro eo desiderauit. Insatiabilis, quia Charitas eius erat ille ignis, de quo Prouerb. 30. Ignis nunquam dicit, sufficit. Gustauerat enim, quàm suauis est Dominus. Singularis, quia extra Deum nihil quæsiuit. Perseuerans, quia Charitas eius nunquam excidit. Inflexibilis, quia aliò extra Deum non diuertit. Recta, quia Deum dilexit, sine reflexione ad temporalia. *Profectò ardentissima in Deum Mariæ Charitas mirum esset si in homines non reflecteret miseros. Ob culpam è Dominis excidimus ad mancipia, & Deipara gessit, vt à mancipiis surgeremus ad Dominos. Cur existimas Archangelo annuncianti Verbi Incarnationem dictitasse Mariam*, Ecce ancilla Domini, *cum* Maria *seu* Domina ab ipso vocaretur? *Certe sese ancillarum demisit misericors, vt Deum sub mancipij specie pareret homini obsequium præstituri. Audi quæso Richardum.* Charitas Mariæ *in Deum* fuit communicatiua ad homines. Apparuit enim, quando respondit:

spondit: *Ecce ancilla Domini*, cupiens Filium procreare, qui noster seruus fieret, & ideo se nominauit ancillam; quia partus ventrem sequitur. Seruiuit enim nobis Filius Virginis de beneplacito Matris vsque ad ablutionem pedum, imo vsque ad tolerantiam passionis. Quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam pro multis. Ideo & nos debemus Matri seruitij retributionem, vt ad locum, vnde exeunt flumina, reuertantur. *Quid pulchrius?*

Laus Deo, Deiparæ, Iosepho, Ignatio, Antonio.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE

Lite Sententiæ nec-non Controuersæ Disquisitiones,

SIVE QVOD DOCTORIBVS DISSENTIENTIBVS, frequentibus asserendum eligitur, & quod Dissentientibus, plerumque in vtrumuis probabile apponitur.

TOMI SEXTI PARS ALTERA

CENSVRÆ ECCLESIASTICÆ.

QVATVOR LIBRIS TOTIDEM MATERIAS expendo, scilicet de Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, & Irregularitate.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facultas P. Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Castellanæ.

PETRVS Pimentel in Prouincia Castellana Societatis IESV Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. Nostro Gosuinio Nichel Generali Præposito, facultatem facio vt *Tomi 4. 5. 6. & 7. Theologiæ Moralis à P. Antonio de Escobar Theologo eiusdem Societatis* compositi, grauium Doctorumque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas & sigillo munitas dedimus Vallisoleti die 1. Octobris anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

P. Antonij de Escobar Societatis IESV Tomos Tertium, Quartum, Quintum, Sextū & Septimum vniuersæ Theologiæ Moralis attente perlegimus nos infra scripti facultatis Parisiensis Doctores Theologi nihilque in illis occurrit, quod non sit planè consentaneum tum fidei Catholicæ, tum probis moribus; adeoque luce publica dignos. Actum Lugduni die 9. Februarij 1663.

Fr. CYRILLVS MOREL *Carmeli Lugd. Prior.*

Fr. STEPH. MOLIN *Carmelita.*

Approbatio

Approbatio Ordinarij.

CVM hos quinque Tomos, nempe *Tertium*, *Quartum*, *Quintum*, *Sextum & Septimum Vniuersæ Theologiæ Moralis*, quorum Author est *R. P. Antonius de Escobar Societatis IESV*, se attentè perlegisse suprà nominati Facultatis Parisiensis Doctores Theologi testentur, nihilque in illis deprehendisse, quod non sit planè consentaneum tum fidei Catholicæ tum probis moribus. Idcircò quinque præfatos Tomos typis mandari & in lucem prodire non abnuimus Lugduni die 15. Februarij 1663.

DE-NEVF-VILLE *Abbas S. Iusti Vic. Gen.*

Consensus Procuratoris Regij.

LIbrum inscriptum R. P. Antonij de Escobar, & Mendoza Societatis IESV Theologi, *Theologia Moralis*, typis mandari & in Lucem edi, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, GVILLELMI BARBIER, Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 16. Februarij 1663.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis Consensu, Librum huncce typis mandari à prædictis Bibliopolis Lugdunensibus, concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat inhibemus, Datum Lugduni. Die 20. Februarij 1663.

DE SEVE.

INDEX

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES SINE LITE Sententiæ, Dubiæque Disquisitiones.

CENSVRÆ ECCLESIASTICÆ.

LIBER L.

EXCOMMVNICATIO.

OVI, Volumine primo *de Censuris in communi disserui, de iisdem in particulari disputationem exero. In primis autem de Excommunicatione Tractatum instituo. Vbi de eius essentiâ, ac diuisione, de eius causis, & effectibus, illisque absolutione pacificus primùm, mox pugnax scribo. Demum excommunicationum omnium particularium Catalogum recenseo.*

SECTIO PRIMA.

De Excommunicatione Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Excommunicationis essentia, ac diuisione.

1 *Multis* MVLTIS nominibus in Iure Excõmunicatio assolet appellari. Dicitur *Anathema*, ideſt, executio, maledictio, & separatio ab *nominibus* aliis, *Anathema maratha*, ideſt, Excõmunicatio maior latæ sententiæ, vsque ad aduentum Do- *Excommunicatio in* mini. *Mucro Episcopi*, seu spiritualis gladius. *iure appel-* *Kirga ferrea*, qua peccatoris audacia compri- *latur.* mitur. *Mors*, qua excommunicatus spirituali vita priuatur. Et *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ.* Omnes sic.

2 Est autem *Censura Ecclesiastica, qua homo Eius defi-* *baptizatus priuatur aliquibus bonis communi-* *nitio.*

bus, nempe fidelium consortio, Sacramentorum participatione, & communibus Ecclesiæ suffragiis. Vnde Excommunicatio idem est, ac *Extra Communionem.*

3 *Triplex communio à qua excommunicatio priuat.*

Quæ quidem triplex esse potest. Prima est spiritualis mere interna, nempe communicatio in gratia, & charitate, per quam sibi inuicem fideles communicant. Secunda est mere ciuilis, vt confabulatio, salutatio mutua, cõmunis mensa. Tertia est partim externa, vt participatio Sacramentorum, vsus Sacrificii, & cõmunio in aliis Officiis, ac rebus Sacris: partim interna, & mixta, vt participatio suffragiorum Ecclesiæ, orationum communiũ applicatio, ad impetrãdum à Deo aliquod beneficium. Porro Excommunicatio per se loquendo hominem prima illa communione non priuat, quia excommunicatus potest esse in gratia; sed per accidens, quatenus supponit, huiusmodi communionem esse sublatam. Priuat autem secunda, ac tertia. Tolet. *l.* 2. *c.* 4. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 1. Valen. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 17. *pun.* 1. Bonac. *de Censur. d.* 2 *q.* 1. *n.* 2. Fill. *tr.* 12. *n.* 3. & 4.

4 *Diuiditur in Maiorẽ, & Minorẽ.*

Excommunicatio diuiditur in *Maiorem*, ac *Minorem*. Maior tribus illis bonis, scilicet participatione Sacramentorum, consortio fideliũ, & suffragiis Ecclesiæ priuat. Minor vero vno tantum bono, nempe Sacramentorum participatione. Maior non incurritur nisi ob mortale peccatum. Minor aliquando ob veniale. Porro in iure excommunicationis nomine simpliciter, Maior intelligitur, quæ absolute dicitur excommunicatio. Quia verba absolute prolata in sua significatione simpliciter accipiuntur. *cap. pen. de sent. excom.* Tolet. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 1. Conin. *disp.* 14. *dub.* 1. *num.* 5. Couarr. *cap. Alma mater, p.* 1. §. 8. *n.* 5.

5 *Excommunicatio à iure, & ab homine.*

Alia est *à iure*, alia *ab homine*. A iure est, quæ per aliquem Canonem, statutum, vel constitutionem fulminatur. Ab homine, quæ per aliquem Iudicem fertur. Vtraque vero vel est *latæ sententiæ*, vel *ferendæ*, idest, aut ipso iure seu facto incurritur absque vllius sententiæ expectatione: aut est tantum cõminatoria, quæ non statim ligat, sed desideratur sententia, per quã est fulminanda. Et quidem Excommunicatio tunc est latæ sententiæ, quando verbum præteriti apponitur, v. gr. *Sit excommunicatus. Pro excommunicato habeatur ipso iure, ipso facto.* Cõminatoria erit, si adhibeatur aliquod verbum futuri, v. g. *Excommunicetur*, vel *sub pœna excommunicationis*. Tolet. *l.* 1. *c.* 5 *n.* 3. & 4. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 9.

6 *Harum differentia.*

Excommunicatio *ab homine* differt ab ea, quæ est *à iure*: nam iuris excommunicatio semper est generalis, & determinatè fertur contra agentes, vel non agentes hoc, vel illud: quæ autem est *ab homine*, aliquando est generalis, aliquando particularis contra determinatam personam. Lata *ab homine* cessat Iudicis vita cessante, vel quando ab officio remouetur, ita vt de nouo contrauenientes non liget; lata autem *à iure* durat etiam mortuo Conditore, quandiu ius ipsum perseuerat. Præterea quando fertur à Canone, vel statuto pro futuris culpis ligat delinquentes intra territorium legislatoris, quamuis tempore legis latæ, seu delicti subditi non essent respectu originis, vel domicilij: at sententia *hominis* comprehendit illos tantum qui tempore sententiæ, sub Iudicis eam pronunciantis iurisdictione continebantur, illique erant subditi. Quia sententia sumit vires incõtinenti in eum, contra quem fertur; *lex* autem eum semper loquatur, obligat etiam eos, qui venturis temporibus subditi sunt futuri. *Cap. Vt animarum, § statuto, de constitut. lib.* 6. Nauarr. *sum. cap.* 27. *n.* 2. Tolet. *l.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. Syluest. *verb. Excommunicatio*, 2. *n.* 10. Bonac. *de Censur. d.* 2. *q.* 1. *n.* 4.

CAPVT II.

De excommunicationis causis.

CAVSA *efficiens* Excommunicationis maioris est homo Ecclesiasticus, qui habet iurisdictionis potestatem fori exteriotis ordinariã vel delegatam non impeditam, siue ferat illam media lege, quę dicitur excommunicatio *a iure*: siue media sententia, quæ dicitur *ab homine*. Vnde excommunicare potest Papa, Concilium Generale, vel Prouinciale, Episcopi, Capitulum sede vacante, Abbates, Generales, Ordinum, Prouinciales, Guardiani, Priores, Rectores, & quicumque Superiores habentes iurisdictionẽ Ecclesiasticam in exteriori foro. Deduxerim, fœminam, laicum, nec simplicem Sacerdotem, quamuis Curatus sit, excommunicare non posse, nisi ex Sũmi Præsulis dispensatione, vel ex legitime præscripta consuetudine. Quia hi omnes iurisdictionem exteriorem non habent. Papa, & Concilium Generale possunt in quacumque Diœcesi existant, per statutum, vel sententiam excommunicare. At Episcopus in Diœcesi aliena nõ potest, nec subditos suos, nisi petita à proprio Diœcesano licentia. Papa, & Concilium Generale quoscumque cuiusvis Diœcesis potest excõmunicare, at Prælati reliqui nõ nisi suos subditos. Aliquando tamen possũt excõmunicare non subditos, nempe quando ratione delicti commissi in eorum territorio, vel ratione contractus ibidem iniri, vel ratione rei ibi sitæ, ad eorum iurisdictionem aliquo modo pertinent. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 46. Sayr. *de Censur. l.* 1. *cap.* 5. Suar. *de Censur. d.* 2. *sect.* 2. *n.* 1. & 2. Regin. *l.* 9. *n.* 115. Tolet. *l.* 1. *c.* 6. Fill. *tr.* 12. *nu.* 10. Bonac. *de Cens. d.* 1 *q.* 1. *pun.* 2.

7 *Causa efficiens: homo, Ecclesiasticus cui habens iurisdictionem.*

8 *Causa materialis propinqua, ac remota.*

Causa *materialis* est duplex *proxima, ac remota*. Proxima est peccatum mortale propriũ externũ, nec sufficit internũ, quod ita mẽte lateat vt agnosci nisi per reuelationẽ nõ valeat. Quia Ecclesia de mere internis non iudicat, nisi indirectè. Potest autẽ Ecclesia præcipere, vel prohibere internũ actũ, nõ secũdum se, & directè, sed per ordinẽ ad actũ externũ, quem informat, vel qui nequit sine actu interno subsistere. Tol. *l.* 1. *c.* 8. Sua. *d.* 4 *sect.* 2. Sayr. *l.* 9. *c.* 9. Cos. *n. d.* 13. *dn.* 8. Manu. *sum. p.* 2. *c.* 67. Fill. *tr.* 11. *n.* 138. & 162.

9 *Debet adesse contumacia.*

Ad contrahendam excommunicationẽ non sufficit peccatũ præteritum, nisi adsit contumacia, nempe quãdo admonitus quis, vt à piaculo desistat, id renuit agere. Vnde si paratus sit corrigi ob quodcumq; enorme flagitiũ præteritum excommunicari nõ debet. Quando vero fulminatur

natur excommunicatio in futurum, vel quia præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur, ne fiat, tunc si iustum sit quod præcipitur, resque grauis, in transgressores potest excommunicatio ferri. Sayr. *lib. 1. cap. 5. num. 25.* Filliuc. *tract. 11. num. 185.* Henriq. *lib. 13. cap. 17.* Tolet. *l. 1. c. 8. n. 2. & 3.*

10 *In effectus censuræ.*

Ad incurrendam excommunicationem, aliáve censuram requiritur effectus completus, quem legislator intendit prohibere. Quia lex non ligat, nec operatur vltra legislatoris intentionem verbis expressam. Nisi sub Censura ipse conatus principaliter prohibeatur. Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 9.* Nauarr. *de pœnit. dist. 1. & cap. cum autem, numer. 21.* Vgolin. *tab. 1. cap. 9.*

11 *Causa materialis remota homo viator, determinatus, baptizatus, inferior, subditus.*

Causa materialis *remota*, seu subiectiua excommunicationis est *homo viator, determinatus, baptizatus, inferior, subditus.* Hoc est, solus homo tam masculus, quam fœmina viuens; vnde defunctus, dœmon, & animantia irrationabilia excommunicatione ligari non possunt. Quia effectus illius non sunt capaces. Determinatus. Vnde tota aliqua Vniuersitas, aut Collegium non potest excommunicari per sententiam, nisi in particulari excommmunicandi distinguantur. Quia alias huiusmodi Censura intolerabilem contineret errorem, cum sæpe contingeret, innocentes grauissima affici pœna Baptizatus. Vnde infideles, & Cathecumeni excommunicari non possunt. Quia Ecclesiæ membra non sunt, & illius legibus non subiiciuntur. Inferior. Nullus enim se ipsum excommunicare potest, sicut nec Superiorem, vnde Summus Pontifex à nullo potest excommunicari. Subditus demum debet esse, ideſt subiectus excõmunicantis iurisdictioni; exempti namque priuilegio Apostolico nequeunt ab Ordinario ipso excommunicari, sicut & alij non subditi, nisi in tribns casibus expressis. Nauar. *summ. c. 27. n. 13.* Sayr. *l. 1. c. 8.* Suar. *d. 5. sect. 1.* Vasq. *de excom. dub. 17. n. 8.* Tolet. *l. 1. c. 7.* Reginal. *l. 9. n. 133.*

12 *Causa formalis quæcumque verba, queis Iudicis intentio exprimatur.*

Formalis causæ non sunt determinata verba, siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine: sed sufficiunt quæcumque verba, aut scriptum, queis Iudicis sufficienter exprimatur intentio. Quia nullo iure est cautum, excommunicationem per certa verba esse ferendam. Tamen verba, quibus excommunicatio fertur, debent significare de præsẽti, & practicè effectum. Quia si significent de futuro, vt *Excommunicabo, &c.* non inferetur Censura. Prætereáque debent executionem, non autem solam præceptionem continere. Fill. *tr. 11. n. 53. 56. & 57.* Suar. *disp. 5. sect. 2. n. 16.* Regin. *l. 9. n. 194.* Coninc. *d. 13. dub. 2. n. 23.* Tolet. *l. 1. c. 9.*

13 *Aliquæ circumstantiæ ad formam quodammodo reduci possunt.*

Obseruandæ sunt aliquæ circumstantiæ, quę ad formam possunt quodammodo reduci, in excommunicatione, quæ ad peccatum prætenditur cum cõtumacia fertur. Primò requiritur, vt trina monitio præcedat, qua excommunicãdus prius admoneatur, an velit parére; vrgente tamen necessitate, fieri poterit, vt vna admonitio sufficiat. Ex iure colligitur, constituendos duos saltem dies interstitii pro singulis monitionibus: quamuis Iudex possit interuallum ampliare, vel restringere ad breuius tempus, prout oportere cognouerit. Quãdo autem vna admonitio fit, debent dari sex dies exprimendo, vt primi duo sint pro prima, secundi pro secunda, tertij pro tertia. Secundo requiritur, vt excommunicatio feratur non solo Iudicis verbo, sed in scriptis, quibus etiam exprimi debet excommunicationis causa. Vnde ferens excommunicationem solo verbo sine scriptura, & causæ expressione; aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur, mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem. Attamen excommunicatio lata sine scriptura, vel sine causæ expressione, inualida non est. Quia scripturæ, seu causæ non censetur formæ substantialis, sed tantummodo accidentalis omissio. Suar. *d. 3. sect. 12.* Sayr. *l. 1. c. 12.* Nauar. *summ. c. 27. n. 11.* Vgolin. *tab. 1. c. 18. §. 2. n. 4.* Reginald. *l. 9. n. 181.* Henriq. *l. 13. c. 14.* Coninch. *d. 13. dub. 9. n. 83.* Fill. *tr. 11. n. 107.* Bonacin. *d. 1. qu. 1. punct. 8.* Tolet. *l. 1. c. 9.*

14 *Debet etiã circumstantia loci obseruari.*

De ratione etiam formali excommunicationis est, vt seruetur circumstantia loci, seu proprij territorij, quando ad illam ferendam, opus est iurisdictione contentiosa, quæ extra proprium territorium nequit sine Ordinarij loci licentia exerceri: sicut nec in loco plene exempto, non ratione tantum personarum, vt sunt Ecclesiæ, ac Monasteria Religiosorum; sed ratione etiam ipsius loci. Quando autem non est opus huiusmodi iurisdictione, potest excommunicatio etiã in alieno territorio ferri. Quia ad illam ferendam non requiritur causæ cognitio, seu processus, aut strepitus iudicialis. Auila *p. 2. c. 3. d. 2. dub. 1.* Regin. *l. 9. n. 155.* Nauar. *summ. c. 27. n. 6.* Sayr. *l. 1. c. 14. n. 4.* Coninch. *d. 13. dub. 5. n. 64.* Miranda *q. 3. a. 8. concl. 3.* Manu. *tom. 2. qq. Regul. q. 9. a. 1.*

15 *Et circumstãtia temporis.*

Assolet etiam in excommunicatione ferenda circumstantia temporis asseruari, vt scilicet non feratur feriato die, qui ex institutione, vel consuetudine Ecclesiæ cultui diuino dicatus est. Attamen si lata tunc temporis fuerit, non erit inualida. Quia etsi excommunicatio postulet causæ cognitionem, non tamen semper, & necessario eam requirit. Vgolin. *tab. 1. cap. vltim. §. 2. num. 3.* Sayr. *lib. 1. cap. 14. num. 6. & c. 7. numer. 17.*

16 *Causa finalis est hominis emendatio.*

Demum finalis excommunicationis causa est bonum, & vtilitas hominis, vt resipiscat, & ad meliorem frugem se conuertat: vel vt à malo patrando retrahatur, iuxta illud *1. Corinth. 1. Vt surgat à peccato, & saluus fiat in die Domini. Cap. Medicinalis de sent. excommun. in 6.* Bonac. *d. 1. q. 1. punct. vltim.*

CAPVT III.

De Octo Excommunicationis maioris effectibus.

17 *Primus est communium suffragiorũ Ecclesiæ priuatio.*

PRimus est *Communium Ecclesiæ suffragiorum priuatio.* Communia autem, & generalia suffragia sunt quædã auxilia spiritualia, quæ à Clericis quatenus Ecclesiæ Ministris pro fidelib. offerũtur: qualia sunt Missę, Sacrificium, Canonicæ orationes, supplicationes, &c. in quib. Clericus nomine, & in persona Eccle-

sæ exorat. Vnde excommunicato applicans communia suffragia, mortaliter delinquit. Quia in re graui violat Ecclesię prohibitionem. Imo in minorem incidit excommunicationem, communicanti cum excommunicato vitando impositam. Tamen in feria sexta Parasceues ex Ecclesiæ benignitate publice pro excommunicatis oratur, & Missæ Sacrificium offertur. *Cap. à nobis, de sent. excom.* Fill. *tr.* 12. *n.* 33. Reginaldus *l.* 32. *n.* 17. Suar. *d.* 9. *sect.* 1. *n.* 4. Sayr. *l.* 2. *c.* 4. *nu.* 7. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 26.

18 *Sacrificium oblatum pro excommunicato in gratia existenti quomodo ei prosit, & non prosit?*

Si Sacerdos Missam offerat in persona Christi pro excommunicato aliàs in gratia existente, peccat quidem, sed prodest illi, quoad fructū, qui per Missam applicatur; tum quoad satisfactionem, tum quoad impetrationem. Quia quando quis operatur vt minister alterius, propria malitia nō impedit operationis effectum. At si in persona Ecclesię offerat, nihil proderit. Quia Ecclesia privat communibus suffragiis excommunicatum. Reginal. *l.* 12. *n.* 13. Henriq. *l.* 13. *c.* 11. Suar. *d.* 9. *sect.* 4. *n.* 3. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 36. Fill. *tr.* 12. *n.* 48.

19 *Secūdus est priuatio participationis passiuæ Sacramentorum.*

Secundus est *priuatio participationis passiuæ Sacramentorum.* Vnde excommunicatus percipiendo Sacramenta quantumuis sit occultus, vel excommunicatio iniusta, modo sit valida, graue committit sacrilegium. Quia de natura excommunicationis est priuare passiua Sacramentorum participatione. Valide tamen excommunicatus Sacramenta recipit quoad substantiam, licet non semper quoad effectum, seu gratiā. Quia quoties aliquis recipit Sacramentum, & in eius susceptione lethale peccatum committit, obicem gratiæ apponit, *Cap. Si celebrat, de Ecclesiastico excom.* Reginal. *lib.* 32. *n.* 4. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 57.

20 *Aliquando excusatur excommunicatus à peccato, Sacramenta recipiens.*

Porro licet excommunicatus etiam toleratus regulariter loquēdo, peccet mortaliter aliquod Sacramentum recipiendo, aliquando tamen potest excusari ob ignorantiam, vel ob necessitatem, vt ad vitandam infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, quod alia ratione, vel probabili excusatione vitare non potest. Quia Ecclesia cum tanto incommodo non obligat, & Ecclesiæ præcepto naturale præponderat. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 56. Bonacin. *d.* 2. *q.* 2. *punct.* 2. *numero* 4.

21 *Nulla generalipœna incurritur ob Sacramenti receptionem.*

Nulla autem pœna ab excommunicato generaliter ex receptione Sacramentorum incurritur. Quia nulla extat in iure expressa. Suscipiens tamen Sacros Ordines excommunicatione irretitus, suspensionem incurrit. Suar. *d.* 10. *sect.* 3. *n.* 6. Fill. *tr.* 12. *n.* 54.

22 *Peccat contra ius diuinum, qui excommunicato Sacramenta ministrat.*

Licet ex vi Censuræ excommunicationis Sacerdos non peccet administrando Sacramēta excommunicato tolerato: peccat tamen contra ius naturale, & diuinum. Quia ex eo non sunt administranda Sacramenta indigne petēti nisi sit peccator occultus, & publice petat, vel quando petendo non delinquit, vt si ob vitandam infamiam, vel scandalum postulet. Vasqu. *dub.* 2. *n.* 12. Suar. *d.* 10. *sect.* 2. *n.* 12. Fill. *tract.* 12. *numero* 64.

23 *Non toleratus ex vi Cēsuræ mortaliter peccat.*

Si vero excommunicatus sit non toleratus, ex vi Censuræ mortaliter peccat, qui ei Sacramentum aliquod administrat, nisi excusetur ob necessitatem, vel aliam iustam causam. Quia agit contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui de non participando cum excommunicato. *Cap. Episcoporum. de priuileg. in* 6. Vgolin. *tab.* 2. *cap.* 7. §. 1.

Pœnæ demum iure statutæ contra ministrātem Sacramenta excommunicato vitando sunt excommunicatio minor, & ab ingressu Ecclesiæ interdictum. Et quidem si lata excommunicatio sit Papæ reseruata, & denunciata, Clerici participantes in diuinis cum talibus excommunicatis eandem excommunicationem incurrunt. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 93. Caiet. *v. Excommunicatio, cap.* 58. *cap. Significauit, de sentent. excommunic.*

24 *Pœna contra ministrantem Sacramenta excommunicato vitando.*

Tertius effectus est, *actiua Sacramentorum participationis priuatio.* Vnde prohibitum est excommunicato Sacramenta cuilibet ministrare, sub peccato mortali. Quod intellige de excommunicato vitando: & nisi ignorantia probabilis, vel naturalis obliuio, & inaduertentia tam facti, quam iuris vel grauis necessitas tam propria, quam aliorum, vel euitatio scandali excuset. Tolet. *libr.* 1. *capit.* 11. *numer.* 2. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. Filliucius *tract.* 12. *numero* 67.

25 *Tertius est priuatio actiuæ Sacramentorum participationis.*

Sacramenta tamen ab excommunicato vitando administrata valida sunt, excepto Pœnitentiæ Sacramento. Quia ad illud valide administrandum præter Ordinis potestatem, iurisdictio requiritur, qua caret excommunicatus vitandus extra mortis articulum. Vnde Confessio facta huiusmodi excommunicato inualida est, & iteranda, exprimendumque in Confessione peccatum commissum per communicationem in sacris cum excommunicato vitando. Vgoli. *tab.* 1. *cap.* 12. §. 16. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 5. *numer.* 34. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 2. Reginald. *l.* 32. *n.* 7.

26 *Sacramēta administrata ab excommunicato vitando valida sunt excepta Pœnitentia.*

Quando vero Sacerdos est toleratus, Sacramentum Pœnitentiæ etiam est validum tum ex parte iurisdictionis, cuius vsu Sacerdos toleratus non priuatur: tùm ex parte pœnitentis petentis, qui non peccat mortaliter petendo, non solum quando ignorat, illum esse excommunicatum; sed etiam quando scit; siue excommunicatus sit proprius Parochus, siue alius Sacerdos; siue adsit necessitas petendi, siue non; siue Sacerdos excommunicatus sit expositus, siue non. Quia ad euitanda scandala, scrupulos, & animarum pericula, facultatem fidelibus dedit Concilium Constant. communicandi in Sacramentis, & quibuscumque diuinis cum excommunicatis, suspensis, interdictis, vel irregularibus toleratis. Nauarr. *summæ capite nono, numero decimo*, Sanchez *de matrimon. libro* 7. *disputatione* 9. *numero* 8. Valentia *tom.* 4. *disputatione* 7. *quæstione* 11. *punct.* 3. Suarius *d.* 11. *section.* 4.

27 *Sacramentum Pœnitentiæ à tolerato ministratum validum est.*

Delinquit graviter, qui extra necessitatem petit, aut recipit Sacramenta ab excommunicato vitando. Quia facit contra prohibitionem & obligationem Censuræ in materia graui. Quando vero necessitas vrget, non peccat. Quia Ecclesia cum incommodo grāui non obligat. Vnde licet accipere Baptismum, Eucharistiam, Sacramentum Pœnitentiæ in mortis articulo. Imo Extremam Vnctionem, quando æger est incapax alterius Sacramenti. Quia fieri quis potest ex huius Sacramenti receptione ex attrito contritus. Fillincius *tract.* 12. *numer.* 75. & 76. Suar. *d.* 11. *sect.* 2. *num.* 18. Sayr. *l.* 2. *cap.* 2. *num.* 12.

28 *Delinquit graviter, qui extra necessitatem petit, vel accipit Sacramenta ab excommunicato vitando.*

Quo

29 *Excommunicatus illicè Sacramenta ministrans irregularitatem incurrit.*

Quotiescumque excommunicatus Sacramenta non licite administrat, irregularitatem incurrit. Verum si ille à peccato mortali excusetur ob ignorantiam probabilem, vel inadvertentiam excommunicationis, vel ob aliam iustam causam, non incurrit irregularitatē. Quia cum hæc sit ex delicto debet semper; lethale peccatum supponere. Profecto si Sacerdos priuatim absque cæremoniis Baptismū ministret, irregularitatem non incurret. Quia ad illum ministrandum non requiritur Ordo. Nauarr. *sum. c. 27. n. 244.* Vgolin. *tab. 1. c. 14. §. 1.* Filliuc. *tract. 12. num. 79. & 80.* Bonac. *d. 2. q. 2. punct. 2. §. 4. num. 6.*

30 *Quartus est diuinorum Officiorū & Sacrarum rerum priuatio.*

Quartus effectus est, *diuinorum officiorum, & sacrarum rerum priuatio.* Nomine diuinorum officiorum veniunt Officium Missæ, Officium Canonicum septem horarum, publica Processio, omnis publica oratio, aut benedictio, quæ ex Christi, vel Ecclesiæ institutione sit solemniter, & est adiuncta ordini alicui siue sacro, siue ex minoribus, Benedictio solemnis aquæ, palmarum, cādelarum, chrismatis consecratio. Sacra autem concio, vel lectio Theologiæ sub officij diuini nomine non comprehenduntur. Vnde excommunicatus ex vi Censuræ, siue sit toleratus, siue non, mortaliter delinquit, si Missæ Sacrificio assistat: quamuis possit à peccato excusari, si sit occultus, inseruiendo Missæ Sacerdotis non excommunicati, quando nullus adest, qui inseruiat. Ex quo patet, excommunicatum non peccare mortaliter omittendo Missam in die festo, quamuis per ipsum stet, ne absoluatur. Quia præceptum Ecclesię de Missa audienda cadit super eos solùm, qui non sunt impediti, *Cap. Si quia Episcopus, 4. 11. q. 3.* Suar. *d. 12. sect. 2.* Nauarr. *summ. capit. 61. numer. 3.* Coninch. *d. 14. dub. 7. n. 56.* Henriq. *l. 13. c. 7. nu. 2.* Tolet. *l. 1. c. 11, n. 8.*

31 *Missæ officium nullis nisi est excommuni. cato prohibitum.*

Non igitur potest Sacrificium Missæ pro excōmunicato offerri. Ipsa celebratio tanquam ministratio, ac confectio Sacramenti est illi prohibita. Et communicatio, & participatio eius per externam assistentiam. Cooperatio ad illud largiendo Sacerdoti eleemosynam ad hūc finem, vel per mandatum. Quia est quædam communicatio. Celebratio eius coram excommunicato vitando etiam est vetita, Quia esset, cum eo in diuinis communicare. Demum coassistentia cum excommunicato vitando in eodem officio fidelibus etiam non excommunicatis est interdicta. Filliuc. *tr. 12. n. 89.* Bonac. *d. 2. q. 2. pun. 3. §. 1.*

32 *Non peccat.*

Audiens, vel celebrans Missam in præsentia excommunicati tolerati, non peccat. Quia ex Concilio constant, nullus tenetur excommunicatum toleratum vitare etiam in diuinis exvi excommunicationis. Sayr. *l. 1. c. 3. n. 20.* Henriq. *l. 13. c. 10. n. 14.*

33 *Quæ gerēda cum excommunicato vitando. Si Sacerdos Missæ velit interesse?*

Si vero excommunicatus vitandus, officio Missæ velit interesse, monendus est, vt exeat: si nolit exire, vi compelli potest, quamuis sit Clericus: alioquin Missa non est inchoanda. Si autem inchoata sit; non est absoluenda, sed prætermittenda, si nondum inchoata sit consecratio. Si iam cœpta, vel perfecta cōsecratio sit, & aduenerit, vel aduertatur excommunicatus aduenisse, qui non potest sine periculo expelli, Missa est perficienda vsque ad communionem exclusiue. Quia præceptum de perficiendo Sacrificio inchoato, est diuinum, quod humano de vitando excommunicato præualet. In hoc autem euentu omnes præter Sacerdotem, & ministrum debent exire, & relinquere excommunicatum in Ecclesia, si exire nolit: Sacerdos vero completa communione debet recedere ab altari, & se in Sacristiam, vel alium locum transferre, vt post communionem, & reliquas orationes persoluat. Reginal. *l. 32. n. 71.* Bonac. *d. 2. q. 2. pun. 3. § 1. n. 13.* Filliuc. *tr. 12. n. 90.* Suar. *d. 12. section. 1. n. 11.* Verum si eodem tempore plures Missæ in Ecclesia dicantur, possunt alij audire alias, præsente excommunicato vni earū. Quia sic non communicant. Nauar. *sum. c. 25. n. 192.* Sayr. *l. 1. c. 3. n. 3.*

34 *Canonicas horas priuatim persoluere tenetur.*

Communicatio prohibita excommunicato in officio diuino horarum Canonicarum intelligitur de officio solemni, & publico, non de priuato. Quia excommunicatus siue sit Religiosus professus, siue Clericus habens beneficium vel Ordines Sacros, potest, imò tenetur Canonicas horas persoluere, sicut ante excommunicationem tenebatur. Quia par non est, vt delinquens commodum ex delicto reportet. Nauar. *sum. c. 25. n. 192.* Sayr. *l. 2. c. 3. n. 3.* Reginald. *l. 32. numer. 20.*

Recitando tamen horas priuatim, non potest dicere, *Dominus vobiscum.* Quia iuxta vsum Ecclesię publicum officium significat: Nec potest sibi socium adhibere. Quia est quædam communicatio si non in diuinis, saltem in humanis. Non tamen putarim culpam fore lethalem. Quia huiusmodi communicatio, seu participatio leuis esse videtur respectu præcepti, cum priuatim fiat. Coninc. *d. 14. dub. 7.* Nauar. *de orat. c. 7. n. 10.*

35 *Pœna à iure excōmunicato imposita pro communicatione diuinis officiis.*

Si Clericus sit excommunicatus, & solemniter in aliquo Ordine ministret, irregularitatem incurrit. Si vero communicet in officiis diuinis more laicorum minorem tantum incurret excommunicationem. Ob auditionem Missæ non incurritur irregularitas. Quia non est actio, quæ pendeat ab Ordine. Tamen si sit Auctor, vt coram se celebretur, Sacerdosque existat, irregularitatem incurret. Quia qui Auctor est, æquiparatur illi, qui se Missæ ingerit celebrationi. *Cap. Is, cui, de sent. excom. in 6.* Suar. *d. 12. sect. 1. n. 5.* Couar. *C. Alma mater, p. 1. §. 6.* Nauar. *summ. c. 27. n. 163.*

36 *Excommunicatus vitandus.*

Excommunicatus vitandus, qui nondum absolutionem obtinuit in vita, vel post mortem, quamuis signa contritionis expresserit, Ecclesiastica sepultura priuatur. Quia hæc est quædam communicatio in diuinis, quæ fieri potest post mortē excommunicati cum eius corpore. Et sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro, ideſt, in Ecclesia, vel cœmeterio, vel in alio quocumque loco ad sepulturam, vel diuina officia peragenda destinato, Episcopi authoritate, vel ex consuetudine, mortaliter peccant, & maiorem excommunicationem incurrunt, à qua nequeunt absolui, donec ad Episcopi arbitrium satisfactionem dederint. *Ca. Sacris, de sepultura.* Tolet. *l. 1. c. 13. n. 11.* Nauar. *sum. c. 27. n. 23.* Henri. *l. 13. c. 43.* Clement. I. *de sepult.* Suar. *d. 12. sect. 4.* Fill. *tr. 12. n. 11.*

37 *Quintus effectus.*

Quintus effectus est *inhabilitas ad beneficia eorūque fructus.* Vnde excommunicatus, siue sit vitādus, siue toleratus, durāte excōmunicatione inhabilis est ad quæque Ecclesiastica beneficia

ad Dignitates,& Officia Ecclesiastica, quæ ad tempus conceduntur,& collatio facta Excommunicato per electionem, præsentationem, confirmationem,institutionem,resignationem commendam, ipso iure est inualida, quamuis inuincibiliter ignoret excommunicatus,se censura huiusmodi illigari. Quia etsi ignorantia à noua culpa,à noua pœna, à noua censura excusat: non tamen efficit validum actum, qui aliàs inualidus erat. Attamen acceptatio beneficij collati ante excommunicationem, valida erit. Quia iura solum irritant collationem, & electionem beneficij, non vero acceptationem. Secus dicendum,quando collatio,electio, vel præsentatio facta fuit excommunicationis tempore, & post absolutionem ab excommunicatione, ille collationem, electionem, vel præsentationem acceptauit, in hoc enim casu beneficium retineri non potest. Quia titulus electionis,& præsentationis fuit inualidus,vtpote collatus excommunicato,ad illum per excommunicationem inhabili reddito. *Cap. Postulastis,de Cleric.excommunic.ministr.* Suar.*disp.* 13.*sectione prima, numero secundo*, Sayrus *libro secundo,capite quinto,numero quinto.* Nauatr. *summæ capite vigesimo septimo, numero vigesimo primo*, Lessius *libro secundo, capite trigesimo quarto,dubio vigesimo secundo,* Azorius *tomo secundo,libro septimo,capite vigesimo tertio,quæstione quinta,* Coninch.*disputatione* 14.*dubio* 9.*numero* 74.

Prouisus inualide absolutionẽ petat,& curet,vt sibi de nouo collatio fiat.

38 Prouisus inualide de beneficio,vel pensione ob excommunicationem,si retinere velit, debet excommunicationis absolutionem petere, eáque obtenta curare,vt beneficium,vel pensio sibi de nouo conferatur ab eo, ad quem pertinebat collationem eam gerere. Quia prior institutio inualida fuit, ideoque repetenda. Nauar.*sum.c.*27.*n.*21. Suar.*d.*13.*sect.*2. Filliu. *tract.*12.*num.*128. *Cap. Pastoralis*, §.*Verum, de appellat.*

Nisi per iuriam absolutio excõmunicato denegetur, nõ potest distributiones accipere.

39 Quando per excommunicatum non stat,ne absoluatur, & ne choro intersit, non potest percipere distributiones, nisi forte iniuste, & per iniuriam absolutio illi denegetur. Quia sequeretur, excommunicatum commodum ex censura reportare. Suar.*d.*13.*sect.*2. Sà *v. Excommunicatio,n.*50.

Sextus effectus Ecclesiasticæ iurisdictionis priuatio.

40 Sextus effectus est. *Ecclesiasticæ iurisdictionis priuatio* Vnde excommunicatus quamuis sit toleratus,licite iurisdictione sua vti non valet in fauorem sui:in fauorem autem aliorum, si ab iis requisitus sit, & non sit vitandus,priuatus non est. Hinc grauiter delinquit excommunicatus exercendo aliquem iurisdictionis actum. Quia hoc ei primario, ac directe prohibetur in graui materia. *Cap. Audiuimus,*24.*q.*1. Tolet. *l.*1.*c.*13.*n.*7. Nauarr. *summ.c.*27.*n.*17. Suar. *d.*14. *sect.*1.

Gesta per excommunicatum vitandum inualida sunt.

41 Excommunicatus vitandus ipso iure est priuatus valore iurisdictionis, itavt gesta per ipsũ sint inualida,quoties fiunt ex officio tanquam iurisdictionis propriæ. Quia Ecclesia eo ipso quo non tolerat eiusmodi excommunicatum, priuat eum vsu propriæ iurisdictionis. Attamen valide geret ea, quæ absque vsu propriæ iurisdictionis agit:v.g Parochus valide matrimonio assistit,init contractus,&c quamuis delinquet, ea sine necessitate gerendo. *Cap. Ad probandũ, de re iud. Cap.de supplendis defect. Prælat. in* 6. Nauar.*sum.c.*27.*n.*16. Fill.*tr.*12.*num.*145.*&* 146.

Gesta per non vitandum sunt valida.

Acta vero ab excommunicato tolerato tatione publici officij valida sunt. Quia Ecclesia permittens communicationem cum huiusmodi excommunicato in rebus sacris, & in aliis pertinentibus ad iurisdictionem non censetur, illam auferre. Ipse tamen grauiter delinquet se sponte ingerens actibus iurisdictionis. Quia nihil commodi in eius fauorem in Concilio Constantiensi fuit sancitum. *Cap. Infamis,*§.*Verumtamen* 3.*q.*4. Coninch.*d.*14.*n.*89. Fill.*tr.*12. *num.*144.

Septimus effectus ciuilis communicationis priuatio.

Septimus effectus est *ciuilis communicationis priuatio*, quæ quidem in tribus maxime est posita, nempe in *contractibus*, in *testamentis*, n *quotidiano conuictu.* Vnde excommunicatus communicans cum aliis fidelibus,& communicantes cum ipso,si sit vitandus solũmodo ciuiliter, venialiter peccant, non mortaliter. Quia materia humanę conuersationis in his rebus ciuilibus leuis communiter censetur. Dummodo non sit frequens huiusmodi communicatio, frequentia enim actus multiplicat, qui si per modum vnius sumantur,materiam grauem valent cõstituere. *Cap. Nuper,C.pen.de sen.ex.om.* Nauar.*sum c.*27.*n.*17. Suar.*d.*15.*n.*11. Fill.*tr.*13. *n.*43. Coninch.*d.*14.*dub.*14.

In quinque casibus vitandus est excommunicatus.

Excommunicatus in quinque casibus vitãdus est eo versu contentis.

Os,orare,vale,communio,mensa,negatur.

Os quidẽ,seu confabulatio,alloquutio siue fiat per litteras,per nuncios, per nutus:seu per alia signa amicitiæ,vt per amplexus,oscula accepta. tionem numerum.&c. *Orare*,seu participatio in oratione,suffragiis,Sacramentis,& officiis diuinis. *Vale*, seu omnis honorifica salutatio facta verbo,vel scripto, vel signo externo, vt assurgendo excommunicato,dando ei locum,caput aperiendo. *Communio*,seu societas,quæ fit communicando in habitatione,exercitio,contractu. Vnde licitum non est cum excommunicato in eodem lecto dormire,in eadem domo habitare. *Mensa*,seu participatio in cibo, ac potu. Vnde non licet,in eadem mensa cum illo prandere, nec in diuersa,si ambæ ad idem spectent conuiuium, Tolet.*l.*1.*c.*11. Suar.*d.*15.*sect.*1. Fill.*tr.*13. *n.*82. Vgol.*tab.*2.*c.*23. §.1.

In quibus non peccat, qui cum excommunicato communicat.

In quinque casibus excusantur fideles à peccato, cum excommunicato si communicent, qui hoc versiculo signantur.

Vtile,lex,humile,res ignorata,necesse.

Vtile quidem, seu vtilitas vera tam spiritualis, quam temporalis propria, vel ipsius excommunicati, *Lex*,seu matrimonii obligatio: vnde licet vxori cum viro excommunicato cohabitare, & viro cum excommunicata vxore: modo excommunicatio lata non sit propter matrimonium ipsum male celebratum, *Humile*,seu omnes subditi,siue tanquã filii,siue tãquam serui, & ancillæ,siue tanquam famuli vrbani, ac rustici. *Res ignorata*,seu ignorãtia probabilis,hoc est,minime cum ignorantia crassa coniuncta tã iuris,quam facti. *Necesse*,seu necessitas tam ex parte ipsius excommunicati, quam ex parte aliorum participantium cum eo:& hæc necessitas potest esse tũ spiritualis,tum corporalis,licet non sit extrema. Vnde excõmunicatus potest adire Confessarium. Quia existere in graui necessitate censetur. Suarius *disp.*15.*sectione.*3. Sayrus *lib.*1.*cap.*13. Reginald.*l.*32.*n.*124. Henriquez

Henriquez *l.13.c.23.* Filliuc. *tr.13.n.130.* Azor. *p.1.l.2.c.19.q.10.*

46 *Octauus effectus priuatio communicationis in actionibus fori ciuilis.*

Octauus effectus est *priuatio communicationis in actionibus fori ciuilis.* Vnde omnis actio ad forum iudiciale pertinens interdicta est excommunicato vitando: sicut interdicitur aliis cum ipso in iisdem actionibus communicare. Ex quo sequitur, illicitum esse iudici excommunicato, agere in sæcnlari foro: Etsi sit vitandus, sententias ab eo latas inualidas esse, ob iurisdictionis priuationem. Porro quamuis sit toleratus, extra suę excommunicationis causam actor esse non potest siue per se, siue per alium in iudicio siue sæculari, siue Ecclesiastico. Ideo exceptio hæc excommunicationis sęper in quacumque parte litis est admttienda. Si tamen actor agat in iudicio, & non repellatur propter excommunicationem, acta sunt valida. Præterea vitandus non potest licite ferre testimoniũ nisi in causa fidei, in qua potest testari, & accusare. Tamen eius testimonium validum erit in iudicio, & in aliis contractibus. Quia nullo iure probatur, inualidum esse, præsertim. Iudicis accedente consensu. Demũ vitandus illicite suscipit, & exercet aduocati, vel procuratoris Officium. Quia participat cum aliis contra censuræ obligationem: acta tamen illius valida sunt, cum non constet, ea iure irritari, donec contra eum exceptio fiat.

CAPVT IV.

De Excommunicatione Minori.

47 *Diffinitio, & effectus excommunicationis Minoris à Maioriq; differentia.*

MINOR Excommunicatio est *Ecclesiastica censura priuans passiua Sacramentorum & Ecclesiastici beneficij participatione.* Est imposita à iure propter communicationem in rebus prohibitis cum excommunicato vitando maiori excommunicatione. Differt à maiori, quia non priuat participatione Sacramentorũ actiua, neque communibus suffragiis, neque fidelium communicatione in humanis, & diuinis Officiis, vti maior. Vnde minori excommunicatione ligatus peccat mortaliter Sacramenta recipiendo, sicut illa ei administrans. Si tamen ipse aliis Sacramenta ministret, non peccat: cum hęc excommunicatio participatione Sacramentorum actiua non priuet. Nec celebrando, irregularitatem incurret. Quia hæc non est in iure expressa. *Cap. Si celebrat. de Clerc. Excom. minist.* Tolet. *l.1.c.17.* Henr. *l.13.c.3.* Reginal. *l.32.tr.11.sect.1.2.& 3.* Filliuc. *tr.23. c.1.& 2.*

48 *Priuat passiua ad beneficii electionem, sed actio non erit irrita, sed irritanda.*

Hæc excommunicatio priuat passiua ad beneficium electione. Vnde minori excommunicatione illigatus non potest eligi, aut præsentari ad beneficia; At electio non erit irrita, sed solum per sententiam irritanda. Non autem priuat electione, vel præsentatione actiua, sicut neque priuat actiua Sacramentorum participatione. Couar. *ad cap. Alma mater p.1. Paragrapho 8. numer.1.* & omnes.

Tollitur Excommunicatio Minor per absolutionem Sacerdotis non solum proprij, scili. cet Episcopi, vel Parochi, sed etiam cuiusuis ad confessiones audiendas approbati. (Imo à simplici Sacerdote absolui posse existimo, si mortale non habeat. De quo *sectione secunda*) *Cap. Nuper, de sent. excom.* Nauar. *summ. capit. 27. numer. 25.* Suar. *tomo quinto dub. 7. sect. 4. numer. 17.* Vgolin. *tab. 3. capit. 4. Paragraph. 5. numero secundo.* 49 *Tollitur per absolutionẽ Sacerdotis approbati.*

CAPVT V.

De Absolutione ab Excommunicatione Maiori.

EXCOMMVNICATIO Maiori iure Ordinario per solam absolutionem tolli potest & non per solam à contumacia resipiscentiam. Iure autem extraordinario, & per absolutã summi Pręsulis potestatẽ potest aliis modis auferri: putà, si quem Papa excommunicaret, donec talem conditionem impleat, qua impleta ipso facto sit ab ea liber. Vel si reuocaret legem, ex cuius vi excommunicatio incurritur, si enim ita reuocet, vt velit haberi pro non facta, etiam quoad effectus sequutos: ex ea etiam tolleretur excommunicatio, quam quis incurrisset. Suar. *dub. 19. section. 1. numer. 7.* Sylvest. *verb. Absolutio 3.* Filliuc. *tr. 12. n. 230.* 50 *Maior excommunicatio iure ordinario per sola absolutionẽ tolli potest.*

Cum absolutio ab excommunicatione sit iurisdictionis Ecclesiasticæ actus, quæ in fœminis, in laicis, & in simplicibus Sacerdotibus non inest, nisi ex priuilegio aliquo: ideo hi ab excommunicatione absoluere non possunt. Ab excommunicatione reseruata lata ab homine per sententiam generalem, vel particularem, iure communi potest absoluere vel is, qui eam tulit: vel superior eius vel successor in officio: vel Iudex appellationis: vel ab ipsis delegatus. Quando vero excommunicatio lata est per sententiam generalem, & nemini est reseruata absoluere ab illa potest quicumque habet potestatem absoluendi à mortalibus. Quia sententia generalis in multis æquiparatur statuto, & Canoni: sed excommunicatio, aliáue censura Canonis, & statuti iure communi potest auferre ab habente potestatem absoluendi à mortalibus: Ergo Tolet. *l.1.c.17. Cap. Per tuas, Cap. Sacro, de sentent-excom.* Bonacin. *disputat. 1. quæstione tertia puncto primo numero primo* Sayr. *libro quinto capite decimo quinto num.22.* Nauar. *summ. cap. 27. numer. 44.* Reginal. *libr. 9. num. 12.* 51 *Qui possint absoluere ab excommunicatione lata ab homine.*

A reseruata à iure ille absoluit, qui eam tulit, vel eius successor, vel superior eius, vel ab his delegatus. At à non reseruatis iure communi possunt absoluere qui habent potestatẽ absoluendi à mortalibus. *Cap. Nuper, de sent. excom.* Quia eo ipso, quo superior absolutionem non reseruat, censetur cuicumque Confessa- 52 *Quinã absoluit à reseruata à iure?*

tio concedere facultatem absoluendi. Scio, in aliquibus Diœcesibus iure particulari sancitum esse, ne Parochi vel alij Sacerdotes à censuris absoluant, nisi specialem obtineant facultatem; propterea que multis in locis reseruatur excommunicatio maior, siue illa sit ab homine, siue à iure. Suar. *disputatione septima sect.* 3. & 4. Tolet. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 4. 5. & 6. Filliuc. *tr.* 11. *n.* 281. Reginal. *l.* 9. *n.* 12. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 39. Sayr. *l.* 5. *c.* 15. *n.* 22.

53 *Quid uirtuos Tridentini?*

Ab excommunicationibus Papæ reseruatis virtute Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. potest Episcopus absoluere in foro conscientiæ per se, aut per vicarium ad hoc specialiter deputatum: modo delictum, ob quod excommunicatio fuit contracta, sit occultum, id est, non publicum, aut famosum in ratione delicti, quamuis testibus probari possit, nec ad forum contentiosum sit deductum. Imo ab excommunicatione publica, & alia quacumque Papæ reseruata licitè ac validè absoluit Episcopus, quando excõmunicatus laborat longa ægritudine etiam non periculosa, aut senectute grauatur, aut paupertate, vel simili impedimento premitur, quod iuxta prudentis arbitrium, legitimum videatur vel quando delinquens est fœmina, vel impubes. Quia in his casibus non præsumitur Pontifex cum tanto incommodo sibi absolutionem reseruate. Henr. *l.* 4. *c.* 22. *n.* 4. Reginal. *l.* 9. *nu.* 2. Nauar. *c.* 27. *n.* 90. Sanch. *de matr. l.* 8. *d.* 34. *n.* 55. & *Decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 19. Addit Auila *de cens. p.* 2. *capit.* 7. *d.* 1. *dub.* 6. ab hac excommunicatione publica Papæ reseruata posse Episcopum absoluere in præfatis casibus, etiamsi valeat adiri legatus, vel alius habens absoluendi priuilegium.

45 *Archiepiscopus nõ absoluit Episcoporum suæ Prouinciæ subditos.*

Non potest Anhiepiscopus absoluere ab excommunicatione, vel aliis censuris subditos Episcoporum suæ Prouinciæ: sed tantum suæ Diœceſis. Quia non habet in eos iurisdictionem. Excipiuntur tamẽ aliqui casus. ¶ Vel quando visitat Diœcesim. ¶ *c. Venerabilis*, §. 1. ¶ *de sent. excom. in* 6. Sanchez *libro secundo Decalog. cap.* 11. *num.* 6. Henriquez *l.* 13. *cap.* 14. Suar. *to.* 5. *d.* 7. *sect.* 2.

55 *Quicũque in mortis articulo absoluere Sacerdos potest.*

In mortis articulo ab excommunicationibus quantumcumque reseruatis potest absoruere simplex Sacerdos, etiam degradatus, excommunicatus, irregularis, hæreticus, etiam in præsentia superioris, vel alterius Confessarij approbati. Quia Tridentinum *sess.* 14. *c.* 7. asserit omnes Sacerdotes posse in mortis articulo absoluere: & vbi ius non distinguere debemus. Sà *v. Absolutio.* Manu. *p.* 1. *summ. c.* 59. *concluſ.* 3. Suar. *d.* 7. *sect.* 7. *n.* 3. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 3. *nu.* 11. Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 13. *n.* 17. Coninch. *d.* 14. *dub.* 16. *n.* 241. Reginal. *l.* 9. *n.* 9.

56 *E queis nã censuris possit quisquã in mortis articulo absoluere.*

Porro censuræ, à quibus Sacerdos quilibet in mortis articulo potest absoluere solummodo sunt eæ, quę Sacramentis ab ęgro recipiendis, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant: non autem Irregularitas, suspensio ab Ordine, Officio, vel beneficio. Zambran. *de casib. in art. mort. c.* 4. *dub.* 4. *numer.* 17.

CAPVT VI.

De Excommunicationibus in Bulla Cœnæ summo Prælati reseruatis.

PRimo excommunicantur hæretici cuiuſuis sectæ. Eorũ credẽtes, eorũ fautores, & eorũ receptatores, generaliter quilibet eorũ defẽſores. Et qui hęreticorũ libros hęresim cõtinẽtes, vel de Religione tractãtes, sine Sedis Apostolicæ authoritate scienter legunt, retinent imprimũt, seu quomodolibet defendunt. Et Schismati ei, iique, qui se à Romano Pontifice pro tẽpore existente pertinaciter subtrahũt, & recedunt. Profecto hæretici in hac clausula contenti sunt, qui pertinaciter aliquid Catholicæ fidei contrarium credunt, vel de eo pertinaciter dubitant. Si vero assensus vel dubitatio hæc manifesto non declaretur signo, huic excommunicationi non subiacet. Hæreticorum credentes sunt, qui eorum erroribus siue in particulari siue in communi signo aliquo manifesto assentiuntur. Ille vero eorum est receptor, qui animo occultandi hæreticum recipit, ne à iudice capiatur, neve delicti pœnas luat. Defensor eorum est, qui eos quatenus tales sunt, vel errores defendit. Vnde fit, hæreticum sua in perfidia perdurare. Schismatici demum sunt qui se à Romani Præsulis obedientia subtrahũt. Tolet. *l.* 1. *c.* 18. *a n.* 4. Sayr. *l.* 3. *thes. c.* 4. *n.* 13. & 21. Azor. *to.* 1. *l.* 3. *c.* 10. *q.* 3. Palud. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 3. *a.* 1. *concl.* 7. Bonac. *tom.* 3. *d.* 1. *quæstion.* 2. *punct.* 4. Palao *de censur. dub.* 3. *punct.* 2. *à numer.* 1.

57 *Excommunicatio prima ¶ contra hæreticos.*

58 *Secũda con. tra appellantes ad futurum Concilium.*

Secundò excommunicantur appellantes ad futurum Concilium ab ordinationibus seu mãdatis summi Præsulis: nec non ij, quorum auxilio, vel fauore fuerit appellatum. Vniuersitates vero, ac Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur interdicuntur. Debet autem appellatio esse à mandatis, & sententiis summi Pontificis, quatenus talis est. Appellantes ad Concilium generale præsens, vel Prouinciale futurum non videntur hac excommunicatione ligari. Cum autẽ excommunicãtur, qui appellantibus auxilium, vel fauorem præstant, consulentes non comprehenduntur. Quia quoties vult Pontifex consulentes comprehendere, illos exprimit, vti in aliquibus huius Bullæ clausulis apparebit. Approbantes denique appellationem eadem ratione huic excommunicationi non subiacent. Vgolin. *de censur. reser. p.* 2. *c.* 1. Duard. *l.* 2. *in can.* 2. *q.* 7. *n.* 6. Bonac. *d.* 1. *quæstion.* 3. *punct.* 2. *numer.* 2. Sayr. *libr.* 3. *Thes. cap.* 6. *num.* 4. Nauar. *summ. capit.* 27. *num.* 58.

59 *Tertia contra piratas.*

Tertiò, fertur excommunicatio contra piratas eorumque receptatores ac fautores. Piratas inquam, seu cursarios. aut mari latrunculos discurrentes per mare Pontificium præcipue à monte Argentario vsque ad Terracinas. Verũ de prædatio ex maritimo discursu contingens,

vt

vt Bullæ excommunicationi subiaceat, debet esse fidelibus, & Catholicis irrogata: non vero infidelibus, & hæreticis. Quia credendum non est Pontificem voluisse Ecclesiæ hostes sua excommunicatione protegere. Remigantes in pyratarum nauibus per se excõmunicationi subiiciuntur, nisi ob graue periculum excusentur. Sayr. *libro tertio Thes. capite septimo fine.* Suar. *disputatione vigesima prima sectione secunda num.* 21. Bibald. *hic, nu.* 20. Reginal. *l.* 9. *num.* 270.

60 *Quarta contra bona naufragantium surripientes.*

Quartò fertur excõmunicatio contra naufragãtium bona surripientes. Materia censuræ huius est surreptio peccaminosa, hoc est, animo retinendi seu consumendi prædicta bona. Nomine autem surreptionis quælibet iniusta surreptio siue clãdestina, siue manifesta impetu & vi illata comprehẽditur. Nec sufficit surreptionem hanc peccatum mortale constituere, vt sufficere ad Censuram incurrendam videatur. Quia excommunicatio pœna quidem grauissima ob furtum rei non vulgaris imponitur. Debet præterea esse surreptio in mari, aut in eius littore contingens. Et bona surripienda iactata debent esse in mari vel in littore, & intentione ea recuperandi. Item debent esse Catholicorum bona. Personæ verò, in quas excommunicatio fertur sunt omnes, ac singuli cuiuscumque qualitatis existant, præfatam surreptionem perpetrantes. Derogat demum Pontifex quælibet priuilegia, ac consuetudines in contrarium. Caiet. *verb. Excommunicatio, capit.* 23. Nauar. *capite vigesimo septimo numer.* 118. Sayr. *libro tertio Thes. capite octauo numero quarto* Bonacin. *d.* 1. *quæstione quinta punct.* 4. Palao *de Censur. disputation.* 3. *puncto quinto à numero primo.*

61 *Quinta contra nouas pedagia, &c. exigentes.*

Quintò fertur aduersus imponentes, augẽtes, & exigentes noua pedagia, seu gabellas in terris. Quæ quidem excommunicatio solum incurritur ob impositionem pedagij seu gabellæ. Pedagium, quod à pede dicitur, est tributum impositum ob transitum personæ seu mercium per aliquem locum. Glos. *ad Cap. Super quibusdam, verb. Pedagia.* Gabella autem strictè ac propriè sumpta significat tributum, quod pro delatione, translatione, venditione, seu emptione mercium soluitur. Vnde excommunicatio hæc non extenditur ad imponentes taxas, talia, præstantia, collectas, & alia similia. Quia hæc non sunt pedagia, nec gabellæ propriæ acceptæ. Hæc impositio facienda est à Gubernatore seu Domino in terris suis, ideſt, in terris, quarum ipse dominium, & potestatem habet. Præterea debet esse gabellæ nouæ impositio seu accretio extra casus à iure permissos, ex Sedis Apostolicæ licentia. Si vero quis ea tributa iniusta exigat, etiam huic excommunicationi subiicitur. Sayr. *libro tertio Thes. capite nono numero quarto* Caiet. *verb. Excommunicatio, capite septuagesimo primo.* Hugol. *hic, paragrapho tertio* Bonac. *disputatione prima quæstion. 6. puncto tertio numero primo* Graf. *part.* 1. *libr.* 4. *capit.* 18. *num.* 79. Filliuc. *tr.* 16. *num.* 14.

62 *Contra falsificantes litteras Apostolicas.*

Sextò excommunicantur litteras Apostolicas falsificantes. Falsarij autem litterarum sunt, qui aliquid tollunt, vel addunt, ex quo sensus mutetur, nam verborum mutatio, sensu retento, falsitatem non inducit. Nec videtur falsarius, qui iuxta Pontificis intentionem, eius corripit litteras. Personæ verò, quæ huic excommunicationi subiiciuntur, sunt, quæ per se falsitatem omittunt. Mandans enim, consulens, approbans falsitatem hac censura non comprehenditur. Nauar. *summ. capite vigesimo septimo numero septuagesimo secundo* Sayr. *libro tertio capite decimo numero vndecimo* Bonacin. *disputatione prima quæstione septima puncto primo numero quarto.* Suar. *d.* 21. *section.* 2. *numer.* 47.

63 *Septima contra ferentes ad infideles arma.*

Septimò, excommunicatione feriuntur deferentes arma, & alia instrumenta vsui bellico idonea, ad infideles. Triplex actio prohibetur. Primà deferre equos, arma, &c. infidelibus. Secunda, eos certiores facere de Reipublicæ Christianæ statu. Tertia, auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet illis præstare. Vt quis hac censura feriatur, debet per se ipsum præfatas res prohibitas transferre. Si autem de vno loco infidelium ad alium similem hæc deferat huic excommunicationi nõ subiicitur, nisi inde graue damnum Christianis, proueniat. Princeps Catholicus infideles in sui auxilium conuocans aduersus alium Catholicum Principem illisque arma subministrans, hac censura non ligatur, si bellum sit iustum. Non vero Catholico Principi licebit, infidelibus arma subministrare, ne alius Princeps Catholicus superior existat. Potest autem quis ob materiæ leuitatem ab hac censura excusari. Quia leue damnum ex traditione vnius pugionis (v. gr.) ensis, arcus, & similium haud graue Christicolæ damnum infertur. Palao *de Censur. dub.* 3. *punct.* 8. *à numero primo* Sayr. *libro tertio cap.* 11. *num.* 27. Nauar. *capit.* 26. *numero sexagesimo tertio.* Duard. *can.* 7. *q.* 19. Bonac. *d.* 1. *q.* 8. *pun.* 2. *à num.* 1.

64 *Octaua contra impedientes, ne Vrbi victualia deportentur.*

Octauò, excommunicatio fertur aduersus impedientes, ne Romanæ Curiæ victualia, aliaque necessaria deferantur. Personæ aduersus quas fulminatur, sunt omnes, & singuli cuiuscunque dignitatis etiam Imperialis & Regalis, qui victualia, seu alia necessaria Romanæ Curiæ impediunt, illorumque defensores siue per se siue per alios. Materia est, impedire siue dolo & fraude, siue per vim, ne victualia ad Romanam Curiam deferantur, deferentesque prohibere, ac perturbare, ne deferant: necnon eos, qui hæc facientes per se vel per alios defendunt. Nomine autem victualium intelliguntur, que ad esum, potum, ac vestitum deseruiunt. *leg. Victus, & leg. Catera, de verb. Signif.* Sub iis vero, quæ necessaria sunt ad Curiam Romanam, omnia illa veniunt, quæ curialibus tum ad habitandum, tum ad negotia, & munera peragenda, tum od honestam eorum recreationem possunt deseruire. Verum non ob quorumlibet victualium impedimentus quis hac Censura illigatur, sed debet grauis quantitas. Denique hæc excommunicatio solum ad impedientes, & ad eorum defensores extenditur. Sayr. *libro tertio capit.* 12. *à numero secundo* Reginal. *libro nono c.* 19. *à num.* 307. Filliuc. *tractatu decimo sexto numer.* 155. Duard. *libro secundo quæstione decima numero tertio* Bonacin. *disput.* 1. *quæstione nono pun.* 1 *numer.* 15.

Nonò

65 *Nona contra offendẽtes eos, qui ad Romanã Sedem accedunt, ab eaque recedũt &c.*

Nonò, excommunicatio indicitur aduersus eos, qui offendunt accedentes ad Romanam Sedem, vel ab ea recedentes, vel in Curia commorantes. Vnde comprehenduntur primò interficientes, mutilantes spoliantes, capientes, detinentes sua vel aliorum opera aliquem, qui ad Sedem Apostolicam veniret, vel ab ea recederet. Secũdò, qui authoritate vsurpata aliquã ex his actionibus perpetraret aduersus aliquẽ in eadem Curia commorantem. Dicitur autem accedere ad Sedem Apostolicam, si causa alicuius negotij ad eam pertinentis quis deueniat, verbi gratiâ, gratia alicuius litis, cuius decisio à Pontifice, vel eius officialibus sit gerenda. Vel adueniat causa soluendi Pontifici tributum, decimas, vel alicuius beneficij, priuilegij, gratiæ, vel dispensationis impetrandæ. Secus vero, si ob aliam causam illud accedat, aut cmõoretur. Quia verba legis formaliter, & in rigore sunt accipienda ac proinde de accessu ad Sedem Apostolicam, quatenus talis est, intelligi debet. Hugol. *hic, c.* 9. Filliuc. *tr.* 16. *n.* 164. Bonac. *d.* 1. *q.* 10. *pun.* 1. *n.* 3. Duard. *can.* 4. Suar. *d.* 21. *sect.* 2. *nu.* 66. Sayr. *l.* 3. *Thes. c.* 13. *nu.* 3. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 65. Tol. *l.* 1. *c.* 26. *n.* 3. Caiet. *v. Excommunicatio, c.* 14.

66 *Decima contra offendentes Romipetas.*

Decimò fertur excõmunicatio aduersum offendentes Romipetas, & peregrinos accedentes ad Vrbem, vel in ea morantes, aut ab ea recedentes. Personæ, in quas censura præscribitur, sunt omnes, & singuli fideles, cuiuscumque conditionis, ac dignitatis existant, qui Romipetas, & peregrinos diuexauerint. Dictio namque *Omnes* neminem excludit. *leg. Textoribus, & leg. Iulianus. ff. de legat.* Excipe Regem, & Imperatorẽ, qui ex recepta consuetudine excepti censentur, dum non exprimuntur. Actiones vero ob quas fertur, sunt interfectio, mutilatio, vulneratio Romipetarum, siue peregrinorum. Non enim ob quamlibet læsionem, neque ob quodlibet furtum, & iniustitiam hæc Censura incurritur. Peregrinatio debet esse ad Vrbem, siue in ea Pontifex existat, siue non. Qui verò inchoato itinere, ad Vrbem, & domum reuersus est occasione aliquid accipiendi pro itinere, huius Canonis protectione gaudet. Extenditur hæc excommunicatio ad auxilium, consilium, vel fauorem exhibentes. Caiet. *v. Excommunicatio, cap.* 13. Sayr. *lib.* 3. *Thes. cap.* 14. *n.* 6. Filliuc. *tract.* 16. *num.* 120. Duard. *hic lib.* 2. *can.* 10. *qu.* 4. Alteri. *d.* 31. *cap.* 2. Bonac. *d.* 1. *q.* 11. *pun.* 3. *num.* 2.

67 *Vndecima contra eos, qui Cardinales, vel alios Prælatos offendunt.*

Vndecimo, excommunicatione percutiuntur, qui Cardinales, vel alios Prælatos offendunt. Actiones, ob quas statuitur, sunt, interficere, mutilare, vulnerare, percutere, capere, carcerare, detinere, vel hostiliter insequi Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diœcesibus, territoriis, seu dominiis eiicere: nec non mandantes, seu ratas habentes huiusmodi actiones, seu præstantes auxilium, consilium, vel fauorem. Personæ vero, quæ his actionibus debent offendi sunt, Primò Cardinales, Sanctæ Rom. Ecclesiæ, qui sic dicuntur ex quo electi sunt à summo Præsule, & electionem acceptarunt, tametsi Capellum nondum obtinuerint. Deinde Patriarchæ, ideſt summi Patres, inter Episcopos primum locum tenentes. Tertiò, Archiepiscopi, ideſt, Episcopi Metropolitani pluribus Episcopis præsidentes, sic nuncupati post Pallij receptionem. *Cap. Transmissa, de elect. Cap. Nisi specialis, de authorit. & vsu pallij.* Quartò, Episcopi vnius Ciuitatis, vel Diœcesis. Extenditur hæc censura ad mandantes, consulentes, ac fauentes offensoribus. Debet autem offensio cum effectu sub sequi ex vi mandati, consilij, vel fauoris: alias non reputabuntur offensionis causa. Viual. *hic, numer.* 89. Hugol. §. 1. *n.* 1. Sayr. *l.* 3. *Thes. cap.* 15. *n* 9. Bonac. *d.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 3. *n.* 8. & 9.

68 *Duodecima contra eos, qui recurrentes ad Romanam Curiã pro suis negotiis offendunt.*

Duodecimò, excommunicatione afficiuntur, qui offendunt ad Curiam Romanam pro suis negotiis recurrentes. Actiones, ob quas hæc excommunicatio fertur, sunt occisio, percussio ac bonorũ spoliatio. Debet autẽ fieri percussio occisio, vel spoliatio occasione causarum, vel negotiorum. Personæ, in quas præfatæ actiones, vel aliqua illarum præstandæ sunt, vt excommunicatio vigeat, sunt omnes ad Romanam Curiam recurrentes negotiorum causa. Prosequentes in eadem Curia negotia incœpta. Eorũ Procuratores, Aduocati, gestores, & quicumque alij siue mandato accepto, siue non, procurant negotiorum ad Romanam Curiam recurrentis expeditionem. Vt vero personæ eiusmodi hac excommunicatione protegantur, debent ad Curiam Romanam causa alicuius negotij in ea expediendi recurrere. Extendit Pontifex Censuram ad eos, qui auxilium, vel fauorem in hac offensione præstãt. Debet autem offensio cum effectu subsequi. Nec ob ratihabitionẽ offensionis hæc excommunicatio contrahitur. Neque ex eo, quod prædicta delicta quis non impediat, cum facile possit. Quia textus de concursu physico, ac reali loquitur non de morali, nisi per mandatum, & consilium, qui verò non impedit, cum possit offensionem, moraliter tantum ad illam concurrit. Caiet. *verb. Excommunicatio, capit.* 15. Sayr. *lib.* 3. *Thes. capit.* 16. *nu.* 2. Filliuc. *tr.* 16. *numer.* 172. Alteri. *d.* 13 *capit.* 1. Bonac. *d.* 1. *q.* 13. *pun.* 1. *n.* 1.

69 *Decima contra appellantes ad laicam potestatem executionis litterarum Pontificiarum.*

Decimotertiò, excommunicantur appellãtes à grauamine, & executione litterarum Apostolicarum ad potestatem laicam: & impedientes accedentem ad Curiam Romanam pro negotiorũ, & gratiarum expeditione. In prima parte excommunicantur, qui priuolam appellationem prætexentes ad Curiam sæcularem, laicamque potestatem recurrunt. In secunda parte excommunicatione feriuntur primò impedientes, siue prohibentes litterarum Apostolicarum executionem, siue impediant, ac prohibeant absolute, siue absque eorum consensu. Secundò, impedientes, & prohibentes, ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione instrumẽta vel acta conficiant: aut confecta parti, cuius interest, tradant. Tertiò, omnes illi, qui capiũt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, eiiciunt de Ciuitatibus, locis, & Regnis, spoliant bonis, perterrefaciunt, & comminantur per se vel alium publice vel occulte habentes, seu impetrantes præfatas litteras, eorum agentes, consanguineos, affines, familiares executores, subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum,

riorum, & aliorum prædictorum. Porro actiones, quæ in hac parte sub excommunicatione prohibentur, fieri debent occasione impediendi litterarum Apostolicarum executionem. Nō vero excommunicantur, qui litteras has non exequuntur, cum possint. Quia aliud est impedire, vel prohibere litterarum executionem, aliud eam non exequi: excommunicatio autem lata est aduersus impedientes, vel prohibentes, non vero aduersus non exequentes executionem. Si detineantur litteræ, quæ præsumuntur subreptitiæ, eo tantum fine, vt Pontifex informetur, non videtur esse huic censuræ locus. Neque si Princeps velit examinare, an litteræ Legati Pontificis veræ sint, dummodo ex prædicto examine nullam moram executio passa sit. Quia textus solum prohibentes & impedientes executionem, non vero litterarum examinatores excommunicationi subiicit. Neque hac excommunicatione ligantur tentantes impedire litterarum executionem, si de facto executio impedita non est. Tertia denique pars huius canonis excommunicat eos, qui per se, vel per alios publice vel occultè, aut quouis alio modo directe vel indirectè, in genere, vel specie, prohibere, statuere, seu mandare quibuscumque personis, ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas à dicta Sede impetrent, aut impetratis vtantur, præsumpserint. Non est autem censendus Episcopus impedire litterarum executionem ex eo quod velit agnoscere, an veræ sint, vel subreptitiæ, maximè cum aliqua subest subreptionis suspicio, qua stāte, denegare executionem potest, quousque Pontifex informetur, & de veritate constet. Quia tunc non ex præsumptione, siue malitiose, sed iuste impedit litterarum vsum. Bonac. *d.* 1. *q.* 14. *pun.* 3. *n.* 2. Palao *de Censur. d.* 3. *pun.* 14. *à n.* 1. Reginal. *lib.* 9. *à nu.* 314. Alteri. *d.* 14. *c.* 2. *d.* 3. Duard. *l.* 2. *can.* 13. *q.* 9. *num.* 10.

70 *Decima quarta contra eos, qui causas à Iudicibus Ecclesiasticis auocant.*

Decimoquartò, Censura fertur aduersus eos, qui causas à Iudicibus Ecclesiasticis auocant, vel earum cursum, executionemque litterarum Apostolicarum impediunt. Personę ergo aduersum quas hæc excommunicatio fertur, sūt omnes, ac singuli, qui proprie authoritate, & de facto actiones ibidē prohibitas exercuerint, vel ad eas exercēdas auxiliū, consiliū, vel fauorē prēstiterint: etiāsi talia perpetrantes fuerint Præsidentes Cancellariariū, Conciliorū, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, vel extraordinarij quorumcumque Principum sæcularium etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate: aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendarij, seu Viccarij fuerint. Nota verba, *Propria authoritate, & de facto.* Nam si ex concessione iuris, vel summi Prēsulis concessione hæc prēstentur, excōmunicatio cessat. Actiones autem ob quas excommunicatio hæc iniungitur, variæ sunt. Prima est auocare propria authoritate, & de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis. Censetur autem quis ab aliis Iudicibus auocare, si apud ipsos pendentes ad se trahi faciat, tum citando partes, vt coram se compareant, causamque prosequantur: tum inhibēdo Iudices, coram quibus causę agitantur, ne vlterius procedant: tum inhibendo partes, ne ibidem amplius litigent. *Cap. Vt nostrum de appellat.* Secunda actio est, impedire earumdem causarum cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Connētus, Collegia causas ipsas prosequi volentes. Tertia est, in cognitione causārum spiritualium se tanquam Iudicem interponere. Quarta est, compellere partes actrices, quæ committi fecerunt huiusmodi causas, ad reuocādum vel reuocare faciendum orationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas. Quinta, compellere per statutum, vel alias easdem partes, ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales prohibitiones emanarunt, à Censuris, & pœnis in illis contentis absolui. Sexta, impedire quomodolibet executionem litterarum Apostolicarum, executorialium, processuum, & decretorum prędictorum. Septima (qua his actionibus accessoria est) prēstare consilium, auxilium, vel fauorem ad aliquam ex his actionibus patrandam. Ob has igitur actiones, & ob quamlibet illarum excōmunicatio incurritur, siue quis per se, siue per alium gerat. A qua nullo modo excusat (inquit Pontifex) prætextus violentię prohibendæ, nec aliarū prætensionum, exemptionum, gratiarū, litterarum Apostolicarum, seu futurarum supplicationum ad Sedem Apostolicam, nisi supplicationes huiusmodi legitimè prosequantur. Certè hæ actiones præstandæ sunt publica authoritate, vt locus sit excommunicationi. Nec est opus, vt præstentur prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum Sedis Apostolicæ. Num autem aliquot dentur excusationes, ob quas Iudex sæcularis absque culpa, & excōmunicationis pœna auocare possit causas à Iudicibus Ecclesiasticis, earumque cursum, & audientiam impedire, *Sect.* 2. discutiemus. Sayr. *l.* 3. *Thes. c.* 18. *n.* 5. Suar. *d.* 21. *sect.* 2. *n.* 75. Reginal. *libr.* 9. *numer.* 315. Bonacin. *dub.* 1. *quæstion.* 15. *punct.* 1. *numer.* 4. & 19. Duard. *lib.* 2. *can.* 14. *q.* 3. *num.* 1.

71 *Decima quinta contra trahentes personas Ecclesiasticas ad tribunal sæculare.*

Decimò quintò, expeditur excommunicatio contra trahentes, vel procurantes trahi personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal: & aduersus condentes statuta libertati Ecclesiasticę præiudicantia, eisque vtentes. Vnde in priori parte Canonis ij tantum excommunicantur, qui ex officio, seu ob alicuius instantiam personas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahunt, vel trahi procurant præter iuris Canonici dispositionem. Hi, qui trahunt, siue sint laici, siue Ecclesiastici hac censura afficiuntur, modo nō vt Ecclesiastici, sed vt sæculares, & potestate sæculari gaudentes Ecclesiasticas personas trahant. Parum enim refert, quis sit, qui trahit, sed qua trahit potestate. Lædunt autem libertatem trahēdo vel trahi faciendo, seu procurando cū effectu personas Ecclesiasticas ad suū sæculare tribunal. Quod tunc contingit, quando nolentem, & inuoluntarium saltem mixte adducunt. Nomine Ecclesiasticarum personarum intelliguntur, qui fori priuilegio gaudent. Secunda vero pars excommunicat facientes, ordinantes, &

& publicantes statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie libertati Ecclesiasticæ præiudicantia. Item eis decretis factis, seu ordinatis vtentes, ex quorum vsu libertas Ecclesiastica, vel ius Sedis Apostolicæ, vel alterius Ecclesiæ præiudicatur. Quæ autem sint statuta libertati Ecclesiasticæ, & Ecclesiarum iuribus præiudicantia, Volumine decimo, Deo auspice, exponam Caiet. *v. Excommunicatio, c.* 29. Hugol. *in præf.* §. 1. Duard. *hic, q.* 28. *n.* 6. Bonac. *d.* 1. *q.* 16. *sect.* 1. *pun.* 5. *n.* 3. Suar. *d.* 21. *sect.* 2. *n.* 78. Sayr. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 6.

71 *Decima sexta cõtra impedientes, nè Prælati Ecclesiastici sua iurisdictione vtantur.*

Decimosextò, Censura vulnerantur impedientes, nè Prælati Ecclesiastici sua iurisdictione vtantur. Vbi duplicem actionem præcipuã hæc excommunicatio respicit. Prima est, impedire, nè Ordinarij sua vtantur iurisdictione. Secunda, recurrere ad sæculare tribunal pro illius iurisdictionis vsus reuocatione. Impedire, ne Ordinarij sua iurisdictione vtantur, huic excõmunicationi subiicitur, dũmodo authoritate publica impedimentũ præstetur, & impedimentũ sit vsus Ecclesiasticæ iurisdictionis, & iurisdictio cõpetẽs Ordinario secundũ Sacros Canones existat. Excõmunicantur præterea recurrẽtes ad sæculare tribunal pro reuocatione sententiarum Iudicis Ordinarij Ecclesiastici. Hac vero excõmunicatione nõ punitur recursus pro impedienda confirmatione alicuius sententiæ, quam Ecclesiasticus Iudex à sæculari tribunali expostulat. Quia hoc recursu nõ impeditur iurisdictio Ecclesiastica, sed solũ legalis illius cõfirmatio: at Canon non punit impedimentum præstitum legali confirmationi iurisdictionis Ecclesiasticæ, sed illius vsui. Excommunicantur demũ Iudices inhibitiones decernẽtes, & exequentes: & consiliũ, patrocinium, ac fauorẽ præstantes. Sayr. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 5. Fil. *tr.* 36. *n.* 285. Duard. *can.* 16. *q.* 6. *n.* 4. Bonac. *d.* 1. *q.* 17. *pun.* 1. *n.* 30.

73 *Decima septima cõtra vsurpatores prouẽtuum ad Pontificẽ vel Ecclesiasticas personas pertinentiũ.*

Decimoseptimò, excommunicatione percutiuntur vsurpatores, & sequestratores sine legitima superiorũ licentia redditũ, fructuũ, & prouentuũ ad Pontificẽ, sedemque Apostolicã, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium. Materia huius excommunicationis iniustitiã, & sacrilegium procul dubio continet. Personæ, in quas censura fertur, sunt omnes, cuiuscũque sexus & conditionis existant, qui præfata bona vsurpauerint, vel sine legitima licentia sequestrauerint potestatis laicæ prætextu. Vt igitur hæ personæ in huius Canonis censuram incurrant, debent bona ibidem expressa vsurpare, vel sine legitima facultate sequestrare. Is autem propriè dicitur, aliena vsurpare bona, qui ea tanquam propria, & vt sibi debita assumit, etsi sciat, ad alium pertinere. Quare si ea bona non tanquam propria, seu sibi debita quis acciperet, sed vt aliena, vt faciunt fures, in hanc excommunicationem non incideret. Quia esto, aliena, inuito domino, accipiat, non tamen vsurpat. Profectò plures casus referuntur à Doctoribus, in quibus de iure sequestrũ est permissũ, vt videre est in *Glossa l.* 1. *C. d. prohibita sequestr. pecu. & in Glos. fin. ad c.* 2. *de sequestr. posses. & in Abbate ibid. à n.* 7. Graf. Lop. *leg.* 1. *tit.* 9. *p.* 3. Lancelo, *de attentat. p.* 2. *c.* 11. *limit.* 12. Frequentiores sunt, cum beneficium vacat, quia tunc sequestrantur fructus; cum appositione œconomi iuxta *Cap. Cum vos, de offic. Ordin. leg. Regia* 11 *titul.* 15. *part.* 1. Secundo quando possessio beneficij est attẽtata, vtpotè capta, lite pendente statim ante sententiam, conceditur sequestrum. Gonzal. *in reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *præa. numer.* 37. Tertiò, cum adest probabilis timor, fructus dilapidandos esse, vel non esse commodè recuperandos. *Cap.* 2. *& fin. de sequestr. possession. & fruict.* Quartò, cùm adest lis inter prouisum à Sede Apostolica & Ordinario, iuxta constitutionem Pij V. quæ incipit, *Cordi nobis est*, datam 3. Kalend. April. an. no 1568. Quintò, ad coërcendum alicuius cõtumaciam. *Cap.* 2. *de dolo, & contum.* Tandem quoties Iudici visum fuerit, iustam adesse causam, sequestrum apponendi. Bartol. *in leg. Imperatores,* §. *fin. num.* 3. *ff. de appellation.* Lancel *citato numer.* 149. Verùm nomine bonorum, quæ sequestrari debent, intelliguntur iurisdictiones tam Ecclesiasticæ, quam temporales, fructus, redditus, vel prouentus. Fructus vero vsurpatus debet competere personæ, cui vsurpatur, ratione Ecclesiæ, seu Ecclesiastici beneficij. Comprehenditur vsurpatio bonorum beneficij vacantis. Nõ vero pecunia ex fructibus beneficij vẽditis acquisita, neq; vsurpatio fructuũ beneficij conductori facta Hugol. *hic, c.* 17. §. 1. Sousa *cap.* 18. *d.* 90. Duard. *l.* 2. *can.* 17. *q.* 13. Reginal. *lib.* 9. *n.* 372 Bonac. *d.* 1. *q.* 18. *pun.* 3. *num.* 2. Palao *de censur. disputation.* 3. *punct.* 18. *à numer.* 1.

74 *Decima octaua contra tes Decimas collectas, vel alia onera personis Ecclesiasticis.*

Decimooctauò, excommunicatione afficiũtur imponentes decimas, collectas, & alia onera personis Ecclesiasticis. Triplicem patte hic Canon continet. In prima Pontifex Censuræ subiicit quoscũque quauis authoritate, etiam Regali, vel Põtificali fulgẽtes, qui personis Ecclesiasticis, Ecclesiarum, Monasteriorũ, & aliorum beneficiorum bonis illorumque fructibus, redditibus, vel prouentibus, absque eius speciali, & expressa licentia, collectas, decimas, talias, præstantias, & alia onera imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, ac concedẽtibus recipiunt. Verum vt huic excommunicationi sit locus, debent exigi, ac percipi tributa imposita laicæ potestatis prætextu. Impones autem tributa realia, quæcumque sint extra casus à iure cõcessos, excommunicationi subiicitur. Si vero imponat personale tributum, nõ videtur improbabile, sub hoc canone non comprehendi. Attamen ad Censuram incurrendam, requiritur, non solũ tributi impositio, sed & illius exactio. Quomodocumque autem à Clericis hæc tributa exigantur, est huic Censuræ locus. Item excommunicantur, qui tributum recipiunt etiam à sponte dantibus. Exigere verò tributum ab Ecclesiasticis, quod non ipsis, sed laicis est impositum, hac censura non punitur. Tributum sane impositũ, & exactum à persona Ecclesiastica, etiãsi exiguũ sit, huic excommunicationi subiicitur. Porro in secunda parte excõmunicantur, qui per se, vel per alios imponunt, exigũt, vel recipiũt, tributum. Et qui prædicta procurant, in eisque auxiliũ, consilium, vel fauorem præstant. In tertia demũ innouantur decreta super his à Sacris Canonibus lata. Filliuc. *tr.* 16. *n.* 300. Barbosa *in dict. dict.* 17. Sylvest. *verb. Gabel. lib.* 4. *princ.*

Duard.

Plures casus, in quibus sequestrũ est à iure permissũ.

Duard. *l.2.can.*18.*q.*2.*à nu.*12. Bonac.*d.*1.*q.*19. *pun.*1.*n.*2.Palao *de censur.d.*1.*pun.*19.*à n.*1.

75 *Decima nona contra Iudices sæculares, qui in causis criminalibus Clericorũ se interponunt.*

Decimo nono, præscribitur censura aduersus Iudices sæculares,qui in causis capitalibus, seu criminalibus clericorum se interponunt. Personæ,quæ comprehenduntur, sunt omnes infrà Regem , & Imperatorem , quocumque nomine nuncupentur, qui actiones hoc Canone prohibitas ausi fuerint perpetrare. Ex. primuntur Magistratus,& Iudices, sub quibus nominibus veniunt Gubernatores Ciuitatum, vel Prouinciæ,Proreges, Consiliarij, Senatores,Cancellarij,Vice-cancellarij,&c. Secundò Notarij, quibus competit, acta iudicij, & publica instrumenta conficere.Tertiò Scribæ,qui acta iudicij, citationes , dilationes, exceptiones,testium depositiones, appellationes, sententias scribunt.Quartò executores, qui sententias,ac mandata Iudicum exequuntur.Quintò subexecutores,quorũ opera executores vtũtur in sententiarũ,ac mandatorũ Iudicialiũ executione.Hi omnes,& singuli,si præter iuris ordinẽ,& specialẽ, expressamque summi Præsulis licentiam se intromiserint in causis capitalibus,seu criminalibus personarum Ecclesiasticarum , hac excommunicatione innodantur. Actiones autem Iudicibus,Magistratibus,Notariis &c.interdictæ in hoc Canone sunt primò,processare Ecclesiasticas personas,hoc est, earum crimina inquirere, & iudicialiter inuestigare.Nam eo ipso quo hæc inquisitio,& iudicialis inuestigatio scripto mandetur, persona processata est, quamuis processus completus non sit, nec causa substantiata , adestque quidquid ad hanc censuram requiritur. Non vero comprehenduntur, qui suo consilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processam banniunt,capiunt, seu sententiam executioni mandant. Quia non propriè, ac formaliter processant,banniunt, capiunt, &c.sed consulunt & adiuuant ad processum, bannum , seu capturam.Cum igitur Pontifex inquit, se excõmunicare Iudicem *quomodolibet* processantem, intelligi debet de modo, quo processus confici potest,non de modo,qui extra processum fit. Actiones vero Iudicibus, Magistratibus &c.interdictæ sunt prima, processare Ecclesiasticas personas , hoc est , eorum crimina inquirere,ac iudicialiter inuestigare.Secunda, eas bannire,hoc est,eas authoritatiue à Regno, Prouincia,Ciuitate,vel patria relegare siue in perpetuum,siue ad tempus *leg.Relegatus,ff.de interdictis.* Tertia , capere seu apprehendere eas,vinculis illigare, vel in aliquo loco inclusas detinere , vt inde libere nequeant exire. Quarta,proferre sententiam siue definitiuam, siue interlocutoriam. Quinta, sententiã executioni mandare. Excipitur autem , nisi hæ actiones fiant ex speciali , & expressa licentia Pontificis;ad quã reducuntur plures casus, in quibus iure communi permittitur,Ecclesiasticas personas capi,ac iudicari. De quibus *Volum.* 10. cum de immunitate Ecclesiastica loquamur , sermo recurret. Ex mandato autem Ecclesiastici Iudicis potest, imo tenetur quilibet laicus suã præstare opẽ in processu,seu captura Clerici.Nec est opus summarie cognoscere iustitiæ causã, vt eã opẽ ferant;sed satis est,de iniquitate Ecclesiastici Iudicis non cõ-

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

stare. Scio, in causa sanguinis, plures oppositum sentire, de quo *sect.*2.Palao *d.*3.*pun.*20.*à numer.*1.

76 *Vigesima contra occupantes bona aut terras Ecclesiæ Romanæ, eiusque supremũ iurisdictionem vsurpantes.*

Vigesimo denique,expeditur excommunicatio aduersum occupantes bona , aut terras Ecclesiæ Romanæ, eiusque supremam iurisdictionem vsurpantes. Personæ , aduersus quas censura fertur sunt omnes , & singuli fideles, cuiuscumque conditionis,ac qualitatis existãt, qui aliquam ex prohibitis actionibus ausi fuerint perpetrare.In triplicem partem hic Canõ diuiditur.Prima agit de inuadentibus,destruẽtibus,occupantibus, & detinentibus loca, dominia,& Iura Romanæ Ecclesiæ. In qua sunt hæ actiones prohibitæ,Inuadere terras Ecclesiæ Romanæ, hoc est , in eas irruere , quod proprium est hostiũ. Destruere,deuastare, demoliri ea loca , & terras Romanæ Ecclesiæ. Eadem occupare,seu vsurpare. Vsurpata detinere,& non restituere.Secunda agit de vsurpantibus, perturbantibus , seu vexantibus supremam Romanæ Ecclesiæ iurisdictionem. In qua hæ prohibẽtur actiones:supremã Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ de facto iurisdictionem vsurpare, perturbare, retinere , & variis modis diuexare. Supremam , inquam , iurisdictionem in temporalibus:nam de spiritualibus satis in præcedentibus Canonibus est actum. Tertia pars agit de præstantibus auxilium, & consilium , sub qua prohibitione includitur omne consilium , fauor , ex vi cuius aliqua ex supradictis actionibus subsequatur. Verum hæc censura non incurritur , nisi dolus,& malitia adsit , vt manifestè indicat verbum *Præsumo*,quo textus vtitur.Suar. *disp.*21. *sect.*2.*num.*104.Filliuc.*tract.*16.*nu.*62. Hugol. *cap.*10.*num.*3.Bonacin.*d.*1.*quæstion.*21. *punct.*1. 3.& 21.

77 *Plura circa Bullam hãc indico.*

Certè processus Bullæ huius durant , quousque alij authentici,& obligatorij publicentur. Absolutio vero harum censurarum Pontifici est reservata,extra mortis articulum. In quo tamen præstanda est satisfactione præmissa.Sacerdos sine legitima facultate ab his censuris absoluens ipso iure excommunicatur, eiusque absolutio est nulla.Absolutio vero generalis à Pontifice facta non comprehendit eos , qui his censuris innodantur. Reuocat Pontifex omnia priuilegia dispositioni huius Bullæ contraria.Et præcipit omnibus Patriarchis,Episcopis aliisque Ordinariis eius publicationẽ. Omnes vero Ordinarij,& qui ad cõfessiones fuerint deputati transsumptũ huius Bullæ habere debent. Demum aduersus eos, qui huic Bullę cõtraire pręsũpserint,indignatio Dei incurrẽda indicitur. Ex Bullę tenore

CAPVT VII.

De Excommunicatione lata à Iure contra Clericorum percussores.

78 *Textum præmitto.*

TExtum suppono *cap.Si quis* 12.*q.*4.*Si quis, Suadẽte Diabolo,manus violẽtas in Clericorũ vel*

vel Monachum iniecerit, Anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat.

79 *Quid per violentas manus significetur?*

Per *manus violentas* intelligitur actio iniuriosa contra Ecclesiasticam personam immediate consistens in opere, siue actio fiat manibus, siue pedibus, vnde actio, ob quã excommunicatio incurritur, alia est *principalis*, alia est *accessoria*. Principalis est ipsa iniectio manus violentæ in personam, aut in res personæ adhærentes; in personam, illam prosequendo furiose, ita vt cogatur aliquod malum pati, vel detinendo in custodiã, vel in alio loco, à quo nequeat exire sine dedecore, ac pudore, vel in illam conspuendo, aut virga percutiendo. In res, eripiendo violenter è manibus, aut violentiam faciendo rebus adhærentibus Clerico, verbi gratiã, violenter detinendo per vestes, easdem lacerando cohibendo equũ fræno, aut frangẽdo frænum equi, dum Clericus eo vtitur. Vnde non incurrit excommunicationem, qui lacerat vestes, vel alias res, quæ Clerico non adhærent. Quia tunc non videtur Clerico violentiam inferre. Accessoria autem actio est, mandare percussionem, effectu sequuto, eam nomine suo factam ratam habere, consentire consulendo, auxilium, & fauorem præbendo, non impediẽdo, cum ex iustitia, aut charitate teneatur absque proprio periculo: imo Clericum quamuis volentem, & consentientem percutiendo, quoties percussio est iniuriosa: Et quod maius est, si clericus se ipsum percutiat excommunicationem incurret. Quia, huiusmodi percussio est statui Clericali iniuriosa, cui iniuriæ persona priuata cedere non potest. Tolet. *libr. 1. capit. 31. numer. 4.* Reginal. *l. 1. num. 2. & 5.* Filliuc. *tract. at. 15. numer. 15. & 16.* Suar. *d. 22. section. 1.* Molin. *to. 4. tract. 3. disputation. 52.* Nauar. *summ. capit. 27. numer. 78.* Sayr. *l. 3. capit. 26. numer. 18.* Coninch *d. 14. dub. 15. nu. 168. & 170.*

80 *Quid Clerici nomine intelligatur.*

Clerici nomine intelligitur prima tonsura initiatus, quamuis coniugatus sit, modo deferat habitum Clericalem, alicuique seruiat Ecclesiæ, & non sit bigamus. Etiamsi coniugatus dimiserit habitum modo illum postea resumat, & contraxerit cum virgine: & sit excommunicatus, suspensus interdictus, irregularis, vel degradatus tantum verbaliter. Imo qui percuteret clericum, qui post susceptos Ordines Sacros matrimonium contraxit, hanc censuram incurreret. Quia Clericus Sacro Ordine initiatus non amittit priuilegium huius Canonis per contractum matrimonij: non enim fit bigamus bigamia vera, sed similitudinaria, & ficta, de qua iura non loquuntur. Non incidet vero percutiens ordinatum ante Baptismum vel per vim absolutam. Quia talis nõ fruitur Canonis priuilegio, cum sit inualide ordinatus Sylvest. *v. Excommunicatio, 6. num. 4.* Trident. *sess. 23. c. 6.* Molin. *to. 4. d. 50. nu. 3. & 4.* Nauar. *capit. 27. numer. 79.* Bonac. *d. 2. q. 4. punct. 1.* Sayr. *l. 3. c. 27. n. 31.* Vgol. *tab. 2. cap. 13. §. 15.*

81 *Quid Monachi appellatione.*

Monachi nomine comprehenduntur quinque personarum genera. Primò, omnes Religiosi, siue professi sint, siue nouitij, siue cõuersi etiam bigami. Secundò, omnes Moniales, tam professæ, quam nouitiæ, & conuersæ. Tertiò, Fratres Tertiarij D. Francisci, & D. Dominici habitũ Religionis gestantes ac gregatim viuentes: mulieres vero, si vitam virginalem, vel cœlibem, vel castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu traduxerint, hoc gaudent priuilegio, etiamsi domi viuant. Quartò, eremitæ alicui regulæ, aut Ecclesiastico superiori subiecti, si autem vagi sint, & specialem Ecclesiasticam obligationem non habeant, non videntur gaudere. Quinto, Milites Ierosolymitani, siue Equites Melitenses, Equites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcãteræ in Hispania Ordinis Christi in Lusitania: S. Stephani Florentiæ: S. Lazari in Sabaudia. Quia omnes hi sunt Ecclesiasticæ personæ tria vota seruantes. *C. Cum illorum, de sent. excom.* Suar. *d. 22. sect. 1.* Sanch. *sum. l. 4. c. 16. n. 12.* Nauar. *de regul. l. 3. consil. 10.* Reginal. *l. 1. n. 214.* Fil. *tr. 15. num. 14.*

82 *Quas personas particula Si quis comprehendat?*

Particula *Si quis* comprehendit omnes personas censuræ capaces. Quare omnes baptizati vsu rationis præditi (summo Præsule excepto) in censuram incurrent, siue sint viri, siue fœminæ: siue puberes, aut impuberes: siue inferiores, aut superiores: siue laici, aut Clerici, vel Religiosi. Tolet. *l. 1. cap. 11. n. 2.* Fill. *tr. 15. nu. 4.*

83 *Debet esse manuum iniectio, sua dente dicto.*

Vt autem censura incurratur, debet manuũ in Clericũ iniectio, *Suadente Diabolo*, ita vt sit mortale peccatũ. Quia ob solũ mortale excommunicatio maior fulminatur. Vnde excusantur, qui violentas manus iniiciunt, ex imperfectione actus, puta, si percussio sit in Clericum formaliter. Si sit per iocũ, si non sit animo iniuriandi, sed sese defendendi si fiat ex ignorantia probabili, vt si non videas personã aut de nocte percutias, vel nõ agnoscas ex habitu, quẽ non gestat: vel si ferat habitũ, tamen rationabiliter reputes, esse laicũ. Si Clericum causa correctionis percutis. Si Iudex sæcularis clericũ in crimine inuentũ capis, & in carcere detines in casibus, & modo à iure permisso. Si clericũ percutias ob iustã tui defensionẽ siue in persona, siue in honore, siue in rebus tuis; debet autẽ esse defensio incontinẽter, ideſt, in ipso aggressionis actu. Vnde mulier à clerico tentata eum non solũ verbo, sed & facto percutere, Si clericũ percutias, qui ter admonitus ab Episcopo, vel eius Vicario, vt habitũ clericalem gestet, ipse nolit gestare. Quia quamdiu habitum clericalem non infert, priuilegio clericali non gaudet. Denique si clericus percussus iam amiserat priuilegium, nempe si erat degradatus realiter, bigamus in minoribus, scurra per annum, vel breuiori tempore, ter admonitus non desistens: exercens publicè macellum, vel tabernã, & ter admonitus non desistit incedens publicè in laicali habitu arma deferens militaria. *Can. Nemo, 11. quæstion. 3.* Graf. *libr. 2. c. 42. n. 33.* Auila *de Censur. c. 5. d. 3. dub. 13.* Filliuc. *tr. 15. n. 4. Cap. Si vero, de sent. excom. c. Si Clericus, de sent. excom.* Lorichi. *in thesau. v. excommunicatio, nu. 23.* Coninch *d. 14. dub 15. n. 196.*

84 *De huius censura absolutione.*

Huius excommunicationis absolutio regulariter est summo Præsuli reseruata, vel illi, cui Pontificia competit authoritas, vt Legato à latere. Interdum tamen Episcopus potest per

per se vel per alium absoluere, quãdo scilicet percussio est leuis. Triplex namque potest esse enormis, mediocris, & leuis. Enormis seu grauis est, quæ coniungitur cum grani læsione, vel iniuria, vt cum membri mutilatione, vel cum magna profusione sanguinis, quæ non è naribus, sed aliunde proueniat: vel cum magno vulnere, aut ictu, licet parum cruoris effluat. Vel quando percussio est admodũ ignominiosa, attentis qualitatibus personarum. Leuis dicitur, non quia sit veniale peccatum, sed ita appellatur respectu grauis & mediocris, quæ sit pugno, palma, pede, manu, digito, baculo, vel lapide, nullam maculam, vel suggillationem carnium relinquens. Mediocris est, quæ media est inter leuem & enormem, qualis est illa qua dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut carnis suggillatio relinquitur. Porro ad Episcopum, vel alium prudentem virum attinet, iudicare, quando percussio sit leuis, mediocris, vel enormis. *Cap. Si quis* 12. *qu.* 4. *cap. Ad eminentiam de sentẽn. excom. cap. Peruenit, de sentent. excomm. Cap. Cum illorum de sent. excom.* Tolet. *l.* 1. *c.* 32. Regin. 1. *n.* 251. Moli. *to.* 4. *d.* 57. *n.* 1. Suar. *d.* 22. *n.* 88 Sylues. *v. Absolutio* 3. §. 4.

85 *Distinguuntur de percussione enormi mediocri, ac leui circa absolutionẽ impertiendam.*

Quando igitur percussio est enormis vel mediocris regulariter (vt dixi) absolutio ad sũmum Præsulem spectat: tamen dantur aliqui casus, in quibus possit eam Episcopus impertire. Nempe quando percussor corporali impedimento laborat, ad profectionem in Vrbem: vel paupertate premitur: vel est æger, valetudinarius, senex, debilis, cœcus, claudus, vel in articulo mortis constitutus. Quando aliquod impedimentum Canonicum habet, verbi gratiã, quia exercet munus publicũ: seruus, filiusfamilias, iustam causam habens. Et ob beneficium iuris, mulieres, impuberes, officiales Principum: & Ostiarij, qui causa sui officij, vel turbæ arcendæ, Clericum percussione leui, vel mediocri afficiunt. Clerici sæculares collegialiter viuentes sub eodem dormientes tecto, & in eadem domo vescentes, qui sese mediocri percussione vulnerarunt. Religiosi autem sese inuicem percutientes, absoluendi sunt à superiore si eiusdem sint Religionis: si verò diuersæ, absoluẽdi sunt percutientes non solũ à superiore suo, sed etiã à superiore Religiosi percussorum: quamuis vnus superior poterit alteri suas vices committere. Hæc autem de Religiosis dicta de iure communi procedunt; nam per priuilegia Mendicantes ab omni fere percussione absoluere possunt. Quoad absolutionem vero sæcularium ab hac excommunicatione in casu saltem ad Episcopum pertinente virtute priuilegiorum Ordinibus Mendicantium impensis, Confessarij eorumdem Ordinum illam valent conferre, dummodo satisfactio manifesta præmittatur, si sit possibilis: alias enim cautio realis aut iuratoria sufficit. *Cap. Quamuis, cap. Ea noscitur. Cap. De catero. cap. Quod de iis, de sent. excom.* Filliuc. *tr* 15. *n.* 36. Moli. *tom.* 4. *disput.* 9.

CAPVT VIII.

De Excommunicationibus summo Præsuli reseruatis extra Bullam Cœnæ & caput Si quis suadente Diabolo.

86 *Excommunicationes reseruatæ contra omnes genera. rim.*

PRæter excommunicationes viginti, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, & censuram, quã Clericorũ percussores incurrũt, aliæ sunt excõmunicationes sũmo Præsuli reseruatæ quarũ Catalogũ apponã. Ac primo, quę ferunt*ur contra Omnes.* 1. Excõmunicantur perieuerãtes per annũ in excõmunicatione lata à Papę delegato. *Cap. Quærenti, de offic. delegat.* 2. Falsarij litterarum Pontificalium. *Cap. Ad falsariorum de crimin. fal.* 3. Habentes litteras Apostolicas falsas, & non destruentes. *Cap. Dura, de crim. falsi.* 4. Incendiarij, ab homine excommunicati, & denunciati. *Cap. Tua nos, de sentent. excomm.* 5. Sacrilegi effringentes Ecclesias *Cap. Conquesti, de sent. excom.* 6. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa *c. Nuper, de sent. excom.* 7. Eligentes potentia insignem in Romanum Senatorem. *cap. Fundamenta, de elect. in* 6. 8. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt. *cap. Quicunque, de sentent. excomm.* 9. Absoluti ab excommunicatione populi sub conditione, & eam non implentes *cap Eos, qui de sent. excomm.* 10. Offendentes Cardinales. *cap. Felicis, de pœnis in* 6. 11. Exigentes à personis Ecclesiasticis tributa. *cap. De Clericis, de immun. Ecclesiar. in* 6. 12. Violantes Interdictum modis prohibitis in *Clement. Grauis, de sentent. excommunicat. ibid.* 13. Falsificantes monetam Regis Franciæ. *Extrau. Prodiens, de crimi.* 14. Exenterantes corpora defunctorũ. *Extrau.* 2. *de sepult.* 15. Violantes Interdictum Sedis Apostolicæ. *Extrau. Etsi, de pœn. & remiss.* 16. Conspirantes in Romani Pontificis personam. *Extrau. eadem.* 17. Dantes, & recipientes ob ingressum Religionis. *Extrau.* 2. *de simonia.* 18. Simoniaci in Ordine, & beneficio. *Extrau.* 2. *de Simonia.* 19. Taxantes opiniones de B. Mariæ Virginis Conceptione. *Extrau. Graue nimis, de vener. Sanct.* 20. Dantes, ac recipientes pro gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam. *Greg. XIII. Absipso Pontif.* 28. 21. Offendentes Magistratus Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Extrau. Dierum, de pœnis.* 22. Dantes nunciantibus prouisiones beneficiorum vacantium in Curia. *Gregor. XIII. solicite,* 4. 23. Occupantes bona Cardinalium in conclaui. *Concil. Constat. sess.* 41. Decret. *Omnis atas,* 24. Fingentes se nepotes Cradinaliũ, vt expediant litteras Apostolicas. *Leo X. Inhærendo,* 2. 25. Impedientes litterarum S. Pœnitentiariæ executionem. *Iulius III. Rationi Congruit.* 1. 26. Supponentes se in examine, vt beneficia impetrent. *Paulus IV. Inter cæteras,* 53. 27. Ambientes Papatum, eiusque causa simoniam committentes. *Paulus IV. Cum secundum Apostolum* 28. 28. Committentes duellum, consulentes, &c. *Pau-*

lus IV. Ea quæ, 25. 29. Deferentes alumina ex partibus infidelium ad fideles. *Pius IV. Ex Apostolicæ*, 43. 30. Mittentes litteras, aut nuncij in conclaui. *Pius IV. In eligendis*, 81. 31. Occupantes bona Montium pietatis, & piorũ locorum *Trident. sess.* 22. *c.* 11. 32. Fœminæ ingredientes Regularium Monasteria Apostolicæ facultatis prætextu. *Pius V. Regularium*, 22. 33. Suadentes Papæ, vt loca Ecclesiæ Romanæ infeudet. *Pius V. Admonet nos*, 35. 34. Capientes Christianos habitantes inter Turcas. *Pius V. Licet omnibus*. 56. 35. Committentes simoniam confidentialẽ. *Pius V. Intolerabilis* 87. 36. Non reuelãtes conspiratores cõtra Cardinales, *Pius V. Infelicis* 93. 37. Proponentes populo indicẽ casuum, & gratiarum cum indulgentiis. *Pius V. Quam plenam* 99. 38. Accipientes fructus, primi, vel secundi beneficij vacãtis *Pius V. Durũ nimis* 106. 39. Impugnantes Institutũ nostrę Societatis IESV, eiusq; Constitutiones *Gregor.* XIII. *Ascendẽte Domino* 100. 40. Facientes iurare illicita, ac contraria Ecclesiasticæ libertati. *Greg.* XIII. *Inter Apostolicas*, 103. 41. Diripiẽtes animalia, & alia bona in Ecclesiastico statu, & illa ementes, & permutãtes. *Gregor. XIII. Non sine graui*, 110. 42. Violantes Ecclesiæ immunitatem *Gregor. XIV. Cum alias*. 43. Docentes, licere per litteras, seu internuncium, Confessario absente, peccata Sacramentaliter fateri. *Clem. VIII.* 20. *Iunij, anni* 1601. 44. Extrahentes frumentum, bladium, legumina, animalia, &c. extra statum Ecclesiasticum & loca immediata. *Paul. V. Inter grauissimas* 23. *Decemb. anni* 1605.

87 *Speciatim contra Clericos.* Specialiter vero contra Clericos aliæ ferũtur excommunicationes. Eam incurrunt. 1. Participantes cũ excommunicato à Papa scilicet admittentes eum ad diuina. *Cap. Significauit de sent. excom.* 2. Inducentes ad iurandum, de eligenda apud eos sepultura, vel electa nõ mutanda. *Clement. Cupientes* §. *In, de pœnis.* 3. Procurantes fraudulenter alienationes Ecclesiarũ in earum detrimentum. *Paul.* II. *Cum in omnibus*, 2. 4. Procurantes post mortem vnius Pontificis eligi in successorem eius, *Leo X. in Concil. Later. sess.* 5. 5 Prædicatores qui nõ seruauerint decreta pro eis in Concil. Later. sub Leone X. *Leo X. ibid. sess.* ũ. 6. Parochi, qui adimplent iuramẽta de residẽdo certo tẽpore in suis Parochiis *Pius* IV. *Inter multiplices*, 87. 7. Accipiẽtes vel retinẽtes aperte, vel occulte beneficia quęcumque in confidentiam. *Pius* IV. *Romanũ Pontificem*. 87. 8. Absoluentes à casibus Papalibus, vel à reseruatis Ordinariorũ, priuilegiorũ prætextu. *Extrau. At si dominici*, 2. *de pœn. & remiss. & Clemens* VIII. 9. *Ianu. anni* 1601.

88 *Speciatim contra Religiosos.* Contra Regulares autẽ speciatim alię ferũtur. Afficiuntur namque excommunicatione. 1. Administrantes Sacramẽtum extremæ vnctionis, aut Eucharistiæ absque Parochorum facultate. *Clement.* 1. *de priuileg.* 2. Euntes vltra mare sine licentia Superiorum. *Extrau. Ad nostrum, de Regularib.* 3. Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes excepto Ordine Carthusiensium, sine Papæ licentia. *Extrau. Viam ambitios. de Regularib.* 4. Detinentes apostatas Dominicanos. *Bonifac. apud D. Antonin. p.* 3. *tit.* 34. *c.* 7. 5. Moniales exeuntes de clausula absque licentia tantum ex certis causis concedenda. *Pius V. Decori*, 100. 6. Superiores non denunciantes eos, qui mulieres in Confessione solicitant. *Paulus IV. anno* 1606. 7. Minores recipientes Fratres Ordinis Prædicatorum sine licentia Papæ. *Apud. D. Antonin. part.* 3. *titul.* 24. *c.* 70. 8. Minores de Obseruantia subornantes in electionibus, vel procurantes fauorem extra, ad officium in Religione obtinendum. *Pius V. Pastoralis* 131. 9. Claustrales recipientes Minimos sine Papæ licentia. *Iulius* II. *Virtute conspicuos*. 10. Tertiarij, Eremitæ, &c. habitum Minimorũ portantes. *Leo X. Licet alias*, 11. Minimi subtrahentes se à Correctorum obseruantia. *Paulus* III. *Cum sentent.* 12. Minores tempore Interdicti admittentes Fratres Tertij Ordinis ad diuina. *Clement. Cum ex eo, de sentent. excom.* 13. Recipientes aliquem ex nostra IESV Societate exceptis Carthusianis, sine sui Superioris licentia. (Imo iam nec Carthusiani excipiuntur.) *Pius V. Æquum reputauimus.*

Personæ vero publicæ hisce speciatim excommunicationibus innodantur. 1. Episcopi, aliique Ordinarij, qui per censuras vexant eos, qui pro suis negotiis, vel pro seruitio Papæ, & Curiæ Romanæ suis in Diœcesibus commorantur. *Extrau. 2. de priuil.* 2. Cardinales non seruantes statuta à Iulio II. vt scil. sine simonia Papa eligatur. *Iuli. V. Cum tam diuiso.* 3. Cardinales reuelantes gesta in secreto cõsistorio sub silentio seruari præcepta. *Leo X. Superne*, 9. §. *Statuimus insuper.* 4. Episcopus, qui in suspensione beneficia confert. *Pius V. Quanta* 58. 5. Cardinales ambientes Papatum, eiusque causa simoniam committentes. *Paulus IV. Cum secundum* 38. 6. Cardinales simoniaci in Ordine, & beneficio. *Pius V. Intolerabilis* 87. 7. Prælati qui personam Ecclesiasticam, Colegium, vel Conuentum traxerint ad laicale forum pro causis, quæ ad Ecclesiasticum forum spectant. *Martinus V. Ad reprimendam* 5. 8. Domini temporales cogentes aliquem Interdicti tempore. *Clement. Grauis, de sentent. excommun.* 9. Prohibentes subditis, ne quidpiam vendant Ecclesiasticis, neque ab eis emant. *C. fin. de immun. Eccl. in* 6. 10. Bannientes Regulares, aut proscribentes personas Ecclesiasticas. *Vrbanus* VI. *Quia sicut.* 2. 11. Concedentes, vel permittentes in terris suis duellum. *Trident. sess.* 25. *capit.* 19. 12. Inquisitores inferiores Episcopis male contra hæreticos procedentes. *Clement. Multorum* §. *Verum de hæret.* 13. Officiales non reddentes integrè computa Cameræ Apostolicæ. *Paulus* III. *Cum sicut.* 46. 14. Officiales Sacræ Pœnitẽtiariæ expedientes, aut concedentes sibi interdicta. *Pius V. In omnibus rebus.* 85. §. *Omnes vero.* 15. Officiales quicumque Papæ (præter Cardinales) accipientes munera extra comestibilia consumptibilia biduo dantes, ac recipientes. *Paulus* III. *Munera*, 3. 16. Legati, ac Gubernatores facientes, vel defendentes bãnitos, & homicidas. Et Domini Ecclesiæ subiecti, qui eos suis in terris receperint. *Pius V. Exsuperne.* 13.

89 *Contrapr. ſonas publi. cas.*

CAPVT

CAPVT IX.

De Excommunicationibus nemini reseruatis.

90 *Excommunicationes non reseruatæ in Decretis & Decretalibus.*

IN Decreto,& Decretalibus fertur excommunicatio 1. Contrà Gubernatores,& Iudices non reddentes ius Ecclesiasticis ob negligentiam,vel animum iniquum. *Cap. An Administratores 23. quæstion. 5.* 2. Contra illum, qui non electus saltem à duabus partibus Cardinalium in Papam,consentit suæ electioni:& cõtrà recipientes illum in summum Præsulem. *Cap. Licet,de vitanda,de elect.* 3. Contra Rectores, Consules, & alios officiales laicos, qui talias,vel alias exactiones indebitas Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis imponunt:& eorum fautores. *Cap. Non minus, & Cap. Aduers. de immun. Eccles.* 4. Contra Religiosos professos,qui diutius duobus mensibus absunt à suis Monasteriis, ad audiendas Leges, aut Medicinam. *Cap. Non magnopere, ne Clerici, vel Monachi.* 5. Contra Sacerdotem, vel alium Clericum habentem officium Vice comitis, aut Præpositi sæcularis, qui admonitus, se non vult emendare. *Cap. Clericis, ne Cler. vel Monac.* 6. Contra illos, qui violant libertatem Ecclesiasticam per modum statuti, vel consuetudinis. *Cap. Nouerit, de sentent. excomm.* 7. Contra illos, qui emunt, vel quouis alio modo acquirunt rem Ecclesiasticam à Schismatico, vel qui recipiunt beneficium ab illo, vel ordinationi ipsius Schismatici consentiunt. *Capite primo de Schismat.*

91 *Excommunicationes non reseruatæ in sexto.*

In Sexto autem Decretalium libro hæ excommunicationes indicuntur.1.contra mittentem scripturam, vel nuncium alicui Cardinali in conclaui existenti ad Romani Pontificis electionem, vel cum eo secretò loquentem. *Cap. Vbi periculum, de elect.* 2. Contra Dominos, Rectores, aliosque Officiales, qui diligenter non obseruant, aut fraudem aliquam committunt in eis, quæ hîc præcipiũtur obseruanda in summi Præsulis morte in terra ipsorum occumbentis. *Cap. Vbi periculum de elect.* 3. Contra omnes, qui per se, vel per alios præsumpserint vexare personam Ecclesiasticam, vel alia pia loca, eo quod rogata noluerit, aut non vult eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt. *Cap. Sciant cuncti, de elect.* 4. contra illos, qui vsurpare conantes nouè ius custodiẽdę,& seruandæ alicuius Ecclesiæ vacãtis, præsumũt,aliqua bona illius capere. *Cap. Generali, de elect.* 5. contra accersitum indirectorem electionis Monialium non temerantem,à rebus,ex quibus nasci,vel ali discordia possit. *C. Indemnitatibus de electi. Paragrapho vltim.* 6. contra procurantes, quod Iudices conseruatores sibi dati intromittant se ad alia,quã ad manifestas iniurias,& violentias:& extendant potestatem ad ea,quę iudicialem exigunt discussionem. *Cap. Hac constitutione,de offic. Iudicis delega.* 7. contra illos, qui vi, aut metu consequuntur absolutionem vel reuocationem sententiæ excommunicationis,suspensionis, vel interdicti. *c. vni. de hijs, quæ vi.* 8. contra eos,qui fingunt casũ, vel fraudem aliquam faciunt,quo Iudex ipse vadat ad accipiendũ alicuius fœminæ testimonium. *Cap. Mulieres,de iudic.* 9. contra illos,qui compellunt Ecclesiasticos,vt submittant Ecclesias,vel eorũ bona immobilia,aut iura laicis,in casibus iure prohibitis. *c. Hoc consultissimo,de reb. Eccl. non alienand.* 10. contra illos,qui instituũt nouũ Religionis Ordinẽ,aut accipiunt nouum illius habitum:& Mendicãtes,(exceptis quatuor Ordinibus)qui recipiunt aliquẽ ad suũ Ordinẽ. *c. vni. de Religios. domibus,* Iã hodie non habet locum,teste Toleto.11.contra illos,qui per se,vel per alios,suo nomine,vel alieno exigũt ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis pedagiũ pro personis,aut rebus,quas deferũt,vel deferri faciũt,nõ causa negotiationis. *c. Quãquã, de cẽsib.* 12. cõtra compellentes litigare in foro sæculari super causis Ecclesiasticis. *Cap. Quoniam, de immun. Eccles.* 13. contra Dominos temporales prohibentes suis subditis vendere sua Clericis, aut præstare officia. *cap. fin. de immunit. Eccl.* 14. contra Religiosos temerè habitũ relinquentes,& dimittentes:& DD. seu Magistros, qui Religiosos,habitu dimisso,Leges,vel Physicã audientes scienter docere, aut in Scholis retinere præsumunt. *c. Vt periculosa, ne Cler. vel Monac.* 15. contra præsumentes tradere Ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos, credentes eorum receptatores,defensores,vel fautores. Nec absoluendi sunt,donec propriis manibus publice extumulent. *c. Quicũq; de hæret.* 16. contra Potestates, Dominos temporales, Rectores, vel eorum Officiales,seu Balinos,si de crimine hæresis cognoscant, vel indicẽt;vel si captos pro eodẽ crimine absque Diœcesanorum, vel Inquisitorum licentia à Carcere liberent, vel si executionem pro huiusmodi crimine iniunctã à Diœcesano, vel Inquisitore non impleant; vel si directè,aut indirectè præsumant,illorum sententiam, aut processum impedire. Denique omnes in his scienter dantes consilium, auxilium, vel fauorem. *C. Vt inquisitionis,de hæret.* 17. contra Clericos, non Episcopos, qui permittunt, in terris suis publicos fœneratores versari, alienigenasque:vel qui non expellunt eos ex illis;vel qui locant illis, vel alio prætextu concedũt domos ad vsuras exercendum. *Cap. Vsurarum,de vsuris.*

Porro in Clementinis excommunicatione percutiuntur.1.Qui capientes beneficij fructus impediunt, vel infringunt sequestrum indictũ super beneficia ab Ordinario, ob latam in curia Romana vnam sententiam definitiuam super possessione, vel proprietate eiusdem. *Clement. vni. de sequest. possess. & fructu.* 2. Sepelientes aliquem in loco sacrato interdicto in casibus à iure non permissis:aut interdictos nominatim, vel excommunicatos publicos, aut vsurarios manifestos;Religiosos,qui nõ habẽtes beneficium,nec administrationem,sibi appropriant decimas. *Clement. 2. de sepult. Clement. Religiosi, de sepult.* 3. Religiosi simplices, qui petunt aulas Principum animo nocendi suis Prælatis,aut Monasteriis. *Clement. Ne in agro, §. Quia verò,de stat. Monach.* 4. Monachi,qui sine Abbatis facultate habẽt arma intra Monasteriorum

92 *Non reseruatæ in Clementinis.*

steriorum clausura. *Ibid.* 5. Illi, qui præsumunt Visitatores Monialium impedire, in eo, quod statuitur à Concilio, si à Visitatoribus admoniti, non cessant. *Clement. Attendentes*, §. *si de statu Monach.* 6. Ij, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis iure Canonico interdictis, aut cum Monialibus matrimonia contrahunt: necnon Religiosi, Moniales, ac Clerici in Sacris Ordinibus constituti matrimonia contrahentes. *Clement.* 1. *de consang. & affin.* 7. Inquisitores, ac Commissarij, illorũ, aut Episcopi, vel Capitula Sede vacante, qui sui officij prætextu illicitè sumunt pecuniã aliquã. Et qui sciẽter bona Ecclesiastica vsurpant. *Clement. Nolẽtes, de hæret.* 8. Omnes Officiales Ciuitatũ, vtcũque appellentur, qui faciũt, ribũt, vel dictant statuta, vt soluãtur vsuræ, vel quod solutæ non possint repeti. Et ij, qui iudicant, vsuras soluendas esse, aut non repetendas solutas. Et qui ad id potestatem habentes, è libris talia statuta non eradunt. *Clement.* 1. *de vsur.* 9. Religiosi, qui concionantur, vel aliàs dicunt aliquid ad auertendos audientes à soluendis decimis Ecclesiæ debitis. Et illi, qui de industria nullum conscientiæ scrupulum incutiunt in confessionibus pœnitentibus circà solutionem decimarum. *Clement. Capientes, de pœn.* 10. Religiosi, qui non seruant Interdictum, vel Cessationem à diuinis quam Cathedralis Ecclesia vel matrix, vel Parochialis Oppidi seruat. *Clement.* 1. *de sent. excom.*

93 *Octo in Tridentino excommunicationes non reseruatæ.*

Hæ excommunicationes in corpore Iuris continentur, supersunt nonnullæ aliæ, quæ in Extrauagantibus multis habentur: sed quia pleriſque in locis non videntur vsu receptæ, eas prætermitto. Demum in Tridentino octo aliæ feruntur excommunicationes. 1. contra imprimentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes Libros de rebus Sacris sine Auctoris nomine, & sine approbatione. *Trid. sess.* 4. 2. Contra prædicantes, vel docentes, vel pertinaciter asserentes, non esse necessariam Sacramentalem Confessionem habita confessarij copia, ante Communionem, his, quos peccati lethalis conscientia grauat, etiamsi constricti accedant. *Sess.* 13. *can.* 11. 3. Contra Raptores mulierum, ac illis consilium, ac fauorem præbentes. *Sess.* 24. *c.* 6. 4. Contra illos, qui quouis modo subditos suos vel quoscumque alios cogunt minus libere matrimonia contrahere. *Sess.* 24. *c.* 9. 5. Cõtra Magistratus seculares, qui non præbent auxiliũ inuocatum ab Episcopis, ad restituendum, vel conseruandum Monialium clausuram. *Sess.* 25. *cap.* 3. 6. Contra ingredientes septa Monasterij Monialium cuiuscumque generis, aut conditionis, ætatis vel sexus fuerint, sine licentia Episcopi, vel superioris in scriptis obtẽta. *Ibid.* 7. Contra illos, qui cogunt aliquam fœminam, præterquam in casibus à iure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendũ Religionis habitum, vel ad professionem emittendam. Eosque, qui consilium, auxilium, vel fauorem ad id dederint, vel præsentes ei actui scienter fuerint. *Sess.* 25. *c.* 18. 8. Contra illos, qui Sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel profitendi quo, quo modo sine iusta causa impedierint. *Sess.* 25. *capit.* 18.

SECTIO SECVNDA.

De Excommunicatione Dubia.

CAPVT X.

Circa Essentiam, & Causas Excommunicationis.

DVBIVM I.

An absolute prolata Excommunicatio semper de Maiore intelligatur?

94 *Non semper intelligitur de maiori.*

NON intelligitur semper de excõmunicatione maiori. Quia *c.* 1. *de exception. in* 6. quod est post Gregorium IX. dicitur, si quis in iudicio excõmunicationẽ opponat, illius specie declarare debere. *Quod dictũ est* (ait Glossa) *propter species excommunicationis maioris, vel minoris.* Ergo sub nomine excommunicationis absolutè prolato nõ venit excõmunicatio maior intelligẽda; alias nõ teneretur excommunicationis speciẽ declarare, cum satis declarata esset. Sic nonnulli ex Glossa.

95 *Semper de maiori intelligitur.*

Semper de excommunicatione maiori intelligitur. Quia sic definiuit Gregorius IX. *c. Si quem. penult. de sent. excom.* Licet enim ante ipsum excommunicatio simpliciter sumpta sæpe pro minori sumebatur, vt constat ex *cap. Sacerdote, de consecr. dist.* 1. & *cap. Exeltrudam* 3. 9. 4. Attamen post Gregorium nunquam pro minori, sed pro maiori semper sumitur. Ita Conar. *Cap. Alma mater* 1. *part. Paragraph.* 8. *num.* 5. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 1. *numer.* 1. Suar. *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 19. & alij communiter.

96 *Hoc iam certum.*

Hoc dicendum. Neque obstat tertius citatus Quia ibi species excommunicationis exprimenda est non quidem maior, aut minor, quia iam supponitur, maiorem esse debere: sed quænam species maioris sit, an violationis Ecclesiæ, an percussionis Clerici. Quod colligo ex verbis textus præcipuè ex §. *Si vero*, probãda enim erat excepptio apertissimis documentis,

tis, quod nullatenus fieri posset, allegata excommunicatione in genere, nisi illius causas, & circumstantias declararet. Mecum Suarius *disput. 8. de Censur. section. 3. num. 6.* & Coninch. *citatus.*

Dvbivm II.

Cum Excommunicatio fertur ob leuia multorum furta obligatne vt singuli pro minutis furtis satisfaciant?

97 *Nonnulla suppono.* SCio, causam materialem, ob quam Excommunicatio ferri potest, necessario esse lethale peccatum: alias enim hæc pœna, quæ est omnium maxima', culpæ non commensuraretur. Attamen obstare videtur vulgaris de vineæ denastatoribus casus. Contingit enim sæpe plures diuisim deuastare vineam, quorum singuli leuem surripuere quantitatem, neque vnus in alterius damnificationem consensit. Iudex vero Ecclesiasticus, vt hoc damnum reparetur, promulgat excommunicationem aduersus omnes illos, qui vineam deuastarunt, nisi restituant. Quæsierim itaque an huiusmodi excommunicationem incurrant ij, qui culpam leuem perpetrarunt obligantem eos ad restitutionem?

98 *Non incurrunt.* Non incurrunt. Quia licet finis, qui per excommunicationem obtineri intenditur, grauis sit, nempe grauis vineæ nocumenti reparatio: at quod singulis præcipitur, leue est, vt patet, leuiterque conducit ad præfati finis consequutionem. Non enim singulorum restitutio per se sumpta, cum leuis sit quantitas, reparare damnum graviter potest. Sic Nauar. *summ. capit. 17. numer. 139.* Couarruuias *ad cap. Alma. part. 1. §. 9. numer. 2. illat. 4.* Nauarra *libr. 3. de restitut. capit. 11. dubio 5. numero 49.*

99 *Incurrunt quidem.* Incurrunt quidem. Quia impossibile est, damnum graue domino vineæ minutis furtis singulorum illatum reparari, nisi singuli ea minuta furta restituant: ergo singulorum restitutio leuis quantitatis surreptæ graviter conducit ad damni illati reparationem. Igitur excommunicationem incurrunt, qua ad restitutionem damni illati obligantur. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæstion. 1. articul. 2.* Barbos. *3. de potest. Episcop. allegat. 96. numer. 29.* Henriquez *libr. 13. capit. 17. numer. 4.* Lessius *libro 2. capite 12. dubio 9. numero 55.* Suarius *disputatione 20. sectione 2. numero quarto*, & alij.

100 *Hoc verius esse reor.* Hoc verius esse reor. Nam quoties finis præcepti grauis est, & res, quæ præcipitur præfati finis consecutioni est necessaria, grauis est obligatio illam exequendi, quia præcepti grauitas non desumitur solum ex grauitate materiæ in se spectata, sed ex graui, vel leui conuenientia, quam habet cum fine intento.

Dvbivm III.

Omnis excommunicatus estne iure diuino vitandus?

101 *Est iure diuino seiunctus a fidelium communione.* ITa est qui excommunicatur, iure diuino seiunctus à fidelium communione, vt neque ipse cum eis, neque ij cum ipso valeant communicare, saltem in rebus diuinis, quę est communicatio Christicolarum propria. Quia *Matth. 18.* dicitur, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* & *Ioan. Epistol. 2. Nolite eum domo recipere, nec aue ei dixeritis.* Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Castro Palao *de Censu. disputat. 2. punct. 4. numer. 1.*

102 *Non est seiunctus iure diuino, sed soli Ecclesiastico.* Omnis excommunicatus solo iure Ecclesiastico prohibetur, ne cum fidelibus possit communicare. Quia licet potestas excommunicandi fuerit à Christo Domino suæ Ecclesiæ concessa, at excommunicationis institutio à sola Ecclesia Ecclesiorum habet. Aliàs si priuatio communionis esset excommunicatis iure diuino indicta, non posset Ecclesia hanc priuationem restringere, vel extendere, aut aliquo modo mutare, sicut pro temporum varietate factum esse colligitur ex *cap. Quoniam multos, 11. quæstion. 3.* Ita Suarius *disputation. 8 section. 1.* Hurtad. *disputation. 2. difficultat. 2.* Stephan. Dauila *de Censur. part. 1. cap. 3. d. 1. dub. 6.* Coninch. *d. 14. dub. 2.*

103 *Verissimum hoc esse affirmo.* Verissimum hoc esse defendo. Neque ex verbis Matthæi, & Ioannis colligitur inobedientem necessario esse vitandum. Verba enim illa non continent præceptum: alias omnes rebelles Ecclesiæ, & incorrigibiles ipso iure essent excommunicati vitandi. Sed consilium denotant, & admonitionem, ne cum hæreticis incorrigibilibus, & contumaciter inobedientibus communicemus tum, ob contagionis periculum, tum ipsi confusi, resipiscant.

Dvbivm IV.

Circa excommunicatos vitandos, standumne est constitutioni Concilij Basilienſis, & non Constantiensis?

104 *Nonnulla præmitto.* ANte Concilium Constantiense, qui erat ab Ecclesia excommunicatus, tenebatur separare se à conuictu, & communicatione aliorum fidelium, & fideles ab ipso: ita vt si excommunicatio publica esset tenebantur in publico: si secreta secreto, vti constat ex *cap. Cum non ab homine, de sentent. excommunicat.* At in Concilio Constantiensi anno 1414. celebrato, & à Martino V. confirmato decretum est, neminem à Communione alicuius, Sacramentorum administratione, aut aliis quibuscumque diuinis intus, & extra prætextu cuiuscumque sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneri, & obligatū esse abstinere, vel aliquem vitare, nisi

sententia, vel Censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatem, communitatem, aut locum certum à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse. Porrò huic constitutioni Consilium Basilienſe *sess.* 20. moderationem adhibuit, vt non solum Clerici notorius percussor, (quod solummodo Constantiense excepit,) sed quicumque notorius excommunicatus vitandus sit. Hinc quæsierim, cuinam constitutioni sit standum, an Constantiensi, an Basilienſi?

105 *Basilienſi standum, nō Constantiensi.* Basilienſi quidem, non Constantiensi standum est. Quia Basilienſis constitutio expresse habetur in dicto Concilio, secus Constantiensis, quæ tantum ex Doctorum relatione constat. Sic Felin. *ad cap. Rodulphus, circa fin. de rescript.* Sylvest. *verb. Excommunicatio* 5. *numer.* 9. Nauarr. *ad cap.* 1. §. *laboret, de pœnit. distinct.* 8. Albertin. *in repet. in Rubr. de hæretic. numer.* 44. Couarruuias *ad cap. Alma, part.* 1. §. 2. *numer.* 7. Vgolin. *de Censur. tab.* 1. *capit.* 13. §. 7. *numer.* 8.

106 *Constantiēsi non Basilienſi standum.* Constantiensi, non Basilienſi standum constitutioni. Quia Concilium Basilienſe omni authoritate fuit destitutum, vtpote acephalum, ideoque in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 11. dicitur, non fuisse Concilium, sed Conciliabulum, & in multis errauit, maximè in Eugenij IV. depositione. Vnde ipse Eugenius illius decreta reuocauit, exceptis quibusdam pertinentibus ad beneficiorum collationes, dispensationes, Censurarum absolutiones. Ita Sayrus *libr.* 2. *Thesaur. capit.* 12. *numer.* 9. Laymen. *libr.* 1. *tractat.* 5. *part.* 2. *capit.* 4. *numer.* 2. Sylvest. mutans sententiam *in Epistol. ad lector. fol. vltim.* Victor. *de excommunicat. numer.* 20. Auila *part.* 2. *capit.* 6. *disputation.* 2. *dub.* 1. Henriquez *libr.* 8. *de excomm. num.* 1. Suar. *d.* 9. *sect.* 2. *num.* 5.

107 *Hoc longe mihi verius.* Hanc sententiam longe veriorem esse existimo. Nicolaus namque V. vti constat ex Bulla eius data Spoleti 14. Kalend. Iulij anno 1439. Basilienſis Concilij eadem quæ Eugenius decreta reuocauit. Præterea vsu, & consuetudine in Gallia, in Germania, & Belgio, quæ est optima legum interpres, habetur notorij hæretici, aliorumque excommunicatorum conuictum non vetari, quousque eorum excommunicatio declaretur. Constat igitur, non esse obligatos fideles excommunicatum notorium siue facto, siue iure vitare, quousque denunciatus sit, nisi Clerici percussor extiterit. Quia constitutio expresse requirit Censuræ denunciationem, quæ facienda est in Ecclesia, vel alio loco publico, iuxta regionis consuetudinem.

Dvbivm V.

Teneturne quis excommunicatum denunciatum, vel manifestum Clerici percussorem vbilibet vitare?

108 *Statim quæstionis.* SAtis probabile existimo quemlibet licite posse eum non solum occulte sed & publice vitare. Quia excommunicatio iure vel facto publica in vno loco absolute publica est, & vt talis probari potest. Ergo dat fidelibus potestatem vitandi huiusmodi excommunicatum. An vero teneatur, in quæstionem adduco?

Tenetur plane. Quia Concilium Constantiense præcipit vitare excommunicatum denunciatum, & manifestum Clerici percussorem, neque restringit præceptum ad denunciationis, vel percussionis locum. Sic Bonacin. *de excommunicat. disputation.* 2. *quæstion.* 2. *punct.* 6. §. 2. *numer.* 48. Vasquez *de excommunicat. dub.* 8. *numer.* 2. Filliucius *tractat.* 13. *numer.* 49. Henriquez *libro decimo tertio, capite* 24. *numero* 1. 109 *Tenetur plane.*

Minime tenetur. Quia excommunicatus publicus in vno loco non est censendus publicus esse in alio; nam esto denunciatio personam afficiat, id intelligendum est comparatione illorum, quibus denunciatur, seu in quorum notitiam deuenire denunciatio potest. Ita Sanch. *libro* 2. *Decalogi capite* 11. *numero* 20. Durand. *in* 4. *distinction.* 18. *quæstion.* 5. Paludan. *ibi, qu.* 6. *articul.* 1. *numer.* 5. Auila *part.* 2. *cap.* 6. *disput.* 11. *dubio* 12. 110 *Non tenetur.*

Hæc mihi verior opinio, ex cuius ratione infero, neque etiam secreto quem obligatum esse excommunicatum huiusmodi vbilibet vitare. Quia obligatio vitandi eum etiam secreto post Concilium Constantiense non oritur ex excommunicatione, sed ex ipsius notoria denunciatione. At illo in loco, (vt supponimus) non est denunciatio notoria: Ergo nullam vitandi eum obligationem inducit. 111 *Veriorem hanc sententiam esse credidem.*

Dvbivm VI.

Estne graue peccatum, seclusa necessitate, excommunicatum inducere, vt tibi Sacramenta ministret, celebret officium diuinum, vel tecum recitet?

SVppono, stante necessitate, vel speciali vtilitate, qualis esset, non reperire alium, qui æque bene hæc tibi beneficia conferat licitum tibi esse. Quia in huiusmodi inductione non peccas contra censuram, siquidem ex vi censuræ nulla tibi communicatio cum his excommunicatis interdicitur; neque etiam ob inductionem ad peccatum, quia non inducis ad iniquam Sacramentorum administrationem, & celebrationem; hanc enim non postulas, sed administrationem Sacramenti, & celebrationem secundum se, quę per se licitè fieri possunt ab excommunicato tolerato, stante necessitate, aut vtilitate petentis. Quæstio autem est, num, seclusa necessitate, sit graue peccatum inducere excommunicatum, vt tibi Sacramenta ministret, celebret officium diuinum, vel tecum recitet? 112 *Ita Nauarr. suppon.*

Graue quidem peccatum est. Quia delinquis non quidem contra censuræ præceptum, sed contra Religionem, vel charitatem inducendo excommunicatum ad actum, quem posita censura licite præstare non valet. Si enim Ecclesia eum à se præscindit, quomodo intentionem 113 *Graue peccatum est.*

tionem habere poterit, vt tanquam sui minister,& suorum bonorum dispensator,& legatus apud Deum assumatur? Sic Auila *part. 2. cap. 6. dis. 8. dub. 1.* Suarius *disp. 11 section. 4. num. 10.* Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 4. num. 5.* Basil. Legion. *libr. 5. de matrimon. cap. 18. §. 9.* Coninch. *disputation. 14. dubio 3. conclusione 3. & 4.*

114 *Non est graue peccatum.* Non est graue, imo per se nullum peccatum est. Quia Concilium Constantiense fidelibus concessit potestatem cum excommunicatis non denunciatis communicandi tam in diuinis, quã extra, ac si excommunicati non essent. Quæ facultas inutilis esset, si virtute Religionis, vel charitatis ab hac communione arceri deberent. Ita Sanchez *libr. 7. de matrimon. disput. 9. numer. 8.* Sayrus *libr. 2. thesaur. cap. 12. num. 10.* Henriquez *libr. 13. capit. 6. & 10.* Hurtado *disp. 4. difficultat. 4.* Filliucius *tractat. 13. capit. 3. & 4.* & alij.

115 *Hos sequor Doctores.* Hos sequor asserens, intercedente fidelium petitione non impediri excommunicatos ratione excommunicationis, Sacramenta ministrare,& sacrificium offerre. Neque inde fit excommunicatos vi Concilij Constantiensis in aliquo releuari. Non enim releuantur ipsi directe, sed releuantur fideles à prohibitione antea habita; tametsi ex hac releuatione resultet, ipsos excommunicatos releuari, quod est per accidens,& præter Ecclesiæ intentionem. Vnde colligo excommunicatos toleratos nullo modo priuari potestate exercendi actus, qui in fidelium vtilitatem cedere possunt, nempe Iudicem non priuari potestate iudicandi, nec Prælatum potestate dispensandi, conferendi beneficia, absoluendi à censuris, & peccatis. Nam cum hæc omnia permissum sit subditis à suo Superiore excommunicato petere, necessum est fateri, ipsum posse ea illis concedere.

CAPVT XI.

Circa Excommunicationis Maioris effectus.

DVBIVM VII.

De primo Excommunicationis effectu. *Estne licitum, in genere, & in communi pro excommunicatis orationes publicas, & Missæ Sacrificium offerre?*

116 *Primus nullã habet limitat.* PRIMVS effectus excommunicationis, (vti *section. 1.* vidimus) est, priuare excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis. Recolo autem triplex esse Ecclesiæ subsidium. Primum proueniens à Christo Domino suo Patri, medio Sacerdote, Missæ Sacrificium offerente. Secundum ab Ecclesia, quæ mediis suis ministris, publicas fundit orationes, sacrificium peragit, satisfactionem è Christi thesauro, Sanctorumque dispensat. Tertium oritur ex operatione cuiusque fidelis, vt particularis persona est. Porro excommunicatus solum priuatur spiritualibus subsidiis nomine Ecclesiæ factis. Vnde non licet, pro eo in particulari publicas orationes fundere, & Missæ Sacrificium nomine Ecclesiæ offerre. Quæsierim verò, num sit licitum, in genere, & in communi pro eo suffragia, ac sacrificia offerre?

117 *Licitũ est.* Licitum est. Quia in hac oratione solum postulatur excommunicati reductio, ac pœnitentia, quod est maximum bonum, & quod media oratione, & sacrificio impetrari ab Ecclesia intenditur. Fauetque huic sententiæ Ecclesiæ vsus, quæ feria sexta Parasceues pro Schismaticis, ac hæreticis orat, quos constat esse excommunicatos. Sic Syluest. *verb. Excommunicatio 1. num. 2.* Marian. Socin. *ad cap. Sacris, num. 242. de sent. excomm.* Couar. *cap. Alma p. 1. §. 6. n. 3.*

118 *Non est licitum.* Non est licitum. Quia Ecclesia sua bona propriis membris dispensare intendit; non vero iis, quæ à se separauit. Alias si Ecclesiæ subsidia excommunicato prodessent saltem in genere, excommunicati nõ amplius essent exclusi ab Ecclesiæ suffragiis, quam alii fideles, pro quibus speciali intentione non offeruntur; his enim tantummodo in genere prosunt. Ita Auila *part. 2. capit. 6. disputation. 9. dub. 3.* Vasquez *de excomm. dub. 2.* Sayr. *l. 2. thesaur. c. 4. n. 4.* plures referens.

119 *Hoc probabilius esse iudico.* Hoc censeo probabilius. Nam quod Ecclesia pro hæreticis, & Schismaticis feria sexta Parasceues oret, & non alio die, inde potius colligo nolle aliis temporibus pro ipsis orare. Eo autem die orat, vt significet Christi passionem tunc repræsentatam quatenus est ex se, ad omnes se extendere. Nemini igitur fidelium licet directe pro excommunicatis orationes publicas fundere Sacrificiumve Missæ offerre. Bene tamen pro hæresũ extirpatione, Fideique dilatatione, & Ecclesiæ obedientia. Quia licet hæc oratio in hæreticorum, ac excommunicatorum bonum cedat, id est consequenter: nam directè in ea oratione bonum Ecclesiæ spectatur.

DVBIVM VIII.

An pro excommunicatis contritis possit Sacrificium offerri?

120 *Potest quidem.* SI excommunicati contriti sint, neque pro ipsis stat quin ab excommunicatione absoluantur, potest pro eis publica oratio, ac Missæ Sacrificium offerri. Quia non est credendum Ecclesiam velle priuare contritos, ac pœnitentes his subsidiis, cum solum, vt à contumacia recedant, pœnam excommunicationis indixerit. Verum cum excommunicatus contritus iam sit membrum viuum Ecclesiæ, debet aliorum membrorum subsidiis vegetari. Sic Sayrus *libr. 2. thesaur. capit. 4. numer. 5.* Auila *part. 2. capit. 6. disputation. 4. dub. 2.* Henriquez *libr. 9. capit. 15. numer. 3.* Nauarr. *summ. cap. 27. nummer. 18.* Diu. Antonin. *part. 3. titul. 24. capite 76.*

Offerri

121 *Non potest.* Offerri non potest. Quia excommunicatus quantumuis contritus sit, & contumaciæ pœniteat, non excutit à se excommunicationem, quæ non pœnitentia, sed absolutione tollitur: At excommunicatione perseuerante, debent illius effectus persistere: ergo. Ita Sotus *in* 4. *distinction.* 22. *quæstion.* 1. *articul.* 1. Suarius *disputation.* 9 *section.* 3. Layman. *libr.* 1. *tractat.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Hurtado *disputation.* 2. *difficultat.* 5.

122 *Verius hoc mihi.* Hæc sententia mihi magis arridet, quam sumi existimo ex *Cap. Sacro, de sentent. excommunicat.* vbi Innocentius III. decidit, pro excommunicato defuncto, qui ante obitum signa contritionis exhibuit, & absolutionem procurauit, non esse oblationes recipiendas, neque publicas instituendas orationes antequam ab excommunicatione absoluatur. Quia licet solutus sit vinculo culpæ quoad Deum, non tamen à vinculo censuræ est solutus. Quod autem excommunicatus sit membrum viuũ aliis fidelibus, & Christo vnitum, solum probat, communicare cum aliis fidelibus in orationibus, ac suffragiis particularibus, ob quam communicationem eius orationes Deo redduntur gratiores, ac facilius exaudiuntur.

Dvbivm IX.

Possumusne orationes publicas, & Sacrificium pro excommunicato tolerato offerre?

123 *Non possumus.* NOn possumus. Quia Concilium Constantiense permisit fidelibus communicare cum excommunicatis non denunciatis ea communicatione, quæ in fidelium vtilitatem cedere posset, siquidem in fauorem lata fuit illa constitutio. At publicas orationes, & Sacrificium pro excommunicatis offerre, haud cedit in offerentium fauorem, sed in fauorem eorum, pro quibus offertur: ergo hæc communicatio permissa non est. Sic Sotus *in* 4. *distinction.* 22. *quæstion.* 1. *articul.* 4. *conclusion.* 2. Scortia *libr.* 2. *de Sacrific. Miss. capit.* 2. *num.* 4. Auila *part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 9. *dub.* 3. Suarius *disputation.* 9. *sect.* 2. *numer.* 16.

124 *Possumus quidem.* Possumus quidem. Quia Concilium Constantiense permisit fidelibus communicare cum excommunicatis non denunciatis tam intus, quam extra, ideſt, tam in communicatione externa humana, & diuina, quam in interna orationum, & oblationum: quæ quidem cedit in fauorem fidelium, ne scrupulis agitentur ob dubium, an hi, vel illi excommunicati sint, vel vitandi in orationibus publicis, & suffragiis. Porro excommunicatis iure antiquo, si occulti erant, negari suffragia publica non poterant, *Cap. Cum non ab homine, de sentent. excommunicat.* At iure nouo solum excommunicatus denunciatus, & manifestus Clerici percussor excluſus est à publicata, & secreta fidelium communicatione, ergo quemlibet alium admittere fideles poterunt, ac si excommunicatus non sit. Ita Layman. *libr.* 1. *tractat.* 5. *part.* 2. *capit.* 5. *num.* 8. Hurtado *disputation.* 2. *difficultat.* 4. *numer.* 10 Henriquez *libr.* 13. *capit.* 11. *numer.* 2. Vgolinus 1. *de Censur. tab.* 2. §. 2. *numer.* 3. Sayrus *libr.* 2. *thesaur. capit.* 4. *numer.* 6. Coninch. *disputat.* 14. *dub.* 6. *numer.* 40.

125 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam, qua quidem facilius saluatur vsus piorum virorum offerẽtium Missæ Sacrificium pro hæreticorum reductione, excommunicatorum pœnitentia. Nam concesso posse pro excommunicatis toleratis poſse Sacrificium directè offerri, nullum est inconueniens affirmare, cum Sacrificium offertur pro hæreticorum, Schismaticorumque reductione, offerri directe pro hæreticis, ac Schismaticis non denunciatis. Certe huiusmodi cõmunicatio in fauorem cedit fidelium tum ad eorum conscientias sedandas, tum ad gratiæ augmentum, tum ad aliquod temporale commodum. Ob oblationem enim illam possunt temporale stipendium accipere.

Dvbivm X.

An excommmunicationem contra sepelientes cadauer excommunicati in Sacro loco solum subeant qui propriis manibus sepeliunt, sed & mandantes sepeliri?

126 *Nonnulla premitt.* QVi excommunicatum denunciatum, vel manifestum Clerici percussorem in loco Sacro sepeliunt, excommunicationem maiorem incurrunt, neque ab ea sunt absoluendi, nisi prius Episcopi Diœcesani arbitrio satisfactum sit iis, quibus eo facto est irrogata iniuria. Solum est dubium, quinam nomine sepelientium comprehendantur? Et certum est, non comprehendi comitantes corpus defuncti, nec Clericos canentes, nec fossam prius aperientes, quia licet hi vulgari modo dicantur defunctum sepelire, sed non proprie. Quare proprie sepelit, qui in sepulchrum corpus immittit, ac terra cooperit. Quæsierim vero, an alij præter hunc comprehendantur?

127 *Eti solo comprehenduntur, sed non mandantes, sepeliunt.* Solummodo comprehenduntur qui corpus defuncti propriis manibus sepeliunt, non autem mandantes, sicuti nec comitantes. Quia aliud est mandare defunctum sepeliri, aliud sepelire. At excommunicatio lata non est aduersus mandantes, sed aduersus sepelientes, pœnæque non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem. Sic Nauar. *Summ. capit.* 27. *numer.* 37. Hurtado *disputation.* 5. *difficult.* 4. Auila *capit.* 6. *dub.* 6. Bonacin. *de Censur. disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 2. §. 3.

128 *Non hi soli comprehenduntur.* Non ij soli comprehenduntur, sed etiam, qui mandant sepeliri, ne constitutio frustranea sit. Quia si solum immittentes cadauer in sepulchrum comprehenderentur, raro vel nunquam excommunicatio locum haberet; nam hi cum sint homines rustici, ac iuris ignari, à censura ob illius ignorantiam excusarentur, aut ex metu quidem, facile iis incuti posset. Ita Reginaldus *libr.* 32. *numer.* 19. Suarius *disputation.* 12. *section.* 4. Fillincius *tractat.* 12. *numer.* 111. Coninch. *disputation.* 14. *dub.* 8. *numer.* 67. & 68.

& 68. Vgolin. *de Censur. tab. 1. cap. 9. Paragraph. 5.*

129 *Hanc præfero sententiam.* Hanc præfero sententiam. Quia quoties constitutio, vel lex frustranea redditur, nisi extendatur ad casum sub proprietate verborum non comprehensum extensio est admittenda. Vti docet Gloss. final. *Cap. 2. de Vsur. in 6.* Felinus *ad cap. Translato, num. vltim.* Couarruuias *libr. 4. variar. capit. 3. numer. 9.* Sanchez *libr. 3. de matrimon. disputation. 49. numero quarto.* Ergo in præsenti ad mandantes Censura erit extendenda.

Dvbivm XI.

De secundo effectu excommunicationis. *Excommunicatus ex ignorantia, vel oblivione non manifestat, in Confessione Censuram, nec Sacerdos eum ab ea ad cautelam absoluit: recipitne Sacramentum Pœnitentiæ, eiusque effectum, si omnia peccata cum vera contritione manifestet?*

130 *Nonnulla præmitto.* Secundus excommunicationis effectus est passiua Sacramentorum priuatio. Certe excommunicato etiam non denunciato interdicta est Sacramentorum receptio. Attamen etiamsi absque necessitate Sacramenta recipiat, valida erit eorum receptio. Sacramento Pœnitentiæ excepto. Quæsierim autem, an excommunicatus, qui vere contritus sua delicta integre manifestat in Confessione, sed ex ignorantia Censuram non manifestat, nec ad cautelam de more Confessarius eum ab ea non absoluit, Sacramentum Pœnitentiæ eiusque recipiat effectus?

131 *Non recipit Sacramentum Pœnitentiæ.* Non recipit. Quia media excommunicatione separat eum Ecclesia à Sacramentorum participatione, in quantum potest. At potest ita excomunicatum separare à Pœnitentiæ Sacramento, vt quamuis illud recipiat, nullius sit effectus vti præstaret, excommunicatum à iurisdictione Sacerdotis excludens. An non absolutio data ab excommunicato denunciato est omnino irrita? Ergo & absolutionis excommunicati receptio irrita erit. Sic Sylueſter *verb. Confessio, 1. quæstion. 3. capit. 5.* Sotus *in 4. distinction. 22. quæstion. 1. articul. 1.* Hurtado *disput. 4. difficult. 3. numer. 28.* Vasquez *de excommunicat. dubio 4.*

132 *Recipit plane.* Recipit planè veram à peccatis absolutionem. Quia nullo iure cauetur, irritum, & inane reddi Sacramentum ab excommunicato receptum, siquidem alia Sacramenta, quæ ab Ecclesia poterant irritari, minime irritantur. Cur ergo fingere debemus in Sacramento Pœnitentiæ hanc irritationem interuenire? Quod enim excommunicatus sit à Sacramentis exclusus, solum probat, indebite ea recipere, si Censuræ sit memor, & illius absolutionem voluntariè non præmittens: at in nostro casu inculpabiliter, omissa Censuræ absolutione, Pœnitentiam recipit: ergo cessat indebita receptio, & consequenter causa, ob quam Sacramentum poterat esse nullum. Ita Nauarr. *summ. cap. 9. num. 7.* Henriquez *libr. 13. cap. 12. num. 2.* Vgolinus *de Censur. tab. 2. cap. 7. §. 2. numer. 5. & 6.* Suarius *disputation. 10. section. 3. numer. 9.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 2. cap. 2. numer. 1.* Valentia *tom. 4. disputation. 7. quæstion. 12. punct. 3.* Bonacin. *de Censur. disput. 2. quæstion. 2. punct. 2. §. 1.*

Longe hoc probabilius. Quia non credam de Ecclesiæ pietate, velle pœnitentem contritum à Sacramenti receptione, ex qua forte eius salus æterna pendet, excludere. Profecto hæc ratio in excommunicato denunciato, ac vitando procedit. Nam si de tolerato loquamur certum existimo, absolutionem illi collatam validam esse; cum enim Sacerdos vi Censuræ non teneatur illum vitare in Sacramentorum collatione, sed possit ei quælibet Sacramenta conferre: manifestum est, eorum collationem validam fore, si ex parte suscipientis impedimentum aliud non apponatur: constat igitur Ecclesiam non separare à se excommunicatum, quantum potest, alias nec permitteret fidelibus cum ipso non denunciato communicare, neque pro ipso denunciato orationes priuatas fundere. 133 *Hoc longe probabilius.*

Dvbivm XII.

Si Sacramentum Pœnitentiæ ægrotus suscepit, excommunicatus potestne ei licite Eucharistiam ministrare? De tertio excommunicationis effectu.

134 *Status quæstionis.* Excommunicatus priuatus est Sacramentorum collatione, sed non ita rigide, quin valida sit eorum ministratio, Sacramento Pœnitentiæ excepto. Hoc enim Sacramentum inualide ab excommunicato vitando administratur, aliquibus casibus exceptis, in quibus retinet iurisdictionem, nempe quando aliquis est in mortis periculo, neque alius non impeditus adest, qui possit, ac velit Sacramentum periclitanti ministrare, & in aliis euentibus, de quibus *section. 1.* Excommunicatus itaque vitandus, quando Sacramentum Pœnitentiæ ægroto collatum non est, optime potest ei Eucharistiam, vel Extremam Vnctionem ministrare, imo tenetur. Quia cum quodlibet Sacramentum virtutem habeat faciendi de attrito contritum, continget aliquando ob receptionem Eucharistiæ, vel Extremæ Vnctionis obtineri salutem, quæ his Sacramentis non receptis minime obtineretur. Si autem ægrotus Pœnitentiæ Sacramentum susceperit, quæsierim, num huiusmodi excommunicatus possit ei Eucharistiam ministrare?

135 *Minime potest.* Excommunicatus vitandus minime potest. Quia Eucharistia non est ad salutem necessaria, cum non sit per se instituta ad peccati mortalis remissionem. Et ex alio capite, cum iam Pœnitentiæ Sacramentum æger receperit, cessat casus necessitatis. Neque obstat præceptum diuinum exigere, vt omnes fideles in mortis articulo Eucharistiam recipiant; quia illud præceptum cessat, quando non potest decenter Sacramentum administrari. Sic Hurtado *disputation. 4.*

tation.4.difficultat.2. numer. 22. Auila *part 2. capite 6. disputation. 3. dubio 3. conclusione quarta.*

136 *Potest plane.* Potest equidem Eucharistiam vitandus excommunicatus administrare ægroto. Quia hoc Sacramentum reputandum est necessitatis iuxta illud, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ioan.6.* Et licet non sit necessarium necessitate medij, est tamen maxime necessarium, vt sulciatur æger, viresque recipiat, ad dæmonis suggestiones illo in articulo superandas. Non est ergo credendum, piam matrem Ecclesiam velle fideles tanto beneficio priuare. Ita Suarius *disputation.11.section.1.num.17.* Castro Palao *de Censur. disputation.2.punct.8. numer.7.*

137 *Hanc sententiã amplector.* Hanc sententiam amplector. Nam si licet tibi ab excommunicato vitando cibum temporalem sumere, si eo grauiter indigeas: cur non licebit spiritualem hunc cibum accipere, qui vires spirituales tribuit ad tentationes superandas, quæ ab æterna salute forte ægrotum deuiarent, nisi tanto alimenti huius sacerrimi robore donaretur? Profecto contingere potest in Confessione gratiam non recepisse, & postmodum bona fide Eucharistiam suscipiendo, iustificari. Ob quas & alias rationes tempore Interdicti Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia fidelibus conceduntur. *Cap. penultim. de sentent. excommunicat.* & *Cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.*

Dvbivm XIII.

Administratio Pœnitentiæ ab excommunicato vitando facta, constituitne eum irregularem?

138 *Nonnulla suppono.* Scio, excommunicatum siue vitandus sit, siue non vitandus, illicite Sacramenta ministrantem, vel Officium Ordinis Sacri, irregularitatem incurrere ex *Cap. Si quis. 3.11. quæstion. 3.* & *ex Cap. vltim. de Clerico excommunic. ministr.* Quæsierim tamen, num administrando Pœnitentiam excommunicatus vitandus irregularis fiat.

139 *Irregularis non fit.* Non fit irregularis. Quia huiusmodi excommunicatus iurisdictione caret, vnde propriè & vere Sacramentum non ministrat, sed ministrare tentat. At irregularitas non imponitur ob attentatum actum Ordini Sacro annexum, sed ob ipsum actum præstitum: sicuti non imponitur ob attentatum homicidium, sed ob ipsum homicidium. Sic Richard. *in 4. distinct. 18. a. 7. q. 5.* & probabiliter reputat Suar. *d. 11. sect. 3. num. 14.* addens, esse verum, si absque absoluendi intentione, Sacramentum Pœnitentiæ ministretur.

140 *Fit irregularis.* Irregularis fit. Quia licet Sacramentum vere non conficiat: at in communi loquendi modo Sacramentum absolute ministrat. Sed irregularitas non est imposita excommunicatis Sacramentum valide ministrantibus quantum in se est, seu fungentibus ordinis iurisdictione, ac potestate: alioquin excommunicatus ministrans Pœnitentiam indispositio, irregularis non esset, vtpote qui verum Sacramentum non ministrat. Ita Suarius *vbi sup.* Palao *de Censur. d.2.pun.8.n.12.*

141 *Probabilius hoc esse credo.* Probabilius longe esse crediderim, excommunicatum vitandum, qui serio Pœnitentiam ministraret, irregularitatem proculdubio incurrere. Non enim irregularitatis pœna imposita est validum Sacramentum ministranti; sed fungenti, quantum in se est, potestate Ordinis accepta.

Dvbivm XIV.

Ex vi præcepti audiendi Sacrum, excommunicatus teneturne absolutionem procurare, & se liberum, ac expeditum, vt valeat implere præceptum constituere? De quarto excommunicationis effectu.

142 *Nonnulla recolo.* Vidimus *section.1.* excommunicatum excludi esse à diuinorum officiorum celebratione, & illorum assistentia. Porro inter diuina officia primum locum obtinet Missæ Sacrificium, cui nequit excommunicatus etiam toleratus assistere. *Cap. Illud, de Cleric. excommunicat.* & *Cap. vltim. de sentent. excommunicat.* Quæsierim vero, an vi præcepti audiendi Sacrum teneatur excommunicatus absolutionem procurare, vt valeat implere illud præceptum?

143 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia obligatus est quisque fidelis quod in se est, gerere, vt leges impleat. Exempli gratiâ. Accedit quis die festo Sacro prius non audito, quia necessaria ei fuit ante diluculum profectio, ad Vrbem, vel Oppidum: tenetur equidem procurare quantum in se est, Sacro assistere, ne violet præceptum. Sic Didacus Nunnez *3.par.quæstion.83.art.6.post dub.2.* & alij.

144 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia hoc præceptum solummodo adstringit eos, qui liberi sunt, & dispositi ad illius executionem, non vero obligat, vt disponantur; alias infirmus, & in carcere detentus peccarent contra Missæ præceptum, si possent se ab infirmitate, & à carcere liberare. Ita Nauarr. *summ. cap. 21. num. 3.* Coninch. *disp. 14. dub. 7. num. 56.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. numer. 1.* Auila *part. 2. cap. 6. disp. 4. dub. 7.* Suarius *tom. 3. in 3. par. disp. 88. sect. 6.* Bonac. *de Censur. disp. 2. qu. 2. punct. 3. §. 1.* Layman. *lib. 1. tractat. 5. part. 2. cap. 2. num. 2.*

145 *Hic opinio.* Longe verius hoc puto. Secus autem dixerim de Communionis, & Confessionis præcepto, quorum violatorem te existere existimo, si à Censura non procures absolui, cum possis. Quia hæc præcepta sunt diuina, tametsi ab Ecclesia determinata: & consequenter obligant, ad remouenda quælibet impedimenta, quæ illorum executioni possunt obstare. Mecum Laym. Bonac. & Auila *citati.*

Dvbivm XV.

Fideles Sacrificio assistentes, si videant, excommunicatum denunciatum velle Sacrificio in eodem Templo, licet in Altari diuerso assistere, coguntur ne recedere?

146 *Coguntur recedere.*

COguntur recedere, (excepto Ministro) ne cum excommunicato in eadem oblatione conueniant, vti conuenire videntur omnes, qui in eodem Templo assistunt; idem enim Sacrificium est, licet in diuerso offeratur altari. Sic Auila *p.2.c.6.§.9.dub.8.* Layman. *lib.1.tr.5. p.2.c.2.n.7.*

147 *Recedere non coguntur.*

Recedere non coguntur, si alteri Sacrificio in eodem Templo excommunicatus assistat. Quia illa non est communicatio in eodem officio diuino, sed in materiali loci assistentia. Ita Henriq. *l.13.c.7.* Sayr. *l.2.thes.c.3.n.22.* Suarius *d.12.sect.1.n.16.* Fill. *tr.12.c.4.q.3.* Bonac. *d.2.q. 2.pun.3.§.1.* citans alios.

148 *Hic teneo.*

Hoc teneo longe equidem probabilius. Idem enim est Sacrificium, quia idem Christus in vno, & altero offertur Altari, sed non eadem assistentia moralis audientium in Altari diuerso. Verum licet primam sententiam quis velit amplectere, existimo cum Suario *d.12.sect.1.fine*, probabile esse, eam assistentiam, etsi in eodem Altari geratur, culpam venialem non excedere: eo quod videatur esse nimis remota, & accidentalis, si causa non est assistentiæ excommunicati.

Dvbivm XVI.

Excommunicatus priuatim recitans, si Dominus vobiscum dicat, peccatne venialiter?

149 *Venialiter peccat.*

LIcet excommunicatus publicæ Horarum Canonicarum recitationi interesse non potest, priuatim recitare tenetur. At priuatim recitans sub veniali tenetur *Dominus vobiscum* non dicere, sed loco illius *Domine exaudi orationem meam.* Quia illis prioribus verbis, vt persona publica cum aliis fidelibus communicans se gerit. Sic Suar. *d.12.sect.1.n.13.* Laym. *l.1.tr.5.p.2.c.2.n.7.* Bonac. *d.2.de Cens.q.2.pun. 3.§.2.n.6.*

150 *Nec peccat venialiter.*

Nec venialiter delinquit. Quia illorum verborum prolatio, absentibus aliis fidelibus, non est cum illis communicatio, sed priuata pro illis oratio. Ita Auila *de Cens.p.2.c.6.d.4.dub.6.* Hurtado *de Cens.d.5.diff.2.*

151 *Hanc eligo sententiam.*

Hanc eligo sententiam. Nam si inuitare fideles illis verbis, *Venite exultemus Domino iubilemus Deo salutari nostro*, non reputatur Sacra cum illis communicatio, quia illis absentibus fit: cur illa deprecatio, *Dominus vobiscum* censenda est?

Dvbivm XVII.

Si excommunicatus in priuata recitatione socium secum adhibeat peccatne lethaliter?

LEthaliter peccat. Quia est communicatio in Sacris. *Cap. Excommunicatos 11.quæst.3.* ibi, *Neque cum eis in oratione communicare.* Vbi de oratione priuata est sermo, siquidem coniungitur cum prohibitione cibi, & potus, communisque sermonis. Sic nonnulli. 152 *Peccat lethaliter.*

Non peccat lethaliter, sed venialiter solum. Quia excommunicatus in ea oratione vt persona priuata se gerit, non vt publica, & Minister Ecclesiæ, cum Ecclesia nolit medio illo orationes fundere, ideoque illæ preces nullum ex Ecclesia habent valorem. Ita Vgolinus *tab. 1 capite decimotertio, Paragrapho decimoquarto* Henriquez *libro decimo tertio, capite septimo, numero secundo*, Suarius *disputatione decima, numero 18.* Bonac. aliis relatis, *d.2.q.2. punct.3.§.2. numer.4.* 153 *Lethaliter non peccat.*

Idem affirmo, adiiciens, si ex aliqua necessitate, vel vtilitate excommunicatus socium adhibeat ad officium diuinum secum recitandum vel quia ei est subditus, vt si Episcopus, vel Canonicus aduocet suum Capellanum, ab hac culpa veniali excusari. Quia famulus non priuatur communicatione sui domini in iis omnibus, in quibus ei inseruire tenebatur. *Cap. Quoniam multos 11.quæstion.3.* Hoc autem officium adiuuandi priuatim recitanti, non debet computari inter Ecclesiastica ministeria, sed inter ministeria quasi corporalia, quæ potest seruus cum suo domino etiam excommunicato exercere: & è contra dominus non excommunicatus cum excommunicato famulo. 154 *Idè affirmo.*

Dvbivm XVIII.

A Theologiæ lectione, & interpretatione Iuris tenemurne desistere, ne cum excommunicato vitando inibi assistente communicemus?

COnstat ex *section.1.* excommunicatum toleratum concionari, vel Theologiam Iusve Canonicum interpretari non posse, nisi forte nullus alius sit, qui hæc munera præster. Excommunicato autem vitando nequaquam licere hæc obire munera, etiamsi alius deficiat. A concione vero nos desistere non debere ob assistentiam excommunicati vitandi. Nam si ipsi excommunicato permittitur hæc assistentia ob eius salutem, à fortiori aliis est permittenda. Quæsierim autem, an à lectione Theologica, vel iuris interpretatione desistere teneamur? 155 *Nonnulla recolo.*

Non tenemur. Quia vnusquisque ex auditoribus seorsim audit, neque ad idem opus communiter illi concurrunt. Neque ea communicatio tanti est momenti, vt debeat 156 *Non tenemur.*

intermitti. Suarius *disp.12.sect.2.n.3* Henriqu. *lib.13.cap.12.* Sayrus *lib.2.thesau.cap.3.num.14.* Filliucius *tract.12.num.87.* Coninch. *d.14.dub.7.num.58.*

157 *Tenemur sane.* Tenemur plane. Quia negari non potest, discipulos Magistrum audientes cum ipso communicare: siquidem ex hac auditione mutuo se referunt. Neque negandum est, condiscipulos inter se hanc communicationem habere, siquidem ob communem eidem doctrinæ assistentiam inter se referantur. Ita Auila *de Censur.part.2.cap.6.disp.11.dub.3.concl.2.* Bonacin. *de Censur.disputation.2.quæstion.2.punct.3.§.2.numer.12.*

158 *Auctoris sententia.* Ego autem existimo per se loquendo, lectorem obligatum esse à lectione desistere, & auditores ab ea audienda, ob nuper dictam rationem. Quia est communicatio in re proximè diuinis accedente. Excusari tamen frequenter ob necessitatem boni communis, vel particularis. Nam bono communi expedit, imo necessarium est, ne lectiones statutæ intermittantur, néve auditores re sibi tantopere vtili priuentur.

Dvbivm XIX.

Excommunicato esne interdictus aquæ benedictæ, & illorum Sacramentalium, quæ ex Ecclesiæ orationibus valorem habent, vsu?

159 *Interdictus est.* Est interdictus. Quia excommunicatus omnibus Ecclesiæ suffragiis est priuatus. Sic Vgol. *de Censur.tab.1.c.13.§.14.nu.6.* Bonac. *de Cens.d.2.q.2.pun.3.§.2.n.8.*

160 *Non est interdictus.* Interdictus non est. Quia licet excommunicatus sit Ecclesiæ suffragiis, ideoque non possit illis rebus Sacris vti, vt effectus prouenientes ex orationibus Ecclesiæ illi applicentur: at vti illis potest in illarum rerum venerationem, & honorem, & vt se earum memoria, & fructus recordatione, quo per excommunicationem priuatur, ad pœnitentiam excitetur. Ita Suarius *d.12.sect.3.n.1.* Fill. *tr.12.n.103.* Sayr. *l.2.thesau.c.3.n.9.* Henriq. *l.1.c.7.n.2.*

161 *Hoc mihi longe probabilius.* Longe mihi est probabilius excommunicato permitti, & conuenientem ei esse vsum Sacrarum imaginum, reliquiarum, aquæ benedictæ, & aliorum Sacramentalium, vt eo vsu cultum, & honorem Deo exhibeat, & se excitet ad pœnitentiam. Hinc elicio, optime posse excommunicatum coram imagine, in cuius reuerentiam sunt aliquæ indulgentiæ cõcessæ, preces fundere, non quidem animo indulgentias obtinendi, à quibus est excluſus: sed animo venerandi imaginem, & se ad pœnitentiam excitandi recordatione indulgentiarum, quibus ob excommunicationem priuatus existit.

* *
*

Dvbivm XX.

An sit irrita collatio Pensionis, quæ simul est temporalis, & spiritualis excommunicato facta? De quinto excommunicationis effectu.

QVartus excommunicationis effectus est Beneficij Ecclesiastici priuatio. Vnde nulla est electio, præsentatio, & nominatio ad beneficium Ecclesiasticum ab excommunicato facta, conclusione ad quamlibet beneficij acquisitionem extenta: quod procedit, quamuis excommunicatus sit toleratus, & quamuis excommunicatus suæ sit ignarus Censuræ. Quæsierim autem, num sub nomine beneficij pensio intelligatur, vt irrita etiam sit collatio pensionis, quæ simul sit temporalis, & spiritualis excommunicato facta? Vt autem status quæstionis planior sit, quadruplicem esse pensionẽ Præmitto. Prima est, quę propriissime est beneficium, vtpote quæ ex fructibus alicuius beneficij in perpetuum extrahitur, & vocatur simplex beneficium, seu præstimonium. Secunda, quæ à natura beneficii recedit, eo quod perpetua non sit, datur tamen ob aliquod munus spirituale exercẽdum, vt est, quæ assignatur Vicerectori, eo quod Rectoris impediti nomine illius officium exerceat: vel quæ designatur Vicario Episcopi ob litium, & causarum decisionem. Tertia, quæ ob seruitium Ecclesiæ factum conceditur, nullumque munus spirituale exigit, quæque mere laicis concedi solet, ideoque subsidium temporale vocitatur. Verum huius collatio nullo iure colligitur irrita, cum nec fundetur in spirituali titulo, nec ob spirituale exercitium, à quo excommunicatus excluſus est, concedatur. Primæ vero, & secundæ collatio irrita omnino est; quia in his procedit eadem ratio, ac in beneficio. Excommunicatus enim incapax est, munus spirituale exercere, ad quod beneficium dirigitur: sed eandem incapacitatem habet pensionarius huiusmodi exercendi munus, cuius causa hæc pensio conceditur: ergo eodem modo annullatur. Igitur difficultas solum est de quarta pensione, quæ partim est temporalis, partim spiritualis, vt est pensio concessa Clerico beneficium resignanti, permutanti, liti cedenti, sustentationem non habenti; quæ temporalis est, quia nullum munus spirituale Ordini annexum exigit, quodque à laico præstari non valeat; & est spiritualis, quia ad sui collationem requirit spiritualem Ordinem: non enim aliis, nisi Ordine Clericali insignitis conceditur. His præmissis.

162 *Premitto quadruplicem esse pensionem.*

163 *Irrita est.* Irrita quidem est collatio huiusmodi pensionis excommunicato facta. Quia hæc pensio naturam beneficii imitatur, & loco illius succedit, cum non detur aliis nisi Clericis. Sic Garcia *de benefic.part.1.cap.5.num.106.* Regin aldus *lib.32.num.45.* Suarius *disp.13.sectionis.num.9.* Filliucius *tract.12.cap.5.quæst.4.* Henriquez *lib.13.cap.13.num.3.* Vasquez *de excomm. dub.6.* Bonacin. *hic, disp.2.quæstion.2.punct.4.§.1.num.4.*

Non

164 *Non est irrita.* Non est irrita. Quia nullibi habetur pensionem excommunicato collatam nullam esse: textus enim in *c. Postulastis, & c. vlt. de Clerico excom. minist.* de beneficio Ecclesiastico loquũtur, quorum decisio ad pensiónem extenditur, eo quod loco beneficij succedat, & illius naturam imitetur. At cum sola pensio, quæ præstimonium est, vel quæ ob exercitium spirituale conceditur perfecte naturam beneficij imitetur, & illius loco succedat: fit sane solam illam irritam esse excommunicato collatam: non autem eam, quę à beneficij natura recedit, & subsidii temporalis conditioni congruit. Satis nãque est, decretum pœnale, & irritatiuum ad pensionem pure spiritualem extẽdi. Ita Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 2. n. 8.* Sà *v. Homicida, n. 21.* Indicat Suar. *de Censur. d. 44. sect. 3. n. 33.* & Castro Palao *d. 2. punct. 10. num. 8.* inquit probabilitate non carere.

165 *Prima sententia adhæro.* Ego autem de huius sententiæ probabilitate non dubito. Attamen primam, quæ communis est, sector. Quia excommunicatus incapax est cuiusvis Clericalis priuilegii. Et quia in huiusce pensionis collatione Pontifex absolutionem à Censuris præmittere assolet: quod frustraneum esset, si Censuræ præfatam collationem non impedirent.

Dvbivm XXI.

Irritane est collatio, præsentatio, seu nominatio ad iurisdictionis sæcularis officia excommunicato facta?

166 *Est irrita.* Est irrita. Quia excommunicato interdicta est communicatio cum fidelibus, & iurisdictionis exercitium. Ergo prohibetur collatio officii, ac muneris hoc exercitium exigentis *Leg. Oratio, de sponsi.* Et in *c. Venerabilem, 34. de elect.* cauetur, ne hæreticus, aut excommunicatus in Imperatorem eligatur: & si electus fuerit, eius irritetur electio. Signum ergo est officium iurisdictionis excommunicato concedi non posse. Sic Sayr. *l. 2. thes. c. 5. n. 35.* Vgolin. *de Cens. tab. 2. c. 13. §. 3. n. 3. & 4.* Bonac. *d. 2. q. 2. pun. 4. §. 1. n. 3.* Auila *p. 2. c. 6. d. 6. dub. 7.* Garcia *de benef. p. 7. c. 13. n. 22.*

167 *Irrita non est.* Irrita non est. Quia ex prohibitione vsus, & exercitii iurisdictionis excommunicato facta solum infertur prohibitam esse iurisdictionis concessionem: at non infertur irritam fuisse. Ita Suarius *disp. 16. sect. 2. n. 1.* Coninch. *disp. 14. dub. 11. num. 106.* Hurtad. *d. 8. diff. 2.* Filliuc. *tr. 12. num. 118.*

168 *Hos sequor Doctores.* Hos sequor. Quia nullum inuenio textum hanc irritationem inducentem. Nam textus in *c. Venerabilem,* potius probat valere Imperatoris electionem, tametsi veniat irritanda. In officiis vero, & muneribus Ecclesiasticis, quia proximius beneficii conditioni accedunt, admittit communis sententia hanc annullationem, & irritationem. Non igitur ad officia, & munera temporaria debet extendi.

Dvbivm XXII.

An beneficium alicui collatum excommunicationis tempore valide ab excommunicatione liber postmodum, acceptet?

169 *Valide acceptat.* Acceptat valide. Quia si collator, vel electror conferendi, vel eligendi voluntatem non mutauerit, in ea perseuerare censetur, vnde ablata excommunicatione effectum habebit, qui fuit per Censuram impeditus. Sic Nauarr. *consil. 53. de sentent. excommunicat. capit. 13. numer. 3* Henriquez *libr. 13. capit. 13. numer. 3.* Et probabile censet Layman. *libro primo, tractatu quinto parte secunda, capite secundo, num. 8.* Lessi. & Bonac. *citandi.*

170 *Non acceptat valide* Inualide acceptat, nisi denuo beneficium ei conferatur. Quia collatio, quæ ob subiecti incapacitatem nulla fuit, nequit, sublata incapacitate, conualescere ex eo tantum quod collator in pristina voluntate perseueret, nam ea voluntas non est voluntas denuo conferendi, (vt suppono,) seu approbandi, seu non reuocandi collationem factam. Cum igitur collatio facta nulla fuerit, nullius effectus illius approbatio, seu non reuocatio erit. Ita Nauarr. *summæ capite 27. numero 194.* Coninch. *disputatione 14. dubio 9. numero 74* Hurtado *disputatione 6. difficultate 3.* Bonacina *disputatione 2. quæstione 2. puncto 4. Paragrapho 1. numero 10.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 119.* Garcia *de benef. p. 7. c. 13. n. 43.*

171 *Hoc longe verius esse credo.* Longe verius putarim inualidam esse acceptationem. Vnde fit, eum, qui excõmunicatione innodatus obtinuit, non solum debere ab ea absolui, vt beneficium retinere valeat; sed noua indigere collatione. Quia absolutio excommunicationis tollit impedimentum, & inhabilitatem, sed non tribuit ius, nec beneficium confert. Ex vi autem prioris collationis, cum nulla fuerit, nullum ius habere potest.

Dvbivm XXIII.

An quæ de excommunicato dicta sunt, de interdicto, & suspenso procedant?

172 *Non procedunt.* Non procedunt. Quia nullus est textus beneficii collationem annullans in suspenso, vel interdicto: & pœnæ non sunt ex vno casu in alium extendendæ. Sic Suarius *disputatione vigesima sexta, sectione tertia, numero octauo, & disputatione vigesima septima, sect. 1. num. 26.*

173 *Procedunt quidem.* Procedunt quidem. Quia ideo collatio beneficii excommunicato facta annullatur, quia ipse nequit officium exercere: at similiter suspensus ab officio excluſus est à beneficii officio exercendo: ergo collatio beneficii illi facta nulla est. Ita Nauarr. *summæ capite vigesimo quinto, numero 231.* Vgolinus *tab. 1. c. 6. §. 7. n. 1.* Lessius *l. 2. c. 34. numer. 116.* Azor. *tom. 2. l. 6. c. 7. quæst. 2.*

quæst. 2. Garcia, aliis relatis, *part.7.de benef. capit.14.numer.* 1. probans id ex variis Rotæ decisionibus.

174 *Idē asſero.* Idem affirmo à meo Suario recedens, vt communi sententiæ adhæream. Certe idem tradunt Nauarrus, Vgolinus, Lessius, & Azorius de interdictis personaliter ob eandem rationem. Quia non possunt officium exercere, ob cuius causam beneficium confertur. *c. Cum secundum, de prebend.* & *cap. fin. de rescrip. in 6.*

Dvbivm XXIV.

De sexto excommunicationis effectu.

An excommunicatus priuetur ipso iure beneficij fructibus, & prouentibus?

175 *Aliqua recolo.* SI quis beneficium tempore excommunicationis acquisiuit, nullum ius ad fructus habet. At si beneficium legitime obtinuit, & postmodum in excommunicationem incidat, non priuatur beneficiis obtentis, tametsi priuari possit, si in excommunicatione insordescat. Quæsierim autem, num ipso iure fructibus, ac prouentibus beneficij priuetur?

176 *Ipso iure priuatur.* Ipso iure priuatur. Quia in *cap. Pastoralis, §. Verum, de appellat.* interrogatus Pontifex, an excommunicatus, non obstante appellatione, denunciari possit, & Ecclesiasticis beneficiis ad tempus spoliari? Respondet denunciari posse. Quia excommunicatio secum trahit executionem, & per denunciationē non ligatur denuo excommunicatus: & addit, *Et illi prouentus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Cum autem in hoc textu subtractio fructuum denunciationi æquiparetur, efficitur plane, sicut excommunicatio secū trahit denūciationem, sic etiam fructuum subtractionem debet trahere. Sic Francus, Decius, & Abbas *ad c. Pastoralis, §. Verum, de appell.* Couar. *l. 3. var. c. 13. n.* 8. Sayr. *l. 2. c. 5. num. 24. & 30.* Suarius *d. 13. sect. 2.* Moneta *de distribut. p. 2. qu. 15. concl. 1. num.* 18. Garcia, aliis relatis, *p. 7. c. 13. numer.* 90.

177 *Non priuatur ipso iure* Non priuatur ipso iure. Quia hæc pœna priuationis fructuum vtpote grauissima, adstruenda non est absque expresso textu. At textus citatus, cui opposita sententia nititur, eam pœnam non infert; nam verbum illud, *subtrahuntur*, actionem spoliationis significat, quæ ab homine fit, non à lege. Ita Nauarra *de restitut. lib. 2. c. 2. num. 243.* Auila *hic, part. 2. c. 6. disp. 6. dub. 1.* Vasquez *de benef. c. 3. §. 3. dub. 4.* Coninch. *d. 14. dub. 9. diffic. 3. concl. 2.* Hurtad. *d. 6. diffic. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 2. n. 9.* Sanch. *l. 3. de matrim. d. 51. n. 12.*

178 *Probabilior hæc sententia est.* Probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Admitto enim subtractionem fructuum denunciationi æquiparari: at sicut denunciatio non ipso iure excommunicationem subsequitur, sed indiget Iudicis officio, sic de subtractione fructuum est dicendum.

Dvbivm XXV.

Si quis iniuste, sed valide excommunicatus sit potestne fructuum priuationem repetere, ab eis, quibus sunt applicata?

179 *Nonnulla præmitto.* PRofectò si iniuste inualide excommunicatus sit, & condemnatus, proculdubio potest se in foro conscientiæ gerere, ac si non esset excommunicatus. Quia quod nullum est, nullum effectum producit, ex *Regul. iuris*, effectum namque excommunicationis veræ habere non potest excommunicatio præsumpta. Quæsierim vero, an si excommunicatio sit iniusta, sed valida, possit ille fructus repetere?

180 *Non potest.* Minime potest. Quia valide applicati sunt alicui. At habet actionem aduersus Iudicem applicantem, & iniuste condemnantem, vt ratione iniustitię reparet damnum sibi illatum. Porro cum iniustitia non impediat valorem sententiæ, vt suppono, neque applicationis valorem poterit impedire. Sic Vgolinus *tab. 2. capit. 12. numer. 4.* Sayrus *libr. 2. de Censur. cap. 5. num* 27. Suarius *disputation. 13. section. 2. numer.* 20. & 23.

181 *Potest quidem.* Potest quidem recuperare fructus non solum à Iudice, sed ab iis, quibus sunt applicati. Quia esto, valide applicati sint, at sunt reuocabiliter appplicati. Nam cum lex iustitiæ obliget, sententiam iniustam reuocare, illiusque effectus, & in statum pristinum omnia, quoad fieri possit, reducere, necessario subtractio fructuum, & eius applicatio reuocari debet. Poterit ergo non solum aduersus Iudicem, sed aduersus detentores fructuum agere, vt fructus restituant, priori sententia reuocata. Ita Garcia, pluribus citatis, *parte 7. capite 13. numero* 120. Moneta *de distributionib. parte secunda, quæstione decima quinta, numero vigesimo tertio quadragesimo quarto, & quadragesimo quinto.* Bonacina *de Censur. disputation. 2. quæstion. 2. punct. 4. Paragraph. 2. numero sexto.*

182 *Hoc verius esse ait.* Hoc verius existimo, adiiciens, si illi, queis fructus sunt applicati, bona fide assumpserint, neque facti sint ditiores, solum aduersus Iudicem illis actionem competere, vt apte probat Ferdin. de Castro *tract. 7. de orat. disp. 3. punct. 9. §. 2.*

Dvbivm XXVI.

Si excommunicato alicui iuste differatur absolutio potestne fructus beneficij obtinere, si pœnitens existat?

183 *Status quæstionis.* QVis contumacia recedens, absolutionem ab excommunicatione satagit obtinere, nec potest. Porrò si ei ininste absolutio denegetur, fere omnes conueniunt, fructus ei debitos esse. Quia iniuste impeditur, ne choro assistat, néve præstet officium: sicuti si vinculis esset detentus. Quæsierim autem, si

si iuste differatur absolutio, num possit fructus beneficij obtinere, si pœnitens existat?

184 *Potest obtinere.* Certe si absolutio ei non denegetur iniuste, sed detineatur, quousque de satisfactione, & pœnitentia constet: vel Superior, qui eam est concessurus, absit; potest fructus correspondentes officio eo tempore exhibendo obtinere, tametsi officium non exerat. Quia non exerit officium eo quod impeditus est: sicuti ob infirmitatem, cuius tu causa fuisti, ab exequêdo officio, quod beneficiũ exigit, quod impediaris, non obinde fructus beneficij amittis. Sic Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 2. capit. 2. numer.* 10. Nauarr. *de restit. lib. 2. cap. 2. num. 138.* Sà *verb. Beneficium, num. 50.* Vgolin. *de Censur. tab. 2. cap. 12. num. 4.* Henriquez *lib. 13. c. 13.* Sayr. *lib. 2. thesaur. cap. 5. num. 29.* Decius *ad cap. Pastoralis, §. Verum, n. 7. de appellat.* plures referens.

185 *Non potest obtinere.* Non potest obtinere hos fructus. Quia pœnitentia non tollit excommunicationem, neque sententiam iustam infirmat, etsi excitet Iudicem, vt absolutionem impertiat. At excommunicatio ex se impedit officium exercere, cui fructus annectuntur: sententia vero condemnatoria illorum priuationem ipso iure inducit. Ergo durante excommunicatione, & sententia, illos fructus consequi non poterit. Ita Suarius *disputation. 13. section. 2.* Bonacina *de Censur. disputation. 2. quæstion. 2. punct. 4. Paragraph. 2.* Palao *de excommunic. disputation. 2. punct. 11. numer. 14.*

186 *Probabilius hoc esse credo.* Probabilius hoc esse credo. Nec enim est simile de infirmitate; nam infirmitas ex se non est impedimentum culpabile officij Ecclesiastici exercendi, nec ex se est impedimentum. Secus vero excommunicatio, quæ ex se culpabile impedimentum est.

Dvbivm XXVII.

An Excommunicatus toleratus exerceat valide iurisdictionem à fidelibus non requisitus?

187 *Status quæstionis.* PRiuatus est excommunicatus cuiusvis iurisdictionis Ecclesiasticæ vsu, nisi sit requisitus à fidelibus. Quia hoc exercitium est præcipua cum fidelibus communicatio. Ob bonum autem fidelium, quibus permissa est cum excommunicatis toleratis communicatio, licite possunt excommunicati ab ipsis requisiti sua vti iurisdictione. Difficultas ergo est, an valide (non solum illicite quod certum est) iurisdictionem excommunicatus exerceat, cum non sit à fidelibus requisitus?

188 *Valide non exercet.* Non exercet valide. Quia iure antiquo quilibet excommunicatus eo ipso priuatus erat Ecclesiastica iurisdictione. At per Extrauagan. *Ad euitanda scandala*, nullus fauor est excommunicato factus, nisi quatenus fideles eorum communicatione vti volunt: ergo extra casum, quo sint à fidelibus requisiti, nullam iurisdictionem habent. Sic nonnulli ad *cap. Audiimus 24. quæst. 1. cap. Ad probandum, de sentent. & re iudicata. cap. Decernimus, de sentent. excommunicat.*

189 Valide exercet. Quia cum Ecclesia permittat fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis tum inhumanis, tum in diuinis, ac si excommunicati non essent: conseruare in illis debet iurisdictionem, vt apti, & expediti sint ad hanc cum fidelibus communicationem. Ita Nauarr. *summ. capit. 27. numer. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 27.* Suarius *disputat. 11. section. 4. num. 9.* Hurtado *disp. 7. diffic. 2.* Saitus *lib. 2. thesaur. cap. 6. numer. 1.* Henriquez *lib. 13. capit. 8.* Vgolinus *tab. 1. capit. 6.* Laymanus *libr. 1. tractat. 5. part. 2. capit. 2. numero 13.* *Valide exercet.*

Hoc certum esse reor, adiicio tamen, si fideles excommunicationem obiiciant, & ob illius causam excommunicatum excipiant, & à se repellant, nullius valoris esse actus ab excommunicato factos. Porrò excommunicatus toleratus officium Iudicis, & Parochi potest exercere valide, dum non excipitur: atque adeo posse lites decidere, causas iudicare, absoluere, dispensare, & similia. Proposita vero exceptione, cessare debet. At excipiens tenetur excommunicationis speciem, & illius authorem manifeste probare intra octo dies, alioqui nulla erit exceptio. *Cap. 1. de except. in 6.* 190 *Hoc certum esse reor.*

Dvbivm XXVIII.

Validumne est exercitium iurisdictionis coactiuæ ab excõmunicato tolerato factũ?

VAlidũ nõ est. Quia in Extrau. *Ad euitãda scandala* nullus fauor, nullâq; gratia facta est excõmunicatis, nisi quatenus cedit infidelium cõmodũ, & ab ipsis acceptatur: at fideles nullatenus acceptãt præceptũ, cui nolũt obedire, neque præceptum illud in eorum commodũ cedit: ergo. Sic Suar. *d. 14. sect. 2. n. 15.* Layman. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 7.* Hurtad. *d. 7. diff. 2.* 191 *Non est validum.*

Validum quidem est dum per exceptionem non eliditur. Quia fideles non excipientes excommunicatum censentur eius sententiæ consentire, cum à iure sola exceptione permissum sit dissensum explicare. Ita Gutierrez *lib. 1. Canonicar. qq. cap. 1. num. 81.* Coninch. *disp. 14. dub. 10. num. 91.* Bonacin. *disp. 2. q. 2. punct. 5. num. 4.* & alij. 192 *Validũ est.*

Veriorẽ hãc iudico esse sententiã. Nam iure antiquo Iudex occultus excommunicatus iurisdictionẽ retinebat, quousq; per exceptionem elideretur. *cap. Exceptionem, de exceptionib. ca. 1. eod. tit. in 6.* Sed iure nouo quilibet excommunicatus toleratus reputatur, ac reputabatur iure antiquo occultus: ergo. Verũ excõmunicato vitando omnem iurisdictionem Ecclesiasticam ademptam esse nullus abnegat. 193 *Verius hoc mihi.*

Dvbivm XXIX.

Si in aliqua electione suffragiis gerenda excommunicati vitandi suffragium superfit, itavt reliqua sufficiant electioni: estne valida electio?

SÆpe contingit electionem Capitulo, seu communitati competere, in qua aliqui sunt 194 *Status quæstionis.*

sunt excommunicati. Dubitant Doctores, num ob eam causam irrita sit electio? Certum autem est, si suffragium excommunicati ita sit necessarium ad electionem, vt illo secluso non subsisteret, nullam esse electionem. *Cap. Ad probandum, de re iudic. Cap. Super Abbatia, de offic. delegati.* At si excommunicati suffragium superst, ita vt reliqua suffragia, excommunicati suffragio enumerato, sufficiant electioni, requiro, an valida sit electio.

195 *Non est valida.* Valida non est casu, quo non excommunicati scienter admiserint excommunicatum vitandum ad electionem. Quia eo ipso protestantur, se nolle eligere, quin simul excommunicatus concurrat. At excommunicatus inhabilis est ad eligendum, vt nec per se, nec cum aliis iurare electionem possit. Ergo voluntas electorum non excommunicatorum nullius erit effectus, & consequenter electio ex ea procedens. Secus vero erit, si contra voluntatem electorum habilium excommunicatus electioni se ingessit. Quia non debent electores iure eligendi priuari ob participationem cum excommunicato, quam vitare nequeunt. Sic plures relati à Suario *disp. 14. sect. 2. num. 3.* & à Sayro, quos ipse sequitur *libr. 2. thesaur. cap. 6. num. 5.* Panormit. *ad cap. Messana, de elect. numero septimo.*

196 *Valida est.* Valida est electio etsi excommunicatus vitandus suum suffragium simul cum aliis dedisset. Quia sicut electores non excommunicati non habilitant excommunicatum: sic excommunicatus non reddit inhabiles eos, qui excommunicati non sunt. Nec est vllus textus, quo probetur hanc inhabilitatem constitui, electionemque esse irritam. Ita Hurtado *disputation. 7. difficultat. 3. numer. 8.* Richardus *in 4. distinction. 18. articul. 7. quæstion. 1. ad 3.* Henriquez *libr. 13. capit. 7. Paragraph. 2.* Coninch. *disputation. 14. dubio 10. numero 93.* Layman. *libro 1. tractatu 5. parte 2. capite 2. numero 13.*

197 *Hanc præfero sententiam.* Hanc sententiam probabiliorem esse credo. Nam primæ fundamentum probat ad summum, electionem irritandam à confirmatore esse. Nam esto, electores non excommunicati nolint sua præstare suffragia, quin suffragium excommunicati concurrat: at non præsumuntur velle, sua suffragia irrita fieri irrito existente excommunicati suffragio.

Dvbivm XXX.

Præsentatio laica ad beneficium irritane est si ab excommunicato fiat vitando?

198 *Nonnulla recolo.* Ecclesiastica præsentatio ad beneficium, seu facta à Clerico, vt talis est, irrita est, ac nulla, si præsentans excommunicatus vitandus sit. Quia cum per huiusmodi præsentationem præsentatus acquirat ius in beneficium: excommunicatus vero vitandus priuatus sit cuiusli. bet iuris Ecclesiastici concessione, consequenter priuatus est iure præsentandi. Quæsierim autem, an præsentatio à laico excommunicato vitando facta irrita sit?

199 *Irrita est.* Irrita est. Quia præsentatio ius in beneficium media præsentatione etiam acquirit, si quidem ille, ad quem institutio pertinet, tenetur eum instituere: at comparatione præsentati ab excommunicato hanc institutor obligationem non habet: ergo præsentatio est nulla. Sic Lambertin. *part. 1. de iure patron. libr. 2. quæstion. 2. articul. 2. & 3. & part. 3. libr. 2. quæstion. 3. articul. 4.* Couarruuias *ad cap. Alma, part. 1. §. 7. numer. 9.* Frechilla *de excommunicat. articul. 5. part. 2. numer. 6.* Hurtado *disputat. 7. difficultat. 3. numer. 9.*

200 *Non est irrita.* Non est irrita. Quia per præsentationem laicam non acquirit præsentatus ius firmum in beneficium: siquidem patronus variare potest, donec facta sit institutio. *Cap. Cum autem, de iure patron.* & *ibi.* Gloss. Abbas, & Innocent. At præsentatio Ecclesiastica ideo irrita est, quia ius præsentato confert, & est actus iurisdictionis spiritualis, & officij Ecclesiastici: ergo cum præsentatio laica hoc ius non tribuat, nec sit vsus potestatis spiritualis, sed solum quædam declaratio authentica voluntatis præsentatoris, & præsentati designatio irrita non erit. Ita Garcia *de benefic. part. 5. c. 4. num. 317.* Sayr. *l. 2. thesau. c. 6. n. 9.* Henriq. *l. 13. c. 7. n. 1.* Vgolin. *tab. 2. cap. 11. §. 2.* Rebuff. *ad Cap. Postulastis, numero 104.*

201 *Probabilius hoc reputo.* Probabiliorem reputo hanc sententiam. Abnego namque, à præsentato ius proprium in beneficium acquiri: solum namque ius acquirit impropium; quatenus institutor tenetur eum in beneficium instituere, si patronus in præsentatione facta perstiterit. Sed quia eam variare potest, ideo illud ius non censetur esse proprium.

Dvbivm XXXI.

Validumne est Pontificium rescriptum ab excommunicato tolerato impetratum?

De octauo excommunicationis effectu.

202 *Nonnulla suppono.* Certum est excommunicatum priuatum esse (si non sit toleratus) omnis priuilegij, seu rescripti Pontificij impetratione, excepto rescripto in excommunicationis causa, vel appellationis. *Cap. 1. de rescript. in 6.* Vbi annullatur impetratio rescripti ad lites. Ergo à fortiori annullata censetur impetratio rescripti ad beneficia, dispensationes, gratias, & similia. Quæsierim autem num inualidum etiam sit rescriptum ab excommunicato toletato impetratum?

203 *Valid. est.* Validum quidem est. Quia textus ille non exprimit, num excommunicatus toleratus etiam sic ibi comprehendendus. Vnde cum Ecclesia beniguiorem se cum excommunicato non vitando ostendat, colligitur, rescriptum ab eo impetratum non annullari. Sic Archidiac. *ad Cap. 1. de rescript. in 6.* & probabile censet Suarius *de Censur. disputation. 17. section. 1.*

204 *Non est validum.* Non est validum. Quia excommunicato cuique tolerato licet, nullus est ab Ecclesiastica lege fauor. Ita nonnulli Doctores, quos presso nomine affert Ferdinand. de Castro Palao

Palao *de excommunic. disputation. 2. punct. 12. num. 1.*

205 *Id asſero.* Meum ſequor doctiſſimum planè amicum annotans effectum hunc excommunicationis rarò locum habere poſſe, cum reſcriptis Pontificiis conſuetum ſit ingeri ab omnibus cenſuris ad effectum valoris reſcripti abſolutionem, vt prius monu t Coninch *d 14. dub. 10. in principio.*

Dvbivm XXXII.

An reſcripta Imperatoris, & Regis ſint nulla, ſi ab excommunicato impetrentur?

206 *Sunt nulla.* SVnt nulla Quia ex *Cap. 1. de reſcript.* innuitur conſtitutionem eam debere ad omnia Principum reſcripta extendi. Sic Nauar. *l. 5. conſil. tit. de ſentent. excomm. conſ. 44. numer. 2. & 6.*

207 *Non ſunt.* Nulla non ſunt. Quia textus in eo *Cap.* ſolummodo de reſcriptis Pontificiis loquitur, & lex pœnalis non debet ex vno caſu ad alium extendi. Ita Suar. *d. 17. ſect. 1.* Bonac. *de cenſ. d. 2. q. 1. pun. vlt.*

208 *Ita ſequor.* Ego quidem iudicarim, immerito à Nauarro hanc extenſionem fieri: adiicioque conceſſiones, & gratias aliorum Prælatorum inferiorum à Pontifice non irritari ex vi excommunicationis. Quia nomine reſcripti non veniũt neque vllibi irritæ inueniuntur. Laym. *l. 1. tr. 5. part. 2. cap. 2. num. 11.* Suar. *d. 17. ſect. 1. num. 2.* Bonac. *d. 2. q. 2. pun. vlt.* Nauar. *l. 5 conſil. cap. 23. quæſtion. 1.*

Dvbivm XXXIII.

De nono effectu excommunicationis. *Denunciationis probatio in priuatione communicationis forenſis (excommunicationis effectu) ſufficitne pro exceptione peremptoria?*

209 *Nonnulla recolo.* REcolo ex *ſect. 1.* excommunicatum priuatum eſſe quolibet actu ad iudicium pertinente. Vnde ſi huic forenſi communicationi ſe ingerat, excipi poteſt in qualibet parte iudicij. Quod intelligendum eſt de exceptione excommunicationis in vim *dilatoriæ*, hoc eſt ad differendam actoris, vel Iudicis intentionem: ſecus vero de exceptione excõmunicationis in vim *peremptoriæ*; hæc enim exceptio ſupponit actum iam factum, cuius valor exceptione excommunicationis infirmari intenditur. Hanc vero exceptionem dilatoriam comparatione excommunicati tolerati opponere poteſt qui in eo iudicio debet interuenire. Porro exceptio probãda eſt intra octo diẽ ſpatium à die oppoſitionis admiſſæ: debetque eſſe apertiſſima. Sufficiẽs tamẽ eſt excommunicationis probatio, ſi probes denunciatum eſſe; nã etſi aliquando fieri poſſit, aliquẽ iniuſte denunciari, quia tamen id raro contingit, ideo probata denunciatione, cenſenda eſt probata excommunicatio, ita vt in negantem onus probationis transferatur. Quæſierim autem, an hæc denunciationis probatio ſufficiat pro exceptione peremptoria.

210 *Non ſufficit.* Non ſufficit pro peremptoria etſi pro dilatoria ſufficiat. Quia peremptoria maioris eſt præiudicij. Sic Couar. *ad Cap. Alma, part. 1. §. 3. num. 1.* Rebuf. *repetit. in Cap. Poſtulaſtis, nu. 76.* & alij relati à Sayro *l. 2. de excomm. cap. 7. num. 19.*

211 *Sufficit quidem.* Sufficit quidem pro peremptoria ſicuti pro dilatoria ſufficiens eſt. Quia in *Extrau. Ad euitanda ſcandala*, ex ſola notitia denunciationis coguntur fideles denunciatum vitare, quin aliam de excommunicatione notitiam habeant. Quia præſumi nequit falſitas, & deceptio in his, quæ publicè ſunt effecta. Porro huius Extranag. argumento ita Sayrus *citatus* affirmat. Cuius ſententiam approbat Palao *de excom. d. 2. pun. 14. n. 6.*

212 *Ejuſdem mentis.* Crediderim his hærens, pro qualibet dilatione hanc denunciationis probationem eſſe ſufficientem.

Dvbivm XXXIV.

An ſi Iudex ſæcularis excommunicatus vitandus ſit, eius acta ſint valida, ſi à partibus non excipiatur?

213 *Status quæſtionis.* INter perſonas, quæ in iudicio interuenire aſſolent, primum locum Iudex obtinet. Hic ſi excommunicatum ſe ſentiat, abſtinere à iudicando debet, eius tamen acta valida erunt, ſi vitãdus non ſit, ſi vero ſit vitandus requiro, an eius acta ſint valida?

214 *Valida ſũt.* Valida ſunt, dum à partibus non excipitur. Quia nullus eſt textus, ex quo colligi poſſit hæc annullatio, cum ferè omnes de Iudice Eccleſiaſtico loquantur. *Cap. Audimus 24. quæſtion. 1. Cap. Ad probandum, de ſentent. & re iudica. Cap. Tanta, de exceſſ. b. Prælator.* quorum deciſio ad Iudicem ſæcularem non debet extendi: pœnæ enim extendendæ non ſunt vltra caſum expreſſum, maxime cum non eſt eadem ratio. Alij verò textus, nempe *Cap. Decernimus de ſentent. excomm. in 6. Cap. Exceptionem, de exceptionib.* & *cap. 1. de exceptionib. in 6.* generatim loquentes ſolum dicunt poſſe, & debere excommunicatum à iudicio repelli, ſed an eius acta ante exceptionem valida ſint, non deciditur. Sic Victor. *de excommunicat. numer. 16. alias 346.* & alij plures.

215 *Non ſunt valida.* Non ſunt valida, etiamſi contra ipſum non excipiatur. Quia eſto nullus ſit textus, qui expreſſe geſta à Iudice ſæculari excommunicato annullet: at praxi receptum eſt, annullationem factam pro Iudice Eccleſiaſtico ad Iudicem ſæcularem extendi. Ita Laym *l. 1. tr. 5. part. 2. cap. 2. num. 14.* Coninch. *d. 14. n. 303.* Bonac. *d. 2. q. 2. punct. 7. num. 1.* Hurtad. *d. 8. diſſic. 2.* Vaſq. *de excom. c. 7. fine.* Suar. *d. 16. ſect. 1. num. 2.* & alij.

216 *Idē affirmo.* A communi hac sententia non recedam, maxime quia non leuiter colligo ex *Can. Nos Sanctorum* 15.*q.*6.eius veritatem.Ibi enim Pontifex liberat súbditos à dominorū excommunicatorum fidelitate, præcipitque, ne ipsis obediāt. Ergo omni iurisdictione priuati existūt,eorum que præcepta nulla sunt. Præterea in *c.Præsidentes,de hæret.in* 6.ob fidei fauorem excommunicato conceditur, vt valeat Iudicis officium exercere:signum ergo est extra hunc casum nihil posse.

Dvbivm XXXIV.

An procurator excommunicatus valide instituatur ac mandatum acceptet?

217 *Quæstionis status.* PRocurator si excommunicationis tempore acceptet officiū,peccat graviter. Quia est communicatio politica, & in officio publico, à qua per excommunicationem excluſus est. Quęsierim verò,an valide instituatur, valideque mandatum acceptet?

218 *Non instituitur, nec acceptat validè.* Validè non instituitur, nec validè mandatū acceptat.Quia *c.Post cessionem*,Innocētius III. repellit Procuratorē à iudicio,eo quod tempore excommunicationis fuit institutus. Et quia institutio Procuratoris est officij publici *l.1.ff. de Procuratorib.* Sed excōmunicatio omni iudicio,& authoritate publica priuat : Ergò Sic Panormit.*ad c.Post cessionem.n.*10. Decius *ibi, n.*20.Socin.*ad c.Sacris,n.*415.*de sent. excomm.* Vgolin.*tab.*2.*de cens.c.*19.§.3.Sayr.*l.*2.*c.*8.*n.*8.

219 *Validè instituitur,& acceptat.* Instituitur,& acceptat validè.Quia nullibi irrita reperitur, & annullatio actus introducenda non est absque textu manifesto. Ita Suar.*de Cens.d.*16.*sect.*7.*num.*8.Coninch *d.*14.*dub.*11.*concl.*2.*n.*110.

220 *Cum his opinor.* Cum his opinor,iudicans,textū in *c.Post cessionem* contrarium minimè probare.Nā verba illa Pontificis, *Ipsum tanquā procuratorem non duximus admittendum*,non denotant Procuratoris officium non potuisse valide exercere, dum non excipiebatur ; sed denotant, debere repelli,eo quod officium Procuratoris excommunicatus assumpserit.

Dvbivm XXXVI.

An excommunicati testis validum sit testimonium,dum à parte non excipitur?

221 *Nonnulla suppono.* SVppono, excommunicatū occultum licite testimonium ferre.Secus vitandū,*c.Veniens 2.de testib.*& *c. Decernimus, de sent.excom.in* 6. Non videtur autem culpā venialem excedere. Quia actus testificandi non procedit à potestate publica, sed à priuata. Quæsierim verò, num validum sit eius testimonium,dū à parte non excipitur?

222 *Validum non est.* Validū non est.Quia prædicto testimonio nō est fides adhibenda necessario iuxta *c. Nullus* 3.*q.*4 in quo testimonij valor consistere videtur.Sic Marian-Socin.*ad c.Sacris,n.*405.Vasq. *de excom.d.*5.Hurtad.*de Cens.d.*8.*diffic.*6.

223 *Est validū.* Est validum,tametsi ope exceptionis valeat irritari, dum sententia lata non fuerit. Quia aperte colligitur ex *c.*1.*de exceptionib. in* 6.& ex *c.Excōmunicamus*,§.*Credentes,de hæret.* Vbi testimoniū excōmunicati ob hæresis fautoriā nullū esse declaratur:tacite innuendo,ob aliam causam valere. Porro actus annullatio asserēda nō est absque manifesto textu & ratione:nullibi autē inuenitur,testimoniū excommunicati esse irritum.Ita Vgolin.*tab.*2. *c.*17.§.1. Bonac. *de Cens.d.*2.*q.*2.*pun.*7.*n.*12.Suar.*d.*16.*sect.*6.*n.*6. Coninch *d.*14.*d.*14.*n.*110.Sayr.*l.*1. *de excom. c.*8.*n.*1.

Hanc præfero sententiam.Nā quod excommunicati testimonio fides adhibenda non sit, *Hanc præ-* 223
sed possit ope exceptionis elidi solum probat, *fero senten-*
eius valorem non esse firmum:non tamen cō- *tiam.*
uincit, non esse validū,dū non excipitur;interim namque fides ei est adhibenda.Illud omnino certū,in causis fidei non solū valide,sed licite excommunicatum vitandū testem posse adhiberi. *C. In fidei fauorem, de hæret.in* 6. Vt annotant *ibi* Anchar.Geminian.& alij.

Dvbivm XXXVII.

Si Tabellio excommunicatus vitandus sit, validasne scripturas conficit?

CErtum est Tabellionem,si excōmunicatus vitandus non sit,posse ad aliorū petitionē instrumenta,& scripturas conficere, dummodo scriptura ad valorē actus non requiratur si vero vitandus sit,illicite scripturas conficere. Quæstio vero est,num eas validas conficiat? 224 *Quæstionis status.*

Inualidas conficit.Quia *c.Nullus* 2.*q.*3. dicitur.*Nullus anathematizatorū suscipiatur,neque à quoquam credantur , quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.* At si validæ essent eorū scripturę deberet eis fides adhiberi ; quia in nullo alio earum firmitas consistit:Ergo.Sic Canonistarū communis sententia,quam refert,ac sequitur. Henriq.*l.*13.*c.*9.Auila *p.*2.*c.*6.*d.*6.*dub.*5.Hurtad.*d.*3.*diffic.*5. 225 *Inualidas conficit.*

Conficit scripturas validas,quæ fidē faciunt, dum à partibus non excipiuntur.Quia nullibi inueniuntur irritæ.Ita Suar.*d.*16.*sect.*5.*num.*5. Coninch *d.*14.*dub.*11.*concl.*2.*&* 3.Bonac. *d.*2. *q.*2.*pun.*5.*n.*8.*&pun.*7.*n* 4. 226 *Non cōficit invalidas.*

Textum pro prima sententia citatum non cōuincere affirmo.Fateor namque,excommunicatum credendum non esse ex necessitate, cum eius testimonium opposito anathemate possit elidi:at dum nō opponitur,validum est, & fides ei adhibetur,& sententia obillius causam lata valorem continet. Verum si ex consensu partium scriptura ab excommunicato conficiatur distinxerim si partes conscię fuere excommunicationis,nullus eorum poterit,spectato conscientiæ foro excōmunicationis exceptionem opponere, vt scripturam infirmet; quia præfato consensu videntur iuri cessisse exceptionis,& scripturæ firmam fidem adhibuisse.At si excommunicatio ignota esset,optime posset quilibet excommunicationis exceptionem opponere, & scripturæ fidem elicere. 227 *Idē affirmo.*

Dvbivm XXXVIII.

An reus excommunicatus possit per se in iudicio comparere, si vitandus sit?

228 *Status quæstionis.* REus etiamsi sit excommunicatus vitandus, trahi potest ad iudicium, & adductus ad omnia sibi obiecta potest respondere, testes, & instrumenta in sui defensionem producere, Iudicem, Aduocatum, Scribam, & Procuratorem eligere: & exceptionibus dilatoriis vti. Sed quæsierim, num per se comparere in iudicio possit?

229 *Non potest.* Non potest, sed necessario obligatus est Procuratorem eligere, & medio illo respondere, nisi fortè adeo sit pauper, vt nequeat Procuratori stipendia ministrare, vel eo in loco Procurator idoneus non reperiatur. Quia in *Cap. Intelleximus, de iudic.* expresse deciditur, excommunicatum posse in iudicio conueniri, & *debere* per alium respondere. Verbum enim *debere* necessitatem importat, & æquè tum responsionem, tum modum respondendi respicit: At excommunicatus, si conueniatur, ex necessitate respondet: Ergo etiam ex necessitate debet per alium respondere. Sic Decius *ad cap. Intelleximus.* Felin. *ibi, num.* 3. Syluest. *v. Excommunicatio 3. num.* 1. *effectu* 11. Vgolin. *de Cens. tab.* 2. *c.* 16. *§.* 6. *n.* 1. Auila *p.* 2. *c.* 6. *d.* 7. *dub.* 2. Hurtad. *d.* 8. *diffic.* 4. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 15.

230 *Potest plane.* Potest quidem per se ipsum in iudicio comparere. Quia in *cap. Dilecti filij, & cap. vlt. de exceptionib.* permittitur absolute excommunicato in iudicio respondere. Non igitur hæc permissio credi debet restricta ex *c. Intelleximus*, maxime cũ iure naturali concessa sit cuilibet propria defensio: Ergo quoties excõmunicatus censet, melius sese posse per se ipsum defendere, quam medio Procuratore, illi est concedendum. Ita Suar. *d.* 16. *sect.* 4. *num.* 6. Coninch *d.* 14. *dub.* 11. *fine.* Filliuc. *tr.* 12. *n.* 181. Bonac. *d.* 2. *q* 2 *pun.* 7. *n.* 8. Sayr. *l.* 2. *c.* 8. *fine.* citans Glossam *c. Intelleximus, v. Conueniri.* & ibi Innocentium, Hostiensem, Panormitanum.

231 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam licet textus in *c. Intelleximus*, decidat, *debere* excommunicatum per alium respondere, & verbum *Debet* responsionem, & modum afficiat: diuersimode tamen, nam responsionem ex necessitate, modum ex conuenientia. Quod colligo, quia Põtifex solum interrogatus fuit, an excommunicatus in iudicio conuentus obligatus esset respondere. Cui interrogationi respondit, *Debere.* Et licet huic responsioni modum addiderit, vt scilicet ea responsio per alium fiat, id non ex necessitate, sed ex conuenientia dictum est, vti praxis probat. Equidem etsi conuenientissimum sit, vt excommunicationis effectus rectius obseruetur, & minima quoad fieri possit cum excommunicato communicatio habeatur: non tamen est necessarium.

Dvbivm XXXIX.

An excommunicatus exerceat licite & valide tutoris, curatoris, hospitalarij, ac similium officium?

De decimo excommunicationis effectu.

DEcimus excommunicationis effectus est priuatio cuiuscumque vsus officij publici. Vnde excommunicatus non solum illicitè, sed & inualide tutoris, curatoris, & similium officium exercet. Quia huiusmodi officia etsi iurisdictionem non habeant, publica authoritate constituuntur. §. *Nam & tutelam. Inst. de excusationib. tutor.* At excommunicatus exclusus est ab omni officij publici vsu, vtpotè qui à communione fidelium est separatus. Ergo. Sic Sayr. *l.* 2. *de excom. c.* 7. *n.* 2. Vgolin. *de Cens. tab.* 2. *c.* 14.

232 *Illicite, & inualide exercet.*

Licite ac valide huiusmodi munia exercet. Quia esto tutor, curator, hospitalarius &c. authoritate publica constituantur, non tamen in vtilitatem publicam, sed priuatam vtilitatẽ constituuntur, licet authoritate publica, irrita non sunt, nisi excipiantur. Ita Suar. *de Cens. d.* 16. *sect.* 8. *per totam.* Palao *de excom. d.* 2. *pun.* 15. *num.* 1.

233 *Exercet licite, ac valide.*

Eiusdem mentis sum. Nam ex prima sententia sequeretur, acta à Procuratore, Actore, Aduocato, & similibus irrita esse, cum horum officia authoritate publica sint constituta. Constat vero ex supra dictis contrarium esse asserendum.

234 *Eiusdẽm tis sum.*

Dvbivm XL.

An assistentia Parochi excommunicati non tolerati sit valida contrahentibus Matrimonium?

VAlida non est. Quia tum testis gerit officium. At testis esse non potest excommunicatus non toleratus. Sic nonnulli non infimæ notæ, nimium tamen textui adhærentes.

235 *Non est valida.*

Est valida. Quia hæc assistentia, etsi authoritate publica præstetur, non est iurisdictionis actus cum sufficienter præstetur ab inuito, quod alienum est à iurisdictionis vsu: sed est executio cuiusdã conditionis à Concilio *Trid.* requisitę pro matrimonij valore quę cum nullibi annulletur facta ab excommunicato vitando, valida censeri debet. Ita Henriq. *l.* 11. *c.* 3. Rebel. *l.* 2. *de oblig. iust. q.* 9. *n.* 9. Coninch *d.* 27. *dub.* 2. *concl.* 7. Hurtad. *d.* 7. *diffic.* 2. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Bonac. *de matr. q.* 2. *pun* 8. *n.* 21. *& de Cens. d.* 2. *q.* 2. *pun.* 5. *n.* 1.

236 *Valida est.*

Hoc certum. Quia Parochus matrimonio assistens non est testis deponens, sed inspiciẽs. Inspicere autem matrimonium, illique assistere, vt postmodum testificari possit, valide potest ab excommunicato vitando præstari. Addiderim, testificationem excommunicati, dum non excipitur, validam esse, vti superius resolui.

237 *Hoc certũ.*

Dvbivm

Dvbivm XLI.

An licentia à Parocho excommunicato alteri Sacerdoti ad assistendum Matrimonio sit valida?

238 *Quæstionis status.*

ILlicita quidem est, nisi grauis necessitas vrgeat. Quia est quædam cum fidelibus communicatio, & ex se grauis. Quæsierim vero an sit valida? Conueniunt Doctores validam esse, si ab excommunicato tolerato præstetur. Quia dum toleratur Parochi officium, retinet iurisdictionem. Quid si ab excommunicato vitando concedatur huiusmodi licentia?

239 *Non est valida.*

Valida quidem non est. Quia est actus iurisdictionis qua excommunicatus est. Quippe nullus potest alteri facultatem aliquid gerendi impertire, nisi iurisdictionem, vel dominium habeat facultatis concessæ, vel personæ, cui conceditur. Sic Coninch *disputation. 17. de matrim. dub. 2. n. 25.* Auila *p. 2. sap. 6. disputat. 3. dub. 1.*

240 *Valida est.*

Valida est. Quia concessio huiusce facultatis non est iurisdictionis actus, sed dominij: sicuti est quælibet procuratoris institutio: cum Parochus nihil aliud faciat concedens hanc licentiam, quam potestatem assistendi suam in alterũ subrogare. At hæc potestas in Parocho residens, non est iurisdictio: ergo neque illius in alterum subrogatio. Ita Sanchez *de matrimon. disputation. 21.* Filliuc. *tractat. 10. numer. 204.* Hurtad. *de excommun. disputat. 7. difficul. 2.* Bonacin. *hic, d. 2. quæstion. 2. punct. 5. numer. 1.*

241 *Magis mihi hæc sententia placet.*

Magis hæc mihi opinio placet. Quia quod Sacerdos à Parocho designatus potens sit matrimonio assistere, & ex eius præsentia matrimonium subsistat, non tam procedit à Parocho designante, quam à Tridentino concedente eam facultatem Sacerdoti, quem Parochus designauerit: sicuti ipse Parochus ex Tridentino habet esse inspectorem qualificatum, cuius præsentia valorem matrimonio præstet.

Dvbivm XLII.

De vndecimo excõmunicationis effectu. *An contractus ab excommunicato initi semper habeant firmitatem: inducantque obligationem tam ex parte excommunicati, quam aliorum quibuscum celebratur?*

242 *Quæstionis status.*

CVm excommunicato interdicta sit quælibet cum fidelibus communicatio, manifestum est, ei interdictum esse quemlibet cũ fidelibus contractum inire; siquidem contrahendo communione hominum vtitur. Argum. *leg. 1. Paragrapho conuentionis, Digestis de pactis.* Do autem quæstioni, an contractus ab excommunicato initi semper firmitatem habeant, inducantque tam ex parte excommunicati, quam aliorum quibuscum celebratur, obligationem?

243 *Nõ habent semper firmitatem.*

Non habent firmitatem semper & obligationem inducunt, sed si fiant in fauorem contrahentium non excommunicatorum: secus vero si in fauorem excommunicati. Quia cum excommunicatus contrahens sit legum interdicentium communicationem transgressor, æquum non est, vt legibus ipsis subueniatur. Quod enim contra ius fit, pro non facto debet haberi. *Regul. Quæ contra ius, Digestis de reg. iur.* Verum si in aliorum commodum fiant, validi sunt; nè non excommunicatus sua vtilitate ex alterius censura priuetur. Sic Hostiens. *ad Cap. Veritatis, de dolo, & contum.* & *Cap. Si vero, de sentent. excommun.* Cardin. *ad Cap. Pia, de except. libr. 6.* Archidiac. *ad Cap. 1. de iure patron.* & alij relati à Mariano Socio *ad Cap. Sacris numer. 458. de sentent. excomm.*

244 *Semper firmitatem habent.*

Semper habent firmitatem & inducum obligationem, etiamsi ab excommunicato vitando fiant, obliganturque ex illis excommunicati quibuscum contrahunt, etiamsi hi sint excommunicati. Quia anullatio, irritatioque contractus vtpotè odiosa inducenda non est absque manifesto textu, & ratione. At nullus est textus, ex quo hæc irritatio colligi valeat. Esto legibus Ecclesiasticis interdicantur cum excommunicato contractus, non tamen irritantur. Non enim quidquid contra legem fit, pro nõ facto est habendum. Alioqui contractus non solum in fauorem excommunicati, sed etiam in fauorem aliorum non excommunicatorum irritus esset: siquidem ipsis etiam non excommunicatis communio cum excommunicato vitando interdicitur. Ita Panormit. *in Cap. Ad probandum, numer. 8. de sentent. & re iudicata.* & *ibi* Felin. Rebuf. *ad Cap. Postulastis, numer. 5. de Cler. excommun. ministr.* Coninch. *disputatio. 14. dub. 12. nu. 119.* Hurtad. *d. 9. diffic. 1. n. 5.* Vasq. *d. 8.* Vgolin. *tab. 2. c. 20. §. 1.*

245 *Omnino tenenda sententia.*

Hanc sententiam omnino tenendã existimo. Nã Regula illa, quod contra ius fit, pro infecto haberi debet, intelligenda est de iis, quæ fiunt contra ius irritans, & annullans: secus verò de iis, quæ fiunt contra ius tantum prohibens. Vnde constat, validam esse venditionem, emptionem, locationem ab excommunicato factam: donationem tum ab excommunicato tum ipsi excommunicato gestam.

Dvbivm XLIII.

An contractus Matrimonij ab excommunicato vitando initus sit validus?

246 *Validus est.*

VAlidus non est. Quia matrimonium est contractus, quo coniuges sese obligant ad mutuam communicationem: At excommunicatus nequit se obligare ad communicandum

nicandum cum aliis, cum omnis communicatio illi sit interdicta: Ergo. Sic nonnulli, quos, presso nomine, memorat Castro Pal. *de Cens. d. 2. pun. 16. n. 5.*

247 *Est validus.* Validus omnino est. Quia licet Ecclesia potuerit irritare excommunicati matrimonium, nullibi tamen reperitur factum. Imo firmum esse indicat *Cap. Significasti, de eo, qui duxit in matrimon. quam polluerat per adulterium.* Ita Felin. *Rub. de sponsal. titul. 8. in 12. priuil.* Couar. *ad Cap. Alma part. 1. numer. 9.* Vgolin. *tab. 2. cap. 20. Paragrapho 1.* Sayr. *lib. 2. cap. 9. numer. 15.* Bonacin. *hic, d. 2. quæstion. 2. pun. 5. numer. 1.*

248 *Omnes hoc mihi.* Omnino tenendam esse hanc sententiam existimo. Nam excommunicati contrahentes matrimonium obligari possunt ad mutuam cohabitationem absolutè, quod sufficit, vt matrimonium subsistat, tametsi non obligentur ex suppositione, quod excommunicati existant. Præterea excommunicatio non impedit coniugalem conuictum, vtpote à natura concessum, & maximè necessarium. Quapropter etsi excommunicati contrahendo peccent, contractus tamen validus ac firmus existit.

Dvbivm XLIV.

Estne validum testamentum ab excommunicato vitando confectum?

249 *Inualidum est.* INualidum est. Quia illicite omnino fit ab huiusmodi excommunicato, cum necessum sit vocare testes, & cum ipsis ac Notario communicare: quod est excommunicato vitando prohibitum. Sic plures Doctores, quos refert. Sayr. *libr. 2. de excommunicat. capit. 9. num. 1.*

250 *Est validū.* Validum est. Quia nullibi irritum habetur. Et omnibus est permissum, testamentum conficere, nisi aliqua lege expressa prohibeatur, *Paragrapho fin. Instit. Quibus non est permissum facere testam.* Leg. *Si quæramus. ff. de testam. leg. 1. Cod. de Sacros. Eccles.* At excommunicato non est interdicta generaliter testamenti confectio: Ergo. Ita Abbas *in c. Ad probandum, n. 9. de sent. & re iudic.* & *ibi* Felin. *col. 2.* Couar. *Rub. de testam. numer. 18.* Vgolin. *tab. 2. capit. 21.* Layman. *libro primo tractatu quinto parte secunda capite secundo numer. 17.* Coninch. *disputation. 14. dub. 12. fine.* Sayr. *lib. 2. de excom. cap. 9. num. 2.* Auila *p. 2. c. 6. d. 6. dub. 6.*

Existimo primam sententiam haud solido fundamento niti. Nam ex eo, quod illicitè conficiatur testamentum vocando testes, & cum illis ac Notario communicando, inferri nequit esse irritum: sicuti non est irritus quilibet alius contractus illicitè celebratus, nisi aliqua lege expressa prohibeatur.

Dvbivm XLV.

Licetne salutatio, quæ non fit salutandi animo, sed ne quis inurbanus videatur?

De duodecimo excō. municationis effectu.

EXcommunicatus priuatus est communione ciuili ac politica fidelium, siue per modum commercij, siue Societatis, siue conuersationis. *Cap. Sicut Apostoli. Cap. Excommunicamus 11 quæstion. 3. Cap. Ad mensam. Si quis laicus 24. quæstion. 1.* Actiones vero huius ciuilis, ac politicæ communicationis vidimus *sect. 1.* hoc versu comprehendi

251 *Status quæstionis.*

Os, orare, vale, communio, mensa negetur.

Nomine *Vale* prohibetur quælibet honorifica salutatio. *Cap. Excommunicatos 11. qu. 1.* habetque fundamentum in verbis illis 2. *Ioan. 1. Neque Aue ei dixeritis.* Non est autem censenda salutatio, si dicas, *Deus te illuminet, Deus te conuertat.* Quia his verbis non honoras excommunicatum, sed eius statum exprobras, & à Deo conuersionem postulas. Quæsierim vero, an prohibeatur salutatio, quæ non fit animo salutandi, sed ne inurbanus videaris; verbi gratiâ, assurgere excommunicato, caput aperire, locum concedere?

252 *Prohibetur omnino.* Prohibetur omnino. Quia illa est vera salutatio exterior, in quam prohibitio cadit, licet procedat ex animo non salutandi, quem animum lex non spectat. Sic Vasquez *hic, dub. 8. numer 5.* Bonacin. *disput. 2. quæstion. 2. punct. 6. Paragraph. 2. numer. 4.* Hurtad. *disputation. 9. difficul. 1. numer. 3.* Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 2. capite secundo numer. 16.* Sylvest. *verb. Excommunicatio quinto numero tertio.* Nauarr. *summ. c. 27. numer. 20.* Suar. *disput. 15. section. 1. num. 3.*

253 *Minimè prohibetur.* Non prohibetur. Quia ea salutatio consuetudine introducta videtur, non voluntaria, sed necessaria; non quidem vt excommunicatum honores, sed ne illum inhonorare videare. Quod à fortiori procedit, excommunicato te prius salutante. Quia tunc resalutatio debita esse videtur. Ita Henriquez *lib. 12. c. 7. litter. O.* Filliuc. *tract. 13. numer. 84.* Auila *p. 2. c. 6. disput. 9. dub. 5.* Sayr. *libr. 2. c. 13. numer. 7.* Sotus *in 4. dist. 22. quæstion. 1. articulo quarto* Graf. *libro quarto capit. 12. numer. 5.*

254 *Hoc probabile iudico, & illud teneo.* Primam sententiam tenendam, & consulendam esse iudico vt securiorem, ac probabilem satis dixerim esse secundam, præcipue, si prius ab excommunicato quis salutetur.

Dvbivm XLVI.

Communicatio in officio diuino priuatim recitato estne lethalis?

255 *Nonnulla suppono.* SVppono, sub lethali culpa prohibitam esse excommunicato cum fidelibus communicationem

nicationem, & ipsis fidelibus cum excommunicato in rebus diuinis. *Cap. Significauit, de sentent.excomm.* Nomine autem diuinorum intelligimus Sacramenta, Officia Ecclesiastica solemnia,& sepulturam. Quæsierim vero, an communicatio in Officio diuino priuatim dicto sit lethalis?

256 *Lethalis est per se.* Lethalis est. Quia *Cap. Significasti citato* absolute prohibetur communicatio cũ excõmunicato in diuinis. At priuata Officij Canonici recitatio pertinet ad diuina. Sic nõnulli Doctores, quos, presso nomine, innuit Castro Palao *d.2. de Cens.pun.18.n.2.*

257 *Nõ est per se lethalè.* Non est per se lethale piaculum. Quia hęc communicatio non est primo & per se ex vi excommunicationis prohibita, sed secundario, ideoque in ratione communicationis non videtur grauis materia. Ita Auila *part.2. cap.6. d.8.dubio 3.* alios citans Couar. *ad Cap. Almæ, part. 1. §. 3. numer. 8.* Vasquez *hic dub. 7. & 10.* Hurtad. *d.9.difficul.2.* Sayr. *libr.2.capit.11. num.22.*

258 *Cum his opinor.* Cum his opinor, hinc asserens constare cõmunicationem in rebus humanis Ecclesiasticis, vt in collatione beneficij, illiusque receptione, vsu, & exercitio iurisdictionis Ecclesiasticæ per se, & ex vi communicationis, mortalem non esse. Quia solum secundario hæc communicatio per excommunicationem prohibetur, Dixi, *Ex vi communicationis*, nam ex vi nullitatis actus, quæ ex cõmunicatione vitanda inducitur, regulariter mortalis est vt adnotauit Henr. *l.13.c.7.n.1.* & Sayr. *l.1. c.11.n.19.*

Dvbivm XLVII.

An maritus possit cum vxore excommunicata communicare?

259 *Nonnulla præmitto.* SCis quibus in casibus licita sit cum excõmunicato denunciato communicatio: hosque casus illo carmine comprehendi.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Qui quidem deducuntur ex *Cap. Quoniam multos 11. quæstion.3.* Verbum illud, *Lex* matrimonij legem significat quæ excusat à prohibitione communicandi cum excommunicato coniuge. Vnde vxor petere debitum potest à marito excommunicato, cum eoque in mensa, gubernatione domus, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis communicare *Cap. Inter alia, de sentent.excomm.* Quæsierim autem, an ipse maritus possit cum vxore excommunicata communicare extra coniugale debitum?

260 *Non potest.* Non potest. Quia in eo *Cap. Quoniam multes*, solum permittitur vxori communicare cum viro excommunicato: non verò permittitur viro communicare cum vxore excommunicata. Et quia vir est caput vxoris, ad ipsum que pertinet vxorem corrigere, ipsamque cõpellere, vt procuret absolutionem. Quod si non faciat vxor, sibi imputare debet, ideoque à communicatione est arceda. Sic Hostiẽs. *sum. l.5.tit.de sent.excom.n.12.* Astens. *p.2.l.7. tit.12. q.4.* D. Antonin. *3.p.tit.25.c.1.* Fauet Syluest. *v. Excommunicatio 5.n.4.* Armil. *n.43.*

261 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia dispositum in vno correlatiuo censetur in alio dispositum, vbi est eadem ratio: At in præsenti eadem ratio est concedendi marito, vt possit cum vxore excõmunicata communicare: quippe vxori conceditur ob periculum animarum, quod periculum æquè in viro procedit. Ita D. Thom. *in addit.ad 3.p.q.23.a.2.* Palud. *dist.18.q.6. art.2.* Nauar. *sum.c.27.n.26.* Sanch. *l.9 dub. 14.n.26.* Vasq. *dub.9.n.3.* Laym. *l.1.tr.5.p.2.c.2.num.16.* Auila *part.2.c.6.d.11.dub.5.*

262 *Eidem sententia adhæreo.* Cum his omnino teneo, æque vtrique coniugi excommunicato communicationem licitam esse. Quia alias vir excommunicatus melioris esset cõditionis, quam non excommunicatus: siquidem posset vxoris obsequiis frui, quibus non excommunicatus priuatus esset. Addo, ratione vtilitatis, aut necessitatis vel propriæ, vel vxoris, vel familiæ permittendam esse marito communicationẽ cum vxore excommunicata saltem ad breue tempus. Porro licet in *Cap. Quoniam multos* solum vxores excipiantur, id factum est, quia frequentius viri, quam vxores in excommunicationem incidunt. Non autem inde infertur, viros exclusos esse, si fortè vxores in excommunicationem inciderint.

Dvbivm XLVIII.

Filij emancipati possintne cum parentibus excommunicatis communicare, sicuti possent si emancipati non essent?

263 *Minimè possunt.* MInime possunt particula *Humile*, seu ex subiectionis humilitate. Quia textus in *Cap. Quoniam multos* ideo concedit filiis hanc communionem, quod illis necessaria erat ob communem cum parentibus habitationem, quæ ratio in filiis emancipatis cessat. Quod si filij emancipati sustentationem à patre recipiunt tunc non ratione filiationis, sed quia sunt, de familia communicare poterunt. Sic Sayr. *l.2. de excom.c.14.n.10.*

264 *Possunt plane.* Possunt quidem. Quia filius emancipatus verè filius est, & patri subiectus: Ergo debet fauore filiis concesso potiri: maxime cum ratione filiationis, & subiectionis debitæ obligatus sit, sæpe communicationem cum parente inire. Ita Vgolin. *tab.2.capit.23.§.7.* Hurtad. *d.9. de excom.diffic.4.n.21.* Reginal. *l.32.n.109.* Bonac. *d.2.de excom.q.2.pun.6.§.2.num.28.* Suar. *d.15. sect.5.n.4.* alios citans.

265 *Hæc nulla verius.* Profecto cum semper particula *Humile*, seu subiectionis ratio semper in filiis debeat verificari, etiam emancipati concessione illa filiis data potientur. Et hoc probabilius omnino esse iudicarim.

Dvbivm

Dvbivm XLIX.

An seruientes alteri gaudeant communicandi priuilegio, si suas operas domino iam excommunicato conduxerint?

266 *Status quæstionis.* CErtum est, ex particula *Humile* excusari seruientes alicui, siue gratis, siue ex pretio inseruiant, tametsi rusticani sint. *Cap. Quoniam multos.* Requiro autem, an hoc priuilegio gaudeant si suas operas domino iam excommunicato conduxerint?

267 *Non gaudent.* Non gaudent. Quia *cap. inter alia, de sent. excom.* Innocentius III. concedit famulis communicationem cum suis dominis excommunicatis, si ante excommunicationem subiectionem contraxere. Supponit ergo Pontifex illicitā esse communicationē cū excōmunicato, si tempore excommunicationis subiectio contracta est. Nam ea subiectio, & obligatio videtur inique contracta. Merito igitur denegari illi debet communicatio præfatam subsequēs subiectionem. Sic Nauar. *sum. c. 7. n. 27.* Auila *p. 2. de Cens. c. 6. d. 11. dub. 6.* Suar. *d. 15. sect. 5. nu. 13.* Sayr. *l. 2. c. 14. n. 15.* Vgolin. *tab. 2. cap. 23. §. 9. numer. 6.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 5. numer. 3.*

268 *Gaudent quidem.* Gaudent quidem, si absque vlla culpa subiectio fuit tempore, quo dominus excommunicatus erat, subiectio cōtracta. Quia cū nullā culpam commiserint in ea subiectione, non debent à communicatione, aliis concessa famulis, priuari. Ita Laym. *libr. 1. tractat. 5. part. 2. capit. 2. nu. 17.* Coninch *d. 14. dub. 12. n. 127.* & idem Suar. *vbi sup.* hoc in casu id, aliis relatis, profitetur.

269 *Auctoris sententia.* Ego quidō existimo, illicitā esse cōmunicationē, si culpa interceſſit. Quia hoc videtur Pōtifex nō obscurei nnuere. Vnde in hoc casu primā teneo sententiā cōmuniorē planè. Si vero non interceſſit culpa adhæreo secundæ, & licitam esse affirmo: sicut contingit adoptatis tempore excommunicationis, vel famulis ignorantibus excommunicationem domini, vel locantibus suas operas excommunicato ob necessitatem vrgentem.

Dvbivm L.

An excusentur vasalli à communicatione cum suis dominis excommunicatis?

270 *Excusātur.* EXcusantur. Quia subditi sunt: & particula illa *Humile* omnes subditos videtur excusare. Sic Doctores plures, quos presso nomine, refert Castro Palao *de Cens. disput. 2. punct. 19. num. 20.*

271 *Non excusantur.* Non excusantur. Quia vasalli nec sunt famuli, nec ad domini familiam pertinent, vt ad eius communicationem adstricti esse videantur. Ita ipse Palao *ibid.* Bonacin. *disputatione Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. VI *secunda de excommunic. quæstione secunda punct. 6. Paragraph. 2. numer. 40.* Hurtad. *d. 9. difficult. num. 15.*

Hoc rectius mihi putanti decidi in *cap. Sanctorum 15. quæstion. 6.* Attamen quia ob præcisam excommunicationem domini non eximuntur vasalli à debito fidelitatis, possunt, & debent domino præcipienti obedire, & tributa soluere. Quia hæc obedientia, & tributorum solutio ex dominio subsequitur, quod per excommunicationem nequaquam amittitur. Henriquez *l. 13. c. 22. num. 3.* Suar. *disput. 15. sect. 6. num. 5.* Bonac. *d. 2. q. 2. pun. 6. Parag... num. 40.* 272 *Hoc probabilius mihi.*

CAPVT XII.

Circa Excommunicationem minorem.

Dvbivm LI.

An pœnitentia ab excommunicato excommunicatione minore, sit validā?

REcolo olim plures fuisse excōmunicationes minores, iam vero vsu receptum, tantum esse vnicam, quę incurritur ob participationem cum excommunicato vitando siue viuo siue mortuo appellarique minorem comparatione maioris. Quæ quidem etsi ab homine ferri valeat, nunquam tamen fertur. Vnicus autem est eius effectus scilicet priuatio passiua Sacramentorū. Quare minori excommunicatione innodatus tenetur sub graui culpa cuiuslibet Sacramenti perceptione abstinere. *c. Si celebrat, de Clerico excomm. ministr.* Quia cuiusvis Sacramenti receptio grauis materia est. Sacramenta vero (vnicum pœnitentiæ si demas) valida esse, omnes Doctores affirmant. De pœnitentia vero dubitarim, num recepta ab excommunicato huiusmodi valida sit? 273 *Nonnulla recolo.*

Valida non est. Quia hac excommunicatione priuat Ecclesia excommunicatum Sacramentorum receptione quoad fieri possit: At potest Ecclesia eum priuare Pœnitentiæ Sacramento secundum illius valorem, denegando Sacerdoti iurisdictionem: Ergo Pœnitentiæ Sacramentum receptum ab excommunicato excommunicatioone minori est inualidum. Sic Sylvest. *verb. Excommunicatio 4. numer. 1. & verb. Confessor 3. numer. 12.* Tabie. *verb. Absolutio 1. numer. 24. Paragrapho 10.* Summa Corona *part. 1. cap. 31. de iteran. Confess.* Vasquez *de excommunicat. dubio quarto* alios citans Hurtad. *disputation. 16. difficul. 1. num. 3.* Quod intelligendum est, aiunt, esto ignoranter, & inculpabiliter recipiatur, non præmissa Censuræ absolutione. 274 *Valida non est.*

Valida est, si nullam in huius Sacramenti receptione culpam commisit. Quia Eccle- 275 *Valida est.*

sia solum remouet excommunicatum à Sacramentis illorum perceptionem prohibendo, non autem irritando. Nec vllum est fundamẽ in iure huius irritationis: quin potius receptũ ab omnibus est, reliqua Sacramẽta, etiã Matrimonij valida esse ab excommunicato recepta, cũ tamen Ecclesia illius receptionem potuerit irritare. Ita Vgol. *tab. 2. c. 7. §. 2. n. 6.* Nauar. *sum. capit. 9. numer. 3. ver. 4.* Medina *Cod. de Confes. quæstion. 18.* Couar. *ad Cap. Alma. part. 1. Paragrapho 6. num. 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 3. num. 3.* Sayr. *l. 2. capit. 22. num. 14.* Bonac. *d. 2. quæst. 3. num. 3.*

276 *Hanc præfero sententiam.* Hanc sententiam præfero. Quia non videtur expediens hanc irritationem in Pœnitentiæ Sacramento fieri, vtpote fidelium maximè necessario, præcipue cum hæc irritatio facienda sit auferendo à Sacerdote iurisdictionem, quod esset Sacerdotem innocentem punire. Dixi autem, *Si nullam in eius receptione culpam commisit.* Eo, inquam, quod ignarus excommunicationis fuerit, vel si illius fuit conscius, postulauit ab excommunicatione absolutionem priusquam à peccato absolueretur: quod tamen Sacerdos vel ex malitia vel ex ignorantia, vel ex inaduertentia non præstitit.

Dvbivm LII.

Sacerdos excommunicatione minori innodatus peccatne lethaliter, Sacramenta ministrans?

277 *Nonnulla præmitto.* PRæter effectum suprà dictum proprium & directum plures Doctores minori excommunicationi attribuunt administrationis Sacramentorum priuationem, non quidem per se, & directè: sed indirectè, & in consequentiam. Nam cum huiusmodi excommunicatione adstrictus Sacramentorum receptione priuatus existat, indecens est, si aliis ea Sacramenta conferat, quæ recipere est priuatus. Couar. *ad c. Alma, p. 1. §. 8 nu. 2.* Auila *p. 2. c. 6. d. 12. dub. 3.* & alij. An vero hæc indecentia culpam lethalem constituat, dubitatur?

278 *Lethaliter peccat.* Culpam lethalem constituit. Quia grauis est indecentia Eucharistiam verbi gratiã contingere, & fidelibus ministrare. Sic Sylvest. *v. Excommunicatio 4. num. 2.* Armil. *verb Eodem, num. 21.*

279 *Non peccat lethaliter.* Non constituit lethalem culpam. Quia *c. Si celebrat, de Clerico excommunicato minist.* de celebrante excommunicatione minori innodato inquit Pontifex *grauiter peccare.* At de conferente Ecclesiastica Sacramenta tantum dicit, peccare, adverbium *Grauiter* omittens. Ita Coninch *disputation. 14. dub. 16. numer. 264.* Vasquez *dubio quarto* Sayr. *libro secundo capite vigesimo secundo nu. 19.* Reginaldus *lib. 32. numer. 142.*

280 *Idẽ affirmo.* Existimo longe veriorem esse hanc sententiam. Nam si Pontifex vellet sub lethali obligare huiusmodi excommunicatum ab administratione Sacramentorum abstinere, particula *Grauiter* etiam vsus fuisset, cum de administratione loquebatur, qua vsus fuit, cum de receptione loquutus est.

Dvbivm LIII.

Estne veniale piaculum, Sacramenta administrare Sacerdotem, qui excommunicatione minori illigatur?

NOn est peccatum veniale. Quia ex vi huius excommunicationis Sacerdos priuatus non est, vel indirectè à Sacramentorum administratione. Nam in præfato *cap. Si celebrat, de Clerico excomm. ministr.* dicitur, Sacramenta collata ab huiusmodi excommunicato non carere virtutis effectu; quia non à collatione, sed à receptione est remotus. Si autem excommunicatus ea conferens culpam vllam committeret, ab illorum collatione remotus esset, & virtutis effectu careret. Neque obstat, quod Pontifex dixerit, præfatum excommunicatum peccare Sacramenta conferendo; nam intelligi debet, non quatenus confert, sed quatenus illorum collationi Sacramenti receptionem præmittit. Sic Nauar. *sum. c. 27. nu. 24.* Bonac. *de excom. d. 2. q. 3. num. 4.* Hurtad. *d. 16. diffic. 1. num. 4.* Henriquez *libr. 13. c. 3. num. 2.* Suar. *d. 24. sect. 2. n. 12.* Filliuc. *tr. 13. num. 22.* 281 *Nec veniale piaculũ est.*

Peccatum saltem veniale est. Non quia minori excommunicatione innodatus lege aliqua Ecclesiastica remotus sit à Sacramentorum collatione: sed quia lege naturali ab eorum collatione remouetur, eo quod remotus sit ab eorum susceptione. Ita Castro Palao *de Cens. d. 2. pun. 21. n. 10.* asserens esse communem sententiam. 282 *Peccatũ est veniale.*

A qua non recedam etsi contrariam satis probabilem esse existimem. Certe vt huic menti adhæream, ea ratione allicior. Quia indecens admodum videtur aliis Sacramenta conferre, quorum susceptione ipse tanquam indignus est priuatus. 283 *Idem affirmo.*

Dvbivm LIV.

Irritane est ipso iure electio ad beneficium, si electus excommunicatione minore innodatus existat?

SCis, secundum effectum indirectum excommunicationis minoris esse priuationẽ electionis ad beneficia. Vnde eligens, præsentãs, vel cõferens huiusmodi excõmunicato beneficiũ Ecclesiasticum, & ipse recipiens lethaliter delinquunt. Dubito autem an præfata electio, seu collatio beneficij sit irrita? 284 *Quæstio fit.*

Irrita ipso iure est. Quia personæ indigne, & inhabili beneficiũ cõfertur. Et licet in *c. Si celebret, de Cler. excom. ministr.* dicatur præfatam electionẽ irritandã esse: id explicandum est de irritatione declaratiua, non de effectiua; debet enim à Iudice irrita declarari. Sic Hostiens. *ad Cap. Si celebret. & ibi Cardinal. col. vlt.* Couar. *ad* 285 *Ipso iure est irrita.*

ad Cap. Alma p.1.§.8.n.3. Vgolin. *de Cens. tab. 3. capit. 6. Parag. 3. num. 2.* Nauar. *sum. c. 27. numer. 24.*

286 *Irrita non est ipso iure.*

Non est iure ipso irrita. Quia cum textus in eo *Cap. Si celebrat*, expresse dixerit electionem irritandam esse, nullum est fundamentū, vt intelligatur de irritationis declaratione, cum hæc sit impropria verborum intellectio, quæ vitanda est, quoad fieri possit, maximè cū pœnalem constitutionem restringit. Ita Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.* Hurtad. *d. 16. diffic. 1.* Filliuc. *tr. 13. c. 2. q. 8.* Coninch *d. 14. n. 263.* Tolet. *lib. 1. c. 18. & l. 5. c. 66.* Auila *p. 2. c. 6. d. 12. dub. 4.* Bonac. *d. 2. q. 3. n. 7.*

287 *Hoc probabilius esse censeo.*

Hoc probabilius esse censeo, monens hanc irritationem extendi non debere ad temporalium dignitatum electionem. Quia textus non de dignitatibus temporalibus, sed de Ecclesiasticis est locutus: vt cōstat ex illis verbis, *Pro eo quod ad susceptionem eligitur, a quorum participatione à Sanctis Patribus est priuatus.* At ex vi excommunicationis minoris nemo priuatus est nec immediate nec mediate harum dignitatum regimine: ergo illarum electio irritanda non est, etsi innodato excommunicatione minori facta fuerit.

Dvbivm LV.

Vt electio illius, qui excommunicatione Minori illigatus erat, ad beneficium irritari debeat, necessumne est in electoribus scientiam huius excommunicationis adesse?

288 *Hoc est necessarium.*

Necessarium hoc est. Quia textus in *Cap. Si celebret*, expresse dicit, *si scienter talis excommunicatus electus fuerit, eius electio est irritanda.* Ergo requiritur scientia excommunicationis vt locum irritatio habeat: alias particula *scienter* superflua esset. Sic Auila *p. 2. cap. 6. disputation. 12. dub. 4. concl. 4.* Hurtad. *disputat. 16. diffic. 1. fine.* Reginald. *lib. 32. n. 143.* Vasq. *dub. 6. nu. 12.* Gabri. *in 4. distinction. 18. question. 3. articul. 3.*

289 *Necessariū non est.*

Non est necessum. Quia particula illa *scienter* potius est addita ad augendam, quam ad limitandam dispositionem: præstatque hunc sensum: Etiamsi electio excommunicati scienter facta sit, irritanda est. Nam cum electores excommunicatum elegerunt, electio irritanda est ob surreptionem. At cum conscij excommunicationis elegerunt, non videbatur electio defectum habere, ob quem irritāda esset: ideoque opus fuit Pontificis dispositione. Ita Abbas *ad Cap. Si celebret, numer. 7.* Cardin. *ibi col. vltim.* Couar. *ad Cap. Alma, parte prima Paragrapho octauo numero tertio* Vgolin. *tab. 3. capite sexto Paragrapho tertio numero secundo* Suar. *disputatione vigesima quarta sectione secunda numero decimo octauo* Coninch *dispitatione decima quarta nu. 163.* Sayr. *lib. 1. cap. 22. numer. 23.*

290 *Doctoris relatio.*

Ego autē etsi vna & altera sentētia satis sit probabilis, probabilius existimo, electionē irritandā esse, si facta sit de excōmunicationis excōmunicato suæ conscio: secus si facta sit de ignaro suæ excommunicationis, siue electores sciuerint siue ignorauerint excōmunicationē. Quia ītāte excommunicationis ignorantia in electo, licet in re priuatus sit Sacramentorum participatione, ob ignorantiam tamen excusatur ab huiusmodi priuatione. Merito ergo electio sustineri debet, si electus sue excommunicationis ignarus fuit: cum ratio textus, ob quā decidit electionem esse irritandam non adæquatè procedat.

Dvbivm LVI.

Simplex Sacerdes potestne, ab excommunicatione Minori absoluere?

291 *Potest absoluere.*

Absoluere potest. Quia hæc excommunicatio regulariter ob culpam venialem contrahitur: Ergo simplex Sacerdos, qui è venialibus quidem potest absoluere, poterit ab excommunicatione minori. Quę ratio probat, hanc absolutionem ab eo concedi posse etiam, si absoluendus peccatis mortalibus infectus sit. Sic Nauar. *sum. cap. 27. n. 25. & 29.* Vivald. *in Candelab. p. 2. tr. de excom. n 12.* Tolet. *l. 1. c. 17. n. 7.* Hurtad. *d. 16. diffic. fine.* Inclinat Armilla *v. Absolutio 2. n. 18.* & Tabie. *n. 5.*

292 *Absoluere non potest.*

Non potest. Quia *C. Nuper, de sent. excom.* interrogatus Pontifex, an simplex Sacerdos absoluere ab hac censura posset, respondit, absoluere posse Episcopum proprium, vel proprium Sacerdotem. Ergo manifeste indicauit simplicem Sacerdotem nullam potestatem habere alias non exprimeret, proprium Episcopum vel Sacerdotem, cum ab alieno Episcopo vel Sacerdote hæc absolutio posset obtineri. Porro cum hæc absolutio distincta sit ab absolutione à peccatis pertineatque per se ad iurisdictionē contentiosam, nemini competere potest, nisi ei à iure, vel ab homine potestatem vel iurisdictionem habente concedatur. Atqui simplici Sacerdoti nullibi hæc potestas concessa reperitur. Nā *c. Nuper* nō alieno Sacerdoti, sed proprio conceditur, proprius autem Sacerdos est, qui à quibusque peccatis sibi subditū absoluere per se potest, non vero qui tantū potest à venialibus. Ita Caiet. *sum. v. Absolutio, fine.* Sayr. *l. 2. c. 23. n. 9.* Vgol. *tab. 3. c. 4. §. 5. n. 2.* Suar. *d. 7. de Cens. sect. 4. n. 17.* Coninch. *d. 14. dub. 17 fine.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. fine.* Bonac. *d. 2. q. 13. n. 15* Filliuc. *tr. 13. c. 7 q. 3.*

293 *Hæc sententia longe est probabilior.*

Hæc sententia longe est probabilior. Nam ex eo, quod Sacerdoti simplici sit à iure concessa potestas à venialibus absoluendi, inferri non debet, posse ab hac excommunicatione ob peccatum veniale incursa absoluere. Quia late differt hæc absolutio Censuræ ab absolutione à peccatis: alias qui posset à mortalibus absoluere, posset etiam ab excommunicatione maiori ob eorum causam incursa: quod non est dicendum.

CAPVT XIII.

Circa Excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ continentur.

DVBIVM LVII.

An Bullæ Cœnæ Excommunicationes à iure, non ab homine sint vocitandæ?

294 *Sunt appellandæ à iure non ab homine.*

SVNT appellandæ à Iure, non ab homine. Quia mortuo conditore, nõ extinguuntur, & ad perpetuã rei memoriã promulgãtur, & in vi cõstitutionis. Sic Sylvest. *v. Excommunicatio 7. n. 76.* Navar. *summ. Lat. hic n. 21.* Salas *de leg. d. 1. sect. 9. n. 62.* Bonac. *to. 3. de Cens. in partic. d. 1. q. 1. punct. 5. num. 2.* alios citans.

295 *Sunt appellãdæ ab homine non à iure.*

Sunt ab homine, non à iure apellandæ. Quia pro tempore determinato feruntur, noui sci. licet processus promulgantur cessantque ea publicatione facta absque vlla reuocatione. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæstion. 2. art. 3.* Suar. *disputat. 21. de Cens. section. 1. numer. 2.* Tolet. *l. 1. capit. 18.* Becan. *tract. de fide, capit. 15. quæst. 8. num. 6.*

296 *Auctoris resolutio.*

Profecto magis videtur de nomine, quam de re quæstio, cum constet, ob mortem Pontificis prædictas excommunicationes vim suam non amittere: cessare tamen absque vlla reuocatione ab eo puncto, quo noui processus fuerint publicati. Placet tamen mihi Sayri *l. 3. thesau.* & Reginaldi *l. 9. n. 230.* sententia asserentium, has excommunicationes neque esse propriè à iure, cum non sint perpetuæ ex se, sed absque vlla reuocatione cessent, noua Bulla expedita: nec esse proprie ab homine, cum mortuo conditore, non expirent; sed esse medias inter sententias à iure, & ab homine latas & de vtrarumque natura participare.

DVBIVM LVIII.

De prima excommunicatione contra hæreticos.

Assensus, seu dubitatio interior contra Fidem si verbis ambiguis, vel indifferentibus declaretur exterius, estne excommunicatione prima Bullæ vindicatus?

297 *Nonnulla suppono.*

IN priori Bullæ clausula fulminatur contra hæreticos ac Schismaticos excommunicatio, cui non subiicitur, qui assensum, vel dubitationem pure interiorem habet: neque etiamsi pure sit exterior absque animo recedendi à fide. Quia excommunicatio fertur aduersus eos, qui voluntarie à fide exterius recedunt. At si quis assensum internum, vel dubitationem contra fidem foueat, & exterius eum verbis ambiguis, ac indifferentibus explicet, quæsierim, num huic excommunicationi subiaceat?

298 *Subiacet quidem.*

Subiacet quidem. Quia iam non est pure interior, cum his verbis licet indifferentibus explicetur exterius; possunt enim audientes inde occasionem arripere, vt verba illa ambigua, vel indifferentia in sensum ab hæretico interne cõceptum accipere. Sic Tolet. *l. 1. c. 18. nu. 5.* Sayr. *l. 3. thesc. 4. n. 13. & 21.* Chapeauil. *tr. de casib. reseru. p. 2. cap. 1. q. 1.* Azor. *to. 1. lib. 3. c. 10. q. 3.*

299 *Non subiacet.*

Non subiacet. Quia ea non est sufficiens hæresis manifestatio, cum ex vi illius ab Ecclesia reputari, iudicarique possit hæreticus. Lessius *l. 2. c. 12. dub. 8. n. 128.* Bonac. *d. 1. q. 2. pun. 2. n. 4.* Viuald. *in expos. Bul. Cœnæ, n. 2. & 3.* Palao *d. 3. pun. 2. n. 3.*

300 *Hæc sequor.*

Satis hoc probabile esse reor. Arripere enim aliquã occasionem ex verbis ambiguis, vt in malum sensum interpretari valeat internum illum assensum, accidentale omnino est, per se autem iudico eam non esse sufficientem hæresis manifestationem.

DVBIVM LIX.

De secunda contra appellãtes ad futuũ Concilii.

Appellantes ab ordinationibus seu mandatis Pontificis ad Concilium futurum, non qua Pontifex est, sed qua est, temporalis Princeps, liganturne excommunicatione?

301 *Non ligantur.*

APpellantes à mandatis Pontificis non qua Pontifex est, sed quatenus Princeps temporalis hoc excommunicatione non ligãtur. Quia esto appellantes in causis temporariis Pontifici iniuriam irrogent, si ipse in illis causis supremus Princeps sit: at cum id ex Pontificis munere non inferatur necessario, siquidem potest in illis causis alteri Principi esse subiectus, vtpote qui sub ea cõditione dominium temporale concessit: non videtur, sic appellantes, & iniuriã per accidens inferentes comprehẽdere voluisse. Sic Reginal. *l. 9. n. 263.* Et probabile reputat Palao *de Cens. d. 3. pun. 3. n. 5.* citans Bonacinam.

302 *Ligantur plane.*

Excommunicatione ligantur. Quia Pontifex ob iniuriam sibi factam in huiusmodi appellatione excommunicationem profert. At iniuria hæc Pontifici irrogatur per appellationem à quocumque eius mandato: siquidem eũ inferiorem esse Concilio subditumque appellans denotat. Ergo. Ita Bonaci. *de Cens. in partic disp. 1. quæs. 3. punct. 2. numer. 3.* asserens, hanc sententiam communiter à Doctoribus approbari, cum huius distinctionis non meminerint, sed absolute affirmauerint, appellantes à mandatis Pontificiis ad futurum Concilium hac excommunicatione illigari. Contestatur Palao *vbi suprà.*

303 *Eiusdem mentis sum.*

Eiusdem mentis sum. Nam Pontifex potest excommunicare non solum appellantes à suis mandatis, vel ordinationibus quatenus Pontifex

Pontifex est, sed quatenus Princeps temporalis. Vti excommunicat pyratas suo in mari Pontificio discurrentes. Ergo censeri id factum esse: & quia in eius fauorem cedit: & quia excommunicatio absque vlla limitatione fertur.

Dvbivm LX.

An appellantes ad Concilium generale præsens, vel ad Prouinciale futurum incurrat hanc excommunicationem?

304 *Incurrunt quidem.* INcurrunt quidem. Quia in hac appellatione eadem est ratio prohibitionis: cum eadem, grauior irrogetur Pontifici iniuria appellatione facta ad Concilium generale præsens, vel ad Prouinciale futurum appellaretur: vbi autem eadem est ratio, eadem debet esse dispositio. Sic Gambacurta *de excom. Bullæ cœnæ. c. 2. n.* 11. & alij.

305 *Non incurrunt.* Non incurrunt. Quia in legibus pœnalibus ob rationis identitatem non est extensio ad casum sub verbis legis non comprehensum facienda. At sub appellatione ad futurum Concilium vniuersale præsens, nec Prouinciale futurum, cum sint omnino distincta: ergo appellationes ad hæc Concilia, ea excommunicatione non puniuntur. Ita Palao *tr. 3. de legib. d. 5. pun. 3. §. 4. & d. 3. de Censur. pun. 3. n. 6.* Sayr. *l. 3. thesau. c. 6. n. 4.*

306 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Cui non obesse putarim, eandem, vel grauiorem iniuriam irrogari Pontifici, ac irrogatur appellatione ad futurum generale Concilium. Quia id solum probat, potuisse Pontificem præfatam appellationem excommunicatione punire, nō tamen conuincit, id de facto voluisse. Quod si rogites, cur excommunicatione percussit ad Concilium vniuersale appellantes, non autem appellantes ad præsens generale, aut Prouinciale futurum? Respondeo, quia hæc appellatio frequentior est, eaque Schisma in Ecclesia frequentius introducitur.

Dvbivm LXI.

Tertia cōtra pyratas *Necessariumne est aliquam deprædationem à pyratis committi, vt excommunicationem contra eos latam incurrant?*

307 *Status quæstionis.* TErtia fertur excommunicatio contra pyratas, cursarios, ac latrunculi discurrentes per mare Pontificium', præcipue à monte Argentario vsque ad Terracinas. Quæsierim itaque, num sit necessarium huiusmodi pyratas aliquam agere deprædationem, vt excommunicatione hac percutiantur?

308 *Necessariū non est.* Necessarium non est. Quia actio sub censura prohibita maritimus decursus animo depredandi: alias si deprædatio, mutilatio, vel occisio necessaria esset, vti in Bullis Iuli II. & Gregorij XIII. erat expressum, vt quid à Clementis VIII. tempore hæ actiones è Bullis essent expunctæ? Sic Toiet. *lib. 1. capit. 20. num* 9. Bonacin. *tom. 3. de excom. in partic. d. 1. quæs. 4. punct. 2.* Duard. *hic, libr. 1. q. 4. numer. 2.* Graf. *part. 1. decis. lib. 4. capit. 18. num.* 67. Vgolin. *hic, capit. 3. Parag. 1. num.* 1. Reginal. *libr. 9. num.* 265.

309 *Est necessarium.* Est necessarium. Quia vsque dum latrocinium maritimum occisionemne comitant, pyratæ, ac latrones maritimi propriè vocitari nequeunt, Pyratæ enim, & latrones non ab intentione depredandi, sed à prædatione ex officio facta denominationem recipiunt, teste Calep. *verb. Pyrata.* Ita Caiet. *verb. Excommunicatio, capit.* 18. Sayr. *libr. 3. thesau. capit. 7. numer.* 4. & alij relati ab Vgolino citato.

310 *Hanc sententiā præpono.* Hanc eligo sententiam existimans, verba illa Bullæ, *Mare nostrum discurrentes*, censenda esse posita ad præcedentia, ita vt sensus sit: Excommunicamus omnes pyratas, cursarios, & latrunculos discurrentes mare nostrum, id est, qui mare nostrum discurrunt. Vnde cum pyratæ, cursarij, & latrunculi non sint ante deprædationem, hac excommunicatione contra pyratas lata non afficiuntur, tametsi eo animo discurrant. Quod vero Pontifices prædictas actiones deprædationis, mutilationis, ac occisionis in aliis antiquioribus expressas omiserint, id videtur factum, quia ea expressio necessaria non erat; quidem expresso pyratæ nomine satis subintelligebantur.

Dvbivm LXII.

Spoliantes infidelium nauim à Christianis assecuratam, subiiciunturne huic excommunicationi?

311 *Subiiciuntur* SVbiiciuntur plane. Quia censendi sunt Christianos spoliare, penes quos stat periculum rei assecuratæ. Idemque dicendum, casu quo à Christiano Principe securitatis priuilegium concessum esset. Quia cedit ea deprædatio in damnum & iniuriam Christiani Principis, fitque contra summi Præsulis intentionem. Sic Bonac. *de Bul. Cœnæ. d. 1. q. 4. pun. 1. num.* 13.

312 *Non subiiciuntur.* Non subiiciuntur. Quia deprædantes nauim, & merces infidelium, etsi assecuratę à Catholicis sint, dici nequeūt Catholicos deprę-dari: cū bona Catholicorū non deprædentur, neq; ad Catholicos pertinentia: ergo excommunicationē non incurrūt. Ita Fill. *tr. 16. n. 90.* Duard. *d. 2. in hanc Bul. q. 5. in resp. ad 3. argum.* Suar. *d. 21. sect. 2. n. 2.* & alij.

313 *Hoc teneo.* In vtroq; casu existimo hoc dicendū. Fateor enim eā deprædationē in Catholici Principis seruitatē concedentis, & in iacturam fidelium assecurationem præstantium cedere. Sed quia huiusmodi damnum per accidens est, neque ex vi deprædationis infidelium necessario secutum: ideo non videtur sufficiens ad hanc Censuram inducendam, maximè cūm

cum excommunicatio non aduertus inferentes damnum Christianis, sed aduersus eos, qui Christianos deprædantur, sit statuta.

Dvbivm LXIII.

Quarta contra surripientes naufragantium bona.

Auxiliantes eos, qui bona naufragantium surripiunt, vel consulentes suntne quarta huic excommunicationi subiecti?

314 *Nonnulla recolo.*

Recolo, debere esse surreptionem in mari, aut in eius littore contingẽtem: bonaque iactata esse in mare, vel in littus, intentione quidem ea recuperandi: bona autem esse Catholicorum: personas autem, in quas excommunicatio fertur, esse omnes, & singulos cuiuscumque qualitatis existant, prædictã surreptionem committentes. Iam requiro, nũ auxiliãtes, vel consulentes huic censurę subiiciantur?

315 *Subiiciũtur.*

Subiiciuntur auxilium ferentes. Quia verè surreptioni cooperantur. Consulentes autem fortè non subiiciuntur. Quia non tam immediate cooperari videntur. Sic Suar. *d.21.sect.2. n.32.* Filliuc. *tr.16.n.101.*

316 *Non subiiciuntur.*

Non subiiciuntur auxilium ferentes, consulentes, mandantes. Quia cum Pontifex vult, fautores, & receptatores comprehendere, illos exprimit. Cum ergo in præsenti eos non exprimat, censendus est, eos comprehendere noluisse. Ita Vgolin. *hic, c.4.§.2. vers.10.* Duard. *q.23.n.44.*

317 *Hoc mihi probabilius.*

Abnego consulentem, mandantem, ratum habentem, & ferentem auxilium hanc excommunicationem incurrere. Quia vltra verborũ proprietatem extensio in legibus maxime pœnalibus facienda non est. At consulens, mandans, ratam habens, surreptionem non præstat, nec surreptor propriè est, sed surreptoris motor, & approbator. Et idem dixerim de auxiliante, quatenus talis est. Quia esto, per actionem physicam surreptioni cõcurrat, cum ipse res naufragantium non surripiat, sed alteri, vt surreptionem præstet, auxilietur, excommunicatione lata aduersus surreptores ligari non potest.

Dvbivm LXIV.

Quinta contra imponentes, vel augentes noua pedagia & gabellas.

Subiiciturne huic excommunicationi, qui potestatem habet gabellas imponendi, licet iniustas imponat?

318 *Non subiiciuntur.*

Non subiiciuntur. Quia ea gabellæ impositio prædictis est permissa, tametsi excessus permissus non sit. Cum ergo Pontifex excõmunicat nouas gabellas imponentes extra casus permissos: intelligi debet excommunicare imponentes eas absque potestate, & iurisdictione: non vero qui stante iurisdictione, ac potestate iniustas imponunt. Profecto imponentes gabellas iniustas in causa & modo impositionis excedunt, non vero in iurisdictione, ac potestate: vnde dici non debent imponere gabellam extra casus permissos; sed extra causam sibi permissam. Sic Nauar. *summ.c. 27.n.21.* Vgolin. *hic, §.3. vers.4.* Tolet. *l.1.c.21. num.9.*

319 *Subiiciuntur plane.*

Subiiciuntur plane qui iniustas gabellas imponunt. Quia stante gabellæ iniustitia, ius non permittit, neque permittere potest illius impositionem: ergo ea impositio est extra casus minime permissos. At Pontifex absolute excommunicat imponentes noua pedagia, seu gabellas præterquam in casibus sibi à iure, vel à Sede Apostolica concessis absque vlla limitatione: ergo prædictos imponentes comprehendit. Ita Graf. *p.1. decis. l.4.c.18.n.80.* Suar. *d.21. sect.2.n.37.* Duard. *hic l.2.q.6.* Bonac. *d.1. de Bul. Cœnæ, q.6. pun.3.n.6.* Palao *de Cens. d.3. pun.6.n.7.* credens hanc sententiam esse probabiliorem.

320 *Primam sententiam tento.*

Ego autem credo probabiliorem esse primã. Quia Pontificis finis in hac excommunicatione non videtur fuisse iniustitias suppremorũ Principum cohibere, sed aut iacturam particularium Ducum, & Marchionum tentantium suis vasallis tributa alia imponere præter ea, quæ sibi à iure, vel à Sede Apostolica sunt permissa.

Dvbivm LXV.

Qui imponit gabellam ex se iustam, sed personis exemptis, nempe Clericis, aliisve priuilegiatis, subiiciturne huic excommunicationi?

321 *Non subiiciuntur.*

Non subiicitur. Quia hæc habellæ impositio absolute & simpliciter permissa est, vt. pote ex causa iusta, tametsi in modo iniusta sit ob personarum, quibus imponitur, exemptionem. Sic Suar. *d.21. section.2. num.30.* Reginald. *libr.9. num.276.* Graf. *part.1. decis. lib.4. capit.18. num.84.*

322 *Subiicitur quidem.*

Subiicitur plane. Quia tributi impositio est obligatio soluendi id aliquibus imposita. Si igitur hæc obligatio iis imponatur, qui ab ea exempti sunt, iniusta est, & extra casus permissos impositio: ergo sub hac excommunicatione continetur. Ita Bonac. *hic, d.1.q.6. pun. 3. numer.7.* Duard. *quæstion.6. numer.16.* Tolet. *lib.1. cap.22. numer.12.* Molina *tomo secundo disputation.670.*

323 *Hæc sententiam probabiliorem.*

Hanc sententiam probabiliorem esse reor. Nam si Graffis, & Suarius censuêre excommunicatione ligari tributum ex parte causæ iniustum imponentes: idem censere deberent de imponentibus tributum iniustum ex parte personarum: cum parum referat, qua ex parte iniustitia contingat; nam ea posita, tributum est extra casus permissos.

Dvbivm

Dvbivm LXVI.

Inducitne hanc excommunicationem quælibet litterarum mutatio?

Sexta contra falsificantes Apostolicas litteras.

324 *Non inducit.*

NOn inducit leuis mutatio, verbi gratiâ, si mutatio geratur in litteris iustitiæ nullum, vel leue damnum parti, aut fisco inferens. Quia videtur excusare materiæ leuitas. Nam falsificatio, ob damnum, quod ex falsitate euenit, prohibetur. Cum igitur ex tali falsitate nullum, vel leue damnum parti, aut fisco proueniat, non videtur peccatum mortale, & consequenter Censuram quis incurrere. Sic nonnulli, quorum mentem videtur Castro Palao rectam existimare, dum contrariam sententiam rectiorem appellet. *disput. 3. de Censur. punct. 7. numer. 4.*

325 *Inducit quidem.*

Inducit quidem. Quia falsificatio litterarum non tam ob damnum parti, aut fisco illatum prohiberi censenda est, quam ob iniuriam Pontifici expedienti litteras factam, cuius authoritas falsificatione contemnitur. Ita Palao *citatus*, & Bonacin. *in præsenti, d. 1. qu. 7. punct. 2. numer. 5.*

326 *Hoc dicendum existimo.*

Hoc dicendum existimo. Nam immutare aliquid in litteris gratiæ, dispensationibus, & indulgentiis, est contra Censuræ huius præscriptum, & tamen in nullius damnum cedunt. Quis autem asserat, excommunicatione non percuti, qui huiusmodi litteras immutauerit. Igitur quod parti, vel fisco damnum non inferatur ab huius Censuræ incursione non excusat.

Dvbivm LXVII.

Si in litteris Apostolicis correctio, vel immutatio fiat iuxta Pontificis mentem: eritne falsarius, huic Excommunicationi subiectus?

327 *Quæstionis status.*

EXempli gratiâ. Supplicatio facta est pro dispensatione in consanguinitate, & Notarius apposuit loco consanguinitatis affinitatem. Vel supplicatio facta est pro impedimento secundi gradus, & tamen litteræ per errorem expeditæ sunt pro tertio: cum tamen Pontificis intentio fuerit in consanguinitate, & in gradu secundo dispensare. Quæsierim itaque, an correctio hæc falsitatem inducat, & Censuram?

328 *Falsarius erit Censuræ subiectus.*

Falsarius ille erit Censuræ subiectus. Quia vere litterarum Apostolicarum sensum immutat: neque mens Pontificis est, vt error ille à Notario commissus per alium, quam per Notarium corrigatur: alias liceret nouas litteras conscribere, sicut licet scriptas emendare. Sic Suarius *disputation. 21. section. 2. numer. 47.* Alterius *libro 5. disputatione 7. capit. 2. proposit. 2.*

329 *Non erit.*

Nec falsarius erit, nec Censuram incurret. Quia illa verborum mutatio comparatione Pontificis mutatio non est, cum eius intentioni, & concessioni sit conformis. Ergo falsitatem inducere non potest. Etenim mutatio sensus non tam est attendenda secundum verba materialiter posita, in ipsa Bulla, quam secundum intentionem Pontificis Bullam expedientis. Ita Sayr. *l. 3. thes. c. 10. n. 12.* Vgol. *hic*, §. 2. Reginald. *l. 9. n. 288.* Bonac. *in præsenti, d. 1. quæstion. 7. punct. 2. fine.*

331 *Verius hoc mihi.*

Verius hoc duxerim. Nam si licitum est errorem manifestum scriptoris emendare sensu retento: cur non licebit errorem commissum contra mentem, & intentionem Summi Præsulis? Præterea litteræ sic correctæ cum Pontificis intentioni conformes sint, veræ, & non falsæ sunt appellandæ: ergo sic corrigens falsarius esse non potest, sed veri sensus, & mentis Pontificis restitutor. Secus vero est dicendum de eo, qui integras litteras fabricaret. Quia illæ litteræ, vtpote à Pontifice non expeditę suppositiæ, ac falsæ existunt.

Dvbivm LXVIII.

An sub hac prohibitione comprehendantur vestimenta, pecuniæ, & victualia?

Septima contra deferentes arma, &c. ad infideles.

NOn comprehenduntur. Quia armis, & aliis bellicis instrumentis Christiani ab infidelibus oppugnantur; non vestimentis, pecuniis, ac victualibus, quę per se ad prœliandum non deseruiunt: sed ad alios vsus. Neque obest, in ea clausula excommunicari præstantes auxilium, & fauorem infidelibus. Quia id debet intelligi de auxilio per monitionem, delationemque armorum, aliarumque rerum, quibus fit oppugnatio: non de auxilio illis in rebus, quæ per se bello non deseruiunt, sed aliis sunt vsibus accommodatæ. Sic Panorm. *ad c. Significauit, de Iudæis.* Caiet. *v. Excommunicatio, c. 20.* Naua. *ad c. Ita quorumdam, de Iudæis, notab. 10. n. 13. 34. & 37.* Sayr. *l. 3. c. 11. n. 12.* Tolet. *l. 1. c. 26. n. 10.* etiam bello ingruente.

332 *Non comprehenduntur.*

333 *Comprehenduntur.*

Comprehenduntur equidem. Quia sub illis verbis generalibus, *Et alia huiusmodi* additis in clausula hac hæc videntur comprehendi maxime cum hisce rebus quomodolibet præstatur fauor, & auxilium Christianæ hostibus Religionis. Ita Bonac. *tom. 3. de Censur. Bull. d. 1. q. 8. punct. 2. num. 4.* Suarius *d. 21. sect. 2. num. 56.* & alij.

334 *Probabilius hoc mihi.*

Existimo, hanc sententiam esse probabiliorem, si vestes, pecuniæ, merces, ac victualia transferantur tempore quo infideles inimici nostri vti valeant in Christianæ Religionis iacturam. Nullum enim auxilium bello aptius est, quam pecunia, merces, ac victualia. At in ea clausula videntur excommunicari omnes auxilium, consilium, vel fauorem inimicis Religionis nostræ præstantes.

Dvbivm LXIX.

Incurritne Censuram hanc, qui arma, equos, reliquáve in hoc Canone vetita ex vno loco infidelium ad alium, vel ex vnius infidelis Principis dominio, in dominium alterius infidelis defert?

335 *Non incurrit.* NOn incurrit. Quia ea non est ad infideles armorum delatio, cum absolutè ea arma apud infideles existerent, parūque refert quòd hi, vel illi sint infideles. Sic Sylvest. *verb. Excommunicatio 7. num. 64.* Tabiena *verb. eodem 6. nu. 7.* Alterius *hic, disp. 8. cap. 2. fine.* Filliucius *tract. 4. num. 132.* Et alij, quos refert Sayr. *c. 21. numer. 29.*

336 *Incurrit quidem.* Incurrit plane. Quia vera est delatio ad infideles in damnum Christianorum. At auxiliātes fauentésque infidelibus in damnum Catholicæ Religionis hac Censurâ comprehenduntur. Negari verò non potest, mediâ illâ delatione auxilium infidelibus præstari. Ita Nauarr. *ad cap. Ita quorundam, de Iudæis, notab. 6. num. 27.* Sayrus *lib. 3. cap. 11. num. 19.* Toletus *lib. 1. cap. 23. num. 6.* Reginaldus *lib. 9. num. 300.* Bonacin. *hic, disputation. 1. quæst. 8. punct. 2. numer. 17.*

337 *Auctoris resolutio.* Primam sententiam veram esse existimo casu, quo ex præfata delatione grauius damnum Christianis non immineat; nam eo casu delatio, quæ solum ob damnum, quod Christianis potest inferri, prohibetur, hac Censurâ non punitur. At si eâ armorum delatione grauius damnum Catholici patiuntur, quàm paterentur illis non delatis, verius iudico eam delationem sub hac Censura contineri. Quia verè est armorum delatio ad infideles in Christicolarum damnum.

Dvbivm LXX.

Huicne Censuræ subest, qui in terris Principi Christiano subiectis, arma infidelibus vendit?

338 *Non subest.* NOn subest. Quia transmissio, quæ hac Censura prohibetur, est, quæ fit ad infideles. At venditio facta infidelibus in Christianorum terris, non est proprie ad infideles transmissio, cum non possint infideles illis armis in damnum Christianorum libere ibidem vti. Sic Nauarr. *ad cap. Ita quorundam, de Iudæis notab. 8. num. 41.* Azorius *part. 1. lib. 8. cap. 23. quæstion. 7.* Toletus *lib. 1. cap. 23. num. 5.* Sayrus *libr. 13. cap. 11. num. 26.* Gambacur. *casu 7. numer. 18.*

339 *Subest quidem.* Subest equidem. Quia Bulla non requirit, vt arma transferantur ad infidelium terras, cum translationem ad infideles nullo superaddito verbo prohibuerit. Neque obest, quod ipsi ibidem non possint Christianos oppugnare. Satis enim est, quod possint in terras infidelium translati. Ita Vgol. *hic, verb. Illis, num. 4.* Duard. *q. 7. n. 3.* Bonac. *in præsenti, d. 1. q. 8. pun. 2. nu. 31.* alios citans.

Cum his opinor. Quia solum per accidens infideles ibi ab impugnatione infidelium impediuntur, scilicet ob protectionem, & potentiam Christiani Principis. Per se vero, ex concessionéque armorum illis facta optime possent ibidem Christicolas oppugnare. Nulla ergo causa est, ob quam ea venditio hac Censurâ non afficiatur. 340 *Hoc tenen.*

Dvbivm LXXI.

Catholicus Princeps bellum iustum cum alio Principe Catholico gerens, potestne infideles, aduocare, eisque in sui auxilium arma ex. hibere?

NOn potest ex Bullæ præscripto. Quia hæc est armorum translatio ad infideles in Christianorum damnum, quos sunt oppugnaturi. Illisque armis concessis vti infideles possunt in Christianorum aliis in terris ali. quando perniciem. Sic nonnulli docti Theologi, quos consului. Et probabile iudicat Castro Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 18. numer. 13.* 341 *Nō potest.*

Potest quidem excluso scandalo, Quia ea armorum concessio etsi cedat in damnum Principis oppugnati, illique subditorum: at absolute cedit in vtilitatem, & commodum Christianæ Religionis, cum cedat in defensionem, & auxilium Principis Christiani iniuriam patientis, & subuersionem Principis iniuriam irrogantis. Ita Alterius *tom. 1. libr. 5. disputation. 8. cap. 5. dub. 7.* Duard. *hic, lib. 2. cap. 7. quæstion. 36. num. 18.* Bonacin. *in præs. d. 1. quæstion. 8. punct. 4. numer. 10.* 342 *Potest plerunque.*

Suppono, Catholicum illum Principem bellum iustum contra alium Catholicum Principem gerere ob iniuriam, qua per illum afficitur, & in eo casu longe probabiliorem secundam reputo sententiam. In hoc enim casu ea armorum traditio nedum est dicenda cedere in Principis oppugnati damnum, sed potius in illius vtilitatem, vtpote qui impeditur ab iniustitia, alienique iuris vsurpatione. 343 *Sententia Auctoris.*

Dvbivm LXXII.

Sub hac Censura comprehenditurne tabellarius deferens litteras infidelibus, secretum Christianæ Reipublicæ continentes, cum ipse probabiliter conscius est iniquitatis?

SVppono, notitiam præbentem infidelibus de statu temporali Christianæ Reipublicæ in hanc etiam Censuram incurrere. Sed dubitarim, num tabellarius conscius aliquem litteris secretum aliquod referare infidelibus, comprehenda 344 *Status quæstionis.*

prehendatur in hac clausula, si huiusmodi litteras infidelibus defert?

345 *Comprehenditur.* Comprehenditur quidem. Quia moraliter censetur reuelare secretum, sicut censetur comburere, qui applicat ignem. Sic Suarius *disp.* 21 *sect.* 2. *n.* 58. Vgol. *hic, verb. Nec non illos*, Duard. *can.* 7. *q.* 31. *n.* 1. & *q.* 38. *n.* 16. Bonac. *to.* 3. *de Cens. d.* 1. *q.* 8. *pun.* 1. *fine.*

346 *Non comprehenditur.* Non comprehenditur. Quia cum reuelatio sit quædam manifestatio, & loquutio, nullatenus a tabellario litteras sigillatas deferente præstatur. Non enim ipse reuelat, sed reuelationem defert. Ita nonnulli, quorum sententiam approbat Castro Palao *de Cens. disp.* 3. *punct.* 8. *numer.* 19.

347 *Hanc eligo mentem.* Hoc teneo. Nam ignem applicans, dicitur comburere; quia ignis solum physice, non moraliter combustionem præstat. At litteras mittens, & physicè, & moraliter secretum reuelat, vnde reuelationem deferens ab hac denunciatione reuelantis potest excusari, & ab excommunicationis incursione.

Dvbivm LXXIII.

Reuelans secretum Christianæ Reipublicæ fidelibus, quos credit infidelibus reuelaturos, comprehenditurne sub hac Censura?

348 *Comprehenditur.* COmprehenditur quidem. Quia verè infidelibus moraliter saltem mediatè censetur secretum reuelare. Sic Vgol. *hic, vers. Secundo afficit.* Duard. *can.* 7. *q.* 31. *n.* 2. & *q* 34. *num.* 2. Alterius *l.* 5. *d.* 8. *c.* 10. Bonac. *d.* 1. *de Cens. Bull. q.* 8. *pun.* 1. *n.* 4.

349 *Non comprehenditur.* Non comprehenditur. Quia in ea clausula solum puniuntur reuelantes per se, vel per alios statum Christianæ Reipublicæ infidelibus. At sic fidelibus reuelans, nequaquam dici potest infidelibus per se, vel per alios reuelare, cum ipsi fideles reuelantes nomine proprio reuelẽt: non autem nomine prioris reuelantis, qui nunquam ipsis reuelationem demandauit. Ita Suar. *d.* 21. *sect.* 2. *n.* 58. Palao *de Censur. disp.* 3. *pun.* 8. *numer.* 20.

350 *Prima sententia adhæret.* Hanc sententiam probabiliorem esse meus Ferdinandus de Castro esse credit, sed eius venia, hoc ego de opinione prima crediderim. Nam sciens fidelem, cui secretum reuelat, id infidelibus reuelaturum, quasi immediatè proculdubio reuelat. Quemadmodum qui litteras secretum Christianæ Reipublicæ continentes tabellario deferendas tradit. Secretum ipse immediate reuelat. Quod si dicas scribenti litteras tribuendam esse secreti reuelationem, quia ipse tradit litteras, vt reueletur: qui autem secretum fideli reuelat, non ideo id ei referat, vt reuelet infidelibus: respondeo eo ipso quod credit secretum illud à fideli postea reuelandum, censendum esse ipsum reuelare; quia debuit secretum non referare ei, quem credebat infidelibus manifestaturum.

Dvbivm LXXIV.

Ob periculum vitæ, alteriúsve grauissimi damni excusanturne consulentes, & fauentes infidelibus in Christianæ Reipublicæ damnum?

351 *Quæstionis status.* SCio, tertiam actionem quæ in hac clausula prohibetur, esse auxilium, consilium, & fauorem infidelibus in damnum Christianę Reipublicæ præstitum. Quæsierim itaque an ob periculum vitæ, vel grauissimi incommodi excusetur, qui huiusmodi præstiterit actiones?

352 *Non excusatur.* Non excusatur. Quia bonum commune priuato debet anteferri, ad quam antepositionem præstandam iure naturæ debitam instè Pontifex Censuris compellit. Sic Reginaldus *lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 299. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 7. *num.* 18. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 18. *numer.* 123. Suarius *disputation.* 21. *section.* 2. *numer.* 60. Molina *tom.* 1. *de iustit. disputation.* 115. *conclusion.* 4.

353 *Excusatur* Excusatur quidem. Quia esto consulens fauensque infidelibus in damnum Christianæ Reipublicæ à peccato non excuientur: credendum tamen à Censura excusari: cum ex Ecclesiæ pietate præsumi possit, nolle cum tanto incommodo proprio fidelem communi consulere. Manuel. *in expos. Bullæ, Paragraph.* 9. *num.* 85. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæstion.* 6. Nauarra *de restitut. lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 4. Corduba *summæ quæstion.* 137. Nauarr. *ad cap. Ita quorumdam, de Iudæis, not. ab.* 8. *num.* 26. Sayrus *libr.* 3. *capit.* 11. *numero* 18. Palao *disputation.* 3. *punct.* 8. *numer.* 22.

354 *Auctoris resolutio.* Fateor pietati Ecclesiæ consonum esse voluntatem non habere, vt qui ob vitæ periculum fauorem infidelibus præstat, hac excommunicatione non innodari. Sed cum non constet de pia Ecclesiæ voluntate, & ex alio capite certum sit debere quemlibet vitam exponere, ne Ecclesiæ graue damnum obueniat: probabilius existimo eum, qui sub graui piaculo tenebatur cum periculo vitæ Ecclesiæ incolumitati consulere, id omittentem hac Censura simul innodari.

Dvbivm LXXV.

Impediens pergentem ad Romanam Curiam, deferentemque victualia in proprium vsum, vel in vsum particularis personæ inibi commorantis, incidítne in hanc Censuram?

Octaua cõtra impedientes, ne Romanæ Curiæ victualia deferantur.

355 *Nonnulla suppono.* LAta est excommunicatio in vtilitatem, commodum, fauorem, & honorem Romanæ Curiæ, ne scilicet rebus, quibus indiget, destituatur. Vnde aduersus hanc constitutionem delinquentes vltra iniustitiam, quam perpetrant, sacrilegi sunt, vtpotè offendentes Ecclesiasticum

siasticum tribunal, quod maxime ex Ecclesiasticis personis coalescit. Personæ aduersus quas fertur excommunicatio, sunt omnes, & singuli cuiuscumque dignitatis etiam Imperialis, & Regalis victualia, vel alia necessaria Romanæ Curiæ impedientes, illorumque defensores siue per se, siue per alios. Materia est, impedire siue dolo, siue per vim, ne victualia ad Romanam Curiam deferantur. Quæsierim itaque, an impediens pergentem Romam, deferentemque victualia in proprium vsum, vel in vsum particularis personæ in Curia commorantis, in hanc incidat excommunicationem?

356 *Incidit, si ille, cuius victualia impediuntur curialis sit.*

Incidit plane si impediat victualia in vsum alicuius curialis adlata. Quia ex eo quod ea victualia alicui curiali deseruiant, censenda sunt Curiæ Romanæ deseruire, cum Curia ex hominibus ad tribunal Pontificis pertinentibus coalescat. Si vero ea victualia quis deferebat in proprium vsum, vel in vsum alterius personæ, quæ curialis non sit, minime in excommunicationem incidit. Quia ea victualia non possunt dici, ad vsum Romanæ Curiæ adduci. Sic Bonacin. *de Censur. Bull. disp. 1. quæst. 9. punct. 2. num. 10. & 12.* Constat ex illis clausulæ verbis: *Qui victualia ad vsum Romanæ Curiæ adducunt.*

357 *Non incidit.*

Non incidit, etiamsi sit Curialis is, ad cuius vsum victualia deferuntur. Quia determinata persona illa Curiam principaliter non constituit, & verba legis maxime pœnalis strictè sunt accipienda. Quapropter necessario requiritur, vt deferens victualia non determinet personas in quarum vsum debeant deseruire, sed absolute deferat ad locum Romanæ Curiæ, vt in vsum illorum, qui Curiam constituunt, deseruiant: non quidem vt omnibus collectiuè deseruiant (id enim raro posset contingere,) sed vt omnibus diuisiue his, vel illis. Ita Viuald. *hic, num. 74.* Sayrus *lib. 3. thesaur. cap. 12. num. 4.* Duard. *lib. 2. can. 8. qu. 10. num. 6. & 18.* Reginaldus *libr. 9. numer. 307.*

358 *Idem defendo.*

Idem defendo adiiciens, non ob quorumlibet victualium impeditionem hanc Censuram contrahi, sed oportere grauem esse quantitatem. Quæ autem hæc sit arbitrio prudentis est decidendum, tum spectato fine præcepti, scilicet, ne Curiæ Romanæ desint, quæ eius vsui sint necessaria, tum spectata rerum, quæ deferuntur, qualitate. Porro qui impedit victualia, quæ quis in proprium vsum defert ad curiam, non innodatur hac Censura non enim deferens potioris debet esse conditionis alio determinato curiali.

Nona contra eos, qui offendunt accedentē ad Romā, vel ab ea recedentē, vel in ea ommorā-em.

Dvbivm LXXVI.

Vt hæc Excommunicatio contrahatur, sufficitne offendere accedentem ad Pontificem causa alicuius negocij temporarij expediendi pertinentis ad Pontificem, sed qua Dominus est temporalis?

359 *Statvs quæstionis.*

NOna Censura lata est contra omnes illos, qui sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent venientes ad Sedem Apostolicam, vel recedentes ab eadem. Dicitur autem accedere ad Sedem Apostolicam, qui causa alicuius negocij ad Sedem Apostolicam pertinentis quis deueniat: verbi gratiâ, si veniat causa alicuius litis, cuius decisio à Pontifice, vel eius officialibus sit gerenda. Vel causa soluendi Pontifici tributum decimas vel alicuius beneficij, priuilegij, gratiæ, aut dispensationis impetrandæ. Secus si ob aliam causam illuc accedat. Quia verba legis formaliter ac rigorosè sunt accipienda. Hinc quæsierim, an vt quis hanc Censuram contrahat, sufficiat offendere accedentem ad Pontificem causa alicuius temporarij negocij expediendi pertinentis quidem ad Pontificem, non qua Pontifex est, sed qua Dominus est temporalis?

Non sufficit. 360

Non sufficit. Quia verba legis maxime pœnalis strictè sunt accipienda. At nomine Sedis Apostolicæ non venit Pontifex quatenus temporalem obtinet iurisdictionem, siquidem, hac secluſa, Pontifex est, & Sedem Apostolicam habet: sed quatenus spirituali gaudet iurisdictione: ergo qui ad Pontificem accedit, quatenus temporariam iurisdictionem habet, non est censendus ad Sedem Apostolicam accedere, neque hanc Censuram contrahere. Sic Alterius *in præsenti, disputation. 18. cap. 2. dubio 4.*

Sufficit quidem. 361 *Sufficit quidem.*

Sufficit quidem. Quia esto, sub nomine Sedis Apostolicæ, si stricte sumatur, non intelligatur Pontifex, qua Dominus temporalis est, vt dictum probat primæ sententiæ ratio. At si Sedes Apostolica pro Curia Pontificis accipiatur, Pontificem comprehendit non solum quatenus Pontifex est, sed & quatenus est temporalis Dominus; quia secundum vtramque iurisdictionem tribunal constituit. Ita Duard. *hic, quæstion. 1. numer. 2.* Bonacin. *de Censur. Bull. disputation. 1. quæstion. 10. punct. 1. numer. 2.* Filliucius *tractat. 15. numer. 139. & tractat. 16. numero 164.*

Probabilius hoc mihi. 362 *Probabilius hoc.*

Probabilius hoc mihi. Quia in hac constitutione nomine Sedis Apostolicæ Curia intelligitur Romana, vt constat ex illo relatiuo inferius posito, *In eadem Curia*, quo indicatur, antea de Curia sermonem esse, ac proinde sub nomine sedis Apostolicæ Curiam esse subintellectam.

Dvbivm LXXVII.

Ad hanc Censuram incurrendam requiriturne offensio ad Sedem Apostolicam animo accessum huiusmodi impediendi?

363 *Requiritur.*

REquiritur ad hanc Censuram incurrendam, vt quis offendat accedentem ad Sedem Apostolicam, eo quod ad eam accedit, seu *plane.* ex animo impediendi accessum ad Apostolicam Sedem. Quia cum hæc Censura lata principaliter sit Apostolicæ Sedis in fauorem, & secundario in fauorem eorum, qui ad ipsam accedunt: non censendi sunt hac excommunicatione illigari, qui non ipsam Sedem, sed ipsos accedentes principaliter offendunt. Sicuti, quia censura aduersus hæreticorum receptatores principaliter lata est in hæreseos detestationem,

tionem, non incurritur, nisi receptio sit hæretic, quatenus talis est. Sic Caietan. *verb. Excommunicatio, cap.* 15. Duard. *can.* 9. *nu.* 2. *& can.* 10 *quæstion.* 10. Gambarup. *hic, capit.* 9. *numer.* 1. Vnde si accedentem ad Sedem Apostolicam interficias, spolies, diuexes animo iniuriam tibi factam vindicandi, & non ex intentione impediendi accessum ad Apostolicam Sedem, hac excommunicatione non illigaris.

364 *Non requiritur.* Id non requiritur, sed quacumque quis intentione accedentem ad Apostolicam Sedem diuexet, hac Censura percutitur. Quia licet excommunicatio hęc lata sit in Sedis Apostolicę fauorem, tamen hic fauor media protectione accedentium ad Sedem obtinetur, ob quam causam primò, & per se, ac directe eorum vexatio interdicitur. Ita Vgolin. *hic, cap.* 9. §. 1. *numer.* 5. Vinald. *hic, num.* 81. Bonacin. *in præsenti, disputation.* 1. *quæstion.* 10. *punct.* 2. *num.* 13. Alterius *disputation.* 11. *cap.* 1. *fine.* Reginaldus *lib.* 9. *num.* 309.

365 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Nam fauor illius protectionis non restringitur ad vexationem sub hac vel illa intentione factam, cum ex qualibet intentione contingit, vt Sedi Apostolicę præiudicium eueniat. Secus vero est in receptantibus hæreticos ex alio fine ab hæresis fauore. Quia secundario excommunicantur, & ex ea receptatione non per se sequitur hæresis promotio.

Dvbivm LXXVIII.

Hæc Censura extenditurne ad eos, qui infideles ad Sedem Apostolicam accedentes diuexant?

366 *Non extenditur.* NOn extenditur. Quia ipsi infideles, si Catholicos diuexarent in excommunicationem non inciderent: ergo neque Catholici ob eorum vexationem incidere debent. Verum non est æquum Ecclesias suis legibus, & pœnis eos protegere, qui vel ipsam oppugnant, vel saltem eius obedientiæ sese submittere recusant. Ob quam causam pyratas bona infidelium rapientes excommunicatione aduersus pyratas lata excusari non dubito. Sic Farinac. *de carcerib. quæstion.* 28. *numer.* 68. Couarruuias *libr.* 2. *variarum capit.* 20. *numer.* 11. Duard. *lib.* 2. *de Censur. Bullæ, can.* 9. *quæstion.* 24. Gambarupta *de immunit. Eccles. libro quarto, capite septimo, & octauo.*

367 *Extenditur quidem.* Extenditur equidem. Quia Censura hæc non tam est lata in fauorem venientium ad Sedem Apostolicam, quam in ipsius Apostolicæ Sedis fauorem, & authoritatem, quæ proculdubio crescit, quo plures illuc confluunt, negotia expedituri. Ita Sylvest. *verb. Excommunicatio* 3. *numero* 2. Bonacin. *de Censur. Bull. disputation.* 1. *quæstion.* 10. *punct.* 2. *numer.* 12. Alterius *disputation.* 10. *capit* 2. *dub.* 2. Vgolin. *hic, verb. Spoliant, numero quarto.* Viuald. *in præsenti, can.* 9. *numero quinto.*

Auctoris opinio. Ego quidem videns huiusmodi infidelium protectionem in ipsius Sedis Apostolicæ authoritatem quodammodo cedere, probabilius existimarim, æque fideles, ac infideles his legibus, ac pœnis protegere. Vnde diuexans infidelem qui ad Sedem Apostolicam accedit, hac Censura illigatur.

Dvbivm LXXIX.

Incurritne duplicem excommunicationem qui peregrinum accedentem ad Vrbem, vel in ea commorantem, vel ab ea recedentem interficit, aut vulnerat? Decima aduersus eos, qui Romipetas peregrinos diuexant.

369 *Non incurrit duplicē Censuram.* NOn incurrit duplicem excommunicationem alteram scilicet impositam ob vexationem illorum, qui ad Romanam Curiam accedunt: alteram ob vexationem eorum, qui deuotionis causa ad Vrbem peregrinantur. Quia prohibitum vtróque Canone idem est, & sub eodem securitatis fine, ob quem Pontifex prospicere intendit accedentibus ad Romanam Curiam causa negotiorum, & deuotionis. Sic Bonacin. *tom.* 3. *de Censur. in partic. disputation.* 1. *quæstion.* 11. *punct.* 3. *numero decimo sexto.*

370 *Duplicem Censuram incurrit.* Duplicem Censuram incurrit. Quia quamuis in vtroque Canone idem sit prohibitum quoad obiectum materiale, tamen quoad formale diuersum est. Nam vexatio accedentium ad Romanam Curiam negociorum causa prohibetur, vt Romana Curia, & Pontificium tribunal tum authoritate, tum negociorum copia abundet, pluribus illuc negociorum causa confluentibus. At vexatio peregrinorum causa deuotionis, prohibetur in cultus, honoris, & reuerentiæ Sacrorum Vrbis locorum augmentum. Qui fines sunt omnino distincti, & consequenter distinctum sacrilegium constituunt. Ita Viualdus *hic, numero octauo*, Duardus *inibi, libro secundo, can. decim. quæstione nona, numero primo, & secundo.* Palao *de Censur. disputation.* 3. *punct.* 11. *numer.* 6.

371 *Hanc sententiam ebi. go, & confirmo.* Probabiliorem hanc iudico esse sententiam. Ideo namque vulneratio peregrini (verbi gratiâ,) si Clericus sit, duplex sacrilegium, duplicemque excommunicationem inducit, alteram huius Canonis aduersus vulnerantes peregrinum, alteram Canonis, *Si quis suadente Diabolo*, 14. *quæstion.* 3. aduersus eos, qui Clericos percutiunt; quia fines ob quos vulneratio prohibetur, distincti sunt, nempe Clericalis honor Ordinis, & honor Ordinis, & honor sacrorum locorum. Et idem dixerim de vulneratione facta alicuius Clerici in Ecclesia, qui duplex constituit sacrilegium, alterum aduersus Ordinem Clericalem, alterum aduersus Ecclesiam, & honorem ipsi debitum. Idem igitur in nostro casu asserendum.

Dvbivm

Dvbivm LXXX.

Qui inchoato ad Vrbem causa deuotionis itinere, domum reuertitur, vt aliquid agat, vel accipiat pertinens ad eandem peregrinationem, dum domum repetit gaudetne huius Canonis protectione?

372 *Minime gaudet.* MInime gaudet. Quia verba Canonis ei non videntur conuenire, cum non accedat ad Vrbem, sed ad propriam domum: neque recedit ex Vrbe, cum ad illam nondum peruenerit. Sic Bonacin. *hic, disput. 1. quæst. 11. pun. 3. numer. 26.*

373 *Gaudet equidem.* Gaudet equidem. Quia ille ad domum reditus est formalis ad Vrbem accessus, cum sit propter rem ad accessum ipsum necessariam. Neque censendum est ob præfatum ad domum reditum iter ad Romanam Curiam moraliter discontinuari. Ita Vgolinus *hic, cap. 10. Paragraph. 1.* Duardus *ibidem libr. 2. can. 10. quæstion. 12.*

374 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia ipsemet Bonacina concedit *punct. 3. numer. 24.* non interrumpi accessum, vel recessum ad Vrbem, vel ex Vrbe, ex eo quod peregrinus ad amicum diuertat, vel aliam ob causam in itinere detineatur. Ergo eadem ratione non debet censeri interrupta peregrinatio ex reditu ad domum necessario, & quasi per transennam.

Dvbivm LXXXI.

Vndecima contra diuexantes Cardinales & alios Prælatos. *Debentne Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi esse consecrati, vt offendentes eos hanc Censuram incurrant?*

375 *Nonnulla recolo.* PRæmitto, personas, quæ interfici, mutilari vulnerari, percuti, capi, carcerari, detineri, vel hostilitate affici prohibentur, esse in primis Romanæ Ecclesiæ Cardinales; secundo Patriarchas, idest, Summos Patres, inter Episcopos primum locum tenentes; tertiò Archiepiscopos Metropolitanos pluribus Episcopis præsidentes; quarto Episcopos vnius Ciuitatis, vel Diœcesis. Quæsierim autem, num sufficiat esse electos, ac confirmatos, vel debeant consecrati iam esse, vt exercens contra illos aliquam ex præfatis actionibus hanc Censuram incurrat?

376 *Sufficit esse electos.* Sufficit electos esse, & confirmatos. Quia iam tunc ante consecrationem propriè sunt Ecclesiæ Principes, ac Prælati cum Episcopali gaudeant iurisdictione. Cardinales vero ex quo eliguntur, hoc potiuntur nomine, tametsi Capellam nondum obtinuerint. Sayro *libr. 3. cap. 15. num. 3.* Duardo *libr. 2. can. 11. quæstion. 6. numer. 1.* Filliucio *tract. 16. num. 239.* auctoribus, Igitur ab electione, & confirmatione protectione huius Canonis potiuntur. Sic Graff. *parte 1. Decision. libro 4. capite 18. numero 101.*

377 *Nõ sufficit.* Non sufficit esse electos, sed debent prius consecrationem accipere Prælati, Cardinales vero Capellam, vt hoc Canone protegantur. Quia ante consecrationem non sunt Episcopi vere, ac propriè, cum non sint charactere Episcopali insigniti, tametsi Episcopali gaudeant iurisdictione. Ita Caietan. *verb. Excommunicatio, capit. 12.* Suarius *disputation. 21. section. 2. numer. 69.* Bonacin. aliis relatis *disputation. 1. quæstion. 12. punct. 2. numer. 7.* Filliucius *tractat. 16. numer. 240.* Nauarr. *summ. cap. 27. num 67.* Sayr. *libro tertio, capite decimo quinto, numero quarto.* Vgolinus *hic, verbo Patriarchæ, numero tertio.*

378 *Auctoris resolutio.* Ego quidem reor, Cardinales, qui iuxta Doctores citatos *numer. 376.* vere dicuntur Cardinales ex quo electi sunt à Summo Præsule, & electionem acceperunt, etsi Capellam nondum obtinuerint, à puncto acceptationis hac Canonis protectione potiri: At Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos: ea ante consecrationem non gaudere; nam cum versemur in materia odiosa, non debet nomen Episcopi vltra propriam, & strictam significationem extendi. Adiicio demum Legatos, & Nuncios Summi Præsulis, qui ab eo causa negotiorum ad Principes immittuntur, Canonis huiusce protectione muniri, dum eorum legatio durat.

Dvbivm LXXXII.

Qui actiones prohibitas in hoc Canone circa recurrentes ad Romanam Curiam suorum negotiorum causa ratas habet, ligaturne hac Censura?

Duodecima contra offendentes recurrentes ad Curiam Romanam pro suis negotiis.

379 *Multa recolo circa hunc Canonem.* REcolo, actiones, ob quas hæc excommunicatio fertur, esse occisionem, percussionem, & bonorum spoliationem, occasione quidem causarum, vel negotiorum, scilicet, quia eas causas, vel negotia deferunt ad Romanam Curiam, vel ea ibi prosequuntur, vel defendunt. Constat ex illis verbis, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt. Personas autem, contra quas præfatæ actiones, vel aliqua illarum præstandæ esse omnes ad Romanam Curiam recurrentes causa negotiorum: prosequentesque in Curia negotia incepta. Denique extendere Pontificem Censuram ad eos, qui per se, vel per alios directe, vel indirecte delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur. Iam requiro, num qui prohibitas hasce actiones ratas habet, hac Censura illigetur?

380 *Illigatur quidem.* Illigatur quidem. Quia ratihabitio mandato comparatur, & ratum habens delictum, videtur saltem indirecte (contra præscriptum Canonis) delicto cooperari. Sic Alterius *d. 13. cap. 2. vers. Quæret aliquis.*

Non

381 *Non illigatur.*

Non illigatur. Quia ratihabitio delictum factum subsequitur: Ergo illius causa esse non potest. Ita Vgolin. *hîc* §. 1. *n.* 1. Duard. *can.* 12. *q.* 9. *n.* 3. Filliuc. *tractat.* 16. *num.* 181. Bonacin. *tom.* 3. *de Cens. Bul. disputation.* 1. *quæstion.* 13. *punct.* 3. *num.* 7.

Longè hoc probabilius imo certũ mihi. Nã ex eo quod quis ratã habeat pergentis ad Vrbem acceptam iniuriam, nec iniuriã infert, nec causa esse potest, vt fuerit illata. Neque obest, quod ratihabitio mandato comparetur. Quia id fictione iuris contingit, non tamen proprie: ideoque censura afficiens mandantem extendi nequit ad ratum habentem, nisi à iure facta fuerit extensio.

Dvbivm LXXXIII.

Vt recurrentes ad Romanam Curiam pro negotiorum expeditione hoc Canone proteganturꝰ debentne necessario personaliter recurrere?

382 *Debent per sonaliter re currere.*

DEbent recurrere personaliter, nec sufficit si per alios, vel per litteras recurrant. Quia verbum *Recurro*, vti ex eius propria significatione constat, indicat, iterum currere, non litteris, sed personali motu, ac cursu. Neque obest, quod textus dicat, *Per se, vel per alios*: nam hæ particulæ non aptantur offensis, sed offendentibus, vt constat. Sic Vgolin. *hîc*, §. 1. *n.* 3. *vers. Quintò in excommunicationem.* assentens esse probabile.

383 *Non debent necessario.*

Non debent personaliter necessario recurrere, sed sufficit si medio Procuratore, aut per litteras id gerant. Quia licet retenta verbi Latini proprietate recursus indicet repetitum personalem cursum: at spectato Canonico stylo, ac praxi recepta, is ad Iudicem recurrit pro negotiis decidendis, qui in eum Iudicem negotia decidenda transfert, tametsi ad ipsum personaliter non accedat. Ita Sayr. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 5. Duard. *can.* 12. *q.* 3. Reginal. *l.* 9. *n.* 316. Bonac. *de censur. in partic. d.* 1. *q.* 13. *pun.* 2. *n.* 2. Alterius *d.* 15. *cap.* 3. *vers. Per se.*

384 *Ab hac cõmuni sententia non recedo.*

Ab hac communi sententia non est recedendum. Addiderim, recurrentem ad curiam Romanam, licet hæreticus, & infidelis quilibet sit, expediendi negotia occasione hac protegi clausula. Quia excommuncatio hæc non tã in fauorem recurrentium, quam in fauorem Romanæ Curiæ, illiusque negotiorum promotionem est lata; qui finis ex protectione cuiuslibet recurrentis obtinetur.

Dvbivm LXXXIV.

Qui delicta hoc Canone prohibita non impedit, cum facile possit, in. ciditne in censuram?

385 *Incidit.*

INcidit casu quo sit persona publica, & ex praua intentione impediendi recursum ad Curiam Romanam impedire offensionem omittat. Quia peccat contra iustitiam, & causa offensionis saltem indirecta censetur. Sic Fill. *tractat.* 16. *numer.* 182. Duardus *hîc*, *canon.* 12. *quæstion.* 9. *numer.* 7. Alterius *disp.* 13. *cap.* 2. *dub.* 3.

386 *Nũ incidit.*

Non incidit, si solummodo non impediendo offensionem concurrat. Quia non impediendo offensionem, moraliter tantum ad illam concurrit, & contra officij publici obligationem. At textus de concursu physico, & reali loquitur, non de morali, nisi per mandatum, & consilium. Ita Palao *de Cens. disput.* 3. *pun.* 13. *num.* 11. Bonac *hîc*, *disp.* 1. *quæst.* 13. *pun* 3. *num.* 8.

387 *Hoc probabilius.*

Cum his probabilius opinor. Nam textum loquutum fuisse de concursu physico, & reali, constat ex illis verbis, *Per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare non verentur.* Ergo ex vi illius negatiui concursus hac censura nequit illigari.

Dvbivm LXXXV.

An ob quamlibet appellationem ab executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem hæc excommunicatio contrahitur?

Decimã tertia contra appellãtes à grauamine lit. terarũ Apostolicarũ ad laicum tribunal.

DEcimo tertio Canone excommunicantur appellantes à grauamine, & executione litterarum Apostolicarum ad potestatem laicã: & impedientes accedentem ad Curiam Romanam pro negotiorum, aut gratiarum expeditione. In prima, inquam, parte excommunicatione feriuntur, qui friuolam appellationem prætexentes ad Curiam sæcularem, seu laicam potestatem recurrunt. Quæsierim ad hæc, num ob quamlibet appellationem hæc excommunicatio contrahatur?

388 *Nonnulla recolo.*

Non contrahitur ob quamlibet appellationem. Quia textus dicit, *Prætexentes friuolã appellationem.* Igitur secluſa appellatione friuola & posita iusta, hæc censura non contrahitur. Sayr. *l.* 3. *thes. c.* 17. *num.* 3. probabile reputat, solam eam appellationem censura hac innodari, quæ friuola est ex parte appellantis, & ex defectu sufficientis causæ. Aliquique Doctores probabilitati huic applaudent.

389 *Non cõtrahitur.*

Ob quamlidet appellationem contrahitur. Quia quælibet appellatio quamtumuis procedat ad manifestã iniutiam, & grauamen Iudicis Apostolici propulsandam, est vana, inanis, & nullius momenti, vtpote facta ad Iudicem non superiorem, sed potius inferiorem, & in Ecclesiasticæ immunitatis detrimentum, cuius libertas cuilibet bono priuato est præferenda. Ita Bonacin. *hîc disputatione prima quæstion.* 14. *puncto primo a numero secundo* alios citans.

390 *Contrahitur.*

Ego existimo, pleraque recurrentes ad Curiam sæcularem pro impediendo grauamine, & executione litterarum Apostolicarum, hac excommunicatione ligari. Quia appellationem friuolam prætexunt. Quippe sic recurrentes.

391 *Auctoris resolutio.*

rentes, appellationem interponunt non quidem ad Curiam sæcularem, sed ad Pontificem eiusque Legatum, vt ex praxi constat. At quia non habent animum hanc appellationem prosequendi, sed verbo tenus proponunt: ea de causa appellationem prætexere, ideſt, fingere dicuntur friuolam scilicet, & inanem: cum re vera recursum ad Curiam sæcularem intendant. Notanter autem dixi, *Plerumque* hac innodari excommunicatione; quia plerumque recursum non pro manifesto sed dubio, & præsumpto grauamine impediendo. Aſt si in casu manifestæ iniuriæ, ac grauaminis recursus contingeret, haud improbabile iudicarem, sic recurrentem, & auxilium potestatis sæcularis imploratem esse à censura immunem. Quia non est verisimile velle Pontificem & Ecclesiam suis armis iniuriantem protegere, ac se defendentem punire. Quod si obiicias, hanc defensionem illicitam esse vtpote in libertatis Ecclesiasticæ præiudicium, cuius immunitas, vtpote commune bonum, cuilibet priuato est præferendum: obstat, quia Ecclesia nemini concedit iurisdictionem ad iniuriam, graueque iniustum inferendum, cum non sit potestas in destructionem, sed in ædificationem. Ergo potestas secularis iniustitiam impediens iurisdictioni Ecclesiasticæ non contradicit nec eius lædit immunitatem.

Vnde sub impedientibus intellexisse omnes eos, qui facto & opere executionem impediũt, sub prohibentibus autem, qui verbo & mandato executionem detinent, crediderim.

Dvbivm LXXXVI.

Impedientes, seu prohibentes executionem Apostolicarum litterarum innodanturne hac Censura, si de facto executio non est impedita?

392 *Innodãtur.* INnodantur quidem. Quia textus expressè excommunicat impedientes, & prohibentes. Ergo ex eo quod aliquis prohibeat, tametsi cũ effectu non impediat, huic Canoni aduersatur. Sic Bonacin. *hic, disp. 1. quæstion. 14. punct. 2. num. 27.*

393 *Non innodantur.* Non innodantur. Quia finis huius constitutionis est, ne litterarum Apostolicarum executio detineatur. Ergo prohibitio quæ hanc executionẽ non detinet, fini huius constitutionis minime obest, ac proinde ea puniri non debet. Ita Ferdinand. de Castro *de Cens. d. 3. punct. 15. num. 15.*

394 *Hanc sententiam defendo.* Hanc sector probabiliorem plane opinionẽ. Nam apponens impedimentum, ex cuius vi executio litterarum non impeditur, haud dici potest verum impedimentum apposuisse, vereque impediuisse executionem: sed solum dici potest inualidum obstaculum adhibuisse, attentasseque executionem impedire. At Pontifex non excommunicat attentantes impedire, sed vere impedientes executionem. Nec Bonacinæ ratio vrget. Namlicet Pontifex disiunctiue impedientes, seu prohibentes puniat, non inde infertur prohibitionem executioni non obstantem puniri. Quia Pontifex illa disiunctione vsus est, vt omnem modum verbo, & opere executioni obstantem comprehendat.

Dvbivm LXXXVII.

Actiones quæ hac Censura prohibentur nempe auocationis, impeditionis compulsionis sunt ne præstandæ à potestate laica?

Decima Quarta contra eos, qui causas à Iudicibus Ecclesiasticis audeant.

395 *Multa recolo ad qua.*

REcolo, varias esse actiones, ob quas hæc excommunicatio iniungitur. Prima enim est auocare propria authoritate, & de facto, quarumcumque exemptionum, vel gratiarum prætextu, causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis. Censetur vero quis causas ab aliis Iudicibus auocare, si apud ipsos pendentes ad se trahi faciat, tum citando partes, vt corã se compareant, causamque prosequantur: tũ inhibendo Iudices, coram quibus causæ agitantur, ne vlterius procedant, tum inhibendo partes, ne ibidem amplius litigent. *Cap. Vt nostrum, de appellat.* Secundò, impedire earumdem causarum cursum, & audientiam. Tertia se in cognitione spiritualium causarum tanquam iudicem interponere. Quarta compellere partes actrices, quæ committi fecerunt huiusmodi causas, ad reuocandum, vel reuocari faciendum orationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas. Quinta, compellere per statutum, vel alias easdem partes, ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales prohibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui. Sexta, impedire quomolibet executionem litterarum Apostolicarum, executorialium, processuum, & decretorum prædictorum. Septima his quidem actionibus accessoria, est, præstare consilium, auxilium, vel fauorem ad aliquam ex præfatis actionibus patrandam. His præmissis, requiro, an prædictæ actiones auocationis, impeditionis, compulsionis, &c. præstandæ sint à potestate laica, an satis sit, si præstentur ab Ecclesiastica potestate, scilicet Archiepiscopo, vel Episcopo Comparatione Iudicis Apostolici?

396 *Nec sufficit non ex.*

Non est necessarium ad excommunicationis incursionem, vt à potestate laica præstentur, sed sufficit vt à qualibet potestate gerantur, vt huic censuræ subiaceat. Quia hæc censura lata est in Sedis Apostolicæ authoritatis defensionem: siquidem solæ auocationes factæ Auditoribus Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis eiusdem Sedis, hac censura puniuntur. At has auocationes, impeditiones, & compulsiones præstare possunt absque vllo titulo non solum laici, sed etiam Ecclesiastici, tum authoritate laica, tum Ecclesiastica: Ergo sub hac censura comprehenduntur, cum authoritate Sedis Apostolicæ vtroque modo labe factetur. Sic Filliuc. *tractat. 16. numer. 253.* Reginaldus *l. 9.*

l.9.n.335.& probabile reputat Sayr.*l.3.cap.18. num.5.*

397 *Necessariũ est.*

Necessariũ est,vt præfatæ actiones authoritate laica præstẽtur,siue præstẽtur à laico,siue ab Ecclesiastico.Quia auocatione,impeditione,& compulsione facta ab Ecclesiastico Iudice ex potestate Ecclesiastica,etsi aliqualiter offendatur Apostolica Sedes,dum auocatur,vel impeditur eius iurisdictio contra Iuris ordinem. At libertas Ecclesiastica non offenditur, Pontifex vero videtur hunc Canonem sicut & sequentes in defensionem immunitatis Ecclesiasticæ statuere. Ergo non comprehendit auocationẽ, impeditionem,& compulsionem à Iudice Ecclesiastico, quatenus talis est, factas. E contra vero si Iudex Ecclesiasticus ex potestate laica, qua fungitur, causas Iudicum Apostolicorum auocet,earumque cursum impediat,absque dubio hac censura ligabitur. Quia tunc non Ecclesiastici, sed laici personam gerit, & quasi laicus operatur,ideoque libertatem Ecclesiasticam offendit.Ita Nauar. *summ.cap.27.num.70.* Suar.*disputon.21.sect.2.n.76.* Sayr. *citatus.* Alteri.*l.5.disp.15.c.1.*Duard.*l.2. can.14.q.4.num.1. concl.1.*Bonacin.*disputation.1.quæstion.15.pun.1. num.6.*

398 *Hanc eligo sententiam.*

Hanc eligo sententiam probabiliorem plane. Itaque actiones illæ siue ab Ecclesiasticis, siue à laicis præstentur potestate laica sunt gerendæ, vt hac censura puniantur. Cum autem inter personas, quæ hac censura affici possunt, Archiepiscopi,Episcopi,Abbates,Commendatarij,&c, annumerantur innuit Pontifex , hos gaudere posse potestate laica , & hac potestate vtentes Ecclesiasticam libertatem offendere.

Dvbivm LXXXVIII.

An præfatæ actiones sint gerendæ exemptionum, gratiarum , aliorumue priuilegiorum Sedis Apostolicæ prætextu , vt huic subiaceant Excommunicationi ?

399 *Gerendæ sint exemptionũ prætextu.*

NOn solum actiones hæ præstandæ sunt à potestate laica , sed etiam exemptionum, gratiarum,&c. prætextu.Quia sub eadem continuata oratione proponitur afficiendos esse excommunicatione auocantes causas spirituales authoritate propria , ac de facto quarumcumque exemptionum, & litterarum Apostolicarum prætextu. Ergo hac censura ligandus necessario duci debet prætextu Sedis Apostolicæ priuilegiorum. Sic Suar. *disputation. 21. sectione secunda numer.75.* In cuius sententiam inclinat Bonacin.*hîc,disp.1.quæstion.15.punct.1. numer.6.*

400 *Non sunt necessario prætextu hoc gerendæ.*

Opus non est has actiones prætextu exemptionum,gratiarum, & litterarum Apostolicarum fieri. Quia textus ab hac excommunicatione solum eximit illum, qui eas actiones gerit animo expresso supplicandi Sedem Apostolicam , & supplicationem coram ipsa prosequendo. Ergo quocumque alio titulo , & fine præfatæ actiones gerantur, ab hac censura non excusant:exceptio enim firmat regulam in contrarium.Ita Reginald.*libro nono numer.336* Alteri.*libro quinto disput.15.capit.2.vers. Quarumcumque.*Duard.*lib.2.can.14. quæstione tertia num.2.*

Veriorem hanc reor esse sententiam. Nam hac censura innodatur , qui prætextu violentiæ prohibendæ has gerit actiones,vt inibi notatur.Igitur necessarium non est fieri exemptionum,gratiarum, seu priuilegiorum Sedis Apostolicæ prætextu.

401 *Verius hoc.*

Dvbivm LXXXIX.

Vt auocatio prohibita in hoc Canone excommunicationi subiaceat , debetne necessario esse causarum pendentium coram Apostolico Iudice ?

DEbet quidem, & non satis est , vt à quolibet Ecclesiastico Iudice authoritate laica auocentur. Quia licet illa particula *Aliis* aliquando non sit receptiua similium,id tamen contingit , quando ratio subiectæ materiæ id suader. At in præsenti subiecta materia hanc dissimilitudinem non suadet, sed potius textui maxime congruit,vt ea qualitas, quæ in Auditoribus , & Commissariis exprimitur , nempè vt sint Auditores, & Commissarij Sedis Apostolicæ , subintelligatur in Iudicibus Ecclesiasticis. Et quia regulariter dictio *Aliis* repetit præcedentem qualitatem, cuius est persona expressa,*Leg.Si fugitiui,*ibi : *Alia pœna.* Barbosa *de dictionib.dict.17.*Sanchez *libr.3.de matrim.d. 20.num.2.* Sic Vgolin.*hîc §.1.numer.1.* Alteri.*lib. 5.d.15.cap.1.*Palao *de Cens.disputation.3.pun.15. num.8.*

402 *Debet necessario.*

Non debet necessario,sed satis est,vt à quolibetEcclesiastico Iudice authoritate laica auocẽtur causæ,& impediãtur. Quia Pontifex generaliter censura puniuit eos,qui ab Auditoribus, & Commissariis Sedis Apostolicæ aliisque Ecclesiasticis Iudicibus causas auocant. Ergo si vellet solam auocationem à Iudicibus Apostolicis punire illis verbis generalibus , *Aliisque Iudicibus Ecclesiasticis* non vteretur , sed solum diceret , *Aliisque Iudicibus.* Ita Filliuc. *tractatu decimo sexto numero 250.* Anton. à Sousa *hîc , capite decimo quinto numero primo.* Duardus *canon. decim-quart.quæstione septima numero primo.*

403 *Non debet necessario.*

Primam sententiam veriorem esse affirmo. Nam præter quam quod particula *Aliis* non obstat (vt probatum est) huiusmodi Canon etsi sit expeditus in libertatis Ecclesiasticæ fauorem,non tamen protegit omnes Ecclesiasticos Iudices , sed solum Apostolicos: imo nec ipsos Iudices Apostolicos ab omnibus actionibus , quibus eorum lædi potest immunitas, sed ab aliquibus solummodo. Alias si huiusmodi Canon quorumcumque Iudicum causarum auocationem , & impeditionem puniret , superfluus esset , vtpote indistinctus à subsequentibus , in quibus generaliter de qualibet iniusta auocatione , & impeditione iurisdictioni Ecclesiasticæ per potestatem laicam est sermo. Neque obest , quod

404 *Primam sententiam defendo.*

Pontifex expressius suam poterat intentionem declarare, fatus: *A Iudicibus Apostolicis*. Satis enim eam expressit illa dictione, *Aliis*, vtpote, quæ qualitatem antecedentis in subsequenti adesse denotat, nisi subiecta materia contrarium suadeat.

Dvbivm XC.

Innodanturne decima quinta excommunicatione Consiliarij disponentes statuta facta libertati Ecclesiæ contraria, & precones voce publicantes?

Decima quinta cõtra trahentes personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal, &c.

Expendo decimam quintam Censuram latam contra eos, qui trahunt: vel procurant trahi personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal: & contra condentes statuta libertati Ecclesiasticæ præiudicantia, eisque vtentes. Circa partem hanc secundam clausulæ requiro, an innodentur hac Censura Consiliarij disponentes statuta hæc & precones voce ea publicantes?

405 *Status quæstionis.*

406 *Innodãtur.*

Innodantur quidem. Quia vere ordinant, & publicant statuta. Textu fante: *Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, &c. quomodolibet fecerint, ordinauerint, vel publicauerint*. Ergo qui ordinat, & qui publicat statuta facta ab aliis, vere ordinat, & vere publicat statuta libertati Ecclesiæ contraria. Sic Filliucius *tractatu decimo sexto, numero 267.* Alterius *libro quinto, disputatione decima sexta, cap. 3. dub. 2.*

407 *Non innodantur.*

Non innodantur. Quia ij executiue tantum ad statuti ordinationem concurrunt, ideſt, exequuntur ordinationem, & publicationem, quæ Principis authoritate fit. Ita Suarius *disputatione vigesima prima, sectione secunda, numero septuagesimo nono*. Duardus *hic, can. 15. quæst. 22. numero 2.*

408 *Hanc præfero sententiam.*

Hanc præfero sententiam. Nam Princeps est, qui mediis illis Ministris propriè ordinat statutum, & publicat: non autem Ministri, cum non à Ministris, sed ab ipso Principe ea ordinatio, & publicatio habeat authoritatem.

Dvbivm XCI.

Vt vtens huiusmodi statutis excommunicatione feriatur debetne esse persona publica necessario?

409 *Status quæstionis.*

Excommunicat Pontifex eos, qui præfatis staturis contra libertatem Ecclesiasticam factis, seu ordinatis vtuntur. Ille vero vti his statutis censetur, qui ea obseruat, illorumque prætextu libertati Ecclesiasticæ præiudicat. Vt si Iudex nixus statuto, sententiam contra libertatem Ecclesiasticam proferret, tributa exigeret, loca Sacra violaret, &c. Quæsierim autem, an huiusmodi vsus debeat necessario esse à persona publica, quatenus talis est, vel sufficiat ab ea, & à quolibet alio priuatim præstari?

410 *Non debet esse necessario a persona publica.*

Non debet esse necessario à persona publica, quatenus talis est, sed quocumque modo huiusmodi vsus contingat hac excommunicatione punitur. Quia textus generaliter punit eos omnes, qui factis statutis, & ordinatis vsi fuerint. Cum igitur non solum authoritate publica, sed priuata præstari hic vsus posset, fit, quemlibet vsum siue authoritatiuum, siue priuatum hac excommunicatione puniri. Sic Sayrus *lib. 3. cap. 19. numer. 10.* Alterius *can. 15. disp. 16. cap. 3. post med.* Duardus *hic, quæst. 24. numer. 2.*

411 *Debet necessario esse.*

Debet necessario huiusmodi vsus esse à persona publica, vt hac Censura afficiatur. Quia ex tenore Canonis non obscurè colligitur iis tantum sub hac pœna vsum statutorum prohiberi, qui statuta, ordinationes, seu decreta condere possunt. Inquit enim: *Necnon qui statuta, &c. fecerint, ordinauerint, seu publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint*. Cum igitur in eadem clausula statutorum factio, & vsus contineatur, credendum est, his tantum prohiberi statutorum vsum, quibus eorum factio prohibetur. Ita Castro Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 16. numer. 8.* Bonacin. *tom. 3. de Censur. in partic. disputation. 1. quæstion. 16. punct. 1. numero 10.*

412 *Sententiam hanc probo.*

Primam sententiam probabilem admodum esse reor, sed adhæreo secundæ plane probabiliori. Nam finis huius Canonis est, ne potestas laica prætextu alicuius consuetudinis, priuilegii, vel aliàs iurisdictionem Ecclesiasticam, & Ecclesiarum iura præiudicet, tum condendo statuta illis contraria, tum illis vtendo: ergo vsus ad potestatem laicam est referendus, vt sic dispositio Canonis cum illius fine congruat.

Decima sexta contra impedientes ne Prælati Ecclesiastici sua iurisdictione vtantur.

Dvbivm XCII.

Vt hanc excommunicationem quis incurrat, debetne necessario authoritate publica impedimentum apponere, ne Prælatus Ecclesiasticus sua iurisdictione vtatur?

413 *Nonnulla supposita.*

Dvplicem actionem præcipue hæc Censura respicit. Prima est impedire, ne Ordinarii sua iurisdictione vtantur. Secunda, recurrere ad sæculare tribunal pro illius iurisdictionis vsus reuocatione. Circa primam autem præstare quis potest impedimentum directe, si vi, vel metu incusso, vel mandato, cui non audet Ecclesiasticus resistere, impediat, ne sua vtatur iurisdictione; indirecte, carcerando, vel molestando agentes eorum Ecclesiasticorum Iudices, agentes procuratores, familiares, vel consanguineos, & affines. Quæsierim vero, an authoritate publica hoc impedimentum necessario debeat apponere?

414 *Necessaria non est.*

Necessarium non est, sed quocumque modo ponatur, huic subest Censuræ. Quia illud aduerbium, *Quomodolibet*, quo vsus est Canon, quemcumque modum impediendi comprehendit. Sic Vgolin. *Paragraph. 1. num. 1.* Alteri. *libr. 5. disputation. 17. cap. 1. versic. Sed dubitari potest.*

Est

415 Est necessariam. Est necessarium. Quia Censura hæc præcedenti est connexa, vt constat ex eius initio, ibi: *Necnon qui Archiepiscopos, &c.* At præcedens Censura solum fertur aduersus eos, qui prætextu iurisdictionis laicæ Ecclesiasticas personas ad suum tribunal trahunt, vt vidimus: ergo etiã hæc Censura fertur tantum aduersus eos, qui prætextu eiusdem iurisdictionis Ecclesiasticæ ius impediunt. Ita Nauarr. *summæ capite vigesimo septimo, numero exagesimo nono, & septuagesimo.* Bonacina *disputatione prima, quæstione decima septima, puncto primo, numero septimo.* Graffi. *parte prima, libro quarto, capite decimo octauo, numero trigesimo nono.* Suarius *de Censur. disputatione vigesima prima, sectione secunda, numero septuagesimo quinto.* Filliucius *tractatu decimo sexto, numero 277.* licet *quæst. 9. ad finem*, contrarium docuisse videatur.

416 Hic verius. Verius existimarim, solum impedimentum authoritate publica appositum hac Censura puniri ob allatam rationem. Nec videor obstare aduerbium *Quomodolibet*, quia appositum esse puto, ad declarandum, quocumque modo à potestate laica iurisdictio Ecclesiastica inique impediatur, sub hac Censura comprehendi.

Dvbivm XCIII.

Recursus ad sæculare tribunal occasione impediendi decreta Ordinarij, puniturne hac excommunicatione?

417 Punitur. PVnitur quidem. Quia licet illis verbis, *Qui post sententiam, &c.* indicet textus, solum recursum post sententiam, & decretum latum à Iudice Ecclesiastico hac affici Censura: at illud aduerbium *Alias*, (quod idem est, ac *Aliter Leg. Paragraph. Iure, Digestis, de conditionibus,*) indicat non solum post sententiam, & decretum, sed etiam ante comprehendi. Sic Reginaldus *libr. 9. numer. 369.* Filliucius *tractat. 16. numer. 283.* Bonacina *disputatione prima, de Censur. in partic. quæstion. 17. punct. 1. numero 23.*

418 Non punitur. Non punitur Censura hac. Quia si Pontifex vellet recursum ad Curiam sæcularem ante & post sententiam, seu decretum Ecclesiastici Iudicis punire, omitteret exprimere illud, *Post sententiam*: apertius enim suam intentionem explicaret, appositis tantum illis verbis, [Et qui fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad Curiam sæcularem recurrunt] omissis antecedentibus verbis, *Post sententiam, seu decretum.* Ita Vgolinus *hic, numero primo.* Duardus *can. 17. capit. 2. vers. Quare.* Palao *de Censur. disputa. 3. punct. 17. num. 8.*

419 Probabilior ista hæc. Longe veriorem hanc sententiam esse crediderim. Cui quidem aduerbium illud *Aliàs* non videtur obstare. Quia non refertur ad præcedens aduerbium *Post*, sed ad sententiam, & decretum, hoc sensu: qui post litis sententiam decisiuam, (hæc enim propriè sententia vocitatur,) vel post sententiam interlocutoriam, (quæ decretum dicitur, vel post quamlibet aliam prouisionem, ordinationem, citationem, motionem à Iudice Ecclesiastico factam, vt illius iudicium eludat, & vanum reddat, ad sæculares confugit Curias, excommunicatus existat.

Dvbivm XCIV.

Ad hanc Censuram incurrendam necessariumne est omnes tres actiones adesse, scilicet, recurrere ad sæculare tribunal, obtinere prohibitionem, seu mandatum contra Ecclesiasticos Iudices, & illud exequi?

420 Necessariũ non est. NEcessarium non est. Quia libertas Ecclesiastica læditur solo recursu ad sæculare tribunal, etsi nulla inhibitio obtineatur: & à fortiori præiudicatur inhibitionis consecutione, & expeditione, etiamsi executioni non mandetur. Ergo quælibet ex his actionibus hac Censura debet puniri. Sic Reginaldus *libr. 9. numer. 269.* Bonacin. *hic, disputation. 1. quæstion. 7. punct. 1. num. 28.* Alterius *hic, disp. 17. cap. 2. vers. Verum hic oritur.*

421 Est necessarium. Est necessarium. Quia finis huius Canonis est Iudices Ecclesiasticos protegere, ne in vsu suæ iurisdictionis à potestate laica deturbentur. At ex solo recursu ad sæculare tribunal, & ab eodem inhibitione, & mandato contra præfatos expedito, non deturbatur eorum iurisdictio, nisi illa inhibitio, & mandatum executioni mandetur: ergo ad hanc Censuram incurrendam, recursus, inhibitio, & illius executio est necessaria. Ita Duardus *hic, quæstione sexta, numero tertio.* Viualdus *in præsenti*, Vgolinus *can. 16. numero secundo*, Filliucius *tractatu 16. numero 284.* Nauarr. *Consil. 20. de sentent. excommun.*

422 Longe probabiliorem hanc reor esse sententiam. Probabilis admodum est prima sententia, sed adhuc probabiliorem esse secundam existimo. Nam esto, illa dictio *Et* aliquando apponatur inter diuersa, & disiunctiuum sensum reddat: plerumque tamen copulatiuum sensum facit, & omnia copulata requirit, vt dispositio subsistat. *Leg. Si is, qui decem 14. Digestis, de rebus dubiis. Leg. Si quis ita stipulatus, Digestis de verborum obligatione.* Gloss. *in Rub. ic. Digestis de iuris, & facti ignorant.* Barthol. & Bald. *ibid.* Et pluribus comprobat Euerard. & alij. Neque obest, solo recursu ad sæculare tribunal, soláque inhibitione libertatem Ecclesiasticam lædi. Quia non læditur ea Ecclesiastica libertas, quę hoc Canone protegitur; quippe cum vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ non impediatur.

Dvbivm XCV.

Vsurpatio, vel sequestratio illegitima bonorum beneficij vacantis comprehenditurne sub hac Censura?

Decima septima contra vsurpantes prouentus ad Pontificem, vel alias personas Ecclesiasticas pertinẽtes.

HOc Canone excommunicat Vsurpatores, & Sequestratores sine legitima Superiorũ licen- 423 Status quæstionis.

licentia redditum,fructuum, & prouentuum ad Pontificem, Sedemque Apostolicam, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium. Quęsierim vero,num vsurpatio,vel sequestratio illegitima bonorum beneficij vacantis sub hac Censura comprehendatur?

424 *Non cõprehenditur.* Non comprehenditur. Quia ea bona nulli personæ Ecclesiasticæ competunt, sed competunt ei, qui beneficium est possessurus. Sic Caietan. *summæ verbo Excommunicacio, capite vigesimo septimo*, Toletus *libr.1.capit.29. numero quinto.*

425 *Comprehenditur.* Comprehenditur equidem. Quia illa bona ex eo quod beneficiario futuro adiudicata sunt, personæ Ecclesiasticæ competunt, non quidem quoad actuale dominium, sed quoad futurum. Ita Bonacin. *disp.1.quæst.18.punct.2. num.31.* Duardus *lib.2.can.17.quæstion.12.* Alterius *disputation.18.cap.2.* Vgolinus *hîc,cap.17. §.1.* Filliucius *tract.16. numer.217.* Reginaldus *lib.9.num.372.* Suarius *disp 21. sect.1,num.97.* Sayrus *lib.3.cap.21.num.4.* Nauarr. *summ.cap. 27.num.71.*

426 *Verius hoc.* Rectius hi Doctores. Nam dominium illorum bonorum vacante beneficio penes aliquem residet:at non est alius penes quem residere possit,nisi Ecclesia,& Pontifex:ergo penes Ecclesiam, & Pontificem residet transferendum in beneficiarium futurum. Demum si vsurpatio bonorum beneficij vacantis hac excommunicatione non impediretur, haud satis Pontifex immunitati bonorum Ecclesiasticorum prouidisset, cum grauius periculum ingruat ea bona vsurpandi,mortuo beneficiario, quam eo superstite.

Dvbivm XCVI.

Vt vsurpans ea bona hac feriatur Censura debetne ea vsurpare, vel sequestrare ex eo, quod sunt bona Ecclesiastica?

427 *Debet ea vsurpare hac intentione.* Debet vsurpare, seu sequestrare ea intentione. Quia hæc vsurpatio, ac sequestratio punitur, vt Ecclesiæ libertati præiudicans, quæ non satis videtur præiudicari,si eius bona ea intentione non vsurpentur, aut sequestrentur. Sic Caietan. *verbo Excommunicatio,cap.27.* Sebast. de Medicis *de peccat. Capital. titul. 9. quæstion.78.numer.18.& 83.* Nauarr. *cap.27.numer.70.* Alterius *libr.5.disputation. 18.capit. 1. dubio 2.*

428 *Non debet necessario.* Non debet necessario ea intentione vsurpare,aut sequestrare, sed satis est ad hanc Censuram incurrendam,si vsurpans,& sequestrans ea bona,sciat ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas pertinere,quacumque intentione ducatur. Quia textus solum requirit vsurpationem,vel sequestrationem bonorum ad Pontificem,eiusque Sedem,& Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiæ,Monasterij, vel beneficii Ecclesiastici pertinentium. Quod sufficienter verificatur,licet desit intentio formalis vsurpandi,vel sequestrandi ea bona quatenus sunt Ecclesiæ. Ita Toletus *lib.1.cap.29. num.7.* Bonac. *hîc,disputation.1.quæstion.18. punct.1. numer.7.* Filliucius *tractat.16,num.223.* Sayrus *lib.3.cap. 21.num.4.*

Hoc dicendum existimo. Nam si hæc intentio necessaria esset,vt Canon hic locum haberet, fere nullius esset vtilitatis, cum raro vel nunquam vsurpantes, vel sequestrantes eam gerant intentionem. Et in sequestratione id est manifestum, cum expresse textus damnet sequestrationem illegitime factam quauis occasione, vel causa. 429 *Hoc dicendum existimo.*

Dvbivm XCVII.

Sufficitne hanc Censuram incurrendam, vt quis ea bona vsurpet, vt sunt Pontificis tanquam temporalis Domini?

EA bona ratione Ecclesiæ, Monasterij,vel beneficij prouenientia debent Pontifici, Sedíque Apostolicæ, aut cuique personæ Ecclesiasticæ pertinere. Quæsierim vero, an satis sit,quod Pontifici vt Domino temporali pertineant,vt huic Censuræ sit locus? 430 *Statuquæstionis.*

Satis quidem est. Quia Pontifex prohibens vsurpationem bonorum ad se pertinentium, vtitur illa particula, *Nos* absque vlla distinctione: sicque prolata comprehendit non solum iurisdictionem spiritualem, sed & temporalem. Neque obest, quod in hoc Canone intenderit Pontifex bonorum Ecclesiasticorum immunitati consulere:nam simul cum illo fine præcipuo intendere potuit suorum omnium bonorum immunitati prouidere. Sic Bonac. *hîc,d.1. q.18.pun.2.n.33.* 431 *Satis est.*

Non est satis. Quia non quælibet vsurpatio, & sequestratio iurisdictionis,fructus,redditus, & prouentus Pontifici pertinentis hac excommunicatione punitur,sed pertinentis Pontifici *ratione Ecclesiæ, Monasterij, seu beneficij Ecclesiastici*,vt textus inquit. Hæc enim verba vtpote fini clausulæ appositæ ad omnia præcedentia referri debent. At iurisdictiones, fructus, redditus, & prouentus Pontifici, vt Domino temporali competentes, non illi competunt titulo Ecclesiæ, Monasterij,vel beneficij, vt de se constat:ergo. Ita Castro Palao *de Cens. d.3. punct.18 n.13.* 432 *Non est satis.*

Verius censeo, non esse locum huic Censuræ,si præfata bona pertineant ad Pontificem, vt Dominum temporalem, sed necessario debere ad illum vt Christi Vicarium pertinere. Nam Pontifex hanc excommunicationem fert in protectionem Ecclesiasticæ immunitatis quoad eius bona aduersus laicam potestatem. Si autem se ipsum comprehenderet,vt temporalem dominum, non solum esset defensio Ecclesiasticæ potestatis, sed & laicæ aduersus laicam potestatem. Porro cum Summus Præsul se ipsum nominat illo pronomine *Nos* Pontificiam dignitatem,non temporalium dominium denotat. *c.Si gratiosa,de rescrip.* 433 *Verius hic esse censeo.*

Dvbivm XCVIII.

Qui vsurpat Ecclesiam, Monasterium, aut beneficium Ecclesiasticum, comprehenditurne sub hac censura?

434 *Non comprehenditur.* NOn comprehenditur. Quia Pontifex solũ vsurpatorẽ, & sequestratorẽ inrisdictionũ, fructuum, reddituum, & prouentuũ ex Ecclesia, Monasterio, vel beneficio prouenientiũ censuræ subiicit. At sub prædictis non videtur Ecclesia, Monasterium, & beneficium contineri. Neque obest grauius delinquere, & grauiori pœna dignũ esse vsurpatorem Ecclesiæ, Monasterij, ac beneficij, quam vsurpatorẽ fructuum ex his prouenientium; qui id solũ probat debuisse Pontificem grauiori censurę & pœnæ delinquentem subiicere: non tamen probat, de facto huic legi esse subiectum. Sic Duard. *hic l. 2. can. 17. q. 4. n.* 18.

435 *Comprehenditur.* Comprehenditur plane. Quia si propter vsurpationem fructuum fertur excommunicatio, à fortiori propter Ecclesiæ, Monasterij, ac beneficij vsurpationẽ ferri debet. Et quia legislatoris intentio videtur esse, ne fructus Ecclesiæ, & à fortiori ne ipsa Ecclesia à potestate laica vsurpetur. At finis legis potiusquã verba est inspiciendus. *Ic. fin. de Reg. iuris in 6. l. Cũ pater, §. dulcissimis, ff. de legat. 2.* Ita Alteri. *l. 5. d. 18. c. 1. dub. 1.* Bonac. *hic, d. 1. q. 18. pun. 2. n.* 28.

436 *Auctoris resolutio.* Existimo speculatiue loquendo priorem sententiã veriorem esse. Quia in materia censurarũ, vtpotè odiosa verba legis extendenda non sunt, sed in sensu stricto, ac proprio sumenda: At verba sic sumpta non comprehendunt Ecclesiæ, Monasterij, vel beneficij vsurpatorem præcisè, ac formaliter: sed vsurpatorem iurisdictionũ, & fructuum inde prouenientiũ. Attamen practice si loquamur, secundã sententiam iudico esse defendendm. Quia raro, vel nunquam Ecclesia, Monasterium, vel beneficium vsurpatur, quin eorum fructus vsurpentur cum ob fructus vsurpandos vsurpatio Ecclesiæ, Monasterij, vel beneficij fiat. Mecum Palao *de cens. d. 3. pun. 18. n.* 19.

Dvbivm XCIX.

Vsurpatio pecuniæ, ob quam beneficij fructus venditi sunt, comprehenditurne sub hoc Canone?

437 *Comprehenditur.* COmprehenditur quidem. Quia pecunia illa fructibus æquiualet, & loco fructuum est subrogata. Sic Filliuc. *tractat. 16. numer. 221.*

438 *Non cõprehenditur.* Non comprehenditur. Quia pecunia illa propriè ac formaliter non prouenit ex beneficio, sed ex beneficij fructibus venditis. Pontifex vero solum vsurpatorem bonorum prone nientium ex beneficio, Ecclesia, vel Monasterio excommunicationi subiicit: ergo vsurpator bonorum prouenientium personæ Ecclesiasticæ sub alio titulo sub hac censura non comprehenditur. Ita Bonac. *hic, d. 1. q. 18. pun. 2. numer. 9.* Palao *de Cens. disputat. 3. punct. 18. num. 20.*

439 *Magis hæc placet opinio.* Magis mihi horum opinio placet. Quia magis proprietati verborum huius Canonis accommodatur. Etidem censeo dicendum de vsurpatione aliorum bonorum, in quæ beneficiarius fructus sui beneficij permutaret. Quia illa bona non sunt proprie ac formaliter fructus beneficij, sed permutationis.

Dvbivm C.

An tributum Clericis impositum, vel ab eis exactum debeat necessario esse in graui materia, vt imponens, vel exigens hac censura afficiatur?

Decima octaua cõtra imponentes decimas, collectas, & alia onera Ecclesiastícis.

440 *Nonnulla recolo.* PArtem triplicem Canon hic continet. Prima fert excommunicationem contra impotentes, exigentes, vel recipientes tributum ab Ecclesiasticis sine speciali Romani Pontificis facultate. Secunda eandem censuram profert aduersus patrantes per se, vel alios directè vel indirectè prædicta crimina: & contra id procurantes, vel auxilium, consilium, aut fauorem præstantes. Tertia innouat Sacres Canones in Conciliis generalibus editos de hac materia loquentes, pœnas, ac censuras ibidem contentas. Quæsierim vero num tributum Clericis impositum debeat esse in graui materia, vt imponens illud, vel exigens huic censuræ subiaceat?

441 *Debet in graui esse materia.* Debet quidem in graui materia esse. Quia ob paruitatem materiæ à culpa lethali eiusmodi tributum leue imponens, excusatur, & consequenter non afficitur excommunicatione, quæ ob leue piaculum non incurritur. Sic Bonac. *disput. 1. de Cens. Bul. quæstion. 19. punct. 1. num.* 12.

442 *Non debet necessario.* Non debet. Quia grauitas huius impositionis, & exactionis non desumitur ex tributi quantitate, sed ex iniuria libertati Ecclesiæ facta, illiusque contemptu. Quemadmodũ simoniæ grauitas non desumitur ex quantitate pretij pro re spirituali exhibiti, sed ex contemptu, & iniuria rei spirituali facta, eam temporario pretio cœquando. Ita Alteri. *libro quinto disputation. 19. capite tertio fine.* Palao *de Cens. disputation. 3. punct. 19. numer. 13.* & alij.

443 *Hoc defendo.* Hoc defendo. Quia negari non potest, impositione, exactioneque tributi quantumuis minimi statum Ecclesiasticum graiter lædi, vtpote qui ea exactione denotatur potestati laicæ subiectus esse, & tributorum solutioni obligatus. Dic mihi obsecro. Si pro negotio leuis momenti Clericum ad tribunal sæculare traheres iudicandum, cui dubium erit, te graue committere Sacrilegium, & excommunicationem contrahere? Quia ad huius peccati grauitatem non debet spectari materia, de qua iu-

dicium est ferendum, sed ipsum iudicium, cui Clericus inique subiicitur. Sic in casu nostro non quantitas tributi, sed illius impositio, & exactio spectanda est, scilicet quæ ex se libertatem Ecclesiasticam grauissimè lædit.

Dvbivm CI.

In hoc Canone innouantur decreta super his à Sacris Canonibus lata. Et quidem ex vi huius innouationis Censuræ, & pœnæ in decreto innouationis contentæ obtinentne huius Bullæ reseruationem?

444 *Quæstionis status.* VIdimus *Dub.* 106. in tertia parte huius Canonis innouari decreta super his per Sacros Canones tam Concilij Lateran. quàm aliorum Conciliorum generalium etiam cum censuris, ac pœnis in eis contentis. Sed dubitas, an ex vi huius innouationis censuræ, ac pœnæ in decretis renouatis existentes Bullæ huius reseruationem trahant?

445 *Non obtinet reseruationem Bullæ.* Minimè quidem. Quia innouare Canones, non est reseruare: sed in pristinum statum eos constituere, ac si aboliti non essent. At in pristino statu Bullæ reseruationē nō habebant. Certè in materia pœnali versamur, in qua benigna interpretatio fieri debet. Vnde absolui quis potest à quolibet Sacerdote, si ignarus excommunicationis Bullæ, & conscius excommunicationis iure communi inductæ, nec reseruatæ, præstitit actionem, cui est excommunicatio annexa. Sic Bonacin. *de Cens. Bul. disputatione prima quæstion. 19. punct. 4. numer. 8.*

446 *Obtinent plane.* Maximè profectò. Quia innouare legem, illiusque pœnam est illam de nouo constituere, ac si nunquam esset constituta: At pœnæ per Bullam constitutæ reseruationem habent: ergo eam habere debent pœnæ innouatæ, vtpote per Bullam constitutæ. Ita Tolet. *libro primo capite trigesimo numero quinto.* Filliuc. *tract. 16. num. 303.* Alteri. *lib. 5. disputation. 19. cap. 5. vers. His omnibus.* Duard. *l. 1. can. 18. qu. 3.* & alij.

447 *Verius hoc mihi.* Hanc mentem veriorem esse crediderim. Admitto enim innouare Canones, per se non esse illis reseruationem imponere, sed tantum in pristinum statum constituere. At si illa innouatio simul sit reseruatio, Canonesque innouentur lege reseruatiua, non dubito ex renouatione reseruationem accepturos. At Bullæ constitutio, qua huiusmodi Canones innouantur reseruationem continet. Ergo eam Canonibus innouatis tribuit.

Dvbivm CII.

An hanc Censuram contrahant Iudices, Magistratus, Notarij, Scribæ, Executores, qui suo auxilio, consilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processant, banniunt, &c.

Decima nona contra Iudices sæculares, qui in causis criminalibus Clericorū se interponunt.

EXcommunicatione hac Pontifex omnes Magistratus, Iudices, Notarios, Scribas, & executores *quomodolibet se interponentes* in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, bāniendo, capiendo, seu sententias contra illos proferendo, vel ipsos sententias latas exequēdo sine speciali, specifica & expressa Apostolicæ Sedis facultate. Quæsierim vero, num contrahant hanc censuram iudices, Magistratus &c. qui suo consilio, auxilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processant, banniunt, capiunt, &c? 448 *Nonnulla recolo.*

Contrahunt quidem. Quia illud aduerbium *Quomodolibet* omnem penitus modum includit ex *Cap. Idemnitatibus, Paragrapho. Si qua quidem vero, de elect. libro sexto.* Sic Bonacin. *hîc, disputation. 1. quæstion. 20. punct. 1. numer. 1. & 2.* 449 *Contrahunt quidem.*

Minimè contrahunt. Quia Pontifex modos, quibus Iudex sæcularis in causis criminalibus Clericorum se interponens, in hanc censuram incidit, exposuit, dum inquit, *Illas processando, banniendo, capiendo, seu sententiam proferendo, & exequendo.* Nam verbum illud, se interponere genericum est, & commune ad processus, bannum, capturam, sententiam, eiusque executionem. Quapropter sensus est: Magistratus, qui se interposuerit in causis criminalibus Clericorum processando, banniendo, &c. huic excommunicationi subiicitur. Porro consilium, auxilium vel fauorem ferentes non processant, banniunt, ferunt sententiam: ergo hac censura non innodantur. Iudex quidem sæcularis Clericum verbaliter citans, & ad suum tribunal adducens, ibique de crimine examinans, etsi in censuram latam *Can. 15.* incidat, hac tamen non innodatur. Quia hæc citatio, & examinatio non constituit processum, capturam, vel sententiam, quę sunt actiones hoc Canone interdictæ. Ita Castro Palao *de Cens. disputation. 1. punct. 20. numer. 4.* Et in casu non dissimili Nauar. *Cons. 33. de sentent. excommunicat.* Alteri. *l. b. 5. capit. 19. disputation. 20. capit. 1.* Duard. *hîc q. 9. fine.* 450 *Non contrahunt.*

His adhæreo videns aduerbium illud, *Quomodolibet* non quamlibet interpositionem in causis Clericorum denotare, sed eam interpositionem, quæ modis expressis in illo capite contingit. Imo concedamus, (morem gerendo Bonacinæ quamlibet ex interdictis actionibus ita afficere eam particulam *Quomodolibet*, vt præstet hunc sensum: excommunicamus eos, qui personas Ecclesiasticas quomodolibet processauerit, bannierit, ceperit, contra eas sententiam tulerit, & executioni mandauerit: 451 *Hu dubio reo.*

dauerit: non tamen indè infertur, consiliantes, auxiliantes, & fauentes comprehendi. Quia nõ proprie ac formaliter processant, bannunt, capiunt, &c. sed consulũt, & adiuuant ad processum, bannum, seu capturam. Cum igitur Pontifex inquit excommunicare Iudices *quomodolibet* processantes, &c. intelligi debet de modo, quo processus confici potest, non de modo, qui extra processum fit.

Dvbivm CIII.

Vt qui Romanæ Ecclesiæ terras inuadit, huius Canonis excommunicatione innodetur, requirituine vt illas hostiliter inuadat?

Vigesima contra occupantes, bona, vel terras Ecclesiæ Romanæ, eiusque supremam iurisdictionem vsurpãtes.

IN triplicem partẽ hic Canon diuiditur. Prima agit de inuadentibus, destruentibus, occupantibus, & detinentibus loca, dominia, & iura Romanæ Ecclesiæ. Secunda de vsurpantibus, perturbantibus, seu vexantibus eius supremam iurisdictionem. Tertia de præstantibus auxilium, consilium & fauorem in eisdem. Circa primam partem quæsierim, an vt quis dicatur gerere inuasionem excommunicatione hac puniendam, requiratur, vt terras illas hostiliter inuadat? 452 *Status quæstionis.*

453 *Non requiritur hostilis inuasio.*

Non requiritur hostilis inuasio. Quia in Bullis Sixti V. & Gregorij XIII. dictionibus *Inuadere*, & *Destruere* aduerbium *Hostiliter* addebatur, quod præsenti Canoni sublatum est. Ergo si Pontifex intenderet requiri ad illam censuram incurrendam hostilem inuasionem, illud aduerbium proculdubio adiiceret. Sic nonnulli Doctores, qui verbi *Inuademi* haud calluere proprietatem. Bonacin. *disputatione prima quæstione vigesima prima punct. 1. num. 3.*

454 *Requiritur.*

Requiritur plane. Quia inuadere terras, idem est, ac in eas irruere, seu cum impetu aggredi, quod proprium est hostium. Requiritur ergo hostilis incursus, alias enim non erit inuasio propriè sumpta, vti ex Ambrosio Calep. *verb. Inuadere*, & *Inuasio* colligi potest. Ita Suar. *disputatione vigesima prima sectione secunda numer.* 104. Filliuc. *tractat.* 16. *numer.* 62. Vgolin. *hic, capit.* 10. *numero tertio* & alij.

455 *Hoc dicendum.*

Hoc dicendum existimo. Nam ex eo quod in hac Bulla sublatum fuerit aduerbium *Hostiliter*, quod in Bullis Sixti, & Gregorij additum erat, non colligitur, vt putat Bonacina, mutatam esse Pontificis intentionem: sed credendum est fuisse omissum, vt minime necessarium. Satis enim ex verbo *Inuadere*, & ex subiecta materia perspicuum erat, hostilem debere esse inuasionem, siquidem alia inuasio propriè inuasio non est.

Dvbivm CIV.

Supremam iurisdictionem Pontificis offenditne qui Legatos, Commissarios, aliosque Gubernatores à Sede Apostolica constitutos impedit, & perturbat, ne sua iurisdictione vtantur?

456 *Nonnulla recolo.*

DIxi, secundam huius Canonis partem excommunicatione afficere eos, qui supremam Pontificis & Romanæ Ecclesiæ iurisdictionem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt: supremam inquam iurisdictionem in temporalibus, nam de spiritualibus satis in præcedentibus Canonibus actum fuerat. Porrò nomine iurisdictionis supremæ intelligo merum ac mixtum imperium. Potestas quippe puniendi Ecclesiasticos etiam vltimo supplicio, supremam arguit iurisdictionem, cum nemini alteri sit concessum. Et generaliter eam iurisdictionem, quam Pontifex vt supremus Princeps exercet, suprema iurisdictio est appellanda, vtpotè nemini subiecta, & ab omni alia independens. Quæsierim vero an huiusmodi supremam offendat iurisdictionem, qui Legatos, Commissarios, aliosque Gubernatores à Sede Apostolica constitutos impedit, & perturbat, ne sua iurisdictione vtantur?

457 *Non offendit.*

Non offendit. Quia horum iurisdictio cum à Pontificia iurisdictione & Romanæ Ecclesiæ distincta sit, non potest esse suprema. At præsenti Canone sola suprema iurisdictio protegitur. Ergo offendens Legatos ac Commissarios impediendo, ne sua iurisdictione vtantur, supremam Pontificis iurisdictionem non offendit. Sic Alteri. *d. 21. c. 1.* Bonacin. *hic, d. 1. q. 21. pun. 1. num. 20.*

458 *Offendit plane.*

Offendit equidem, & hanc incurrit censurã. Quia cum Legati, Commissarij, aliique Gubernatores Ciuitatum Romanæ Ecclesiæ nomine Pontificis iurisdictionem exerceant, eorum iurisdictione perturbata, Pontificis iurisdictionem simul perturbari censeri debet. Ita Palao *de Cens. disputatione tertia punct. 21. numero octauo* hanc sententiam satis probabilem esse affirmans, eique innuens adhærescere.

459 *Auctoris placitum.*

Crediderim etiam sic impedientem, & perturbantem Legatos, Commissarios, & Gubernatores hac censura innodari, non quatenus perturbat eorum iurisdictionem formaliter, sed quatenus inde censetur Pontificia suprema iurisdictio perturbata.

Dvbivm CV.

Obligatio habendi transumptum huius Bullæ sub mortali?

460 *Quæstionis status.*

EX verbis Bullæ constat, quoslibet curam animarum ex officio exercentes, tametsi Sacerdotali dignitate insigniti non sint: & quoslibet Presbyteros sæculares, vel regulares ad confessiones audiendas deputatos, obligatos esse transumptum huius Bullæ penes se retinere, hoc est, in sua Ecclesia, vel domo habere illudque diligenter legere, & percipere, alias enim illius retentio plane esset inutilis. Ad quæstionem autem vocito, an hæc obligatio

tio habendi Bullæ huius transumptum, sub mortali sit.

461 *Non est sub mortali.* Non est sub mortali ex vi Bullæ. Quia licet plerumque verba imperatiui modi præcepti obligationem inducant, si est grauis materia: at in præsenti non videtur grauis esse materia, neque necessaria admodum ad finem à Pontifice intentum, cum possit hic facile obtineri, quin Bullæ transumptum quis apud se habeat. Nam ex eo, quod apud alium sit, ipsêque huic omnia ibi contenta referat, illorum notitiam perfectam poterit habere. Sic Alterius *lib. 5. disput. 22. cap. 7. col. 3.* Anton. de Sousa *cap. 18. num. 2.* Et probabile satis affirmat esse Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 22. numero 10.*

462 *Sub mortali est.* Sub mortali est. Quia verba imperatiuo modo prolata in legibus præceptum continent. Retentio autem Bullæ, illiusque diligens lectio imperatiuo modo in Bulla profertur *Penes se habeant, studeant, &c.* Ex alia parte materia grauis esse videtur, vtpote animarum curæ, ac regimini non leuiter necessaria: ergo. Ita Vgolinus *hic, part. 3. cap. 7. num. 3.* Duardus *lib. 3. Paragraph. 8. quæstion. 1. num. 3.* Bonacin. *de Censur. Bull. disputation. 1. quæst. 22. punct. 7. num. 5.*

463 *Primam sententiam teneo.* Teneo primam sententiam cuius fundamentum secundæ rationem infirmauit. Præterea tamen si Pontifex vellet sub mortali obligare ad hanc retentionem, & lectionem, cur omisit illa verba: *In virtute sanctæ obedientiæ*, quæ Superiori clausula appoſuerat? Tacite quidem ea omissione indicauit longe minori obligatione adstrictos esse curam animarum habentes, aliosque Presbyteros ad transumptum retinendum, quam adstricti sunt Prælati ad illius publicationem, quam sub *obedientiæ virtute* facere tenentur.

CAPVT XIV.

Circa Excommunicationem Canonis Si quis suadente *17. quæst. 4. de Clerici percussione.*

Dvbivm CVI.

Clerici criminosi, ioculatores, incorrigibiles amittuntne ipso iure fori priuilegium, si sint in Sacris constituti?

464 *Non amittunt.* Non amittunt. Quia Clerici constituti in sacris priuilegio fori gaudent, quousque deprehendantur realiter, vel per sententiam Iudicis eo priuilegio denudentur. *Cap. Cum non ab homine, de iudiciis*, vbi post incorrigibilitatem Clericus potestati laicæ committitur puniendus. Igitur non ipso iure ob incorrigibilitatem priuilegio fori priuantur. Sic Lupus *tit. de libert. Ecclesiast. part. 2. quæstion. 5. num. 5. & 9. & quæst. 8. num. vnic.* Suarius *libr. 4. aduerb. Reg. Angl. capit. 17. numer. 24.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 2. capit. 5. numero 4.*

465 *Amittunt quidem.* Amittunt quidem. Quia trina monitio, quæ fit incorrigibilis, sententiæ degradationis, seu priuationis æquiualere videtur. Ita Gloss. *ad cap. 1. de Apostat.* Couarruuias *pract. qq. cap. 31. num. 2.* Iulius Clar. *Paragraph. final. quæstion. 36. numer. 23.*

466 *Auctoris sententia.* Crediderim, requiri necessario authenticam declarationem incorrigibilitatis, & regulariter degradationis, seu priuationis sententiam. Lege Ferdinandum de Castro Palao *tractatu 12. de immunit. person. Eccles.* late hoc probans.

Dvbivm CVII.

Omnia requisita, vt Clericus fori priuilegio gaudeat, requiruntvrne vt priuilegio Canonis perfruatur?

467 *Requiritur.* REquiruntur quidem. Quia ex Tridentino *sess. 23. cap. 6.* hæc omnia requiruntur, vt Clerici in minoribus constituti priuilegio fori gaudeant, scilicet, tonsuram, & habitum Clericalem communiter gestare, & ex licentia Episcopi alicui Ecclesiæ inseruire, vel in aliqua publica Academia litteris vacare, sed priuilegium Canonis inferius est fori priuilegio, quippe priuilegium Canonis iure tantum positiuo est introductum: priuilegium vero fori ex iure diuino prouenit. Ergo Clerico, cui non competit fori priuilegium, nec Canonis competere debet. Sic Manuel. *libr. 1. sumn. cap. 80. num. 17.* Bannes *2. 2. quæst. 12. art. 1. dissic. 3.* Suarius *disp. 22. sect. 1. num. 11.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. n. 164.* & alij.

468 *Non requiruntur.* Non requiruntur. Quia iure communi Clerico in minoribus ordinibus cõstituto concessum erat Canonis priuilegium, tametsi alicuius Ecclesiæ seruitio non fuisset addictus, neque in aliqua Schola ex licentia Episcopi versaretur. At Tridentinum solum restringit priuilegium fori: ergo priuilegium Canonis sub dispositione iuris communis est relictum, iuxta *Leg. Præcipimus, Cod. de appellat.* Sunt enim hæc priuilegia omnino distincta. Ita Nauarr. *libr. 5. consil. tit. de priuileg. consil. 24.* Molina *tractat. 3. de iustit. disputation. 54. numer. 9.* Auila *part. 1. cap. 1. disputation. 2. dubio 9. conclusion. 3.*

469 *Hoc tenet.* Hoc teneo sciens ita Sacram Congregationem declarasse. Præterea licet Canonis priuilegium inferius sit priuilegio fori, est tamen personis Ecclesiasticis, eorumque statui magis est necessarium, cum grauius offendantur ex vexatione personali, quam ex forensi iudicio. Præterquam quod priuilegium fori cedit aliqualiter in laicæ potestatis diminutionem: at priuilegium Canonis in nullius cedit præiudicium. Ergo mirum non est, plures conditiones pro priuilegio fori requiri, quam pro Canonis

pis priuilegio. Demum Tridentinum haud est nobis contrarium. Non enim dixit, seruandam esse constitutionem Bonifacij VIII. in *cap. Clerici, de Cleric. coniug. in 6.* pro omnibus Clericis, sed pro Clericis coniugatis; hi enim nec priuilegio fori, nec Canonis gaudent, nisi conditiones à Concilio præscriptas obseruent.

DVBIVM CVIII.

Clericus se ipsum vulnerans, afficiturne hac Excommunicatione?

470 *Excommunicatione afficitur.* SI quis seipsum malitiosè occidat, aut vulneret, vel sui occisionem, aut vulnerationem iniuriosam consulat, aut præcipiat, hac Censura efficitur. Quia de ipso verificatur violentas manus in Clericum iniicere. Sic Abbas *ad cap. Contingit.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 78.* Saytus *lib. 3. cap. 26. num. 20.* Suarius *disput. 22. sect. 1. num. 59.* Coninch. *disp. 14. num. 170.* Bonacina *disputa. 2. de excommunicat. quæstion. 4. puncto 2. fine.*

471 *Non afficitur.* Non afficitur. Quia Pontifex videtur locutus de tertia persona offendente, & ab offenso distincta. Vt colligitur ex illis verbis: *Si quis, suadente diabolo, manus violentas in Clericum iniecerint.* Ita probabiliter Suar. & Bonac. citati.

472 *Prime sententiæ hæreo.* Existimo hoc probabiliter sustineri posse, attamen à prima sententia communi equidem non esse recedendum.

DVBIVM CIX.

Si quis post mandatum, vel consilium Clerici percutiendi, id reuocet ante patratum delictum: liberaturne ab hac Censura, etiamsi mandatario sit huiusmodi reuocatio ignota?

473 *Nonnulla suppono.* SCis, extendi hanc excommunicationem ad mandantes percussionem: debereque subsequi, vt mandans, vel consulens excommunicatione innodetur. Quod si posito mandato, vel consilio, pœnitentia ductus mandatum reuocet ante patratum delictum, quæsierim, num vt ab excommunicationis liberetur incursione, sit necessarium, vt reuocatio hæc mandati nota mandatario sit?

474 *Necessarium non est.* Necessarium non est, præcipuè cum impossibile est ad notitiam mandatarij venire. Quia non videtur eredendum affici excommunicatione, qui ex pœnitudine reuocauit mandatum vel consilium, cum iam illius peccati reus non est, sed in gratia existit. Sic Glossa *ad cap. Cum quis, de sent. excomm.*

475 *Necessarium* Necessarium est, reuocationem notam fieri mandatario, vel ei, qui consilium id accepit. Quia dum reuocatio mandati, vel consilij eis nota non est, præsumendi necessario sunt ex vi mandati, vel consilij moueri ad percussionem. At excommunicatio lata est in eos, quorum mandato, vel consilio Clericus offenditur: ergo. Ita Bonacina *de Censur. in partic. disput. 2. quæst. 3. punct. 6. sect. 1. §. 1. num. 4.* Suarius *disp. 44. de Irregul. sect. 3. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 17.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 2. cap. 5. num. 7.* Auila *part. 2. cap. 5. disput. 3. dub. 7. conclus. 2.* Molina *tractat. 3. disputation. 52. num. 3.* Coninch. *disputation. 14. dubio 15. numero 176. & 183.*

476 *Hanc sententiam vnice tenendam existimo.* Hanc sententiam vnice tenendam existimo. Cui non obest, quod eo tempore, quo ille excommunicationem contrahit, in gratia existat. Quia ad contrahendam excommunicationem sicut & irregularitatem, non est opus delictum formaliter committi tempore contractionis: sufficit, si antea sit patratum. Vti contingit in eo, qui propinato veneno, vel emissa sagitta, Clericum occidit, cuius delicti ante Clerici mortem pœnituit, qui non ideo ab excommunicatione, & irregularitate excusatur. Quia his pœnis contrahendis sufficientem causam præstitit: hæque pœnæ simul cum gratia Dei compati possunt.

DVBIVM CX.

Mandauit quis, vel consuluit Clerici percussionem, sed postea sufficienter prudentis arbitrio reuocauit mandatum, vel consilium: Hæc reuocatio sufficitne, vt ab Excommunicationis incursione liberetur?

477 *Nonnulla suppono.* AD hanc excommunicationem vitandam non sufficit reuocationem mandati, vel consilij notam fieri mandatario, vel consiliario, vt *Dub. 150.* vidimus, sed opus est vt reuocatio efficax sit, & mandati, aut consilii positi motionem tollat; alias delictum ex vi mandati vel consilii patratum censebitur. Coninch. *disputat. 14. dub. 15. numer. 183.* Molina *tractat. 3. disp. 52. num. 3.* Quæsierim vero, si mandatum, vel consilium quis sufficienter reuocet arbitrio prudentis, attamen mandatarius, vel consiliarius illo prius dato permouetur ad facinus perpetrandum, vel quia credit reuocationem fieri non serio, & ex animo, sed ficte, & ob pœnam vitandam: vel quia rationes pro reuocatione allatæ non destruunt præcedentes, an in excommunicationem huius Canonis incidat?

478 *In Censuram non incidit.* Non incidit. Quia facta reuocatione mandati, vel consilii, de se efficaci, non est censendus mandatarius, vel consiliarius eo moueri, sed ex malitia, cum reuocationi stare possit, & debeat. Sic Syluest. *verb. Homicidium 1. num. 11.* Nauarra *de restit. lib. 3. cap. 4. num. 27.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 2. capit. 5. numer. 7.* Auila *part. 2. capit. 5. disputation. 3. dub. 7. conclusion. 3.*

479 *Incidit quidem.* Incidit plane. Quia facinoris causa fuit medio suo mandato, vel consilio, quod de facto illa reuocatione remouere non valuit. Quemadmodum in excommunicationem incidit, qui propinato veneno Clericum occidit, tametsi diligentiam ad impediendum damnum adhibuerit. Ita Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. numer. 18.* Coninch *disputation. 22. dub. 15. num. 183.* Anton. Gomez *libr. 3. resolut. cap. 3. num. 40. & 44.*

Molina

Molina *tractat. 3. disputation. 52. num. 2. & 3.* Nauarr. *summæ capite 27. numero 33.*

480 *Auctoris resolutio.*

Crediderim, reuocantem mandatum, vel consilium sufficienter prudentis arbitrio, excommunicationem, neque irregularitatem, aut restituendi obligationem contrahere. Quia eo casu præsumi non debet, mandatum, vel consilium causam esse delicti. Quod si rogites, quando nam censeatur quis mandatum, vel consilium sufficienter reuocasse? Respondeo sufficienter reuocatum, si verbo, Epistola, vel internuncio serio reuocationem mandatario, vel consiliario significet.

Dvbivm CXI.

Ad hanc Censuram incurrendam satisne est non impedire percussionem cum possis: sed debes esse ex iustitia obligatus?

481 *Censuram incurris.*

INcurris Censuram tametsi solum ex charitate obligatus sis impedire Clerici percussionem. Quia textus in *cap. Quantæ* absolutè & sine restrictione loquitur de iis omnibus, qui manifesto facinori desinunt obuiare, cum possint. Sic Suarius *disputation. 22. section. 1. numer. 56.* Filliucius *tractat. 15. numer. 31.* Sayrus *lib. 3. cap. 26. numer. 24.* Medina *Cod. de restitut. quæstion. 7.*

482 *Non incurris.*

Censuram non incurris non impediens cum solum potes, nisi ex iustitia sis obligatus. Quia ille consensus in percussionem Clerici consensus est hac Censura puniri, qui secundum moralem æstimationem fauor, & auxilium esse reputatur, vt constat ex illis verbis, *Eos delinquentibus fauere interpretamur*: & præterea qui statui Clericali iniuriosus est. At qui solum ex charitate, sed non ex officio tenetur percussionem impedire, moraliter non censetur percussioni fauere, neque iniuriosam actionem Clericali statui præstare. Nam omittens ex charitate solum negatiue se habet, non positiue etiam moraliter, ideóque damna ex facinore secuta ei non imputantur. Ita Nauarr. *sum. c. 27. n. 78.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 6.* Bona. *d. 2. de Cens. q. 4 pun. 1. §. 2. n. 8.* Molina *tr. d. 52. n. 6.* Coninch. *d. 14. n. 174.* Auila *p. 2. c. 3. d. 3. dub. 8.* Henriq. *l. 14. c. 12. n. 7. litt. H.*

483 *Hoc defendo.*

Hoc ego adeo verum existimo, vt licet ex odio, & prauo affectu omittas impedire percussionem, adhuc te hac Censura non illigari. Quia non ob prauum effectum, sed ob actionem iniuriosam hæc excommunicatio est lata. Neque prauus affectus constituit omissionem iniuriosam, si ex se iniuriosa non est. Illi autem censentur ex iustitia obligati ad percussionem impediendam, quibus percutientes subduntur. Quin imo ille, qui videt, seu probabiliter timet nomine ipsius percussionem esse patrandam, ex iustitia obligatus est ad illud damnum impediendum, vt placet Molinæ *tr. 2. d. 729. nu. 6.* & Nauarro *c. 27. n. 231.*

Dvbivm CXII.

An Paterfamilias possit filium etiam in Sacris constitutum moderate punire sine huius Censuræ incursione?

VIdimus *section. 1.* plures esse causas ab hac Censura excusantes, inter quas correctionis titulum annumerauimus. Vnde licitum est Prælato Ecclesiastico, & Magistro discipulum Clericum etiam in Sacris constitutum vinculis illigare, & castigatione moderata punire, provt ratio culpæ, & personę qualitas exigit, & fuerit consuetudine receptum. *Cap. Ex tenore. Cap. Cum voluntate, de sentent. excommun.* Sub Magistro venit intelligendus Pędagogus, & quicumque alius, qui ad honestum aliquid docendum, vel in officio Clericos continendos assumitur. Molina *disputation 56. num. 3.* De patre vero, grauis est dubitatio, num filios, & consanguineos etiam in Sacris constitutos possint moderate punire? Dixi, *Etiam in Sacris constitutos.* Nam si in minoribus constituti sint, omnes conueniunt, moderate puniri posse. *c. Cum voluntate, de sent. excomm.* 484 *Nonnulla præmitto.*

Paterfamilias potest filium sibi subditum etiam constitutum in Sacris punire. Quia Sacer Ordo non eximit filium à patria potestate, sed æque patri subditum relinquit, ac antea erat. At antea poterat pater filium moderate corrigere, provt culpæ qualitas, & personæ exigit circumstantia: ergo etiam poterit sacris initiatum. Sic Diu. Antonin. *3. part. titul. 24. cap. 1. §. 2. casu 12.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 82.* Auila *part. 2. cap. 5. disputation. 3. dub. 11. casu 1.* Suarius *disputation. 22. section. 1. num. 49.* Filliucius *tractat. 15. cap. 1. quæstion. 1.* Coninch. *disputat. 14. numer. 192.* Bannes *2. 2. quæstion. 65. articul. 2.* Valentia *2. 2. quæstion. 9. puncto vnico,* & alij. 485 *Potest filius punire.*

Patrifamilias concessum non est correctionis gratia filium punire in sacris constitutum. Quia in *Canon. Si quis suadente* omnibus generaliter est prohibitum, violentas manus in Clericum iniicere. At nullibi concessum est patri correctionis gratia in filium sacris initiatum manus iniicere violentas, quin potius colligitur, id expresse esse prohibitum eodem in Canone, à contrario sensu ducto argumento. Siquidem ibi conceditur patrifamilias punire correctionis gratia adolescentem in minoribus gradibus constitutum: ergo tacite denegatur potestas puniendi, cum filius est constitutus in sacris. Ita Gloss. *ad cap. Cum voluntate. verb. Inferiorum gradum.* Hostiens. Abbas, Butri. & Zabarel. *ibi.* Angel. *verb. Excommunicatio 5. casu 1. §. 10.* Molina *tractat. 2. disputation. 228. & tract. 3. disputation. 56. numer. 6.* Layman. *libr. prim. tractat. quint. part. secund. capit. quinto numer. 9.* Et sub dubio Sotus *libr. 5. de iustit. quæstion. 1. articul. 2.* 486 *Nè possit.*

Idem affirmo. Quia potestas concessa patrifamilias conceditur propinquis comparatione propinquorum, qui sunt in minoribus gradibus constituti *cap. Cum voluntate.* At propin- 487 *Idem affirmo.*

qui

quis non permittitur, constitutos in Sacris percutere. Ergo nec parenti est permittendum. Verum ob reuerentiam Sacri Ordinis non est permissum Prælatis Episcopo inferioribus per alium, Clericum corrigere, & casu quo aliquando id necessarium fuerit, cauetur, vt fiat per Clericum, & non per laicum. Quia indecens est, laicum manus violentas in Clericum inijcere, etsi correctionis gratia fiat. At regulariter paterfamilias laicus est: Ergo credendum est correctionem filiorum saltem qui sunt in Sacris constituti, ei esse prohibitam.

Dvbivm CXIII.

An Magistri Clericos discipulos possint per laicos punire?

488 *Nonnulla suppon.*

SCio, punitionem huiusmodi Prælatis per se ipsos geri esse permissum: nec posse per alios eam præstare, nisi aliqua necessitas vrgeat: & tunc non per laicum, sed per Clericum correptio est adhibenda *Cap. Vniuersitatis, de sentent. excomm.* At etsi hoc verum sit ex rigore iuris, consuetudine autem est introductum, vt Prælati mediis laicis Ecclesiasticos capiant, & in vincula coniiciant, & publica flagellorum punitione afficiant, etsi fuerit opus, torqueant ac in triremibus puniant. Prælatis vero Regularibus priuilegio Alexandri VI. relato in *Comp. priuileg. Minorum, verb. Absolutio ordinaria*, §. 20. & indulto Leonis X. *ibidem* commemorato §. 27. concessum est, vt disciplinæ causa Religiosos Clericos sibi subditos diuerberent mediis aliis Religiosis etiam laicis, siue conuersis. Quo priuilegio aliorum Ordinum Prælati fruuntur per viam communicationis. De Magistris vero grauior est dubitatio, num Clericos Discipulos per laicos punire possint?

489 *Non possunt.*

Non possunt. Quia Prælatis & Iudicibus Ecclesiasticis solam capturam, torturã, & publicã punitionẽ permittitur per laicos geri, nõ autem secretam punitionem, & quę punitũ nõ infamat. At Magistris sola punitio concessa est: Ergo nequeunt illam mediis laicis exercere: iam enim videretur punitus infamari. Omnes sic communiter.

490 *Possunt equidem.*

Possunt equidem. Quia spectato iure naturæ hæc correctio non est illicita: non enim potest violentia reputari. *c. 1. de sent. excom.* At iure positiuo solis Prælatis & Iudicibus Ecclesiæ interdictũ, ne Clericos, vel Religiosos mediis laicis corrigant, *c. Vniuersitatis, de sent. excom.* Cui dispositioni magna ex parte derogatũ est *c. Vt famæ, eodem tit.* & *c. Si Clericus eodem tit. in 6.* Ergo cum Magistris, parentibus, & propinquis non sit prohibitum discipulos Clericos per laicũ punire, id absque timore excõmunicationis præstare poterũt. Ita Molina *d. 56. nu. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9.* Coninch *d. 14. n. 192.*

491 *Hos sequor.*

Hos sequor. Quia Magister laicus potest Clericũ in minoribus constitutũ punire, & pater filiũ, & propinquus sibi aliqualiter subditũ: ergo poterit medio alio laico eã punitionẽ præstare, partim quia in ea punitione nulla iniuria deprehenditur argum. *c. Si Clerici*; partim quia ipsis Magistris potius quã executoribus punitio illa per alium facta tribuitur, vt notatur *cap. Vt famæ, de sent. excom.*

Dvbivm CXIV.

Vt percutiens Clericum cum vxore, matre, sorore, aut filia inuentum ab hac censura excusetur, debetne eum in continenti percutere?

OB difficultatem, quam ius Canonicum agnoscit temperandi dolorem, cohibendique vindictæ impetum in eo, qui videt suam vxorem, matrem, sororem, aut filiam turpiter ab aliquo Clerico pollui, percussorem illius ab hac excommunicatione excusat. *Cap. Si vero, de sent. excomm.* Censetur autem turpiter Ecclesiasticus agere, non solum si in actu fornicationis inueniatur, sed etiam si vacans amplexibus, osculis, aliisve tactibus turpiter sit inuentus. Solum est difficultas, an vt percutiens Clericum cum vxore, matre, sorore, aut filia turpiter agentem, ab excommunicatione liberetur, debeat necessario eum in continenti percutere? 492 *Quæstionis status.*

Non debet necessario, sed etiamsi post longum tempus percutiat excommunicationem non incurret. Quia restrictio hæc, quod percussio in continenti fiat apponitur in clausula antecedẽti, vbi sermo est de defẽsione propria: Ergo tacite indicatur huic clausulę nõ esse necessario accõmodandam. Pręterea hęc percussio non est, quæ excusatur ob titulum defensionis, sed ob difficultatẽ grauẽ ꝛ temperãdi tristitiam, & dolorem ex iniuria conceptum, cohibendique vindictæ impetum. At hæc difficultas etiã transacto actu subsistit: quippe iniuria illata, & læsus honor perseuerat. Sic quidam Doctor, quam presso nomine affert Castro Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 23. Paragrapho tertio num. 14.* 493 *Non debet necessario.*

Necessario debet percussio in continenti fieri, nec alias erit percutiens ab excommunicatione liber. Quia *Cap. Si vero* textus solum excusat eum, qui percutit Ecclesiasticum turpiter inuentum cum vxore, matre, filia, vel sorores percutientis. At si post delictum commissum percutiat, nõ percutit formaliter inuẽtum, sed quem actu inuenit; sed percutit alio tempore repertum. Non igitur potest à censura excusari. Ita Palao *citatus*. Bonac. *tomo tertio de Censur. in partic. disputatione secunda quæstione 3. pun. 6. sect. 4. n. 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.* Molina *tr. 3. d. 7. & d. 55. n. 5.* Suar. *d. 22. sect. 1. n. 35.* Sayr. *l. 3. c. 27. n. 23.* 493 *Necessario debet.*

Hoc omnino dicendum existimo. Neque enim fundamentum primæ sententiæ validum est. Satis enim expresserat textus, percussionem in continenti fieri debere tum verbo illo *Inuentum*, tum ratione decidendi: quippe transacto delicto facilius dolor sedari, temperarive potest, minusque vindictam excitat, quam cum præsens est oculisque obiicitur. 494 *Hoc omnino dicendum existimo.*

Dvbivm CXV.

Qui Clericum turpiter cum vxore, matre, filia, aut sorore acturum ex industria obseruat, & secreto expectat, venientemque percutit, liberne est ab hac censura?

496 *Liber non est.* Libet non est. Quia occasionem præsentem doloris remouere facile poterat, ac debebat. Ergo dignus non est, vt Ecclesiæ benignitatem experiatur, quæ immunitatem Censura concedit ob dolorem conceptum ex occasione percussori inuoluntaria. Et quia textus exigit ad vitandam censuram, vt percutiat turpiter inuentū, hoc est casu, & præter intentionem inuentum, non tamen de industria requisitum. Sic Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.*

497 *Liber est.* Est liber. Quia ea secreta obseruatio, & occulta expectatio delinquentis, neque occasio est, vt ille delinquat: neque impedit, quin turpiter agentem inueniat, etsi inueniat quæsitum & expectatum. Ita Bonac. *de Cens. in partic. d. 2. q. 3. pun. 6. sect. 4. n. 6.* Coninch. *d. 14. n. 196.* Aui. *p. 2. c. 6. d. 3. dub. 13. casu 16.* Molina *d. 55.* Nauar. *l. 5. consil. tit. de sent. excom. cons. 41. fine. Et in sum. c. 27. n. 84.*

498 *Hanc sententiam eō. munem sane amplector.* Fateor mei Pauli Laymani ratione admodū efficaces esse, sententiæ tamen communi contrarium defendenti adhærere decerno, casu quo in expectante, & obseruante dolus absit. Nam si per dolum, vel fraudem delinquentem Clericum adduceret, vt in delicto deprehensum percuteret, minime censuram effugeret huius Canonis. Æquum enim non est vt Ecclesia deceptionibus faueat iniquis. Præterquam quod in eo euētu non percutit turpiter agentē inuentum sed quæsitum, ac dolosè addactum.

Dvbivm CXVI.

Si superior Religiosi exempti potestatem habeat eum ab hac censura absoluendi, & renuat absolutionem impertire: potestne eo inconsulto, pro absolutione impetranda Episcopo subiici?

499 *Nonnulla suppono.* Svppono de Prælati consensu posse Episcopum Religiosos exemptos ab excommunicatione hac absoluere ex *Cap. Luminoso 18. quæstion. 2.* vbi habetur, Episcopum posse exercere iurisdictionem de consensu Abbatis in Monasterio exempto. Quod si Prælatus impotens hanc absolutionem præstandi nolit eam licentiam Religioso concedere, poterit ipse Religiosus ex tacito suæ Religionis consensu Episcopum adire, & ab eo absolutionem impetrare. Verum si superior Religiosi exempti potestatem habeat eum ab excommunicatione aliisque peccatis absoluendi grauis est difficultas, an possit Religiosus, superiore renuente concedere absolutionem, eo inconsulto Episcopo pro impetranda absolutione subiici?

500 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia exemptio in fauorem Religiosorum facta est: Possunt ergo ipsi dedere, argum. *Cap. Ad Apostolicam, de Regular. & Leg. Inconscribendo, Cod. de Episc. & Cleric.* Sic Federic. Ioan. de Lignano, & alij relati à Panormit. *ad Cap. Significasti, nu. 11. de foro compet.* & à Syluestro *verb. Absolutio quinto num. 2.*

501 *Non potest.* Minime potest. Quia hoc priuilegium exemptionis non tam in fauorem singulorum Religiosorum, quam totius Religionis est introductum: Ergo Religiosi singuli ei cedere non possunt. Et quia vi huius exemptionis Religiosi sunt ab Episcoporum iurisdictione extracti & integrè, ac plenè suis Regularibus Prælatis subiecti. Cederet autem in iurisdictionis Regularis præiudicium, si vnusquisque Religiosus se pro libito ab ea subtrahere posset. Ita Syluester, aliique Doctores, quos refert, ac sequitur Sanchez *libr. 4 Decalog. capit. 39. numer. 29. 32. & 36.* Molina *disp. 61. num. 3.* Bonac. *tom. 3. de cens. in partic. disp. 2. quæs. 3. punct. 6. section. 5. num. 9.*

502 *Hoc omnino tenendum.* Hoc omnino tenendum. Nam ex eo, quod Archiepiscopus nequit iurisdictionem in suffraganeos exercere nisi in certis casibus, non possunt suffraganei pro libito, & inconsulto suo proprio Prælato, Archiepiscopo subiici pro absolutione impetranda. At Episcopus in Religiosos exemptos minorem habet iurisdictionem, quam Archiepiscopus in suffraganeos, vt bene ponderat Panormit. *ad Cap. Significasti*, Ergo minus possunt Diœcesano subiici.

CAPVT XV.

Circa Excommunicationes Summo Præsuli reseruatas.

Dvbivm CXVII.

Si Iudex Incendiarium excommunicatum publicet, eiusne absolutio est Pontifici reseruata? De Incendiario.



503 *Nonnulla circa hanc.* Svppono ex *Dub. Sequenti*, nullum incendiarium ipso iure excommunicatum esse, sed excommunicandum per sententiam. *Cap. Si quis*, & *Cap. Fessi.* Quæsierim vero, num contracta excommunicatione, si Iudex excommunicatum publicet, eius absolutio sit Pontifici reseruata?

504 *Non est reseruata.* Reseruata non est. Quia eo ipso, quod incendiarij ab Ordinario excommunicantur, & publicantur excommunicati, ipsum videtur pertinere posse impertire absolutionem. Sic teste Toleto *libro primo capite trigesimo quinto numero quarto* plures Doctores.

Est

505 *Reseruata est.* Est reseruata. Quia publicata sententia, Pontifex sibi reseruat absolutionem, iuxta dispositionem *c. Pessimam* vbi Episcopis, & Archiepiscopis prohibet sententię aduersus incendiarios relaxationem. Ita Omnes communiter.

506 *Hæc vnicè verum.* Hanc sententiam veram vnice crediderim, cum Pontifex adeo disertè *cap. Pessimam* suam indicet intentionem.

Dvbivm CXVIII.

An omnis incendiarius sit ipso iure excommunicatus?

507 *Ipso iure est excommunicatus.* IPso iure excommunicatus est. Quia in *Cap. Tua nos de sent. excom.* consultus Pontifex, an illi tantum, qui manus violentas in Clericum iniecerint, sint ab ipso absoluendi, respondet: *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quod non solum qui in Clericos temerarias manus iniiciunt, sed etiam incendiarij, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.* Ergo omnes incendiarij excommunicatione innodātur ipso iure. Tum quia Pontifex illos Clericorum percussoribus æquiparat; qui ipso iure sunt excommunicati. Tū quia sibi reseruat excommunicationis absolutionem, postquam fuerint per sententiam publicati. At publicatio excommunicationis, & absolutionis reseruatio excommunicationem supponit: ergo supponit Pontifex incendiarios esse excommunicatos, vel saltem eos præsenti decreto excommunicat, vt eius dispositionis locum habeat. Sic Bonac. *tom. 3. de Cens. in partic. disputation. 2. quæstion. 3. punct. 43. numer. 1.*

508 *Non est iure ipso.* Non est iure ipso excommunicatus, sed posita Diœcesani sententia. Quia nullus est textus hanc excommunicationē ipso iure indicēs. Nā textus in *c. Si quis membrorū* loquens de domorū incendiariis non excōmunicationis pœnam, sed interdicti ab Ecclesiæ ingressu videtur apponere, ibi: *Ecclesiasę priuatum agnoscat*: excōmunicatione autē ferri mandat', si post secundam, & tertiā conuentionem cuncta, in quibus arguitur, non emendauerit, ibi: *Ab omni Christianorum Collegio seperetur.* At Innoc. II. in *c. Pessimam*, præcipit excōmunicandum, qui malo animo, & studio constiterit incendiariū fuisse, siue ad incendium, cōsilium, auxiliumve dedisse. In *c. Tua nos, de sent. excom.* excommunicatio expresse non fertur, neque etiam tacite; nā incendiarij percussoribus Clericorū nō absolute æquiparantur, sed postquam fuerint per sententiam publicati, quia media tantum sententia in excommunicationem incidūt: Ita Caiet. *v. Excommunicatio, c. 22.* Nauar. *sum. c. 27. n. 94.* Tolet. *l. 1. c. 36. n. 5.* Sayr. *l. 3. thes. c. 29. num. 8.* Suar. *d. 22. sect. 2. num. 19.* Barbosa *p. 2. de potest. Episc. allegat. 50. numer. 89.* Filliuc. *tract. 15. c. 2. quæstion. 5.*

509 *Hæc vera.* Hæc sententia verior admodum est. Fateor namque excommunicationis publicationem & absolutionis illius reseruationem excommunicationem supponere: abnego tamen supponere ipso iure esse contractum, sed per Iudicis sententiam latam fuisse ante publicationem.

Dvbivm CXIX.

Vt Incendiarius excommunicationem hanc contrahat sufficitne factam esse generalem Incendiariorum publicationem?

510 *Quæstionis status.* VIdimus contracta ab incendiario excommunicatione, si Iudex excommunicatum publicet, eius absolutionem esse Pontifici reseruatam; sed qualis debeat esse publicatio non conuenit inter Doctores. Quæsierim itaque an sufficiat generalis publicatio, qua Diœcesanus publice pronunciet, omnes incendiarios esse excommunicatos?

511 *Sufficit quidem.* Sufficit. Quia textus de publicatione sententiæ contra incendiarios, quatenus hoc vitio affecti sunt loquitur: non de publiaticone personarum, quatenus tales sunt. Sic Suar. *disp. 22. sect. 2. nu. 18.* Filliuc. *tr. 15. nu. 53.* Bonac. *tom. 3. de cens. in partic. d. 2. q. 3. pun. 4 3. n. 6.*

512 *Nō sufficit.* Non sufficit generalis publicatio, sed specialis, & expressa delinquentium publicatio fieri debet. Quia illa generalis publicatio quas omnes incēdiarij excommunicati esse declaratur, posito quod huic crimini per generalem sententiam excommunicatio annexa sit, superflua est, cum satis omnibus constet posita tali sententia incendiarios excommunicatos esse. Non igitur credendū est de hac generali publicatione textū loqui, quæ non est publicatio personarum, sed delicti. Ita Glos. & Abbas *ad c. Tua nos*, Caiet. *v. Excommunicatio, c. 22.* Nauar. *sum. c. 27. n. 94.* Sayr. *l. 3. c. 29. n. 12.* Tolet. *l. 1. c. 35. n. 4.*

513 *Probabilius hoc mihi.* Probabilior hæc mihi sententia. Nam ex vi illius generalis publicationis nullus incendiarius notus est, sed æque occultus manet, acsi nulla publicatio facta esset. At textus videtur loquutus de publicatione, qua delinquentes publicētur, manifestētur, ac noti sint. Argum. *Extrau. Ad euitāda scandala*] Ergo loquutus non est de generali illa publicatione.

Dvbivm CXX.

An effractores spoliatoresque Ecclesiarum sint ex cap. Conquesti. excommunicati?

De effractoribus Ecclesiarū.

514 *Nonnulla de effractore Ecclesiæ præmitto.* *Cap. Cum conquesti. 22.* excommunicatione reseruata sūt puniti Ecclesiarum effractores, & spoliatores. Grauis autem est controuersia, num eo in textu feratur ipso iure excommunicatio, an supponatur alibi lata; vnum enim ex his necessario est affirmandum. Nam cum Pontifex præcipiat Ordinariis hos delinquentes excommunicatos nunciari, vt arctius euitētur: fit plane excommunicatos esse iam, vel in hoc textu excommunicari. Enunciatio enim & publicatio excommunicationem supponit. Quæsierim itaque, num in prædicto textu *Conquesti* feratur ipso iure excommunicatio?

515 *Non fertur in hoc textu excommunicatio, sed in aliis.*

Non fertur in hoc textu, sed lata est in *c. Canonica* 11.*q.*3.ibi: *Ecclesiarum Dei violatores anathemate, & iudicio S.Spiritus è gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis eliminamus.* Et *Cap. Omnes Ecclesiæ* 17. *q.*4.vbi Lucius Pontifex ait: *Omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus Sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizamus.* Sic Glos. & Panormit. *ad Cap. Conquesti.* Nauar.*summ.c.*27.*n.*94. Caiet.*v. Excommunicatio c.*21.& alij.

516 *In hoc textu non in aliis fertur.*

Fertur in hoc *Cap. Conquesti*, ex aliis vero textibus non satis colligitur. Fertur inquam tacitè. Quia cum denunciatio excommunicationem necessario supponat,& hæc excommunicatio lata non sit, textibus antiquioribus, vt ostendam illico: fit plane hoc *c. Conquesti* excommunicationem ferri. Sensus enim illorum verborum, *Memoratos Sacrilegos excommunicatos nuncietis*, est, Nunciatis eos Sacrilegos esse excommunicatos, quia ex nunc eos excommunicamus, sicuti si Pontifex diceret: si ita est, memorati Sacrilegi nouerint, se esse excommunicatos nunciandos Ita Azor.*p.*1.*l.*9.*c.*27.*qu.*12. Tolet.*l.*1.*c.*35.*n.*6. Sayr.*l.*3.*thes.c.*29.*n.*14. Suar. *d.*22.*sect.*2.*n.*10. Reginald.*l.*19.*n.*60. Barbosa *p.*3.*de potest. Episc.allegat.*50.*n.*90.

517 *Verior hæc sententia.*

Hanc sententiam censeo esse veriorem. Nam ex textibus pro prima sententia allatis non satis colligitur, excommunicationem contra Ecclesiarum effractores latam esse. Et quidem *Cap. Canonica*, & *Cap. Omnes Ecclesiæ* non statuunt legem, neque excommunicationem imponunt Ecclesiarum violatoribus, sed referunt, quid in illo delicto Ecclesia præstare soleat, vt ex textuum tenore liquet.

Dvbivm CXXI.

Spectato iuris rigore, nomine Ecclesiæ effringendæ intelliguntur ne Hospitalia, Monasteria, aliaue similia loca?

518 *Intelligũtur nomine Ecclesiæ.*

NOmine Ecclesię, quę ab effractore lædẽda est, vt hac censura puniatur non solum intelligũtur ex iuris rigore Templa authoritate Episcopi ad officia diuina deputata, sed etiã Hospitalia, Monasteria aliaue huiusmodi loca. Quia hæc constitutio lata est in Ecclesiarum fauorem, ac proinde nomen Ecclesiæ latè est accipiendum. Sic Panormit. *ad cap. Conquesti.* Nauar.*sem.c.*27.*n.*94. Filliuc.*tr.*15.*c.*2.*q.*6. Sayr. *l.*3.*thes.c.*29.*n.*18. Barbosa *p.*3.*de potest. Episc. allegat.*50.*n.*90.

519 *Non intelliguntur.*

Nomine Ecclesiæ, spectato iuris rigore, non intelliguntur Hospitalia, Monasteria, aliáue similia loca, sed tantũ Ecclesiæ authoritate Episcopi ad diuina officia deputatæ. Quia esto hęc constitutio in Ecclesiæ fauorem cedat, absolute tamen pœnalis est: igitur non debet vltra verborum proprietatem extendi. Ita Castro Palao *de Censur. disputat.*3.*punct.*24.*numer.*12. & alij.

520 *Hoc verius, & idem de Sacristia ostendo.*

Existimo verius, retenta proprietate verbi *Ecclesiæ*, vsuque communi, eius nomine non venire Hospitalia, ac Monasteria, vt de se constat. Vnde crediderim aduersus Suarium *d.* 22. *sect.*2.*n.*11.& Barbosam *alleg.*50.*n.*90. nec etiam Sacristiam, tametsi Ecclesiæ coniunctam, intelligi. Quia non est formaliter Ecclesia, sed quid Ecclesiæ accessorium: alias Conuentus Ecclesiæ annexus, & contiguus intelligendus Ecclesia esset. Neque obest Regula *Accessorium*; quia Sacristia accessoria est Ecclesiæ, quoad ædificium, sed non quoad legis pœnam vel fauorem spectantes, nisi id expresse cautum fuerit, sicut in materia Interdicti cautum est *c. Si Ciuitas, de sentent. excommun.*

Dvbivm CXXII.

Mandans, vel præcipiens aliquam actionem, qua diuexentur ij, qui Censuras excommunicationis, suspensionis, vel Interdicti tulerint, inodanturne excommunicatione Cap. Quicumque de sent. excommun. in 6.

De vexãte eum, qui censuras fert.

HÆc excommunicatio lata est in eos, qui vexauerint illum, qui censuras tulerit. Cõprehendit omnes, ac singulos cuiuscumque conditionis & qualitatis sint, qui occasione latæ censuræ vexauerint occidendo, vel capiendo, vel aliquo modo grauando in personis, aut bonis suis, & suorũ, eos qui præiectas Censuras protulere: vel eos, quorũ occasione promulgatę sũt: vel qui eas obseruãt., seu cũ excõmunicatis communicare nolunt. Item comprehendit eos, qui ad hæc facinora patranda licentiam præbent, nisi fortè ante patratum crimen licentiam reuocauerint. Quæsierim vero, an mandans, & præcipiens aliquam ex his actionibus, hac excommunicatione innodetur?

521 *Non omnia premitto circa vexatores ferendi censuras.*

Non innodatur, nisi is, qui mandatum dederit publicam habeat authoritatem. Quia textus loquitur de concedente licentiam, non de mandante. Concedens autem licentiam necessario authoritate publica fungi debet. Sic Bonacin.*disputation.*2.*quæstione tertia punct.*15. *num.*6.

522 *Non innodatur.*

Innodatur quidem. Quia mandatum, vel præceptum ferri non potest, nisi ab eo, qui à natura, vel ex diuino iure, vel ex Reipublicæ concessione superior est. Si igitur hæc excommunicatio ob licentiam contrahitur, à fortiori ob mandatum contrahetur: cum potius mandatum, quam licentia publicam requirat authoritatem. Ita Castro Palao *de Censur. disputatione tertia punctο vigesimo quinto numero septimo.*

523 *Innodatur quidem.*

Huic sententiæ lubens adhæreo monens ab hac excommunicatione infra duos menses Episcopum imo & Parochum absoluere posse: illis vero elapsis, solum summum Præsulem.

524 *Ea ratio.*

Dvbivm CXXIII.

De Religiosorum, strante Eucharistiam, Ecclesiastico rochi licentia.

In Clement. Religiosi, de priuileg. *excommunicantur Religiosi Sacramentum Extremæ vnctionis vel Eucharistiæ absque*

que Parochi licentiamini rantes sub nomine Religiosi comprehendunturne Nouitij?

525 *Comprehẽduntur.* COmprehendũtur quidem Sacerdotes nouitij. Quia hi priuilegiis professarũ fruuntur ergo illorum oneribus debent pergrauari. Sic Syluest. *v. Excommunicatio 7. numer. 31.* Nauarr. *summ. capit. 27 numer. 102.* Sayr. *libr. 3. capit. 29. numer. 27.* Alterius *libr. 5. disp. 22. cap. 3. vers. Ad clariorem.*

526 *Non comprehenduntur.* Minimè comprehenduntur. Quia licet nouitij in fauorabilibus sub nomine Religiosi comprehenduntur, non tamen in pœnis. Ita Filliuc *tr. 15. n. 185.* Bonac. *tom. 3. de cens. in part. d. 2. q 9. pun. 5. n. 28.* Suar. *d. 22. sect. 4. n. 2.* Abbas *ad Rubr. de Regular.*

527 *Idem affero.* Communis est Doctorum sententia, nouitios sub nomine Religiosi non comprehendi in oneribus, vel præceptis, licet in fauorabilibus comprehendantur. Quia constitutiones pœnales restringendæ sunt, earumque verba cum proprietate accipienda.

Dvbivm CXXIV.

An nomine Religiosi intelligantur soli Religiosi exempti?

528 *Intelligatur soli Religiosi exempti.* DE solis Religiosis exemptis hæc constitutio intelligitur. Quia ex Rubrica sub qua fit, colligitur, hoc asserendum; est enim De Religiosis priuilegiatis, seu exemptis ratione priuilegiorum. Et quia non exempti non indigebant hac coërcitione, cũ possent ab Ordinariis, sicut alij Sacerdotes sæculares cohiberi. Sic nonnulli, quorum sententiam Castro Palao *de cens. disp. 3. punct. 26. numer. 5.* probabilem esse fatetur.

529 *Intelligitur hi soli.* Non de solis Religiosis exemptis, sed de aliis non exemptis intelligenda est constitutio. Quia in textu nulla est restrictio, Rubrica autem restringere textum nequit, cum lex nõ fit, nec à Pontifice constituta. Ita Sayr. *l. 3. c. 29. num. 27.* Suar. *d. 22. section. 4. num. 4.* alios citans. Filliuc *tr. 15. n. 86.* Bonac. *disp. 2. quæst. 9. punct. 5. num. 7.*

530 *Primã sententiã eligo.* Fateor in primam inclinare sententiam. Nã rationi, qua secunda nititur, responderi possit, ex ipsa Rubrica indicari, textum sub ea restrictione obligare: cum ex consensu, & approbatione Pontificis sub eo titulo constituatur.

Dvbivm CXXV.

An vt Religiosi hac excommunicatione innodentur, debeant necessario esse Sacerdotes?

531 *Non debent necessario esse Sacerdotes.* VT Religiosi hac censura illigentur, prohibitas actiones præstando nõ debẽt esse Sacerdotes necessario, sed sufficit si Religiosi sint, imo etiã Modiales hac censura innodantur, si aliquã ex prohibitis actionibus exerceant. Quia textus absolute, & absque vlla distinctione Religiosis interdicit ministrationem Eucharistiæ & Extremæ vnctionis absque speciali Parochialis Presbyteri licentia. Ergo quicumque, quverus Religiosus fuerit, hac censura innodabitur, si aliquam ex his actionibus præstiterit. Sic Suar. *disputation. vigesim. secund. section. quart. numer. quint.* Filliuc. *tractat. decim. quint. num. 186.*

532 *Debẽt necessario Sacerdotes esse.* Debẽt necessario esse Sacerdotes. Quia hæ actiones non nisi à Sacerdotibus præstari assolent. Ita Anchar. *hic.* Bonacin. *d. 2. qu. 9. punct. 5. n. 27.* Cardin. *in præs.* Palao *de cens. d. 3. punct. 26. num. 6.*

533 *Eiusdẽ sum mentis.* Eiusdem mentis sum. Nam cum Eucharistiæ & Extremæ vnctionis ministratio solum à Sacerdotibus geri soleat, credendum est Pontificem solummodo intendisse, Religiosorum Sacerdotum ábusum hasce actiones absque licẽtia, ac priuilegio exercentium cohibere.

Dvbivm CXXVI.

Religiosus asserenti, se habere licentiam, vt sibi Eucharistiam, vel Extremam vnctionem ministret potest fidem adhibere?

534 *Potest fidẽ adhibere.* POtest adhibere fidem. Quia nemo præsumendus est adeo suæ salutis immemor, vt ei commodum vllum anteponat, vt dicitur *c. penult. 1 q. 7.* & *Leg. Sancimus, Cod. de Sacros. Ecclesiis.* & colligitur ex *cap. significasti, el 2. de homic.* Sic Glos. *ad hanc Clement. v. Habita.* Antonin. *3. p. tit. 24. c. 54.* Angel. *v. Excommunicatio 5. casu 12. numer. 17.* Rosel. *verb. Absolutio, 1. num. 39.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 7. casu 14. numer. 35.* Tabie. *verb. Eodem, 5. quæstion. 4. numer. 5.*

535 *Non potest regulariter.* Regulariter fides adhibenda non est. Quia in iis, quæ ad externam Ecclesiæ gubernationem attinent, partis testimonium insufficiens esse iudicatur. Qua ratione fides non adhibetur excommunicato asserenti se absolutum esse, nisi litteras absolutionis ostendat: vel alio modo legitimè absolutionẽ probet, vt habetur *c. Sicut, de sent. excom.* Ita Sanch. *3. matr. d. 37. n. 2.* plures referens.

536 *Hoc defendo.* Hoc probabilius esse crediderim. Quia hæc non tam spectant ad vniuscuiusque salutem, quam ad externam Ecclesiæ gubernationem: ac proinde Ecclesiæ satisfaciendum est. At ministrare Extremam vnctionem vel Eucharistiam morituris, Matrimonij Sacramentum solemnizare, (quod etiam inibi Religiosis Sacerdotibus prohibetur) ad externam Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt de se constat. Ergo ex testimonio recipientis, asserentis quidem, se habere licenriam à Parocho, hæc agenda non sunt. Dixi, *Regulariter.* Nam si persona, quæ id asserit, est valde digna, vt prudentis arbitrio nulla falsitatis suspicio timeri possit: poterit Religiosus credere dicenti, se habere à Parocho specialem licentiam.

Sanch. *supra.*

* *
*

Dvbivm CXXVII.

Huius Clementinæ excommunicatione etiam innodatur Religiosus, qui sine facultate Sedis Apostolicæ quemquam præsumit absoluere à culpa, & à pœna: eamne contrahit qui non animo indulgentiam concedendi, sed dicipiendi præstat absolutionem?

537 *Nonnulla præmitto.*

Absoluere à culpa, & à pœna idem est, ac præsumere concedere plenariã indulgentiã seu peccatorum remissionem. Hæcenim concessio vulgari vocabulo Absolutio à culpa, & à pœna nuncupatur. Quare opus non est, vt absoluat à culpa Sacramentaliter, satis est, si totius pœnæ remissionem concedat, quia à culpa & à pœna absoluit. Suar. *disputation. 22. section. 4. num 19.* Quæsierim vero, an censura hac innodetur Religiosus, qui non ex animo concedendi indulgentiam, sed solum decipiendi, præstat absolutionem?

538 *Excommunicationem non contrahit.*

Non innodatur. Quia hæc excommunicatio imponitur ob absolutionem, quantum est ex parte absoluentis præstitam, non ob absolutionis fictionem. Ibi *Quemquam absoluere præsumunt* si enim Extremam vnctionem & Eucharistiam ministrantes ficte in hanc excommunicationem non incidunt. Ergo nec etiam qui fingeret se absoluere, cum nollet absolutionem concedere, vtpotè qui nullam ad illius concessionem habet potestatem. Suar. *disputation. 22. section. 4. numer. 23.*

539 *Contrahit excommunicationem.*

Innodatur sine dubio. Quia Pontifex hac censura voluit coërcere quorundam Religiosorum audaciam, qui fideles decipiebant indulgentiarum concessione, cum nullam haberent potestatem concedi. Ergo non absolutionem veram, sed fictam, & deceptoriam hac excommunicatione voluit Pontifex coërcere. Ita Bonacin. *disputatione secunda de Cens. in partic. quæstione nona puncto quinto numer. 25.* Palao *de Cens. disputation. 3. punct. 26. num. 17.*

540 *Cum his probabilius opinor.*

Cum his probabilius opinor, iudicans simile non esse de Eucharistiæ, ac Extremæ vnctionis ministratione. Quia Pontifex non punit hac excommunicatione fictam eorum administrationem, sed veram, illegitimam tamen & indebitam, vtpote in Parochorum iurisdictionis præiudicium. Ratio, autem discriminis est, quia Extrema vnctio & Eucharistia verum Sacramentum esse possunt, etsi illicite, & vsurpata iurisdictione ministrentur: at absolutio à culpa, & à pœna, seu indulgentiæ plenariæ concessio nequit vera esse, sed omnino ficta, ac deceptoria præstita ab eo, qui nullam concedendi habet potestatem.

Dvbivm CXXVIII.

In Clement. Grauis, de sentent. excomm. excommunicantur Domini temporales, qui in terris suis curant interdictum violari, singularis euocatio & secreta ad diuina audienda sufficitne ad hanc censuram incurrendam? De domino temporali curante, in terris suis Interdictũ violari.

Tres esse actiones, ob quas hæc excommunicatio fertur, præmitto. Prima est ob coactionem, quam domini temporales alicui inferunt, vt diuina officia in locis Interdicto suppositis celebret. Secunda est euocatio ad eadem diuina audienda. Tertia est prohibitio ab ipsis facta publicè excommunicatis, ne exeant ex Ecclesia, dum Missarum solemnia aguntur tametsi à celebrantibus moniti sunt. Circa actionem secundam requiro, an singularis euocatio, ac secreta sufficiat ad hanc censuram incurrendam; an verò necessaria sit publica, voce, inquam, præconis, campanæ sonitu, tubæ &c? 541 *Nonnulla suppono.*

Non sufficit singularis ac secreta vocatio, sed necessaria est vocatio publica. Quia licet verba illa textus *Modo prædicto* referantur ad modum vocationis, quem Pontifex in casus propositione retulerat. At Pontifex retulit, dominos illos temporales non solum secreto, & sigillatim, sed voce præconis & pulsatis campanis, ad diuina audienda in locis Interdicto suppositis populum euocare. Ergo vt quis *Prædicto modo* euocare censeatur, debet non solum secretò, sed publicè euocare: alias non *prædicto modo* absolute, & simpliciter, sed secundum quid at dimidiate vocaret: & cum hęc materia odiosa sit, strictè debet interpretari. Sic Sylvest. *v. Excommunicatio 7. nu. 51.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 104.* Sayr. *l. 3. thes. capit. 29. n. 43.* & alij. 542 *Non sufficit singularis ac secreta vocatio.*

Sufficit singularis, ac secreta vocatio, nec necessaria est publica. Quia Pontifex reprimere voluit audaciam illorum nobilium, qui nunc hos, nunc illos ad diuina officia audiẽda vocitabant, (quod esse non poterat nisi per singularem vocationem) & interdum compellebant: & his non contenti excessibus, non solum per campanarum pulsationem, sed & voce præconis populos etiam interdictos vt ad audiendas Missas (non obstante Interdicti sententia) venirent, faciebant euocari. At si verba illa, *Prædicto modo* deberent omnem relatum modum vocationis copulatiue comprehendere, non afficerentur hac censura ij vocãte, nisi tum secretò tum publicè campanarũ pulsatione, & voce præconis vocationẽ gereret, & insuper compellerent, quod non est dicendum; quia ferè nullius fructus esset hæc excommunicatio. Ita Caiet. *verb. Excommunicatio, capite vigesimo secundo.* Suarius *disputatione vigesima secunda sect. 4. n. 28.* Tolet. *libr. primo cap. 36. nu. 6.* Bonacin. *libro secundo quæst. 3. punct. 10. num. 6.* 543 *Sufficit plures.*

Hærens horum sententiæ dixerim, siue voce præconis, siue campanarum pulsatione, siue secreta citatione aliqui euocentur Interdictum 544 *Hærio horum sententiæ*

terdictum violatur, hac excommunicatione hoc gerentem innodari. Quia vere illi præfato modo euocantur, etsi non omnibus prædictis modis.

Dvbivm CXXIX.

Vt impedientes excommunicatos, aut interdictos exire ab Ecclesia, dum Sacra peraguntur, debeatne moneri, vt exeant ab Ecclesiis Ecclesiastico Interdicto suppositis?

545 *Status quæstionis.* SVb eadem excommunicatione prohibẽtur domini temporales, ne impediant publice excommunicatos, aut interdictos exire ab Ecclesiis, dum Missarum Solemnia aguntur. Debent autem hi excommunicati, aut interdicti moniti esse à celebrantibus, vt exeant: tunc vero si temporalis dominus exitum eorum impedierit, excõmunicationem contrahet. Quæ. sierim itaque, debent esse moniti à celebrantibus, vt exeant ab Ecclesia Ecclesiastico interdicto supposita, vt locus sit huic excommuni. cationi?

546 *Non debet necessario.* Non debet necessario Ecclesia esse interdicta. Quia nullum extat verbum in hac actione indicans, Ecclesiam debere interdictam esse. Ex eo autem, quod in præcedentibus clausulis id fuerit expressum, non infertur, pro actione præsentis clausulæ eã conditionẽ requiri: sicuti nec sufficiunt quælibet officia diuina, vt prohibens excommunicatos exire, dum ipsa peraguntur, in hanc incidat excommunicationem. Sed necessario debet esse Missæ Sactificium, tametsi in clausulis præcedentibus quodlibet officium diuinum sufficiens fuerit. Sic Bonac. *disp. 2. de Censur. in partic. quæstion. 3. punct. 20. num.* 11.

547 *Necessario debet.* Necessario debet Ecclesia interdicta esse. Quia textus de interdicto locali, generali loquatur, vt constat illis verbis: *Domini temporales in terris eorum Ecclesiastico suppositis interdicto.* Quare etsi in hac clausula non expresserit Pontifex Ecclesias interdictas esse, ideo fuit, quia ex præcedentibus, & ex quærelæ propositione. Satis colligebatur. Ita Suarius *disput. 22. section. 4. numer.* 30. Filliucius *tractatu 15. numero* 74.

548 *Verius hi opinantur.* Verius hi. Nam vel illę Ecclesiæ non interdictæ existunt in terris illorum dominorum, vel non. Si non existunt, non incidunt illi in hanc excommunicationem, quia non præstant actiones prohibitas, vt domini temporales, & iurisdictionem habentes in terris suis, vt textus requirit, & ipse Bonacin. *disputation. secund. quæstione tertia, puncto vigesimo, numero decimo septimo.* concedit. Si autem Ecclesiæ illę in terris huiusmodi dominorum existant, nequeunt non esse interdictæ cum eorum terræ Ecclesiastico fuerint interdicto suppositæ, & consequenter Ecclesiæ ibi contentæ.

Dvbivm CXXX.

In Extrauag. Bonifacij VIII. excommunicantur, qui aliquid dant, vel recipiunt pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia. Qui promittit animo non se obligandi, vel non adimplendi, inciditne in hanc Excommunicationem?

De dante, vel accipiente, vel promittente aliquid pro obtinenda gratia, vel iustitia.

IN hac Extrauag. quæ incipit, *Excommunicamus 1. de sentent. excommunicat.* Bonifacius VIII. ipso iure excommunicat omnes vtriusque sexus, siue Clericos, siue laicos, siue Religiosos, qui aliquid dant, vel recipiunt, vel promittunt tacite, vel expresse etiam sub verbis generalibus pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia sibi, aut aliis, in causis, vel iudiciis, seu aliàs per litteras Apostolicas, & quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda præstant: insuperque illos, qui aliquid sciuerint culpabile in prædictis, & Pontifici intra trium dierum spatium per se, vel per nuncium non retulerint. Demum ipsa gratia, vel iustitia scienter vtentes eadem, Censura innodantur. Triplex autem est actio. Prima pactum seu promissio alicuius parui, vel magni, vel illius datio, ac receptio pro gratia, aut iustitia obtinenda apud Sedem Apostolicam. Secunda, gratia, vel iustitia sic obtenta vti. Tertia non reuelare intra triduum eos, qui præfatas promissiones fecerint, vel receperint. Igitur quoad primam actionem quæsierim, an si quis promittat animo non se obligandi, vel non adimplendi promissum, in hanc Censuram incidat?

549 *Nonnulla suppono.*

550 *Non incidit.* Non incidit. Quia ea promissio non est vera sed ore tenus solum: at pœnæ impositæ sunt promissioni, & pacto: ergo intelligi debent de vera promissione, & pacto, non de ficto: cum lex pœnalis vltra proprietatem verborum non sit extendenda. Sic Bonacina *tom. 3. de Censur. in particul. disputation. 2. quæstion. 3. puncto* 31.

551 *Incidit sane.* Incidit sane. Quia in præsenti ea promissio, vel pactum prohibetur, ex quo Superior moueri potest, ad gratiam, vel iustitiam concedendam: at ex promissione ficta æque ac ex vera mouetur, cum fictio illi sit ignota: ergo quęcumque ex his promissionibus sub Censura hac prohibetur. Ita Castro Pal. *de Cens. d. 3. pun. 27. num.* 18.

552 *Veriorem hanc mentẽ esse credo.* Veriorem hanc sententiam esse credo. Nam acceptans promissionem illam fictam, & vi illius gratiam, vel iustitiam præstans Censuram hanc incurrit; quia non liberaliter, sed ob rem onerosam, ac pretio æstimabilem gratiam, vel iustitiam confert: quippe illa promissio siue vera, siue ficta sit promittenti onerosa est, & pœnæ arbitrariæ subiecta, quod est sufficiens, vt pretio æstimetur. Ergo eam promissionem præstans eadem Censura innodabitur; textus enim æque promittentem, ac acceptantem promissionem excommunicatione ligat.

Dvbivm CXXXI.

Promissio hæc debetne acceptari, vt promittens hac Excommunicatione illigetur?

553 *Non debet necessario acceptari.* NOn debet necessario acceptari. Quia quælibet ex his actionibus excommunicationi subiicitur. Inquit enim textus: *Qui aliquid paruum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint.* Ergo sola promissio absque promissionis receptione sufficiens est ad Censuram inducendam. Sic Molina *disputation. 92. vers. Cum omnes.* Farinac *praxis part. 2. quæs. 111. art. 15. num. 315.*

554 *Debet acceptari necessario.* Necessario debet acceptari. Quia promissio cui acceptatio deficit, non est vera, propria, ac perfecta promissio, nec pactum, cum non sit duorum consensus, quod expressè ad pactum requiritur *Leg. 1. in princip. Digest. de pactis. Leg. 3. Digest. de pollicitat.* & pluribus probat Sanchez *lib. 1. de sponsal. disputation. 5. num. 20.* At in Extrauag. Bonifacij VIII. promissio, quæ pactum sit, excommunicationi subiicitur. Ergo necessario debet esse promissio acceptata. Ita Bonacin. *de excommunicat. in partic. disputation. 2. quæstion. 3. punct. 31. num. 9.* Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 27. numero vigesimo.*

555 *Hoc probabilius.* Probabiliorem esse hanc relationem non dubito. Cui quidem non obest, promissionem, & acceptationem, vt actiones distinctas huic excommunicationi subiici. Quia subiiciuntur cum dependentia vnius ab altera. Sicut enim nequit acceptatio subiici excommunicationi, quin promissio præcedat: sic nec promissio subiici potest, quin acceptatio subsequatur.

Dvbivm CXXXII.

Quælibet res, quæ in materia furti peccatum lethale constitueret, sufficitne in huius Extrauagantis præscripto ad Censuram incurrendam?

556 *Sufficit plane.* SVfficit plane. Quia si hæc quantitas in materia Iustitiæ, ac Religionis sufficiens est, peccatum constituere: cur non in præsenti materia? Præterea si in materia Iustitiæ ex eo quantitas furto ablata censetur esse grauis, & peccatum lethale constituere, quia eius defectus graue affert incommodume, ergo è contra illius donatio graue afferet donatario commodum. Ergo est sufficiens ad mouendum eius animum in donantis fauorem. Sic Bonac. *tom. 3. de Censur. in partic. disput. 2. quæs. 3. punct. 31. numer. 13.*

557 *Nō sufficit.* Non sufficit. Quia ad gratiam, vel iustitiam impertiendam, quæ à Superiori semper viro præstatur non videtur vllius esse momenti donum, vel promissio, quę quantitatem ad furtum graue constituendum sufficientem non excedat. Vir enim huiusmodi flocci æstimabit quatuor, aut sex Hispanicos Regales, qui lethalem furti materiam possunt constituere. Vnde prudentis arbitrio relinquendum spectatis circumstantiis tam dantis, quam accipientis: tum gratiæ, vel iustitiæ obtinendæ. Ita Menochius *lib. 2. de arbitrar. casu 145. num. 4.* Nauarr. *comment. de datis, & acceptis, notab. 3. fine, & notab. 10. numer. 20.* Molina *disputation. 92. vers. Verum vero.* Azorius *part. 3. libr. 12. capit. 23. quæstion. 3.* & alij.

558 *Auctoris resolutio.* Ego quidem existimo, illam censendam esse materiam sufficientem, quæ his circumstantiis spectatis valeat collatorem allicere, ad gratiam vel iustitiam concedendam. Nam finis huius Canonis est, ne collatores excœcari valeant, néve Iudices peruerti. Comparatione tamen huius finis quantitas, quæ alioquin in materia furti grauis esset, leniſſima sæpe censetur, ideóque nobiles, diuites, ac potentes, cum aliquod munus præstare volunt, quantitatem excedentem eam, quæ in materia furti grauis reputatur, donant, neque contrarium facere audent; quia eorum statum ea donatio dedecet. Quare non ex graui, vel leui vtilitate, quæ donatario prouenire potest, ex acquisitione rei donatæ: sed ex efficacia ad ipsius animum mouendum, ac euertendum, grauitas huius donationis, seu promissionis est desumenda.

Dvbivm CVIII.

Incurritne huius Canonis Censuram, qui, si iustitia certa sit, donat aliquid, vel donandum promittit, pro illius expeditione absoluta, siue maturiori absque vllius præiudicio?

559 *Non incurrit.* NOn incurrit. Quia non præstat actionem, quæ alias iure naturali, diuino, vel positiuo prohibita sit. Nullibi namque prohibitum inuenitur mouere Iudicem muneribus, ad præstandum id, quod ex se bonum est, & nemini noxium. At hæc constitutio solum datione, seu promissionem interdicit, quæ, ipsa secluſa, interdicta est, vt colligitur aperte ex illis verbis: *Vt domus, & Curia nostra à Sordibus purgetur*, & ex illis: *Quæ cum pessima sint, & Curia nostra existimationem offendant.* Quæ supponunt, prædictas actiones iniquas esse, & Curiam Romanam maculare, rectamque illius æstimationem lædere. Sic Nauarr. *Comment. de datis, & promiss. notab. 9. n. 14.*

560 *Incurrit quidem.* Incurrit quidem. Quia in Authent. Vt *Litigantes* cauetur, vt litigantes in principio litis iurent, nihil se daturos Iudici quacumque ex causa. Nam licet in vno, vel alio casu cesset peruersionis periculum, per se tamen & frequenter adest. Hæc autem prohibitio locum habet in foro Ecclesiastico, cum contrarium decisum ibi non sit, & eius causarum sinceram expeditionem foueat. Ita Molina *disp. 92. vers. Ego verò.*

561 *Auctoris resolutio.* Non audeo primæ sententiæ subscribere, excepto casu redimendæ vexationis. Hæc quippe redemptio licita est, ac iure naturæ permissa, quam lex ciuilis, ac Ecclesiastica prohibere non

non intendit. Nam si pro te iustitia aperta esset, timeresque probabiliter non obseruandam vel inique detinenda m, nisi aliquid Iudici promitteres, vel donares: nullum peccatum in ea promissione, vel datione committeres, nullamque Censuram incurreres.

Dvbivm CXXXIV.

Qui pro auferenda, vel differenda alterius iustitia, aliquid Iudici largiatur, incurritne huius Extrauag. Excommunicationem?

562 *Non incurrit.* NOn incurrit. Quia pœnæ extendendæ non sunt vltra verba in lege contenta. At sub nomine *gratiæ*, vel *iustitiæ* obtinendæ nequit iniusta sententia comprehendi cum non comprehendatur sub nomine gratiæ; non enim est beneficium, pensio, absolutio, dispensatio, indulgentia, facultas, vel priuilegium, tametsi ex ea aliquam ille vtilitatem accipiat. Nec sub nomine iustitiæ obtinendæ venit iniqua sententia, quia sententia iniqua iustitia non est: ergo nequit sub iustitiæ nomine contineri: vnum enim contrarium aliud sub se non cõtinet. Sic Farinac. *prax. part. 3. quæst. 111. num. 351.* & probabile iudicat Palao *de Cens. d. 3. punct. 27. num. 24.*

563 *Non incurrit* Incurrit planè. Quia iniusta sententia *iustitia* in iure nuncupatur. Argum. *Leg. Ius pluribus modis. Digest. de iustitia, & iure.* Ideóque Iudex etiam cum inique iudicat, ius ferre dicitur saltem ex obligatione. At præsens constitutio prohibet, promissionem, vel dationem pro obtinenda iustitia: seu pro actu iudicij obtinendo: ergo. Ita Bonacin. *tom. 3. de Censu. in partic. d. 2. q. 3. pun. 31. n. 2.* Fill. *tr. 15. n. 133.* Molina *d. 92. vers. Caterum.* Nauarr. *de datis, & promiss. notab. 17. n. 19.*

564 *Communi sententiæ veriori huic adhæreo.* Fateor, primam sententiam satis esse probabilem, sed defendo secundam communem equidem. Nam ideo quis donat, vel promittit Iudici dandum pro alterius iustitia auferenda, vel differenda, quia inde sibi emolumentum prouenit: ergo huius comparatione, donationem, vel promissionem præstat pro gratia obtinenda. Præterea in donatione, vel promissione ob huiusmodi finem grauiorem culpam proculdubio committeres, quam si pro gratia, aut iustitia obtinenda dares aut promitteres. Ergo verisimile non est voluisse Pontificem hanc leuiorem culpam grauioribus vindicare pœnis, & grauiorem immunem relinquere.

Dvbivm CXXXV.

In hac Extrauag. nomine Sedis Apostolicæ intelligiturne solum Pontifex seu eius Ministri, vt iurisdictionem spiritualem exercentes?

565 *Non intelligitur solũ iurisdictionem spiritualem exercentes.* NOn intelligitur solum Pontifex, vel Ministri eius iurisdictionem spiritualem exercentes, sed & quatenus iurisdictionem temporalem exercent. Quia iuxta frequentẽ loquendi modum, qui in legum interpretatione spectandus est, Sedes Apostolica vtramque iurisdictionem complectitur. Quod inde efficaciter confirmatur. Quia Pontifex intendit *ab his sordibus, & iniquitatibus suam domum, & Curiam purgare.* At Curiæ nomine non est dubium intelligi tribunal Pontificis tam iurisdictionem temporalem, quam spiritualem exercens: ergo in præsenti idem sub Sedis Apostolicæ nomine intelligendum est. Sic Azorius *part. 3. libr. 12. cap. 24. quæstion. 7.* Filliucius *tractat. 15. num. 139.* Bonacin. *tom. 3. de Censur. in particul. disputation. 2. quæstion. 3. punct. 31. numero 4.*

566 *Solũ intelliguntur, vt iurisdictionem spiritualem exercentes.* Solum intelligitur Sedis Apostolicæ nomine Pontifex, eiusque Ministri iurisdictionem spiritualem exercentes. Quia Sedes Pontificia integre, & perfecte completa erat, cum nullam temporalem exercebat iurisdictionem: vt patet Ecclesiæ nascentis initio. Non igitur temporalis iurisdictio Sedem Pontificiam constituit. At lex pœnalis stricte, & non late interpretari debet, verbáque illius in sensu proprio, ac rigoroso sunt accipienda, *Leg. In delictis, §. Extraneus, Digest. Ad legem Aquiliam.* Ergo Sedes Pontificia pro iurisdictione spirituali, non pro temporali etiam intelligi debet. Ita Nauarr. *Comment. de datis, & promiss. notab. 18. numero tertio.* Molina *disputation. 92. versicul. Iam vero.*

567 *Probabilius hoc mihi.* Probabiliorem reor hanc esse sententiam. Cui quidem non obest, quod secundum frequentem, & vulgarem modum Sedes Pontificia vtramque iurisdictionem complectatur. Nam lex pœnalis si extensionem recipit ex vulgari modo loquendi proprio, & rigoroso secundum modum loquendi proprium, & rigorosum interpretanda est, non secundum vulgarem. Fateor, velle Pontificem hac constitutione domum, & Curiam ab his sordibus repurgare. Sed non inde colligitur, nomine Sedis Apostolicæ tribunal vt iurisdictionem temporalem exercens intelligi. Quia purgato Ecclesiastico tribunali, purgatur domus, & Curia Pontificis, non secundum se totam, sed secundum principaliorem eius partem.

Dvbivm CXXXVI.

An obligentur extra Romanam Curiam existentes reuelare intra triduum Pontifici eos, qui pro obtinenda gratia, vel iustitia, pretium promiserunt, donarunt, aut acceperunt?

568 *Status quæstionis.* VIdimus, actionem tertiam sub Censura prohibitam in dicta Extrauag. esse non reuelare intra triduum eos, qui pro obtinenda gratia, vel iustitia pretium promiserunt, donarunt, vel acceperunt. Quod intelligo, si in suo delicto persistant, neque fraterna correctione emendari sperentur, eorumque delictum probabile sit. Quæsierim autem, num ad hanc agendam denunciationem obligentur, extra Romanam Curiam existentes?

Obligantur

569 *Obligãtur.* Obligantur profecto. Quia pœnis ob alias actiones in hac Extrauag. expressis obligantur extra Romam commorantes : ergo etiam ob omissam denunciationem. Neque obstat, quod intra triduum non possint : quia non inde infertur, ab obligatione eximi. Nam illud tempus non ad finiendam obligationem, sed ad illam solicitandam positum est, itavt quis potuerit intra triduum denunciare, teneatur, sin minus quando commode possit. Sic Bonacin. *tom. 3. de Censur. in particul. disputation. 2. quæstion. 3. punct. 31. numer. 19.* Fauet Nauarr. *Comment. de datis, ac promiss. notab. vigesim. secund. numer. trigesim. septim.*

570 *Non obligantur.* Non obligantur nisi qui in Curia Romana existunt. Quia si Pontifex vellet ad hanc denunciationem præstandam obligare æque in Romana Curia, ac extra existentes, terminum obligationis communem omnibus designaret, intra quem plerumque possent huic obligationi satisfacere. Ita Sylvest. *verb. Excommunicatio 7. casu 43.* Nauarr. *Comment. de datis, ac promiss. notab. 22. num. 37.* Azorius *part. 3. libr. 12. cap. 14. quæstion. 8.* Filliucius *tractatu 15. numero 129.* Molina *disputation. 92. versicul. Cum omnes.*

571 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia ille triplicis diei terminus solis in Romana Curia existentibus potest deseruire, reliquis extra Curiam morantibus nunquam vel raro : ergo asserendum est, Pontificem noluisse alios quam in Vrbe commorantes sub hoc præcepto comprehendi.

Dvbivm CXXXVII.

An sub huius Extrauag. pœnis Cardinales, & Episcopi comprehendantur?

572 *Comprehẽdunt.* COmprehendunt hę pœnę omnes Clericos, Religiosos, & laicos vtriusque sexus, siue familiares Curiæ, siue vndecumque alios. Dubito autem, num Cardinales etiam, ac Episcopos comprehendant?

Non comprehẽdunt. Non comprehendunt. Quia esto, nomine Clericorum veniant omnes in dignitate constituti, in lege quidem fauorabili : non autem in lege pœnali, & odiosa. Sic Abbas *Rubric. de vita, & honestat. Cleric.* Sanchez *libr. 6. Decalogi capite decimo quinto, numero septuagesimo quarto,* alios referens.

573 *Cõprehendit.* Comprehendit constitutio hæc Cardinales, & Episcopos, & à fortiori alios Clericos in dignitate constitutos. Quia quamuis secundum frequentem loquendi vsum nomine Clericorum non soleant Cardinales, & Episcopi, neque personæ in dignitate constitutæ intelligi: attamen in præsenti ex subiecta materia, ac legis fine comprehensi intelliguntur. Nam Pontifex suam domum, & Curiam intendit hac constitutione ab illa iniqua gratiæ, vel iustitiæ concessione, & negociatione purgare: At huiusmodi finem non consequeretur, si Episcopos, Cardinales, & alios in dignitate cõstitutos non comprehenderet, cum hi sint præcipuè, à quibus gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam obtinetur. Ita Ferdinandez de Castro *de Censu. disputatione tertia, puncto vigesimo septimo, numero 31.*

574 *Auctoris resolutio.* Operæpretium est, vt meam resolutionem aperiam, ad memoriam reuocare, in Extrauag. Gregorij XIII. vltra præfatas pœnas primari ipso iure delinquentes omni beneficio Ecclesiastico, & omni officio tam Ecclesiastico, quam sæculari, tam temporario, quam perpetuo, infamiæque perpetuò subiici: quod intelligendum est, posita sententia saltem declaratoria. Hoc posito, fateor, mihi probabilius esse Cardinales, & Episcopos ob eminentem eorum dignitatem, non comprehendi in pœnis addictis à Gregorio. Quia cum hæ pœnę grauissimæ sint, & statum Cardinalium, ac Episcoporum dedeceant, si Pontifex eos voluisset comprehendere, absque dubio expressisset. Nauarr. *Comment. de datis, ac promiss. notab. 6. num. 9.* Molina *disputation 92. versicul. Hæc Extrauagans.* Bonacina *disputation. 2. quæstion. 3. punct. §1. num. 16.* Si autem de Extrauag. Bonifacij VIII. (de qua sermo) loquamur, affirmo, secundæ sententiæ morem gerẽs, nullum, qui in dignitate constitutus non sit, posse gratiam, vel iustitiam nomine Sedis Apostolicæ concedere. At concedens gratiam, vel iustitiam ex pretio accepto, vel promissione illius acceptata pœnis præfatæ constitutionis afficitur. Ergo sub nomine Clericorum initio constitutionis appositio omnes Clerici etiam dignitate fulgentes intelliguntur. Ergo etiam intelliguntur Cardinales, & Episcopi, cum nullum fundamentum sit, quare ij excipiantur à Clericorum nomine absolute prolato, potiusquam reliqui in dignitate alia constituti.

Dvbivm CXXXVIII.

Excommunicatio lata in Bulla Pij V. 83. contra Officiales Sacræ Pœnitentiariæ, asscitne non solum recipientes aliquid à partibus vltra stipendium assignatum : sed etiam stipendium assignatum, cum absque legitima causa absuno, & per se officium non exercent?

De Officialibus Sacræ Pœnitentiariæ qui officium fideliter nõ exercent.

575 *Quæstionis status.* EXcommunicatio fertur in Bulla Pij V. 83. quæ incipit, *In omnibus rebus.* Vbi Pontifex vt rectæ, & puræ expeditioni Sacræ Pœnitentiariæ consulat, statuit, vt illius Officiales officia sua per se ipsos tum diligenter, tum fideliter exerceant, solique præsentes, & actu exercentes nisi legitime impediti fructus, & emolumenta percipiant, quorum singulis certum, statumque aliunde stipendium cuique cõueniens decernit assignari, quo solo præcipit contenti esse debere, nihilque aliud etiam sponte oblatũ à partibus, aut alias siue pro expeditionis celeritate, sine pro alio extraordinario labore, tam procurando, quam scribendo, aut recognoscendo, & examinando, capere possint. Quicumque secus fecerint, officio suo huiusmodi priuati excommunicationis reseruatæ sententiæ ipso facto subiicũntur. Dubito autem, num hæc excommunicatio afficiat non solum recipientes aliquid à partibus aut aliunde vltra stipendium assignatum, sed etiam recipientes

cipientes stipendium assignatum, cum absque legitima causa absunt, & per se officium non exercent?

576 *Eos afficit.* Eos afficit Quia clausula illa in fine posita, *Quicumque secus fecerint, &c.* ad omnia præcedentia referri debet, cum non sit specialis ratio, ob quam potius referatur ad recipiētes aliquid vltra stipendium, quam ad recipientes stipendium officium non exercentes: quippe vtrumque æquanimiter in præcedenti clausula prohibetur. Sic Filliucius *tractatu* 15. *numero* 209.

577 *Non afficit eos.* Eos non afficit. Quia hæc excommunicatio lata est, vt concessiones Sacræ Pœnitentiariæ purè ac rectè expedirentur: at huic synceræ expeditioni non obstat indebita receptio stipendij à Pontifice statuti: benè tamen obstarent munera recepta à partibus, aut aliundè, vtpote quæ valerent Officiales peruertere. Ergo sola horum receptio excommunicatione punitur. Ita Bonacin. *tom. 3. de Censur. in partic. disp. 2. quæs. 7. punct. 6.* Palao *de Cens. disp. 2. pun. 28. num. 8.*

578 *Hoc credo esse probabilius.* Probabilius hoc esse crediderim. Neque enim reor, velle Pontificem infidelitatem, & negligentiam in exequendis expeditionibus commissam ab Officialibus Sacræ Pœnitentiariæ Censura ligari. Quod necessario fatendum esset, si excommunicatio ad omnes præcedentes actiones referretur. Quapropter dicendum censeo, clausulam illam. *Quicumque secus fecerint, &c.* non ad omnia superius contenta, sed ad ea, quæ immediate præcesserunt, quæque constitutionis fini obstant, esse referendam.

Dvbivm CXXXIX.

In decreto edito à Cardinali Milleno Romæ Vicario, ne è Cæmeteriis Romanæ Vrbis Reliquiæ extraherentur, comprehenduntur ne exteri Romam venientes?

579 *Status quæstionis.* Millenus Romæ Vicarius ex mandato Pontificis Pauli V. in decreto edito 24. Augusti anno 1613. & in alio edito anno sequenti excommunicationi subiiciuntur, qui aliquas Sanctorum Reliquias etiam in modica quantitate ex cæmeteriis, cryptis, vel catacumbis extraxerint. Quæsierim vero, num hac Censura comprehendantur exteri Romam venientes?

580 *Non comprehenduntur.* Non comprehenduntur. Quia probabile est, legibus ac præceptis particularibus non affici exteros breui recessuros. Sed hæc est lex ac præceptum particulare. Ergo exteros huiusmodi non illigat. Sic aliqui, quorum sententiam Fadin. de Castro *citandus* innuere videtur esse probabilem, cum contrariam asserit esse veriorem.

581 *Comprehenduntur.* Comprehenduntur equidem. Quia esto decretum hoc latum fuerit à Cardinali Milleno Romæ Vicario lata fuit ab illo, non tanquam Vicario, seu quatenus Vicarius erat; sed quatenus ipsi à Pontifice commissa fuit facultas prædictam Censuram promulgandi, atque adeo nomine ipsius Pontificis, itavt ipsemet Pontifex Censuram illam tulisse censeatur. Nam cum Reliquiarum extractio potius fiat ab exteris, quam ab iis, qui Romæ commorantur, opus erat, prohibitionem ad exteros præcipuè extendi, alias non satis extractionis obstaculo consultum esset. Ita Palao *de Censur. disput. 3. punct. 30. num 22.* Bonacin. *de Censur. in partic. disputation. 2. quæstion. 3. punct. 24. numer. 16.* Filliucius *tractatu decimo quinto, numero 147.*

582 *Hoc mihi certum.* Certum hoc mihi adiicienti, non euanuisse hanc constitutionem Cardinalis Milleni obitu, aut eius officio finito. Quia non ipsius nomine, sed Pontificis lata fuit: & non per modum præcepti, sed legis, & constitutionis perpetuo valituræ.

Dvbivm CXL.

Excommunicationem latam ab Vrbano VIII. contra extrahentes frumentum ex statu Ecclesiastico, contrahunt ne farinam extrahentes?

583 *Quæstionis status.* IN Bulla Vrbani VIII. 12. Kalend. Nouembr. 1614. fertur excommunicatio aduersus eos, qui frumentum, oleum, blada, & legumina ex statu Ecclesiastico extrahunt, hoc est, ex locis Ecclesiæ immediate subiectis, & ad loca extra Ecclesiam, imo ad loca mediate Ecclesiæ subiecta deferunt mercimonij causa. Nomine frumenti, & bladi veniunt triticum, ordeum, hauena, far, saligo, & quæcumque semina aristas emittentia. Nomine leguminum venit quidquid terræ satis nascitur, vt sunt fabæ, pinæ, cicer, lentes, & similia. Quæsierim itaque an nomine tritici veniat farina eorum seminum, qui sub tritici appellatione includuntur, vnde extrahentes farinam excommunicatione hac innodentur?

584 *Non contrahunt.* Non venit, & ideo extrahentes farinam, Censuram non contrahunt. Quia farina non est formaliter frumentum, etsi ex frumento conficiatur. Ergo sub prohibitione extrahendi frumentum farina comprehendi non debet. Non enim lex pœnalis, & odiosa extendenda est vltra verborum proprietatem. Sic Bald. *l. 1. Cod. de fructibus, & leg. Non dubito, Cod. de legibus.* Alberic. & alii relati à Iulio Claro, & ab Azorio *citandis.*

585 *Contrahunt plane.* Venit quidem, & ideo farinam extrahentes excommunicationem hanc contrahunt. Quia farina propriè, & in rigore frumentum est, tritum tamen, & in minutas partes redactum. Ergo sub frumento comprehenditur. Alioquin plurimum derogaretur legi prohibenti frumenti extractionem, si farina extrahi posset: neque Pontifex charitati annonæ satis consuleret, prohibens frumenti extractionem, extractione farinæ permissa. Ita Iul. Clar. *lib. 1. pract. qq. criminal. quæstion. 82.* Azorius *part. 1. libr. 5. capit. 26. quæstion. 2.* Filliucius *tractat. 15. numer. 158.* Bonacin. *tom. 3. de Censur. in particul. disputation. 2. quæstion. 3. punct. 42. numer. 4.* Duardus

in expos. Bull. Cœnæ, libr. 1. capit. 3. quæstion. 4. numero 9.

586 *Hoc longe est probabilius.* Hanc sententiam longe probabiliorem esse quis non videat? Certe quotiescumque lex aliqua inutilis redderetur, extensione non facta ad aliquem casum, extendi ad illum debet Argument. *Cap. si Ciuitas, de sent. excomm.* & *Cap. Quicumque, de regul. iur. in 6.* Ergo licet farina sub frumento non comprehenderetur, ob vitandam legis prohibentis extractionem frumenti illusionem, ad farinæ extractionem lex deberet extendi.

DVBIVM CXLI.

Panis coctus comprehenditurne sub frumenti nomine?

587 *Comprehenditur.* COmprehenditur quidem. Quia panis coctus ex frumento conficitur. Ergo prohibito frumento panis prohibitus est. Neque opus erat, in prohibitione panem exprimere, cum satis censeretur expressus, facta prohibitione illius, sine quo ipse consistere nequit. Sic Filliuc. *tr. 15. n. 158.*

588 *Non comprehenditur.* Non comprehenditur. Quia panis licet ex frumento conficiatur à frumento specie differt vti communis tradit sententia, quod in farina non procedit. Ergo sub frumento comprehendi non potest maxime in lege pœnali, vbi strictior interpretatio est facienda. Et quia panis extractio obstare non potest grauiter fini à legislatore in hac lege intentio, vtpote quæ annonæ charitatem vix possit inducere, cum difficile sit, in magna quantitate extrahi, ac diù conseruari. Ita Bartholom. *ad leg. Quæ felicis, §. Illud, Digest. de lega. 3.* vbi probat, appellatione materiæ non venire materiatum, hoc est, ex materia confectum. Cui sententiæ fauet *lex sicut lana, Digest. eodem titulo*, dicens, lanæ appellatione non venire lanam netam, seu in filum redactam. Ergo multo minus veniret tela ex lana confecta. Ergo sub nomine frumenti non venit panis ex frumento confectus. Castro Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 30. numero 23.*

589 *Probabilius hoc mihi.* Etsi primam sententiam probabilem satis esse reor, vt probabiliorem defendo secundam. Concedo enim, panem ex frumento confectum interdictum esse, panem inquam confectum ex frumento interdicto. Cum autem frumentum interdictum non sit, dum in statu Ecclesiastico permanet, sed dum ex statu Ecclesiastico ad non Ecclesiasticum defertur: efficitur, panem confectum ex frumento in statu Ecclesiastico permanente, minime prohiberi.

DVBIVM CXLII.

Sub nomine olei, cuius extractio ex statu Ecclesiæ eodem Bulla Vrbani VIII. decreto interdicitur, continenturne oleæ, ex quibus ipsum conficitur?

590 *Continentur quidem.* COntinentur quidem. Quia cum oleæ materia olei sint, illis extractis, oleum extrahi censetur. Sic aliqui, quos presso nomine affert Palao *de Censur. disputation. 3. punct. 30. num. 23. fine.*

591 *Non continentur.* Non continentur. Quia oleæ ab oleo specie differunt. Ergo prohibita olei extractione, non est censenda prohibita olearum extractio. Constitutio enim pœnalis vltra verborum proprietatem non est extendenda. Ita Palao *vbi supra*, & alij.

592 *Auctoris resolutio.* Ego quidem scio, alios vti distinctione asserentes, si oleæ extrahantur ad oleum conficiendum, prohibitam esse earum extractionem: secus si ad comedendum extrahantur. Alios dixisse, si oleæ maturæ sint, & aptæ ad oleum conficiendum, prohiberi earum extractionem: secus si acerbæ sint. Ego vero existimo probabilius, sub hac Censura non comprehendi olearum extractionem, siue maturæ sint, siue acerbæ, siue ad comedendum, siue ad conficiendum oleum extrahantur. Nam in extractione olearum non procedit eadem ratio, ac in olei extractione: oleæ enim difficile in magna quantitate extrahi possunt, & frequenter ad comedendum extrahuntur, raroque ad oleum conficiendum.

CAPVT XVI.

Circa Excommunicationes non reseruatas.

DVBIVM CXLIII.

Excommunicatio Cap. Hanc consuetudinem 10. quæst. 1. *aduersus vsurpantes obligationes intra Ecclesiam factas estne ipso iure lata?*

593 *Quæstionis status.* APite citato Damasus Papa afficit anathemate laicum, qui oblationes intra Ecclesiam factas ab Ecclesia vsurpare, aut detinere præsumit. Sed difficultas est, an hæc excommunicatio ipso iure lata sit, an sit ferenda?

594 *Lata est ipso iure.* Lata est ipso iure. Quia fertur sub verbis temporis præsentis, ibi: *Anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus.* Sic Graffi. *libr. 4. decision. capit. 24. numer. 10.* Memoriale Cleric. *capit. 8. excommunicat. 14.* Barbosa *part. 3. de potestat. Episcop. allegat. 50. numer. 170.* Bonacin. *tom. 3. de Censur. in particul. disputation. secund. quæstion. secund. punct. prim. numer. secund.* alios citans.

595 *Non est ipso iure lata.* Non est iure ipso lata. Quia illa excommunicationis pronunciatio sub verbis præsentis subiunctiui ex se indifferens est ad sententiam latam, & ferendam. Nam præstare potest hunc sensum: Anathema is vinculo sit colligatus, & condemnatus, hoc est, ligetur, & condemnetur. Ita Filliucius *tractatu decimo quarto, numero quadragesimo octauo*, Suarius, & Toletus, quos affert,

affert, ac sequitur Palao *de Cens. d. 3. punct. 31. num. 2.*

Auctor sententiæ confirmat.

Excommunicatio hæc pertinet ad Decretum à Gratiano collectum. At Suarij, ac Toleti sententia nulla excommunicatio ipso iure lata in Decretis cõtinetur, præter eam, quę ob Clerici percussionem incurritur. Præterea (si hęc ratio non admittatur) quotiescumque verba legis pœnalis indifferentia sunt (vt probat secundæ sententiæ fundamentum) & pœnam ipso iure latam excusare possunt, in eo sensu accipi debẽt; quia odia restringi, & fauores conuenit ampliari.

Dvbivm CXLIV.

Deingerẽtes se in Præsules in Vrbibus diuersarum linguarum.

Censura, quæ continetur in Cap. Quoniam, de offic. Ordinar. *aduersus eos, qui in Diœcesibus diuersarum linguarum contra formam ibi præscriptam se gubernatores ingerunt, comprehenditne solos Episcopos?*

Expendo hanc censuram ad quæsitis statũ.

IN præfato *Cap.* Innocentius III. præcipit, vt in Diœcesibus, ad Ciuitatibus, vbi permixti sunt populi diuersarum Nationum, seu linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores à Pontifice illarum Diœcesum, & Ciuitatum designentur viri idonei, qui secundum diuersitatem rituum, & linguarum diuina illis officia celebrent, ac Sacramenta ministrent. Prohibetque omnino, ne vna, eademque Ciuitas seu Diœcesis diuersos Pontifices habeat tanquam vnum corpus diuersa capita quasi monstruum. Sed si vrgens necessitas postulauerit, Pontifex loci Catholicum Præsulem Nationibus illis conformem prouida deliberatione constituat sibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens, & subiectus. *Vnde si quis aliter se ingesserit,* (ait Pontifex) *excommunicationis se nouerit mucrone percussum: etsi nec sic resipuerit ab omni ministerio Ecclesiastico deponendum, adhibito, (si necesse fuerit) brachio sæculari, ad tantam insolentiam reprimendam.* Hãc excommunicationem latam esse ipso iure, nemini dubium esse potest, cum lex non exigat sententiam Iudicis; sed ipsamet sententiam ferat. Gloss. *ibi verb. Percussum.* Quæstio autem voluitur, an aduersus solos Episcopos feratur?

597 Soli Episcopi comprehenduntur.

Soli Episcopi comprehenduntur. Quia id indicant illa verba: *Prohibemus, ne vna & eadem Ciuitas, siue Diœcesis diuersos Pontifices habeat: sed si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit, Pontifex loci Catholicum Præsulem Nationibus illis conformem prouida deliberatione constituat.* Quibus adiicit Pontifex, *si quis aliter se ingesserit,* id est in Præsulis officium. Ergo solis Episcopis, non autem aliis Clericis inferioribus hæc excommunicatio profertur. Sic Nauar. *summ. cap. 27. num. 114.* Memoriale Cleric. *cap. 1. excommunicat. 10.* Barbosa *parte tertia de potest. Episc. alleg. 50. numer. 170.*

498 Non comprehenduntur soli Episcopi.

Non comprehenduntur soli Episcopi, sed etiam quicumque Clerici Præsulatus officium vsurpantes. Quia Innocentius initio illius *Cap.* districte præcipit, vt Pontifices Ciuitatum vel Diœcesum, in quibus populi diuersarum linguarum, rituum, & morum sub eadem fide permisti sunt, *prouideant viros idoneos, qui prædictis diuina officia celebrent, & Sacramenta ministrent.* Non enim dixit, Episcopos, sed *viros idoneos*, qui tales esse possũt, quamuis Episcopi non sint, cum ad diuina officia celebranda, & ministranda Sacramenta, Character Sacerdotalis sufficit. Ita Bonacin. *de cens. in partic. disp. 2. quæst. 4. fine.* Filliuc. *tract. 14. cap. 7. quæst. 2.*

Existimo his hærens, clausulam illam, *si quis aliter se ingesserit,* cum ad omnia in *Cap.* contenta referatur, efficere, vt non solùm aduersus Episcopos præscripta illa non exequentes; sed aduersus eos, qui se in Præsules ingerunt in diuinorum administratione, latam esse censuram. 599 *His hæreo.*

Dvbivm CXLV.

De Sacerdotibus Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis officium habentes.

Excommunicatio lata in Cap. Clericis *prohibente, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis: afficitne omnes Clericos in Sacris constitutos?*

Quæstionis status.

IN *Cap. Clericis, Ne Clerici, vel Monachi,* Alexander sub anathematis intimatione prohibet, ne quis Sacerdos officium Vicecomitis, vel Præpositi sæcularis habeat. *Quod si quis* (ait Pontifex) *contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendari noluerit, excommunicationi subiaceat.* Quæ quidem censura ipso iure lata est. Quia verbum illud *subiaceat* imperatiuum indicat lege ipsa absque Iudicis ministerio delinquentem excommunicatione innodari. Quæsierim autem, an censura hæc omnes Clericos in Sacris constitutos afficiat? 600

Omnes afficit Clericos in Sacris constitutos.

Omnes afficit. Quia *Cap. 1. de cohabitat. Cleric. & mulier.* nomine Sacerdotis Diaconus, & subdiaconus intelligitur. Et licet hæc constitutio pœnalis sit, & ideo ex eo capite restringenda, quia tamen cedit in Ecclesiastici status decorem, non debet verbum illud, *Sacerdotes* stricte sumi. Sic Abbas *hîc, numero octauo* Angel. *verb. Excommunicatio septimo casu decimo octauo.* Syluest. *verb. eodem 9. numer. 28.* Tabie. *ibid. 5. casu 24.* 601

Non eos omnes afficit sed solum Presbyteros.

Non omnes afficit constitutos in Sacris, sed solos Presbyteros. Quia Pontifex duo hoc in *Cap* statuit, alterum contra omnes Clericos in Sacris constitutos, scilicet, ne iudicium sanguinis agitent: alterum aduersus Sacerdotes, ne officium Vicecomitis, vel Præpositi sæcularis exerant. Ita Caiet. *v. Excommunicatio, c. 76.* Henriquez *lib. 14. c. 5. n. 5. lit. Q.* Sayr. *l. 3. thes. c. 32. n. 6.* Suar. *d. 22. sect. 3. n. 21.* Filliuc. *tr. 14. nu. 106.* Bonac. *de Cens. in partic. d. 2. quæst. 4. pun. 5. num. 8.* 602

Hoc longe probabilius

Probabiliorem hanc iudico sententiam. Cui quidem non obest textus in *Cap. 2. de cohabit. Cleric.* 603

Cleric. & mulier. citatus, vbi sub nomine Sacerdotum omnes constituti in Sacris intelliguntur. Quia Pontifex id inibi expressit. *Si quispiam* (ait) *Sacerdotum*, ideſt, *Presbyter, Diaconus, vel sub diaconus.* At cum in præsenti Alexander III nomẽ *Sacerdotis* nõ extenderit ad omnes existentes in Sacris, quin potius cõtrarium indicauerit ex diuerso modo loquẽdi, quo in primo casu & secundo fuit locutus: efficitur, solos Presbyteros, qui in communi vsu Sacerdotes appellantur, comprehendi.

Dvbivm CXLVI.

De Religiosis Leges, vel Medicinã audientibus.

Censuram latam in Cap. Non magnopere *&* Cap. Super Specula. Ne Clerici, vel Monachi. *incurruntne Religiosi è suo Monasterio egressi animo audiendi Leges, vel Medicinam, eas autem non audientes ob impedimentum sibi appositum, si ad Monasterium intra duorum Mensium spatium non redierint*

604 *Quæstionis status.*

IN præfatis *Capitib.* Honorius III. & Alexand. III. excommunicatione afficit Religiosos, qui è suis claustris exierint, ad audiendas Leges, & Physicam, seu Medicinam, intra duos Menses ad claustra non redierint. Necessum est ad hanc censuram incurrendam, Religiosũ è suo Monasterio egredi, intentione præfatas scientias audiendi: & insuper quod intra duorum Mensium spatium non reuertatur. Quod spatium computandum est à die egressus, fante textu: *Exeuntes ad audiendas Leges vel Physicam, nisi infrà duorum Mensium spatium redierint.* Grauis autem est difficultas num hanc incurrant censuram Religiosi è suis Monasteriis egressi animo præfatas scientias audiendi, eas tamen non audientes ob impedimentum sibi appositum, aut prioris voluntatis mutationem, si ad Monasteria intra duorum Mensium spatium non redierint?

605 *Non incurrunt.*

Non incurrunt. Quia non prohibetur exitus propter se, sed propter harum facultatum auditionem. Ergo auditione secluſa, egressus sub hac censura non est prohibitus. Sic D. Antonin. *p. 3. tit. 24. c. 5 2.* citans Ioannem Andreã, & alios. Caiet. *v. Excommunicatio, c. 5 0.* Indicat Filliuc. *tr. 14. n. 127.*

606 *Incurrunt.*

Incurrunt quidem. Quia esto egressus prohibeatur Religioso, ne extra claustra diuagetur occasione has scientias audiendi: at quod de facto prohibetur est egressus eo animo factus absque reditu ad Monasteriũ: alias si auditio harum scientiarũ necessaria esset ad hanc censurã incurrendã, non ab egressu, sed ab auditione, posito egressu, tẽpus duorũ Mensium computandũ foret contra communem sententiam. Ita Suar. *d. 23. sect. 3. num. 14.* alios citans Sanctarel. *de apostat. c. 2. num. 17.* Bonac. *to. 3. de cens. in part. d. 2. q. 8. pun. 7. n. 6.*

607 *Cum his sentio.*

Cum his opinor, addens, si post egressum intra duorum Mensium spatium audire Leges, vel Physicam Religiosus omisit ob mutationem voluntatis antea habitæ, probabilius existimo, eum ab hac excusari censura. Quia posita ea voluntatis mutatione, censendus non est è Monasterio egressus animo audiendi præfatas facultates, cum iam prior volũtas hac mutatione cesset. Sayr. *l. 3. thes. c. 33. n. 4.* Tolet. *l. 1. c. 37. n. 9.*

Dvbivm CXLVII.

Excommunicationem eodem Cap. Super specula. Ne Clerici vel Monachi. *incurritne Religiosus, & Clericus, qui Leges, vel Physicam exaudit priuatim?*

608 *Quæstionis status.*

EO *Cap.* Honorius III. prædictam excommunicationẽ aduersus Religiosos latã extẽdit ad Sacerdotes, Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Ecclesiasticos personatum habentes, qui duorum Mensiũ spatio Leges, vel Physicam addiscunt. Quæsierim vero, an excommunicationem hãc incurrat, qui priuatè has scientias audierit, vti si domi præceptorem haberet, à quo has ediſceret facultates?

609 *Incurrit quidem.*

Incurrit quidem. Quia finis huius prohibitionis est, ne studio harum facultatum studium Theologiæ, quod fidei Catholicæ tuendæ maxime est necessarium diminutionem patiatur: At huic fini non minus obest studium priuatum, quam publicum in Scholis: ergo vtrumque studium sub hac prohibitione continetur. Sic Nauar. *sum. c. 27. n. 117.* Suar. *d. 23. sect. 3. n. 19.* Filliuc. *tr. 14. n. 103.*

610 *Non incurrit.*

Minime incurrit. Quia Honorius excommunicationem antecedenter latam aduersus Religiosos extendit ad Sacerdotes, & alios Clericos personatum habentes. At excommunicatio lata aduersus Religiosos non comprehendit Religiosos his facultatibus priuatim suo in Monasterio vacantes: ergo nec comprehendere debet Clericos qui simili modo eas scientias addiscerent. Ita Bonac. *de cens. in part. d. 2. q. 4. pun. 6. n. 5.* Tolet. *l. 1. c. 37. n. 5.* Ancharran. *ad Cap. Super specula, n. 4.* Calderin. *cons. fin. n. 7. de Magistris.*

611 *Verius hoc esse inquit.*

Verius hoc censeo. Nam ex eo quod studiũ priuatum æque obstet fini à Pontifice intento, ac studium publicum, non infertur, excommunicatione puniri, si de facto sub prohibitione contentum non est. Sicuti non punitur censura studium, quod quis absque Præceptore assumeret. Præterquam quod falsum est, studium priuate assumptum æque obstare huius legis dispositioni, ac studium publicum, & in Scholis habitum. Quia studium priuatum rarum est, ac difficilius: ideoque Pontifex de illo non curauit.

* *
*

Dvbivm CXLVIII.

Excommunicationem latam in Cap. Vbi periculum, *contra eos, qui circa Pontificis electionem Cardinalibus nuncium, vel scripturam mittunt, incurritne qui nuncium, vel scripturam secreto non mittit?*

612 *Quæstionis status.* IN 6. *Decretal. Libro* fertur excommunicatio nemini reseruata *Cap. Vbi periculum, §. Hoc Sacro, de elect. in 6.* contra eos, qui Cardinalibus immittunt nũcium, vel litteras circa sũmi Præsulis electionẽ. Ibi Gregorius X. ad remouenda quælibet obstacula, quæ sincerã Pontificis electionem impedire possunt, ait: *Nulli fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorũ alicui nuncium mittere, vel scripturam. Qui vero contra fecerit scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo eorum secretò loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.* Hæc censura comprehendit solum eos; qui Cardinali alicui in Conclaui assistenti scripturam, vel nuncium immittunt, vel secretò alloquitur. Quæsierim vero, an excõmunicationem incurrat, qui nunciũ, vel scripturam huiusmodi secreto non mittunt?

613 *Non incurritur, nisi secreto fiat.* Nuncius, vel scriptura secreto immitti debet, vt mittens hanc incurrat excõmunicationẽ. Quia nulla est specialis ratio, quare potius in loquutione requiratur secretũ, quam in scriptura, & nuncio. Præterquam quod aduerbium illud, *secretè* positum in fine clausulæ ad omnia antecedentia referri debet. Sic Geminian. Ioan. Andre. & Archidiac. *ad c. Vbi periculũ. Sylueſt. v. Excommunicatio 9. nu. 34.* Angel. *v. Eodem 7. casu 13.* Tabiena *ibid. 5. casu 16.* & alij.

614 *Etiãſi secreto nõ fiat incurrit.* Non debet nuncius, vel scriptura secreto immitti: siue enim secreta, siue publica huiusmodi immissio, excommunicationi subiicitur; de locutione verò sola aduerbium illud *secretè* verificatur. Quia Pontifex non absque mysterio seorsim locutus est de nuncio, & scriptura, eaque nulla apposita restrictione generaliter prohibuit, dicens: *Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel scripturam*; statimque subiungit: *Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo eorum secrete loquendo ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.* Ergo aduerbium illud, *secrete* ad nuncium vel scripturã referendum non est, sed solum ad locutionem. Ita Caiet. *v. Excommunicatio cap. 55.* Bonac. *de cens. in partic. d. 2. q. 2. pun. 3 4. n. 4. n. 4.* Tolet. *l. 1. c. 38. n. 1.* Nauar. *sum. 27. n. 121.* Suar. *d. 23. sect. 4. n. 1.* Sayr. *l. 3. thes. 35. n. 3.* Filliuc. *tr 14. n. 54.*

615 *Hæc probabilior.* Hæc cõmunis sententia est mihi probabilior. Et quidem communicatio per scripturam, vel nuncium ex se secreta est, ideoque opus non fuit huic communicationi eam qualitatem exprimere.

Dvbivm CXLIX.

Hæc excommunicatio afficitne Cardinales recipientes nuncium, vel scripturam, aut cum aliquo secrete colloquentes?

NOn afficit. Quia solum excommunicantur Cardinalibus in Conclaui existentibus scripturam vel nuncium mittentes, vel colloquentes secrete cum eisdem. Ergo mittentes à Cardinalibus distinguũtur, maxime cum in verbis antecedentibus dixerit Pontifex, *Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat.* Ergo personæ extra Conclaue existentes sunt, quæ huic excommunicationi subiiciuntur, non vero qui intra Conclaue existunt. Sic Caiet. *v. Excommunicatio, c. 55.* Bonac. *d. 2. q. 2. pun. 34. n. 6.* Sayr. *libro tertio capite trigesimo quinto numero tertio* Filliuc. *tract. 14. numer. 54.* Suarius *d. 23. sect. 4. num. 2.*

616 *Nõ sufficit.*

Afficit quidem. Quia finis huius censuræ est, sinceritati electionis Pontificiæ prouidere. At huius executio non tam læditur ex immissione nuncij, vel scripturæ, quam ex eorum receptione: Ergo à fortiori Cardinales recipientes, & legentes hac censura innodantur. Sic Theologi non immeriti, quos consului.

617 *Afficit quidem.*

Proculdubio prima sententia tenenda vnice est. Nec enim extendenda lex pœnalis vltra verborum tenorem. Attamen si contigerit, aliquem Cardinalem extra conclaue commorari, verbi gratia, ob impedientem ægritudinem, & nuncium, vel scripturam ad existentes in Conclaui mittere: crediderim huic excommunicationi esse subiectum. Quia nulla est ratio ob quam valeat excusari: si quidem sub generali prohibitione mittendi nuncium, vel scripturam ad existentes in Conclaui comprehendatur.

618 *Primam sententiã vnice tenendã esse reor.*

Dvbivm CL.

Censuram latam Cap. Absolutionis, *contra extorquentes absolutionem, vel reuocationem Censuræ alicuius incurritne qui metum leuem incusserit?*

De extorquentibus vi, vel metũ censuræ absolutionem.

IN sexto Decretaliũ libro *c. Absolutionis, De his, quæ vi, metusve causa sunt.* habetur excõmunicatio aduersus extorquentes absolutionẽ, vel reuocationem cẽsuræ alicuius. Inquit enim Gregorius X. *Absolutionis beneficiũ ac excõmunicationis sẽtentia, vel quãcumq; reuocationẽ ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim, vel metum extortã præsentis constitutionis authoritate omnino viribus euacuamus; ne autem sine vindicta violentiæ crescat audacia, eos, qui absolutionem, seu reuocationem huiusmodi vi, vel metu extor-*

619 *Status quæstionis.*

ferint, excommunicationis sententiæ se hiacere decernimus. Modus itaque extorsionis præstandus est per vim, vel metum iniustè incussum; quia verbum *Extorserint* actionem iniustam indicat. Quæsierim autem, an leuis vis, vel metus sufficiat ad huiusmodi iniustam extorsionem?

620 *Sufficit plane.* Sufficit quidem. Quia aliquem leuis metus poterit afficere ad absolutionem impertiendã, vel reuocationem præstandam: sicut alium grauis metus incussus. Ergo si leuis metus, aut vis sufficit ad id exequendum, sufficiet ad incurrendam excommunicationem. Sic Caiet. *verb. Excommunicatio capit.* 41. Nauarr. *summ. capit.* 27. *numer.* 125 Reginaldus *libro nono numer.* 346.

621 *Non sufficit* Non sufficit. Quia *Metus* absolutè prolatus de graui est intelligendus, non de leui hic enim paruipenditur à iure, ne omnia sint litibus plena. Ita Syluest. *verb. Excommunicatio 9. nu.* 43. Filliuc. *tract.* 14. *numer.* 59. Suar. *disputation.* 23. *sectione 4. n.* 11. Sayrus *lib.* 3. *thes. cap.* 34. *n.* 12. Bonac. *de cens. in partic. disp.* 2. *quæstion.* 2. *pun.* 15. *num.* 2.

622 *Hanc communem sententiam teneo.* Hanc communem sententiam veriorem esse non dubito. Nam absolutio censuræ metu leui extorta valida est, vti Doctores de censur. in communi profitentur. Pontifex autem hoc in *Cap.* loquitur de metu, aut vi, quæ efficit absolutionem viribus euacuari, vt vidimus. Moneo autem quovsque facto absolutio, seu reuocatio censuræ media vi, vel metu obtineatur, non esse locum huic excommunicationi. Quia textus requirit absolutionem, vel reuocationem censuræ extortam esse, hoc est, de facto concessam.

Dvbivm CLI.

Sub sententia excommunicationis, de qua hæc Cap. Absolutionis, *agitur comprehenditurne excommunicatio Minor, ita vt extorquens huius absolutionem, vel reuocationem, excommunicatione Maiori illigetur?*

623 *Comprehenditur.* Comprehenditur plane. Quia excommunicatio minor vera excommunicatio est. Ergo sub nomine illius excommunicationis, cuius absolutionem, vel reuocationem vi, vel metu extorqueri prohibetur in illo capite. comprehenditur. Sic Bonac. *de censur. in partic. disputation.* 2. *quæstion.* 2. *punct.* 15. *numer.* 2. alios citans.

624 *Non comprehenditur.* Minime comprehenditur. Quia excommunicatio absolute prolata pro maiori solummodo supponit. Argum. textus in *Cap. Si quem de sent. excom.* Ita Angel. *v. Excommunicatio 7. nu.* 18. Sylvest. *eodem v. 9. n.* 43. Sayr. *l.* 3. *thes. c.* 34. *n.* 12. Filliuc. *tr.* 14. *n.* 59.

625 *Verius hoc mihi.* Veriorem hanc sententiam esse reor. Quia textus loquitur de sententia excommunicationis, cuius absolutio, vel reuocatio per vim est obtinenda: At cum excommunicatio minor nunquam ab homine iniungatur locus esse nõ potest reuocationi. Et cum illius absolutio à quolibet valeat impendi, nulla est necessitas interponendi vim, aut metum ad illam extorquendam.

Dvbivm CLII.

De Doctoribus, vel Magistris docentes Religiosos audientes Leges, vel Medicinã.

Excommunicatio lata Cap. 2. Vt periculosa, Ne Clerici, vel Monachi in 6. *contra Doctores, & Magistros, qui Religiosos habitu dimisso leges, vel Physicam audientes scienter docent vocabulo Doctoris, & Magistri idemne significatur?*

626 *Quæstionis status.* FAtur Bonifacius VIII. illo *Cap. Doctores autem, seu Magistri, qui Religiosos habitu suo dimisso, leges, vel Physicam audientes scientes docere, aut in Scholis suis præsumpserint retinere simili eo ipso sint sententia* excommunicationis *innodati.* Magistri itaque & Doctores prohibẽtur sub excommunicationis pœna, ne Religiosos, habitu suo dimisso, Leges, vel Physicam audientes scienter edoceant, vel in Scholis suis præsumant retinere. Quæstio autem voluitur, an per duo illa vocabula *Doctores*, & *Magistri* idem significetur.

627 *Non significatur idem.* Non significatur idem, sed nomine *Doctoris* significatur is, qui Doctoratus laureo est insignitus, rametsi non doceat. Quia ei tantum nomen Doctoris communiter applicatur. Nomine autem *Magistri* intelligitur actu docens. Quia textus vtitur dictione disiunctiua, *Doctores, siue Magistri.* Sic Suar. *d.* 23. *sect.* 4. *nu.* 39. & 45. Bonac. *de cens. in partic. d.* 2. *quæstion.* 2. *punct.* 23. *fine.*

628 *Idem vtrumque nomen significatur.* Idem vtroque nomine significatur: nomenque *Magistri* appositum est ad declarandum Doctoris nomen: præstatque hunc sensum. Docentes siue sint insigniti Doctoratus laureo, siue simplices Magistri, si Religiosos habitu dimisso audientes Leges aut Medicinam doceant, excommunicatione innodantur. Quia hac constitutione Pontifex cauere intendit, ne Religiosi studio scientiarum prohibitarum vacantes doceantur, ad cuius finem Doctoratus laureo decoratũ esse nisi Doctoris munus exerceat: ergo solum docentes sub hac constitutione intelliguntur. Ita Glos. *in præsen. v. Retinere.* Nauar. *sum. c.* 27. *nu.* 134. Sanch. *l.* 6. *Decal. cap.* 8. *num.* 66.

629 *Cum his verius opinor.* Cum his verius opinor, Suarij mei venia. Nã qui actu Magister non est, nec docere, nec retinere in suis Scholis Religiosũ potest. Quia non de retentione in materialibus Scholis textus loquitur, vt per se patet: sed de retentione formali scilicet in publicis lectionibus. Præterea quia hæc constitutio pœnalis est: ergo non debet extendi, sed restringi. Certe Sayr. *libr.* 3. *thes. c.* 35. *n.* 5. Tolet. *l.* 1. *c.* 38. *nu.* 21. Richard. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 5. *a.* 11. Palud. *q.* 3. *a.* 3. Angel. *v. Excommunicatio* 7. *casu* 25. & alij communiter solius Doctoris hîc nominis meminere, nullam inter Doctorem & Magistrum distinctionem agnoscentes.

Dvbivm

Dvbivm CLIII.

De sepe. lientibus hæreticos, vel eorum fautores.

Censura lata in Cap. Quicumque, de hæret. in 6. *contra eos, qui scienter præsumunt hæreticos, eorumque defensores sepelire vt incurratur opus ne est, vt hæretici, eorumque defensores sint nominatim denunciati?*

630 *Quæstionis status.*

IN prædicto *Cap.* Alexãder VI. eos excommunicat, qui hæreticos, eorumque fautores audent sepulturæ amandare. Fatur enim Pontifex. *Quicumque hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiastica sepulturæ tradere, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere. Neque absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum: & locus ille perpetua careat sepultura.* Quæstio autem est, an opus sit, ad hanc censuram incurrendam, vt hæretici, eorumque fautores sint nominatim denunciati?

631 *Opus est, vt sint denunciati.*

Opus est vt denunciati sint. Quia post Excommunicatum, qui manifestus Clerici percussor non fuerit, vel non sit nominatim denunciatus. Sic Bonac. *to. 3. de Cens. in partic. d. 2. quæst. 2 punct. 30.* Palao *de Cens. disput. 3. pun. 33. num. 15.* trauag. *Ad euitanda*, non tenemur vitare ex-

632 *Nō est opus.*

Non est opus, vt nominatim denunciati sint. Quia hæc excommunicatio non incurritur ob communicationem cum hæretico, quatenus fuit excommunicatus: sed quatenus hæreticus fuit, & in hæresi decessit. Vnde non est attendenda publicatio excommunicationis, sed finalis in hæresi, & manifesta impœnitentia. Ita nonnulli, nec improbabiliter.

633 *Hæc sentẽtia mihi lõgè verior.*

Ego quidẽ, licet alicui hæc sententia verior videatur, Bonacinæ subscribo, ob illam Extrauag. quæ eximit ab obligatione vitandi quemlibet non solum ob censuram, sed ob quamlibet sententiam à iure, vel ab homine. Porro absolutio ab hac censura præstanda non est, quousque delinquens corpus sepultum publice extumulet. Quod intelligo, si publice fuerit tumulatum: vt satisfactio delicto respondeat. Nam si secreto fuit sepulturæ traditum secreto erit exhumandum. Publice autem, vel secretò, dummodo cadauer illud aliis fidelium ossibus discerni valeat. Sayrus *libro tertio thesau. capite trigesimo quinto numero sexto.*

Dvbivm CLIV.

Censuram latam in Cap. Pro humani 1. de homic. in 6. *contra eos, qui per assassinum aliquem Christianum fecerint interfici: incurruntne qui aliquem pecunia inducunt, vt officium assumat alium interficiendi?*

HAc excommunicatione percutiuntur, qui per assassimum aliquem Christianum fecerint, vel mandauerint interimi, tametsi mors non sequatur. Quæsierim autem, num hanc censurã incurrant, qui pecunia inducunt aliquẽ ad Christicolam occidendum? 634 *Quæstionis status.*

Incurrunt quidem. Quia nomine *Assassini* intelligitur ille, qui pecunia inductus officium assumit aliquem occidendi. Sic Sayr. *l. 3. thes. c. 34. num. 22.* 635 *Incurrunt.*

Non incurrunt. Quia nomine *Assassini* intelligiuntur quidam infideles Principibus Christicolis subiecti & hoc crudele officium homine interficiendi assumentes. Quod quidẽ manifeste indicant illa verba textus: *Ab eorundẽ Assassinorum domino impetrare, & ille tanquam Christianæ Religionis amulus, &c.* Neque est verosimile, Pontificem ipsos Assassinos ab excommunicatione liberaturum, si excommunicationi subiici possent. Ita Tolet. *lib. 5. capit. 38. num. 25.* Bonacin. *de Censur. in partic. disputat. 2. q. 2. punct. 3. numero secundo* Filliuc. *tractat. 14. numer. 63.* Suarius *disputation. 23. sectione quarta numer. 47.* Couar. *libro secundo variar. capite vigesimo nono numero nono.* Nauarr. *summ. capit. 27. num. 136.* 636 *Non incurrunt.*

Hanc sententiam longe probabiliorem esse credo. Si primæ autem hæreas, cogeris affirmare huic excommunicationi fæpe esse locum, cum plures, vt seruitatem habeant, homicidas conducunt ad inimicum interficiendum. Excommunicationem itaque incurret faciens interfici Christianum Catholicum (non hæreticum) per assassinum, vel de interfectione mandatum præstans, tametsi ex eo mandato forsan mors non sequatur. Item in eam incidet qui assassinos receptauerit, defenderit, vel occultauerit. Quod intellige, postquam perpetrauerint necem, vel mandatum de ea perpetranda acceperint. Nam si mandans ob solum mandatum huic excõmunicationi subiicitur: receptor, vel defensor mandatarij eidem subiici debet. 637 *Hoc longe probabilius.*

Dvbivm CLV.

Excommunicantur in Clement. 1. Religiosi, de Decimis, *Religiosi, vsurpantes Decimas, si intra duos menses damnificatis Ecclesiis emendam non fecerint: Terminus duorum mensium computandus ne est à die vsurpationis?* De Religiosis decimas vsurpantibus & non satisfaciẽtibus.

CLemens V. in hac Clement. Religiosos, qui sibi noualia, hoc est agros, quorum culturæ memoria non extat aut alias decimas Ecclesiis debitas appropriare, vel vsurpare præsumpserint: vel suis familiaribus, pastoribus, aut colonis decimarum solutionem non permiserint, aut prohibuerint, ab officio, & beneficio suspendit. Quod si Religiosi administrationes vel beneficia non habuerint, excommunicationi subiicit. Porro, vt huic Censuræ sit locus, non sufficit 638 *Quæstionis status.*

appropriare, vel vsurpare decimas, sed insuper requiritur, vt infra duos menses damnificatis Ecclesiis emenda non fiat. Quæstio igitur est, num terminus duorum mensium computandus sit à die vsurpationis, vel appropriationis decimarum an à requisitionis die?

639 *A die vsurpationis mẽses computandi.* Non à die requisitionis, sed à die vsurpationis. Quia admonitio non coniungitur vsurpationi, sed solum non permissioni, seu prohibitioni. Sic Sayr. *libr. 3. thesau. capit. 34. numer. 24.* Bonacin. *hîc, disputation. 2. quæstion. 8. punct. 12. num. 5.*

640 *Nõ computandi à die vsurpationis.* A die requisitionis, non à die vsurpationis computandi sunt. Quia illa verba, *Post monitionem* posita in principio clausulæ ad omnia in ea clausula cõtenta referũtur. Neque est vlla ratio, ob quam potius non permissioni, seu prohibitioni annectatur, quam vsurpationi: cum tam non prohibitio, quam vsurpatio sub eadem periodo contineatur. Ita Glos. *ad hanc Clement. V. Duos menses.* Cardin. *ibi, num. 24.* Alterius *de suspens. disputation. 17. capit. 2. vers. 6.* Suar. *de Censur. disputation. 31. section. 6. numer 9.*

641 *Hoc teneo, & expono.* Profecto omnes conueniunt in prohibitione, seu non permissione solutionis decimarum seruis, familiaribus, colonis, vel pastoribus facta, computandum esse tempus duorum mensium à die, quo sunt Religiosi illi à parte requisiti, vt à præfato impedimento cessent. Quia sic expresse à Pontifice decisum est, vt constat ex illis verbis: *Nisi post requisitionem per eos, quorum intererit, super hoc factam, à promissis destiterint infrà mensem.* At quoad appropriationem, vel vsurpationem decimarum probabilius existimo, computandum esse illud tempus ab eodem die requisitionis, vel admonitionis. Nam cũ hæc explicatio legẽ pœnalem restringat, sustinenda est, alia vero, quæ illam ampliat, repellenda.

De queisdã falsam doctrinã circa Eucharistiæ receptionẽ proferentibus.

DVBIVM CLVI.

Decretum Tridentini sess 13. can. 11. *ligatne existentes in Anglia, aliisque partibus, vbi Concilium non est receptum?*

642 *Status quæstionis.* EXcommunicationem fert Tridentinum *ipso facto* contra eos, qui præsumpserint prædicare, vel pertinaciter asserere, vel publicè disputando defendere, non esse necessarium iis, quos conscientia peccati lethalis grauat, habita confessoris copia, prætermittere Sacramentalem Confessionem Communioni recipiendæ. Dubitatur, num hoc decretum liget existentes in Anglia, aliisque partibus, vbi Concilium receptum non est?

643 *Ligat quidem.* Ligat equidem. Quia hoc decretum continet doctrinam ad fidem pertinentem, Sic Suar. *disputat. 23. section. 7. numer. 5.* Filliuc. *tractat. 14. num. 84.*

644 *Non ligat.* Non ligat. Quia decreta pœnalia, & præceptiua non ligant existentes in eis Prouinciis, vbi Concilium publicatum, ac receptum non est. Ita Bonacin. *tomo tertio de Censur. in partic. disputatione secunda quæstione secunda punct. 14. fine.* Castro Palao *de cens. disput. 3. punt. 36. num. 2.*

Ego autem secundum rationem, qua Suarius, & Filliucius nituntur non est dubium, omnes comprehendere: cũ ea, quę ad fidẽ pertinẽt, sint omnibus cõmunia. Ast quatenus transgressoribus huius decreti pœnam excommunicationis imponitur, existimo eos non comprehendere, ob secundæ sententiæ fundamentum. Omnes igitur vbique terrarum tenentur hoc sentire & obseruare, quod Concilium præscribit, sed solummodo excommunicationem incurrẽt transgressores iis in terris, vbi Concilium fuerit receptum. 645 *Auctoris placitum.*

De cogẽte fœminã ad Regulare vitam.

DVBIVM CLVII.

An excommunicationem latam à Tridentino sess. 25. c. 18. *aduersus cogentes fœminam ad Religiosam vitam, Reges, ac Reginæ incurrant?*

646 *Incurrunt plane.* INcurrunt plane. Quia Concilium vniuersas ac singulas cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, sæculares, quã Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgẽtes excõmunicationi subiicit. At sub hisce verbis omnes nemine dempto comprehenduntur: Ergo Reges, & Reginæ. Sic Suarius *disputatione vigesima tertia sect. 7. num. 8.*

647 *Non incurrunt.* Minime incurrunt. Quia oportebat horum expressam fieri mentionem iuxta ipsum Trident. *sess. 22. cap. 11.* Ita Sanchez *libro quarto Decalog. capit. 4. numer. 2.* Bonacin. *disputation. 2. quæst. 2. punct. 2. num 14.* Palao *disput. 3. punct. 36. num. 8.*

648 *Hæc mihi magis placet sententia.* Hæc mihi magis placet opinio. Nec enim Ecclesia assolet Reges in decretis communibus pœnam continentibus, nisi facta speciali mentione, comprehendere.

DVBIVM CLVIII.

Hoc Tridentini decretum comprehenditne parentes fœminæ illius, quæ ad Religionem cogitur?

649 *Non comprehendit.* NOn comprehendit. Quia non est verisimile, Pontificem hos excommunicatione punire ob coactionem quæ in commodum filiarum censenda est fieri, cum ipsis parentibus iure naturali competat vitæ, saluti, & incolumitati consulere, à qua obligatione non sunt censendi deficere. Sic nonnulli Doctores, quos tacito nomine refert Azor. *parte secunda libro secundo capit. 22. quæstion. 15.* queis ipse assentire videtur Barbosa *in remiss. Concilij. cap. 19.*

650 *Comprehendit quidem.* Comprehendit quidem. Quia hæc excommunicatio non tam lata est in puellarum fauorem, quam in libertatem Religionis, quæ

quæ potius à parentibus, quam ab aliis lædi poteſt. Ita Palao *de Cenſur. diſputatione tertia, punctо trigeſimo ſexto, numero octauo*, aſſerens hanc ſententiam communiter ab omnibus Doctoribus edoceri.

651 *Subſcribo.* Ego ſubſcribo iudicans parentem qui ad Regularem vitam filias cogit non tam earum vitæ ſaluti, & incolumitati conſulere: quam earum non ſemel exitium æternum procurare.

Dvbivm CLIX.

Qui cogit fœminam Monaſterium ingredi, non vt ibi profiteatur, ſed vt educetur, & de ſtatu aſſumendo deliberet, afficiturne hac excommunicatione?

652 *Quæſtionis ſtatus.* SCio, præſtandam eſſe coactionem, vel ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad profeſſionem emittendam. Ex quibus textus verbis controuerſia eſt inter Doctores, an ſi quis cogat fœminam Monaſterium ingredi, non vt ibi profiteatur, ſed vt educetur, & de ſtatu aſſumendo deliberet, hac Cenſura afficiatur?

653 *Non afficitur.* Non afficitur. Quia Concilium in hoc decreto libertati ſtatus Religioſi conſulere intendit, qui finis non læditur, cum fœmina non ad Religioſum ſtatum aſſumendum cogitur. Sic Manuel. *tomo ſecundo, ſummæ capite octauo, concluſione quinta, numero decimo.* Bonacina *de Cenſur. in particul. diſputatione ſecunda, quæſtione ſecunda, punctо ſecundo, numero ſexto.*

654 *Afficitur plane.* Afficitur plane. Quia Concilium diſiunctiue loquitur de ingreſſu, de ſuſceptione habitus, & de profeſſione. At cogens fœminam Monaſterium ingredi, vt ibi educetur: etſi habitum non ſuſcipiat, nec profeſſionem emittat, vere cogit ad Monaſterij ingreſſum. Ergo hac Cenſura afficitur. Ita Nauarr. *libro quinto, Conſil. titul. de ſentent. excommunicat. conſil. 56. per totum.* Suarius *tomo quinto, diſputatione vigeſima tertia, ſectione ſeptima, numero nono.* Zerola *praxi Epiſcop. parte ſecunda, verbo Moniales, verſicul. decim. tert.* Barboſa *in remiſ. Concil. hic, & de poteſtat. Epiſcop. parte tertia, allegatione quinquageſima, numero 174.*

655 *Hanc ſententiam.* Hanc ſententiam, quam veram eſſe puto, tempero cum Sancio *libro quarto, Decalogi capite quarto, numero duodecimo.* Vt intelligatur de ingreſſu in Monaſterium animo principali, vt poſtmodum fœmina habitum induat. Quia coactio ad ingreſſum ſub ea intentione præſtita ſtatus Religioſi obeſt libertati, ſecus vero ſi is animus abſit.

* *
*

Dvbivm CLX.

Sub Gregorij XIII. conſtitutione prohibente, ne Clerici tautorum agitationi interſint, includunturne Religioſi, qui nullo Ordine ſunt inſigniti?

656 *Includuntur.* INcluduntur. Quia quilibet Religioſus, Clericus Regularis nuncupatur. Et quia Clemens VIII. in ſuo decreto die 13. Ianuarij anno 1596. edito ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis (vbi aufert omnes excommunicationes in litteris Pij V. & Gregorij XIII. contentas, quoad omnes in illis expreſſos in Regnis Hiſpaniarum duntaxat) excipit Monachos, & Fratres Mendicantes, cæteroſque cuiuſcumque Ordinis, & inſtituti Regularis. In qua quidem exceptione non vſus fuit nomine Clerici, ſed abſolute dixit, *Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæteriſque cuiuſcumque Ordinis, & inſtituti Regularibus exceptis.* At ſub nomine Monachi, Fratris, & Regularis continetur Religioſus, etſi nullo ordine inſignitus ſit. Sic Manuel *tomo tertio, quæſtionum Regularium, quæſtione ſexageſima octaua, articulo ſecundo*, Nauarra *libro ſecundo, de reſtitut. capite tertio, numero 306.* Bonacina *hic, diſputatione 2. quæſtione 4. punctо 7. numero 7.* & alii.

657 *Non includuntur.* Non includuntur. Quia textus prohibitionem indicens, nomine Clericorum Regularium vſus eſt. At licet in decreto fauorabili ſub nomine *Clerici* comprehenduntur Religioſi, non tamen in decreto pœnali, & odioſo, quod debet reſtringi. Ita Villalob. *tractat. 12. difficult. 20. numer. 16.* Palao *de Cenſur. diſputat. 3. punct. 37. num. 22.*

658 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam ſi Pontifex vellet omnes Regulares comprehendere, vt quid illam particulam *Clerici* addidit? A pertius enim ſuam intentionem exprimeret, illa dictione omiſſa, & ſolum ſcribens, *Regulares.* Nec obeſſe video Clementis VIII. decretum. Quia illud non inducit nouam obligationem, ſed quæ lata erat conſtitutione Pii, & Gregorii aduerſus Religioſos ſuo in robore reliquit.

Dvbivm CLXI.

Extra Hiſpaniarum Regna an interdicta ſit aſsiſtentia taurorum agitationi beneficiario cuilibet, etiamſi exiguos reditus habeat?

659 *Quæſtionis ſtatus.* COnſtat ex Bulla Pii V. edita Kalend. Nouemb. anno 1567. quæ incipit, *De ſalute gregis*, & ex Bulla Gregorii XIII. edita die 25. Auguſti anno 1575. Bullam Pii temperante, omnes, & ſingulos, qui beneficium Eccleſiaſtinum habuerint, vel ſacris fuerint initiati, aſſiſtentiam agitationi taurorum prohiberi ſub excommunicationis pœna. Quæſierim vero an ſufficiat beneficium quodli-

bet habere, etiamsi exiguos reddat fructus?

660 *Nō sufficit.* Non sufficit. Quia huiusmodi beneficium, quasi non esset beneficium reputatur. Sic Auila *de Censur. parte secunda, capite quinta, disputatione prima, dubio quarto, conclusione septima.*

661 *Sufficit plane.* Sufficit plane. Quia beneficium exiguorum redditnum verum beneficium est. Et licet sufficiens non sit ad inducendam obligationem pensum horarum singulis diebus recitandi: non inde inferri potest, insufficiens esse ad obligandum, ne his spectaculis beneficiarius assistat. Quia recitatio Horarum est beneficiarij munus, ob cuius exercitium ex fructibus beneficij alitur: beneficium enim datur propter officium. Si igitur beneficii fructus exigui sint, scilicet, ad beneficiarium alendum insufficientes: insufficiens etiam erit beneficium ad obligandum ad continuam Horarum recitationem. Quæ ratio nullatenus procedit in prohibitione assistendi hisce spectaculis, quæ solum ob indecentiam status Clericalis indicitur. Ita Bonacina *hic, disputatione secunda, quæstione quarta, puncto septimo, numero quinto*, Palao *de Censur. disputat. 3. punct. 27. num. 22.*

662 *Hoc verius esse credo.* Hoc verius esse crediderim. Nam quodlibet beneficium quantumuis exiguum, sufficit, vt beneficiarius fori priuilegio gaudeat, vt omnes fatentur: ergo etiam sufficiens erit, vt beneficiarius spectaculis indecentibus priuetur. Quia vtrumque, scilicet, priuilegium, & prohibitio ob eandem causam, nempe ob decentiam Clericalis status indicitur.

LIBER LI.

SVSPENSIO.

SVSPENSIO *propriè* Incertitudinem *significat, sed ex Iuris Canonici interpretatione translata est, ad signandam priuationem cuiusvis actionis, & officij*, Clement. Cupientes, verb. Suspensio, de pœnis. *Hæc tamen acceptio latissima est, communis scilicet tam actibus sæcularibus, quàm Ecclesiasticis. Strictiùs sumitur pro exercitij spiritualis, vel spiritualibus annexi prohibitione.* Cap. Quæsitum. Cap. final. de cohabit. Cleric. & mulier. *In præsenti Suspensio non ita latè sumitur, sed pro exercitij potestaticæ prohibitione. Expendam igitur quid sit, & quotuplex, eius causas, & effectus, eius durationem, & absolutionem, pacificus quidem, & pugnax.*

SECTIO PRIMA.

De Suspensione Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Suspensionis Definitione, ac Diuisione.

1 *Quid Suspensio?*

SVSPENSIO est *Censura Ecclesiastica priuans Clericum vsu Ecclesiastici Officij, aut beneficij, vel Ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus.* Hinc colligo, Suspensionem esse *Censuram*, hoc enim est commune ipsi cum Excommunicatione, & Interdicto: & quidem *Ecclesiasticam*, vt distinguatur à prohibitionibus ciuilibus, & vt indicetur causa efficiens Suspensionis, quæ est persona Ecclesiastica, habens in foro externo iurisdictionem. Præterea indicatur subiectum huius Censuræ hoc est, homo saltem Clericus, habens scilicet primam tonsuram. Adiicitur, *Priuans vsu*, ad signandum, non priuare ipso officio, verbi gratiâ, Ordine, vel iurisdictione, sed tantum exercitio. Filliucius *tract. 17. num. 5.* Coninch *disputation. 15. dub. 11.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 151.* Valent. *tom. 4. disputation. 7. quæstion. 18. punct. 1.* Sayr. *de Censur. libro quarto, capite primo, numero decimo tertio.*

2 *Quotuplex Suspensio.*

Alia Suspensio est ab officio tantum; & per officium intelligitur tam officium Ordinis, quam iurisdictionis Ecclesiasticæ. Alia est à beneficio tantum, & per beneficii nomen veniunt dignitates Canonicatus, beneficia siue curata, siue simplicia, & alia huiusmodi. Alia est ab officio, & beneficio simul. Porro illa quæ est ab officio tantum, aliquando est à toto officio, quando scilicet quis priuatur omni sui officii vsu: aliquando à parte, vt Sacerdotio, aut Diaconatu, aut alio inferiori. Præterea Suspensio alia est pœnalis, alia medicinalis: pœnalis fertur in delicti præteriti vindictam, quæ quidem non fertur per modum Censuræ, sed solius pœnæ. Medicinalis vero est illa, qua intenditur emendatio, ac bonum delinquentis. Denique alia Suspensio est temporalis, alia perpetua. Alia est à iure, alia ab homine. Toletus *libr. 1. cap. 15.* Manuel *tom. 2. summ. cap. 79.* Filliucius *tractat. 17. numer. 7.* Reginaldus *libro 2. numero 6.* Nauarr. *summ. capit. 27. numer. 174.*

3 *Differt in multis ab aliis Censuris.*

Suspensio ab aliis Censuris differt. Primò, quia excommunicatio nunquam nisi per absolutionem tollitur: Suspensio tollitur aliquando. Secundò, excommunicatio nunquam fertur nisi adsit contumacia: Suspensio nonnunquam iu-

in pœnam delicti etiam sine contumacia expenditur. Tertiò, excommunicatio omnis Sacramentorum prohibet susceptionem, & collationem: at non omnis suspensio susceptionem vetat, nisi quando est à susceptione Sacramentorum, nec collationem, nisi quando est ab officio, vel ordine, aut collatione Sacramentorum. Quartò, excommunicationem à iure contrahunt Episcopi, etiamsi expressa eorum mentio non fiat: suspensio vero à iure non nisi facta eorum expressa mentione. Quintò differt ab interdicto, tum quia suspensio non inducit priuationem tot, nec tam grauium rerum sicut interdictum: tum quia interdictum magis priuat vsu passiuo, quam actiuo: tum quia suspensio fertur in Ecclesiasticas personas: interdictum vero tam in laicos, quàm in Clericos fulminatur. Sextò, differt suspensio ab irregularitate, quia hæc priuat Susceptione Ordinis, vt Ordo est: suspensio vero priuat exercitio Ordinis, vel beneficij, seu potestatis Ecclesiæ, vt est quædam functio. Toletus *libr. 1. capit. 46. numer. 6.* Bonacina *de Censur. tom. 1. disputation. 3. punct. 1. numer. 3.*

CAPVT II.

De Suspensionis Causis.

4 *Causa efficiens Suspensionis.*

FERENDI Suspensionem potestas est à Christo Domino, institutio verò ab Ecclesia, cuius initium fuit Apostolorum tempore. tempore autem procedente, fuit ad certam formam redacta. Verum ille potest suspendere, qui excommunicare potest. Quia eadem est potestas ad vtramque Censuram requisita. Ordinaria quidem est in Episcopis, & huiusmodi Prælatis, delegata potestin aliis Clericis adesse. Sylaest. *verb. Suspensio, numer. 2.* Angel. *verb. Suspensio 2. §. 3.* Toletus *libro 1. capite 44.*

5 *Causa materialis remota.*

Causa subiectiua, seu materialis remota est is, qui potest suspendi, nempe solus Clericus. Quia omnis suspensio, aut est ab officio, aut à beneficio: at officium, & beneficium est Clerici proprium: ergo solus Clericus potest suspendi. Verum omnes Clerici tam Episcopi, quam Cardinales, excepto Summo Præsule, huius sunt Censuræ capaces; sed tamen Episcopi suspensionem generaliter à iure latam non incurrunt, nisi specialis de eis mentio fiat. Communitas autem etiam suspendi potest, quia est capax culpæ, sicut quælibet humana congregatio: quatenus scilicet est vnum corpus politicum habens propria bona, & proprias actiones ita ad eam pertinentes, vt non ad singulas per se pertineant: vel etiam ratione singulorum de communitate. Suarius *de Censur. disputation. 28. section. 1. & 2.* Toletus *libr. 1. capit. 46. numer. 2.* Filliucius *tractat. 27. numer. 58. & 59.*

6 *Causa materialis proxima.*

Causa materialis proxima est peccatum, ob quod suspensio fertur. Et quidem si grauis sit, requirit mortale peccatum: si leuis, potest etiam pro culpa veniali ferri; in iure autem communiter grauis est, & semper culpam grauem supponit. Suspensio vero late sumpta pro quacumque prohibitione vtendi aliqua facultate potest ferri sine suspensi culpa, sed non sine causa. Caietan. *verb. Suspensio.* Filliucius *tractat. 27. numer. 62. & 63.* Toletus *libr. 1. capit. 46. numer. 4.* Suarius *disp. 28. sect. 4.* Nauarr. *sum. c. 27. num. 159.*

7 *Causa formalis.*

Forma suspensionis non est à iure determinata, sed multis potest exprimi modis ille suspensionis actus ipso facto incurrendæ. Suspensio ab homine, quando est Censura lata ob contumaciam, requirit prinsquam feratur præuiam admonitionem: si vero tantum in pœnam delicti, non requirit monitionem. In ipsa vero ferenda requiruntur verba determinata, quæ suspensionis speciem eiusque effectum significent; hæc vero verba debent scripto proferri ex Ecclesiæ præcepto, quamuis de essentia non sint. Sylvest. *verb. Suspensio, num. 4.* Filliucius *tractat. 27. numer. 65.* Tolet. *lib. 1. c. 46. num 8. & 9.*

8 *Causa finalis.*

Finis denique Suspensionis est idem qui & excommunicationis, nempe Clerici vtilitas. Ecclesia enim animarum salutem intendit, quando corrigit, & castigat. Tolet. *l. 1. c. 46. n. 11.* & omnes.

CAPVT III.

De Suspensionis effectibus.

9 *Primus effectus suspensionis, circa peccatum.*

QVINQVE sunt Suspensionis effectus. Primus, Suspensus delinquit lethaliter ex suo genere exercendo actum, à quo est suspensus. Quia violans Ecclesiasticum præceptum in re graui mortaliter peccat; licet ex paruitate materiæ fieri possit, vt à lethali excusetur. Tolet. *libr 1. capit. 46. numer. 11.* Suarius *disputation. 27. section. 2.* Reginaldus *libr. 32. numer. 51.* Nauarr. *summ. capit. 27. numero 163.*

10 *Secundus circa regularitatem.*

Secundus, Suspensus ab Ordine, vel ab aliquo Suspensionem Ordinis includente, non solum peccat, si actum talis Ordinis exerceat, sed etiam fit irregularis, maxime si sit maioris Ordinis exercitium, à quo est suspensus. Quod verum est, non solum quando suspensio perpetua violatur, quæ est propriè Censura; sed etiam quando violatur suspensio, quæ est pura pœna, & quæ ad determinatum tempus est lata. Vnde suspensus ab Ordine irregularis efficitur, benedicendo aquam, ceras, nuptias, ac mulierem post partum. Item suspensus ab ingressu Ecclesiæ, irregularis efficitur, celebrando in Ecclesia. Præterea Episcopus suspensus à pontificalibus, irregularis fit, gerendo actus, qui soli Episcopo post consecrationem conueniunt. Cæterùm suspensus à diuinis officiis irregularitatis vinculo illigatur, quoties illa persoluit ex officio, tanquam Sacro Ordine initiatus.

Suspen-

Suspensus tamen à Sacramentorum susceptione, non incidit in irregularitatem illa suscipiẽdo. Similiter suspensus à beneficio non efficitur irregularis fructus beneficij recipiendo. Quia non violat Censuram per Sacri Ordinis exercitium. Toletus *lib. 1. cap 45.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 163.* Bonacin. *de Censur. disp. 3. pun. 4. num. 6.* Valentia *tom. 4. disputation. 7. quæst. 18. punct. 1.*

11 *Tertius circa communicationem cum aliis.*

Tertius, Suspensus priuatur communione illorum in eo, in quo est suspensus: itavt peccet communicando cum aliis, & peccet etiam qui in tali actu cum eo communicat. Quod si actus suspensionis non pertineat ad diuina, ideſt, ad Ordinem aliquem, non est mortale, sed veniale ex parte participantis, cum eo communicare; quod intelligo de suspenso nominatim denunciato, quia cooperans, & communicans cum suspenso tolerato, seu nondũ denunciato in iis actibus iurisdictionis, & officij, à quibus est suspensus, mortaliter non delinquit. Toletus *lib. 1. cap. 45. num. 4.* Suarius *disputation. 27. section. 2. num. 7.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 162.* Henriq. *l. 13. c. 33.*

12 *Quartus circa actum iurisdictionis nominatim.*

Quartus, Acta iurisdictionis propriæ per suspensum à iurisdictione, vel ab officio, nominatim denunciatum, sunt inualida, nisi adsit titulus coloratus, & error communis. Secus dixerim de actis per suspensum, qui non est nominatim denunciatus: valida enim sunt, quia ei non adimitur iurisdictio. Actus etiam Ordinis, qui non requirunt iurisdictionem ad sui valorem, validi sunt, vt consecrare, confirmare, benedicere altaria, &c. Suarius *disputation. 25. section. 2. numer. 2.* Filliucius *tractat. 17. capit. 10. quæst. 3.* Henriquez *lib. 13. cap. 33. num. 1.* Sayr. *de suspens. c. 11. n. 15.*

13 *Quintus circa suspensum absolute prohibens, quæ omnibus suspendit.*

Quintus, Suspensio lata absolute absque limitatione expressa, vel tacita suspendit absolute ab omnibus, ideſt, ab officio, & beneficio. Quia verba accipienda sunt provt sonant, suspensio vero lata cum expressione alicuius particularis effectus, extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ sunt illi annexa, & non ad alia. Quia Censura efficit, quod significat, nec aliter, quàm significat, operatur. Quare suspensus à celebratione, potest reliqua Sacerdotis munia præstare. Suarius *disputation. 25. section. 7.* Toletus *libr. 1. capit. 43.* Sayrus *libro 4. capite 3. & 4.* Vgolinus *tab. 4. capit. 14.* Nauarr. *summæ capite decimo septimo, numero 160.*

CAPVT IV.

Nonnullas ex quinque præfatis suspensionis effectibus illationes deduco.

14 *Vera suspensionem Ordine.*

AB *Ordine* suspensus, non ob id suspensus est à iurisdictione. Nec è contra suspensus à iurisdictione, ob id suspensus censendus est ab Ordine. Quia hæc duo sunt inuicem distincta, & vnum ab altero non pendet. Vnde suspensus à Pontificalibus tantum, solum suspenditur ab exercitio eorum, quæ vsum Ordinis Episcopatus concernunt, qualia sunt confirmare, Ordines conferre, Ecclesias consecrare: non tamen ab iis, quæ iurisdictionis sunt, vt conferre beneficia, excommunicare, &c. Nomine *Pontificalium* intelliguntur Pontificia insignia, vt vsus mitræ, baculi, & pallij. Similiter suspensus à Pontificali Ordine, non ob id suspensus est à Sacerdotio, nec ab aliis Ordinibus. Quia Pontificalia non spectant ad alicuius Ordinis Ecclesiastici substantiam. Suspensus vero à minori Ordine, suspenditur etiã à maiori: verbi gratiâ, suspensus à Diaconatu, in Sacerdotio suspensus agnoscitur. Et similiter suspensus ab vno Ordine, non potest ad maiores ascendere. Quia per saltum promotus videretur, Suspensus autem à Superiori, non censetur suspensus ab inferiori. Quia inferior in Superiori non fundatur. Nauarr. *summ. cap. 27. num. 160.* Suarius *disputation. 26. section. 4.* Filliucius *tractat. 17. cap. 2. quæstion. 4.* Toletus *lib. 1. cap 43. num. 2.* Couarruuias *in rubric. de hom. 1. part. relect. §. 1.* Reginaldus *lib. 32. num. 15.* Henriquez *libr. 13. cap 32. num. 12.* Addo ex Caietan *verb. Suspensio.* Suspensum ab Ordine, esse etiam suspensum ab iis iurisdictionis actibus, qui sunt connexi, ac fundati in Ordine, vt est, in foro pœnitentiali absoluere; non autem ab iis, qui connexi non sunt.

15 *Circa suspensum ab officio.*

Suspensus simpliciter ab *Officio*, nulla addita limitatione, intelligitur suspensus ab officio, non tantum Ordinis, sed etiam iurisdictionis, ideſt, à potestate Ecclesiastica, quæ illi competit ratione Ordinis, vel iurisdictionis. Quia vsus Ordinis, & iurisdictionis competit ratione officij absolute prolati. Imo neque potest Ordines recipere. Suarius *disputation. 26. section. 1.* Filliucius *tractat. 17. num. 15.* Toletus *libr. 1. cap. 43. num. 6.* Non vero intelligitur à beneficio suspensus. Quia cum aliquando suspensio fiat ab officio, aliquando ab officio, & beneficio, superfluè adderetur secunda pars, si in prima includeretur. Sayrus *lib. 4. cap. 5. num. 16.* Nauarr. *summ. capit. 27. numer. 160.* Henriquez *libr. 13. capit. 32.* Filliucius *tractat. 17. numer. 21. & 41.*

16 *Circa suspensum ab Ecclesiæ ingressu.*

Suspensus ab *Ecclesiæ ingressu*, priuat in primis ab actu solemni cuiuscumque Ordinis, & ex officio intra Ecclesiam. Quia ex quo interdicitur Ecclesiæ ingressus tanquam rei principalis, censentur interdicta omnia diuina tanquam consequentia. Non tamen priuat potestate exercendi iurisdictionalia, aut eligendi, aut celebrandi extra Ecclesiam, aut orandi in eo tempore, quo ibi diuina non celebrantur: aut tunc transeundi per eam, aut Ecclesiastica Sacramenta percipiendi. Deinde priuat sepultura Ecclesiastica, dummodo impœnitens ille decesserit: si tamen sic sepeliretur, non polluereturEcclesia. Nauarr. *summ. cap. 25. numer. 75. & cap. 27. num. 170.* Filliucius *tractat. 17. num. 32.* Toletus *lib. 1. cap. 43. num. 8.* Sylvest. *verbo Suspensio, numer. 5.* Angel. *verb. Suspensio 3. numer. 5.*

17 *Circa suspensum ab administratione Ecclesiæ.*

Suspensio ab *administratione Ecclesiæ* in temporalibus, & spiritualibus, prohibet administrationem temporalem, & spiritualem: non vero suspendit ab Ordine. Vnde Sacerdos ita suspensus non fit irregularis Missam celebrando:

do: peccabit tamen conferendo beneficia, vel administrando Sacramenta. Quia hæc est actio pertinens ad iurisdictionem, seu administrationem spiritualem. Toletus *lib. 1. cap. 43. num. 12.* Sylvest. *verb. Suspensio, quæstion. 5.* Sayrus *libr. 4. cap. 7. num. 6.* Henriquez *libr. 13. capit. 32. numer. 4.*

18 *Circa Suspensum à diuinis officiis.*

Suspensio à *diuinis Officiis* prohibet, ne Clerici possint in choro Psalmos recitare, interesse illis, diuina officia vt Clerici exaudire. Quod si contra faciant interessendo scilicet illis tanquam Clerici, & ministri ex officio, irregulares fiunt. Si vero tanquam laici audiendo tantum, non delinquunt. Bonacina *disputation. 3. punct. 2. num. 16.* Filliucius *tractat. 17. numer. 33.*

19 *Circa Suspensum à Beneficio.*

Suspensio à *Beneficio* simpliciter, est priuatio vsus iuris ad recipiendum temporale emolumentum fructuum, cuiuscumque generis, conditionis, & qualitatis illi sint, & quocumque nomine beneficium vocetur. Quia beneficium in latiori significatione acceptum complectitur omnia beneficia. Suarius *disputation. 27 section. 1.* Vgolin. *tab. 4. cap. 8. §. 6.* Toletus *libr. 1. cap. 43. num. 7.* Adnoto tamen, suspensum à beneficio nõ intelligi suspensum ab officio, etiãsi officium ei ratione beneficij competat. Quia in materia pœnali extensio facienda non est. Et suspensum à beneficio posse percipere distributiones, quæ dantur iis, qui diuinis officiis intersunt, modo non dentur beneficij intuitu: cuiusmodi sunt illæ, quæ dicuntur anniuersaria aut Missarum stipendia. Et suspensum à beneficio in patrati delicti pœnam tradendam esse fructuum portionem ad congruam sustentationem sufficientem Superioris taxandam authoritate, quoties suspensio ab homine per sẽtentiam fuit lata: quando vero suspensio lata fuit à iure, nec delictum ad forum contentiosum deductum, portio fructuum potest prudentis viri arbitrio taxari. Si vero suspensio est lata pro contumacia, suspensus non est alendus beneficij fructibus. Quia suæ prauæ voluntati tribuitur, qua durante, iuste ea incommoditate afficitur. Filliucius *tractat. 17. num. 44.* Sayrus *lib. 4. cap. 5. num. 11.* Lege *c. Pastoralis, §. Verum, de appellat.*

CAPVT V.

De Suspensionis Duratione.

20 *Suspensio absolute prolata durat, donec per absolutionem auferatur. Secus si tẽpus determinatur.*

SI Suspensio feratur simpliciter, & absolute absque conditione, ac limitatione temporis, durat, donec auferatur per absolutionem. Si vero lata sit cum temporis determinatione, durat intra tempus determinatum, & eo tempore elapso cessat. Quia Censura non ligat vltra conditoris voluntatem. Vnde qui suspenditur ab officio per mensem, non poterit intra mensis spatium officium exercere, incipiendo ab eodem die, seu puncto, quo lata est suspensio, quæ secum trahit executionem, & afficit in continenti. Vgolin. *tab. 4. cap. 15. §. 3.* Sayrus *libr. 4. capit. 8. numer. 2.* Filliucius *tractat. 17. numer. 48.* Suarius *disputation. 26. section. 1. numer. 17. & disputation. 27. section. 1. numer. 23.*

21 *Lata simpliciter suspensio ab officio, aut beneficio, ligat vbique Clericum.*

Porro suspensio ab officio lata simpliciter absque loci determinatione, pro omni loco valet. Quia suspensio est Censura, quæ sequitur suspensum vbicumque adsit. Et licet Prælatus non possit obligare extra territorium per statutum, aut legem: tamen per præcepta particularia, quæ imponuntur personis, & immediate eas respiciunt, potest etiam eadem extra territorium obligare. Idem dixerim de suspensione simpliciter à beneficio absque loci determinatione. Suarius *disputation. 26. section. 1. num. 11. & disputation. 27. section. 1. numer. 17.* Filliucius *tractat. 17. numer. 47.* Bonacina *disputat. 3. pun. 3. numer. 7.*

22 *Si feratur in puram pœnam, potest tribus modis auferri.*

Si feratur tam pœnã potest tribus modis auferri. Primus est, per temporis lapsum, si enim lata est ad tempus determinatum, vt annum, vel mensem, &c. solo temporis lapsu cessat, nec opus est alia absolutione. Secundus, per dispensationem Superioris; si enim lata sit ad certum tempus, vel etiam in perpetuum ab eo poterit, nondum tempore elapso, tolli. Tertius per absolutionem, quando est lata simpliciter in pœnam sine vlla temporis limitatione. Si vero feratur cum conditione, *Donec satisfeceris*, exhibita satisfactione cessat. Nauarr. *summ. cap. 27. num. 161. & 163.* Suarius *disputation. 29. section. 1.* Toletus *libr. 1. cap. 26.* Manuel. *summ. tom. 2. cap. 69.*

CAPVT VI.

De Suspensionis Absolutione.

23 *Quis absolui a Suspensione ex potestate ordinaria, & impetrata.*

ABSOLVTIO Suspensionis ab homine ad eum qui tulit sententiam, pertinet, vel ad successorem eius, vel ad Superiorem. A suspensione in pœnam absoluere possunt priuilegiati Mendicantes ex concessione facta nostræ Societatis Patribus à Paulo III. Ex potestate verò Ordinaria, quando suspensio lata est ad certum tempus, vel in perpetuum, potest tantum auferri à Canonis authore. Quia quãdo fertur in puram pœnam, cum stabilitate fertur, & virtualiter auctor Canonis sibi reseruat. Nec est similis ratio de excommunicatione, à qua potest absoluere inferior, nisi sit à Conditore Canonis reseruata. Quia suspensio lata in puram pœnam, non aufertur per absolutionem sed per dispensationem: dispensatio autem ex sua natura reseruata censetur, nisi explicite concedatur. Nauarr. *summ. capit. 27. numer. 162.* Compend. priuileg. Mend. *verb. Absolutio, quoad sæcul.* Gloss. *ad cap. Cupientes, de elect. in 6.* Suarius *disputation. 26. section. 1. numer. 15.* Filliucius *tractat. 17. numer. 68.* Bonacina *de suspens. punct. vltim. numer. 6.* Toletus *libr. 1. cap. 46. numer. 3.*

Suspensio

24 *Absolutio suspensionis ab excommunicatione.*

Suspensio ob contumaciam lata, & ob pertinentiam in illa, non potest tolli antequam contumacia tollatur, nisi ab auctore illius, vel à Superiore: post ablatam vero contumaciam etiam à successore in officio, si ab homine sit; si vero sit à iure, & reseruata, tantum poterit auctor, Superior, vel successor, imo etiam Episcopus si sit Papæ reseruata, & delictum sit occultum ex Tridentin. *sess. 25. c. 6.* concessione. Filliuc. *tr. 17. n. 69.* Tolet. *l. 1. c. 46. n. 4.* Regin. *l. 32. n. 43.* Si autem non sit reseruata, tunc poterit ab ea absoluere quilibet ordinarius ex communi sententia, quæ iam est vsu recepta. De Parocho autem & quolibet alio simplici Sacerdote negandum omnino esse non dubito. Nauarr. *sum. cap. 27. num. 162.* Suarius *disputation. 29. section. 2. num. 2. & 15.*

25 *Non sunt absolutoriæ verba quæ enumerantur.*

Ad absoluendum à suspensione, non sunt aliqua determinata verba, hæc autem sunt in vsu; *Ego te absoluo à vinculo suspensionis, in quam incurristi, & restitutio te ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium.* Non est autem necessarium in absolutione causam explicare, ob quam suspensio fuerit contracta. Suarius *d. 27. sect. 9. n. 2.* Nauarr. *summ. c. 26. n. 8.* Filliuc. *tr. 11. nu. 329.*

CAPVT VII.

De Suspensionibus, quæ ipso iure contrahuntur Catalogum indico.

26 *Contra Clericos genera nonnulla enumerantur in iure triginta, & octo suspensiones.*

CONTRA Clericos triginta, & octo suspensiones inuenio. Prima in recipientes ordines ab eo qui Episcopatui renunciauit. *Cap. 1. de ordin. ab Epis. qui Episcopat. renunc. 2.* In recipientes Ordines ab alieno sine proprij licentia. *Pius II. cum ex Sacrorum 6. 3.* In recipientes à proprio Episcopo in aliena Diœcesi. *c. Episcopum 9. q. 2. 4.* In recipientes ordines ab excommunicato, vel suspenso denunciato. *c. 1. & 2. de Schism. 5.* In recipientes ordines ante legitimam ætatem. *Pius II. Cum ex Sacrorum 6. 6.* In recipientes ordines extra tempora sine dispensatione. *Pius II. ibid. 7.* In recipientes interstitiis non seruatis. *cap. Dilectus, c. Litteris, de temp. ordin. 8.* In Clericos ordinatos titulo ficto. *c. Sanctorum 8. d. 70. 9.* In promotos per saltum. *Trid. sess. 23. c. 14. 10.* In recipientes Sacros Ordines post matrimonium ratum, etiã non consummatum. *Extrau. Antiquæ, de voto. 11.* In recipientes ordines cum sint excommunicati, vel suspensi, vel interdicti. *c. Cum illorum de sent. excomm. 12.* In recipientes ordines cum litteris Capituli Sede vacante infra annum. *Trid. sess. 7. c. 10. 13.* In vtentes ordine in loco interdicto præter modum iure concessum. *c. 7. is, qui, de sent. excomm. in 6. 14.* In celebrantes coram excommunicato, vel interdicto. *c. Episcoporum, de priuil. 15.* In tradentes sepulturæ publicos vsurarios. *c. Quia in omnibus, de vsuris.*

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

16. In Parochos iungentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia. *Trid. sess. 24. c. 1. 17.* In Parochos non prohibentes matrimonia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiæ. *c. Cum inhibitio, de clandest. desp. impub. 18.* In abutentes vestibus contra iure statuta. *Clement. II. de vita & honest. Cleric. 19.* In grauantes Ecclesias sibi commissas alienis debitis. *cap. 2. de solut. 20.* In bona Prælati defuncti occupantes. *cap. Quia sæpe, de election. in 6. 21.* In electores Episcoporum, non præsentantes electionem electo, infra octo dies. *cap. Cupientes, de election. in 6. 22.* In compromissarios indignum eligentes. *cap. si compromissarij, de election. in 6. 23.* In eligentes indignum ad Episcopatum, vel Curatum. *cap. Cum in cunctis, §. final. de election. 24.* In postulantes in Prælatum Cathedralis eos, qui prohibentur. *Ibid 25.* Inconsentientes electioni per abusum potestatis sæcularis *ca. Quisquis, de election. 26.* In inferiores Episcopis non seruantes in visitatione Innocentij IV. constitutionem. *cap. Exigit, de cens. in 6. 27.* In conferentes beneficia eorum, qui seruiunt in Curia, vel eadem recipientes. *Extraug. 3. de priuileg. 28.* In facientes in iudicio per sortes aliquid contra iustitiam, & conscientiam in grauamen partis. *cap. De sententia, & re iudicata, in 6. 29.* In conseruatores se intromittentes in aliis, quam in manifestis iniuriis. *cap. vltim. de offic. deleg. in 6. 30.* In occupantes bona, census, &c. Ecclesiæ, beneficii, vel pii loci. *Tridentin. sess. 22. cap. 11. 31.* In publicos peccatores. *Cap. vltim. de temp. ordin. 32.* In publicos concubinarios. *Hodie non est in vsu. 33.* In Sodomiam exercentes. *Non est etiam in vsu. 34.* In simoniacos. *Extraug. Pauli II. de simon. 35.* In iurantes de tenendo Schismate. *cap. 1. de schism. 36.* In prouocantes ad duellum, vel acceptantes. *cap. De Cleric. pugna in duello. 37.* In raptores, vel præbentes auxilium, &c. raptui. *Tridentin. sess. 24. cap. 6. 38.* In disputantes de Conceptione Deiparæ. *Gregorius XV.*

27 *Contra Episcopos viginti, & quatuor.*

Contra Episcopos viginti supra quatuor suspensiones annotaui. Igitur suspensione innodantur 1. Conferentes ordines simoniacè. *c. penultim. de simon. 2.* Conferentes ordines suspenso propter malam promotionem. *cap. si qui Episcopi, 1. q. 1. 3.* Ordinantes Religiosum non professum. *Pius V. Romanus Pontifex Bull. 74. 4.* Ordinantes accepto iuramento, quod nõ molestabuntur super eorum prouisione. *cap. si quis ordinauerit, de simon. 5.* Ordinantes Monachum sine Abbatis licentia. *c. fin. dist. 58. 6.* Non promulgantes Cõcilium Prouinciale toti Diœcesi *Non est in vsu. 7.* Intromittẽtes se in causis spectãtibus ad Episcoporũ electionẽ. *c. Quamuis, de elect. in 6.* & *c. Prouida, eod. tit. 8.* Submittẽtes laicis bona Ecclesiæ sine debito cõsensu. *c. Hoc consultissimum, de rebus Eccles. non alienand. in 6. 9.* Occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum prouisionem. *c. Præsenti, de offic. Ordinarij, in 6. 10.* Male vtentes in causa alienationis delegata potestate *Extrau. 2. cum in ante Pauli II. 11.* Alienantes bona Ecclesiæ vltra biennium. *Extrau. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien. 12.* Admittentes resignationes contra formam præscriptam in constitutione, *Quanta Pius V. in Bulla 58. Quanta. 13.* Fauẽtes vsuras, suas domos locãdo. *c. 1. de vsur. in 6. 14.* Abutẽtes

munere Inquisitorum in causa fidei. *Clement. 1. Kerum, de hæret.* 15. Delinquentes contra Clericorum immunitatem. *Clement. 2. de pœnit.* 16. Non seruantes Extrau. 2. de electione, quoad perceptionem fructuum primi, vel secundi anni. *Extrau. 2. de elect.* 17. Promoti à Sede Apostolica sine eiusdem litteris authenticis. *Extr. 1. de elect.* 18. Concubinarij à Synodo admoniti, & non se emendantes. *Trid. sess. 25. c. 14.* 19. Relaxantes incendiariis pœnam in iure præscriptam. *c. Pessimam 23. q. 8.* 20. Negligentes procedere contra simoniacos. *c. Quicquid 1. q. 1.* 21. Non facientes comburi *Talmud* libros. *Iulius III in Bulla* 46. *Cum sicut.* 22. Publicantes populo indicem casuũ. *Pius V. in Bulla*, 99. *Quam plenum.* 23. Non visitantes Apostolorum limina tempore præscripto in Sixti V. constitutione. *Sixtus V. in Bulla, Romanus Pontifex.* 24. Ingredientes Monialium Monasteria sine necessitate. *Gregor. XIII.*

28 *Contra Capitula quatuor.*

Contra Capitula autem quatuor suspensiones extare video. 1. si dilapident bona relicta, vel obuenientia vacationis rempore. *cap. Quia sæpè, de elect. in 6.* 2. Si recipiant promotos in Curia, absque Summi Præsulis litteris, *Extrau. 1. de elect.* 3. Si petant in receptione ad Religionem, aut post illam, pastus, & prandia. *Extrau. Sanè, de simo* 4. Si non seruent contenta in constitutione Quanta Pij V. *Pius V. in Bull. Quanta.*

29 *Contra Religiosos nouem.*

Denique contra Religiosos nouem suspensiones annumerauí. Prima est contra Apostatas in Apostasia Ordines recipientes. *cap final. de Apostas.* 2. Contra recipientes ad professionem ante probationis annum. *Cap. Non solum, de Regularib. in 6.* 3. Contra Superiores concedentes reditus Ecclesiarum alicui ad vitam. *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alien.* 4. Contra vsurpantes decimas sibi non conuenientes *Clement. 1. de decim.* 5. Contra non vtentes habitu, ac vestitu modo ipsis præscripto. *Clement. 1. §. Si quis autem, de statu Monach.* 6. Contra Superiores, ad quos occasione excessuum suorum aliquid peruenerit. *Clemen. de priuileg.* 7. Contra non facientes pœnitentibus conscientiam de non soluendis decimis. *Clement. cupientes, de pœnit.* 8. Contra non professos Ordines Sacros recipientes. *Pius V. in Bull. Romanus Pontifex.* 9. Contra introducentes mulieres in Monasteria Apostolicæ facultatis prætextu. *Pius V. in Bull. Regularium.* 22.

CAPVT VIII.

De Degradatione.

30 *Degradatio verbalis, seu depositio.*

DEgradationem Clerici duplicem esse inuenio, *verbalem* scilicet, & *realem*, seu *actualem*. Verbalis est, quæ fit verbo solummodo, & alias *Depositio* appellatur. Hac quidem persona Ecclesiastica priuatur omni officio, ac beneficio in perpetuum per sententiam Ecclesiasticam, sine restitutionis spe, priuilegio tamen Clericali retento. Actualis vero est priuatio priuilegij Clericalis facta post depositionem, adiuncta reali actione, & cęremonia per Canones præscripta. Valentia *tom. 4. disp. 7. qu. 9. punct. 4.* Suarius *de Censur. disputation.* 30. *sect. 1. & 2.*

31 *Prima differentia inter verbalem & realem, seu actualem degradationem.*

Inter degradationem verbalem, & actualem multiplex est differentia. Actualis namque fieri solet cum maiori solemnitate, nempe adstantibus Abbatibus infulatis, seu habentibus ius mitræ, & baculi, aut assistentibus aliis in dignitate constitutis. Deinde degradandus inducitur ornamentis, quibus fuit ordinatus, necnõ Sacra Vasa ad illum Ordinem, à quo degradatur pertinentia defert ad Episcopi conspectum, à quo gradatim exuitur, & priuatur, ac demum capillis tondetur, vt nullum coronæ vestigium remaneat. Reginaldus *l. 32. n. 52. & 53.* Filliuc. *tract. 18. num. 193.*

32 *Differentia secunda.*

Degradatio verbalis Clerici etiam Presbyteri fieri potest per Vicarium Generalem Episcopi. Actualis vero nonnisi per Episcopum, Abbus assistentibus. Verbalis potest fieri contra absentem contumacem. Actualis vero præsentiam requirit.

33 *Differentia tertia.*

Degradatus verbaliter gaudet priuilegio fori, & Canonis, vnde non potest puniri à Iudice sæculari, nisi post degradationẽ verbalẽ factus sit incorrigibilis, & per Iudicẽ Ecclesiasticũ sit lata sentẽtia declaratoria super incorrigibilitatis qualitate. Actualiter autẽ degradatus priuilegiũ Clericale vtrũque amittit, nẽpe vt sit sub Iudice sæculari, & qui eũ percutit excommunicationẽ non incurrit. Porro vbicũque in iure simpliciter fit mentio de degradationẽ intelligitur de verbali. Pro nullo autẽ crimine quantumcumque graui imponitur Clerico degradationis pœna, nisi in iure expressum reperiatur. Tolet. *l. 1. c. 50. n. 9. 10. 12.* Trid. *sess. 13. c. 4.* Nauar. *summ. c. 27. n. 81.*

34 *Differentia quarta.*

Verbaliter degradatus potest ab Episcopo restitui. Actualiter vero à solo Summo Præsule. Quamuis si restitutio sit iure requisita, vt si post degradationem falsitas testium appareat, poterit eum Episcopus restituere. Syluest. *verbo Degradatio.* Panormit. apud Toletum *lib. 1. cap. 50. numer. 16.* Filliucius *tractatu 18. numero* 190.

35 *Degradatus retinet characterem ordinis & virtutem ordinum vere ibi.*

Quamuis Ecclesia per degradationẽ actualem vsum legitimum ordinum susceptorum auferat, in perpetuum; degradatus tamen semper retinet characterem ordinis semel impressum: & virtute huius, si est Sacerdos consecrare valide potest: etsi est Episcopus, valide quidẽ poterit ordinare, & alia gerere munia, licet peccent grauissime id gerentes. At quia nõ est æquum, vt degradatus melioris conditionis efficiatur propter delictum suum, ideo non eximitur ab oneribus Ordinis, vt ab horarum Canonicarum recitatione, voto castitatis liberentur: etsi matrimonium contraxerit, inualide cõtrahet. Sayr. *l. 5. c. 22. n. 25.* Bonac. *d. 4. pun. 1. n. 5.* Filliuc. *tr. 18. n. 191.*

36 *Quorum criminum degradatus ne puniatur.*

Degradationem verbalem hæc crimina merentur, adulterium, concubinatus perseuerans post monitionem, simonia notoria, incestus, stuprum, furtum, periurium, homicidium, &c. Realem vero hæresis, homicidium qualificatum, Sodomia sæpius exercita.

exercita, & similia, quæ Iudicis arbitrio tali pœna sunt digna. Effectus huius degradationis, quæ non semper eam comitatur, est, Curiæ sæculari traditio. Molina *to.* 4. *disp.* 94. *tract.* 3. *num.* 14. Sà *verb. Depositio, nu.* 2. Sylvest. *ibi, quæst.* 2.

SECTIO SECVNDA.

De Suspensione, Dubia.

CAPVT IX.

Circa essentiam, & causas Suspensionis.

DVBIVM I.

Sub nomine personæ Ecclesiasticæ comprehenditurne fœmina Religiosa, cui iurisdictio spiritualis commissa est?

37 *Quæstionis status.*

VIDIMVS *section.* 1. Suspensionem esse Censuram Ecclesiasticam, qua Minister Ecclesiæ formaliter impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquáve potestate vtatur. Quæsierim autem, num sub *personæ Ecclesiasticæ* nomine comprehendatur fœmina Religiosa, cui iurisdictio spiritualis commissa est, nempe Abbatissa, ac Priorissa?

38 *Comprehenditur.*

Comprehenditur quidem. Quia hæ possunt suspendi ab officio propria suspensione. Nam esto Clerici non sint, sunt personæ Ecclesiasticæ iurisdictionis capaces. Sic Nauarr. *summ. cap.* 27. *num.* 151. & 158. Henriquez *libr.* 13. *c.* 31. *num.* 2. Filliucius *titul. de suspens. cap* 9. Indicat Layman. *lib* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *c.* 1. *numer.* 2.

39 *Non comprehenditur.*

Non comprehenditur. Quia solum Clerici sunt officii, ac beneficii Ecclesiastici capaces, eiusque functiones exercendi. Ita Valent. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 18. *pun.* 1. Coninch *d.* 15. *dub.* 2. *n.* 2. Sayr. *l.* 4. *thes. c.* 1. *n.* 16. Suar. *de Cens. d.* 25. *sect.* 1. *nu.* 5. & alii communiter.

40 *Hoc longe probabilius.*

Hoc longe probabilius. Nam iurisdictio, quę Abbatissis, ac Priorissis commissa est, non est propriè Ecclesiastica, cum non ex Ecclesiastico Ordine proueniat. Alias suspensionem ab officio violantes, irregularitatem incurrerent, quæ transgressoribus suspensionis ab officio indicta est *c. Is, cui, de sentent. excomm. in* 6. & *c.* 1. *de sent. & re ind. eodem lib.*

DVBIVM II.

Qui Suspensionem fert, debetne necessario, esse Clericus?

41 *Quæstionis status.*

CONditiones requisitæ in ferente suspensionem, sunt eædem, quæ pro ferenda excommunicatione requiruntur. Quæsierim ad hæc, num necessario debeat esse Clericus?

42 *Non debet necessario.*

Non debet. Quia Abbatissa, ac Priorissa potest suspendere Clericos sibi subditos. Argum. *c. Dilecta, de maiorit. & obedient.* Ergo necessarium non est Clericum esse, qui fert suspensionem. Sic Sylvest. *verbo Abbatissa, & verbo Suspensio, num.* 1. Henriquez *libr.* 13. *cap.* 35. *numer.* 1.

43 *Necessario debet.*

Debet necessario à Clerico ferri. Quia est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ solum Clericis potest conuenire. Ita Gloss. ad *c. Dilecta, verb. Iurisdictionem.* Innocent. & Abbas *ibi.* Viuald. *tr. de susp. n.* 161. Sayr. *l.* 4. *thes. c.* 2. *n.* 9. & alii communiter.

DVBIVM III.

Persona, in quam Suspensio ferenda est, debetne necessario esse Clericus?

44 *Non debet necessario.*

NOn debet necessario Clericus esse. Quia in Extrauag. *De censib. inter communes*, & *alibi* suspenduntur laici à communione Eucharistiæ. Et quia suspensio priuat non solum exercitio Ordinis iam obtenti, sed & obtinendi: & suspensio à beneficio priuat beneficii fructibus non solum obtenti: sed etiam obtinendi. Ergo quoad effectum, scilicet, beneficij consecutionem, & Ordinis receptionem poterit laicus suspendi: siquidem priuari potest, ne beneficium consequatur, néve Ordines recipiat. Sic nonnulli docti quidem Theologi.

45 *Necessario debet.*

Necessario debet Clericus esse. Quia cum suspensio versari debeat necessario circa officium, vel beneficium Ecclesiasticum, quorum laici incapaces existunt, efficitur, in solos Clericos suspensionem ferri posse. Ita Glossa ad *c. Quicumque, v. Ministros, de sent. excomm. in* 6. Innocent. ad *c. vltim. de excess. Prælator.* Abbas ad *cap. Dura sape, num.* 10. *de crimi. falsi.* Nauarr. *sum. c.* 27. *à n.* 150. Auila *p.* 3. *disp.* 4. *dub.* 2. *conclusion.* 2.

clusion. 2. Suarius *disputation.* 28. *section.* 2. *num.* 1, & alii.

47 *Hoc vnice verum esse iudico.*

Hoc tenendum vnice crediderim. Nam si in Extrauag. citata laici ab Eucharistiæ communione suspenduntur, non fertur ibi suspensio propria, sed est quædam pars excommunicationis maioris, quæ passiuo vsu Sacramentorum priuat. Addo, suspensionem per se non priuare beneficio, vel ordine acquirendo: sed consecutione quadam, quatenus ex priuatione vsus Ordinis habiti nascitur priuatio in vlteriorem Ordinem ascendendi. Præterea insignitus prima tonsura capax est Ordinis, ac beneficij recipiendi, ac proinde ab illis suspendi potest. Secus ante receptionem primæ tonsuræ, cum illorum incapax existat.

Dvbivm IV.

Sub decreto generalis Suspensionis comprehenduntur ne Episcopi electi, & confirmati, sed nondum consecrati?

48 *Nonnulla suppono.*

EX Clericis quilibet, quacumque præfulgeat dignitate, potest suspendi. Sub decreto autem generalis suspensionis Episcopi non comprehenduntur, nisi de ipsis expressa mentio fiat. *c. Quia periculosum, de sentent. excomm. in 6.* Quæstio igitur est, num Episcopi electi, & confirmati, sed nondum consecrati sub generalis Suspensionis decreto comprehendantur?

49 *Comprehenduntur.*

Comprehenduntur. Quia nemo dici potest Episcopus propriè quovsque consecratus sit: sicuti nec Sacerdos, quovsque Presbyteratus ordine sit insignitus, tametsi ad Presbyteratum fuerit approbatus. Et quidē iis nō cōpetit Episcopale munus exercere, quæ fuit ratio eximēdi Episcopos à sententia generali suspensionis, & interdicti. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse innuit Palao *de Cens. d. 4. pun. 2. num. 5.*

50 *Non cōprehenduntur.*

Non comprehenduntur sub generalis suspensionis decreto. Quia alia priuilegia concessa Episcopis, ad confirmatum, & non consecratum extenduntur, v. g. priuilegium de eligendo Confessore. *c. vlt. de pœn. & remiss.* & priuilegiū Altaris viatici. *c. fin. de priuil. in 6.* Præterquam quod priuilegia concessa à Principe, & maxime in iure communi inserta, late sunt interpretanda. Ita Suar. *d. 28. sect. 2. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 2.* Henriquez *l. 13. c. 34. n. 2.* Hurtado *de susp. diff. 5. num. 23.* Sayrus *lib. 4. c. 12. num. 1. & sequent.*

51 *Longe hoc verius.*

Hoc longe verius esse non dubito. Nam illa ratio exercendi Episcopale officium solum fuit motiua, & impulsiua ad priuilegij concessionem, non tamen fuit adæquata, & finalis concessionis. Hæc enim causa præcipua est dignitas Episcopalis, qua gaudet Episcopus nondum consecratus. Argu. *c. Si compromissarius, de elect. in 6.* vbi in sententia generali suspensionis à beneficio tantum, non comprehenditur Episcopus, esto, per illam suspensionem non priuetur ab Episcopalis officii executione.

Dvbivm V.

An Religiosi comprehendantur sub generali Suspensione aduersus Clericos lata?

Quæstionis status.

CErtum est, si prima tonsura initiati non sint, minime comprehendi. Quia non sunt Clerici, etsi aliquo modo personę Ecclesiastice nuncupentur, iuxta *c. Duo sunt, quæst. 1.* ideoque in Clement. *de vita, & honestat. Cler.* distinguuntur Clerici à Religiosis. Quid si prima sint tonsura initiati? Comprehendunturne sub suspensione generaliter contra Clericos lata?

52 *Non comprehenduntur.*

Non comprehenduntur. Quia dum in decreto non fit specialis de Religiosis mentio, non videtur Religiosos afficere: nomen enim Clerici in iure assolet communiter sęcularibus Ecclesiasticis, non Regularibus accommodari. Sic nonnulli Doctores, quos presso nomine memorat Palao *de Cens. d. 4. pun. 2. n. 6.* & probabile indicat.

53 *Comprehenduntur.*

Comprehenduntur quidem. Quia nomen Clerici indifferens est ad sæculares, & Religiosos, vt constat ex Clement. *citata*, ibi: *Seculares, Clerici, & Religiosi.* Ita Suar. *tom. 5. d. 28. sect. 2. n. 9.* Castro Palao *citatus.*

54 *Verius hoc mihi.*

Hoc longe verius esse iudico. Quia Religiosi prima tonsura initiati, Clerici sunt, ideoque nulla efficax sese mihi offert ratio, cur non debeant in generali aduersus Clericos suspensione comprehendi.

Dvbivm VI.

An ob alienam culpam possit aduersum ire suspensio ferri?

55 *Ferripotest.*

POtest ferri. Quia Communitate suspensa ab officio, vel beneficio, singulares personæ etiam inculpabiles suspendūtur: sicuti interdicta communitate, innocentes assolent interdici. Et quia in *c. Vel non est compos 14. de tempor. ordinan.* puer ordinatus Diaconatu anno ætatis suæ 13. suspenditur ab officio Diaconi vsque ad legitimam ætatem non ob propriam culpam, sed in iniuriam ordinantis. Sic aliqui, quos pressis nominibus refert Castro Palao *de Censur. disputation. 4. punct. 3. numero 1.*

56 *Non potest ferri.*

Ferri non potest. Quia in *c. Satis peruersum, 56. & in c. 2. de constitutionib.* dicitur, *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non conuenit.* Et in *c. de iis, quæ fiunt à maiori parte Capituli*, sic: *Peccata suos auctores tenere debent, neque pœna est vlterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente; quia iniquum est, innocentem pœnas nocenti debitas sustinere.* Ita Coninch. *disput. 15. dub. 3.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 151.* Henriquez *libr. 13. c. 34. n. 1.* Suarius *d. 28. sect. 4. n. 3.* Auila *p. 3. d. 3. dub. 2. concl. 2.* Sanchez *lib. 9. d. 32. num. 9.* Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 9.* Hurtad. *hic, difficultat. 9.*

57 *Communem hanc sententiam amplectitur.*

A communi sententia affirmante, suspensionem, quæ proprie pœna est priuans iure quæsito proprio, nullatenus contrahi ob culpam alienam, sed ob propriam, non recedam. Concedo enim, suspensa communitate, tam nocentes, quam innocentes illius suspendi: sed non quoad se, & secundum munus, quod singuli, vt personæ particulares exercere possunt; sed tantum quoad actiones totius communitatis, quæ deliquit, & ipsi sunt membra. Quod non est, singulares communitatis personas puniri, sed communitatem ipsam delinquentem. Porro suspensio illa pueri ante legitimam ætatem ordinati non est propriè pœna aut Censura, sed quædam prohibitio, quæ ad irregularitatem reducitur ob improportionem, & inhabilitatem, quam quis habet cum officio ordinis exercendo ante ætatem legitimam, cuius decentiæ, ac reuerentiæ in illa prohibitione consulitur.

DVBIVM VII.

An ob culpam suspensio possit iniungi?

58 *Potest, quidem.*

POtest per culpam venialem iniungi. Quia hæc sufficit ad excommunicationem minorem incurrendam, quæ quidem grauior pœna esse videtur, quam suspensio, cum priuet maioribus bonis, hoc est Sacramentorum vsu, & receptione. Sic Caietanus *verbo Suspensio.* Armilla *verbo Eodem, in principio.* Nauarr. *summæ capite 27. numero 151. 159. & 165.* Medina *libro primo, summæ capite vndecimo, Paragrapho octauo.* Hentiquez *libro decimo tertio, capite trigesimo quarto, numero primo,* Auila *parte tertia, disputatione tertia, dubio tertio, conclusione prima.*

59 *Non potest.*

Non potest, si de suspensione loquamur, vt communiter fertur. Quia suspensio ex se graue malum est, ideoque grauem culpam supponit. Ita Sotus *in 4. dist. 21. q. 3. a. 1.* Suarius *d. 28. sect. 4. n. 6.* Vasquez *1. 2. d. 58. nn. 49.* Coninch. *d. 15. dub. 3. concl. 2. n. 24.* Hurtado *hic, diffic. 7. n. 19.* Layman. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 3.* Sanchez *l. 2. d. 32. n. 9.* & alii.

60 *Hæc defendo, communiter loquendo.*

Existimo probabilius esse, huiusmodi suspensionem, (idest, vt communiter ferri assolet) neque à iudice ob leuem culpam infligi, neque in iure impositam esse. Fateor, excommunicationem minorem bonis excellentioribus priuare. At illa priuatio facile tolli potest, cum quilibet Sacerdos valeat absolutionem illius impertire: quod in suspensione non procedit: vnde hoc ex capite grauior pœna esse videtur. Notanter autem dixi *Communiter*; nam aliquam suspensionem ad modicum tempus probabile esse, à Iudice ferri posse ob leue piaculum, vti Sancius, Hurtado, & Layman. locis citatis annotauerunt.

CAPVT X.

Circa Suspensionis effectus.

DVBIVM VIII.

Suspensus absolutè ab officio potestne ad beneficium eligi licite?

61 *Potest quidem.*

POTEST quidem. Quia *c. Vel nõ est compos, de temporib. ordinand.* præscribitur, de beneficio Ecclesiastico prouideri ordinato ante legitimam ætatem. Sic Gasp. Hurtad. *de suspens. diff. 4. n. 8.*

62 *Non potest.*

Minime potest. Quia beneficium datur propter officium. *cap. final. de rescript. in 6.* Ergo impedito exercere officium, merito beneficium denegatur. Ita Coninch *disp. 15. dubio 2. conclus. 3.* Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 1. n. 3.* Henriq. *l. 13. c. 32. n. 3.* Auila *part. 3. disp. 2. dub. 1. conclus. 5.*

63 *Hanc præfero sententiam.*

Merito hi Doctores censent illicite prædicto suspenso etiam tolerato beneficium Ecclesiasticum conferri. Non enim obest textus in *cap. Vel non est compos.* Quia illa non est propria suspensio, sed prohibitio, & præceptum, ne ante legitimam ætatem Ordinem receptum exerceat. Et casu, quo suspensio propria esset, non est suspensio absoluta, sed pro determinato tempore, ideoque non impedit beneficij collationem, cuius officium illo tempore suspensionis non est necessario exercendum.

DVBIVM IX.

Beneficij collatio facta suspenso estne irrita ipso iure?

64 *Non est irrita ipso iure.*

IRrita non est, sed irritanda. Quia nullus est textus, ex quo irritatio ipso iure colligi possit. Sic Abbas *ad cap. Vel non est compos, num. 4. de temporib. ordinandor.* Hurtado *de suspens. diff. 4. num. 8.* Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 1. numer. 4.* Suarius *disp. 26. sect. 3. num. 8.* Coninch. *disp. 15. dub. 2. concl. 3.*

65 *Irrita ipso iure est.*

Irrita ipso iure est. Quia *Cap. Cum bonæ memoriæ, de ætate, & qualit.* respondet Pontifex de iis, qui durante suspensione beneficia consequuti sunt, non licere ea retinere. Præcipitque illos prædictis beneficiis spoliari. Signum ergo est, collationem irritam fuisse. Ita Gloss. *ad cap. Cum bonæ. verb. Suspens.* & ad *c. Cum dilectus, verb. Cessantibus*, & ad *c. De Inquisitione, de elect.* Lessi. Nauarr. Flamin. & alii plurimi, quos refert, & sequitur Nicolaus Garcia *de benefic. part. 7. c. 14. à num. 1.* Bonacin. *tom. 3. de Censur. d. 3. punct. 2.*

Cum his probabilius opinor.

Cum his probabilius opinor. Nam si collatio beneficij irrita non esset, licite illi ea bene-

ficia retinerent. Idque indicat verbum *Spoliare*, quod solum convenit ei, qui rem vsurpatam habet. Idemque colligitur ex *c. Cum dilectus, & c. Per inquisitionem.*

Dvbivm X.

An Suspensus ab officio sit eo ipso à beneficio suspensus?

66 *Eo ipso est à beneficio suspensus.*

SVspensus absolute ab officio, eo ipso à beneficio suspensus est. Quia beneficium est officio accessorium. *c. fin. de rescript. in 6.* Ergo prohibito principali, accessorium censeri debet esse prohibitum. Argum. Regulæ *Accessorium, de reg. iur. in 6.* & *Leg. Oratio, ff. de sponsal.* Sic Gloss. *ad c. Latores, v. Ab officio, de Cler. excommun. ministrante.* Palud. *in 4. dist. 18. q. 7. a. 3. concl. 3.* Bernard. Diaz *pract. crim. cap. 73. num. 2.* Nauarr. *libr. 1. consil. titul. de tempor. ordinat. consil. 44.* Valentia *tom. 4. disp. 7. qu. 18. punct. 1. pronunc. 2.*

67 *Non est.*

Suspensus absolute ab officio non est à beneficio suspensus. Quia aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando à beneficio, aliquando ab vtroque simul. Colligitur ex *c. Inter, de purgat. Canon.* & *c. Tam litteris, de testib. & attest.* & *c. Quanto, de offic. ordinand.* & *cap. Quisquis, de elect.* & *cap. Quia sæpe, eodem titul. in 6.* & *Cap. 2. de fideiussoribus*, vbi tanquam res distinctæ suspensiones ab officio enumerantur. Ita Vgolinus *tab. 4. de Cens. c. 6. §. 6.* Henriquez *l. 13. c. 32. n. 1.* Sayrus *l. 4 thes. c. 5. n. 16.* Sanchez *l. 3. de matr. d. 51. n. 12.* Auila *p. 3. d. 2. dub. 1. concl. 6.* Coninch. *d. 15. dub 2. concl. 3.* Suar. *d. 26. sect. 3 num. 4.* & alij.

68 *Idem affirmo.*

Ex eo quod in testibus citatis tanquam res distinctæ suspensiones ab officio enumerari video, colligo, signum validum esse, suspensionem ab officio non comprehendere à beneficio suspensionem. Alias superflue hæ vti distinctæ exprimerentur. Quare si suspensus ab officio satisfaciat obligationibus beneficii quantum est in se, per se, vel per substitutum, beneficii fructus percipere poterit.

Dvbivm XI.

Debenturne fructus beneficij suspenso ab officio Sacramenta Ordinis ministranti, aliáque diuina officia exercenti?

69 *Non ei debentur fructus.*

SI suspensus ab officio Sacramenta ministret & officia diuina solemniter in choro exerceat, quibus per suspensionem priuatus est: non lucratur fructus, & distributiones illis officiis inique exercitis correspondentes. Quia fructus illi, & distributiones conceduntur ob ministerium ab Ecclesia acceptum. At ministerium illud Ecclesia non accipit, imo potius detestatur. Ergo ob illius exercitium præmium fructuum concedere non debet. Sic Rebuff. *praxi benefic. titul. de simonia in resignat. num. 15.* Couarruuias *libr. 4. decretal. part. 2. de suspens. num. 171.* Viualdus *Candel. ab. part. 2. de suspens. num. 171. fine.*

Lucratur quidem eos fructus. Quia pœnæ extendendæ non sunt absque textu manifesto: at nullibi habetur, suspensum, qui exercet officium, à quo est suspensus, fructibus tali officio correspondentibus priuari ipso iure. Ergo lucratur. Ita Auila *p. 3. d. 2. dub. 1. concl. 3.* Nauarra *de rest. l. 2. c. 2. p. 2. diff. 5. num. 243.* Sanch. *l. 3. de matr. d. 51. n. 12.* Henriq. *l. 13. c. 3. n. 3. & c. 14. n. 3. & c. 32. n. 3.* 70 *Fructus ei debentur.*

Hoc verius esse reor. Nam si rem furtiuam detinens laborem aliquem impendas, poteris mercedem laboris illius percipere, vt commu- nis fert sententia. Ergo etiam poterit ille detinere fructus officio correspondentes, quod in beneficii vtilitatem fuerit impensum. Profecto fructus dantur propter ministerium vtile Ecclesiæ, & ab ea acceptum tanquam validum, quod à suspenso fieri potest, esto non licite. 71 *Hoc verius esse reor.*

Dvbivm XII.

Suspensus absolute ab officio habetne vocem in Capitulo?

MInime habet. Quia vocem in Capitulo habere, est vsus & exercitium Ecclesiastici officii: Sic Gloss. *ad c. Cum dilectus, v. A suspensis.* Panormit. *ibi, n. 20. de consuetud.* Felin. *ad c. Apostolicæ, de exceptionib.* Sayr. *l. 4. thes. cap. 5. num. 12.* 72 *Non habet.*

Habet profecto. Quia suffragium in Capitulo ferre, per se non est ordinis exercitium, cum laicis conuersis competat iuxta Glossam *ad c. Eo, v. Electionibus, l. 6.* Itemque Monialibus ex Glossa *in Clement. Vt ij, de ætate, & qualit. verb. Mancipati.* Neque etiam est vsus alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ, cum fœminæ, & laici hanc vocem habeant, & Ecclesiasticæ iurisdictionis incapaces existunt. Ita Palao *de Cens. d. 4. pun. 5. §. 1. n. 9.* 73 *Habet quidem.*

Doctissimi viri amicissimi placito subscribo id probabilius esse iudicans. Dum enim video manifeste non esse officium Ordinis, colligo, ex suspensione ab officio nequaquam priuationem vocis in Capitulo inferri posse. Quod & Sayrus concedit, quando hæc vox ratione beneficii suspensi competit. 74 *Hanc elige sententiam.*

Dvbivm XIII.

Suspensus ab Ordine inferiori, esne à maiori suspensus, etiamsi maioris vsus possit præstari sine minoris exercitio?

ESt à maiori suspensus. Quia ei, cui res minoris momenti prohibitæ sunt, dedecet maiora concedi. Sic Nauar. *summ. c. 27. num. 165.* Henriq. *l. 13. c. 32. n. 2.* Sayr. *l. 4. thes. c. 3. regula 1.* qui quidem aliquas limitationes adhibet eam regulam destruentes. 75 *Est à maiori suspensus.*

Non est suspensus à maiori. Quia in pœnis stricta interpretatio facienda est. Neque vllum 76 *Non est suspensus a maiori.*

est

est inconueniens, quod minori honore priuatus maiorē retineat. Hoc enim solum probat, delictū ob cuius causā suspensio lata fuit, non ita graue fuisse, vt vtriusque honoris maioris, & minoris priuationem mereretur. Ita Suar. *d.26.sect.4.n.11.* Hurtad. *de Susp.disp.c.4 num.9.* Laym. *l.1. tr.5.p.3.c.1.n.6.* Coninch. *d.15. dub. 2.n.10.* Filliuc. *tr.17.num.25. & 29.*

77 *Hanc præfero sententiam.*

Sciens primam sententiam communem esse, secundam sustinendam esse censuerim ob præfatam rationem. Vnde qui ab Ordine inferiori est suspensus, prohibitus non est superiorem inferiori minime annexum exercere. Vt si suspensus est à Diaconatu, poterit absoluere, extremam vnctionem ministrare. Et suspensus à Sacerdotali officio, poterit Episcopale munus exercere in iis, quæ Sacerdotalis Ordinis vsum non prærequirunt.

Dvbivm XIV.

Episcopus suspensus à collatione Ordinis inferioris, censeturne à superioris collatione suspensus?

78 *Censetur quidem.*

CEnsetur quidem. Quia in *Leg. Legatorum, §. fin. ff. de interdictis*, affirmatur, ei, cui honor inferior interdictus est, maiores quoque interdictos censeri debere. Deinde indignus est. *Leg. Qui indignus, ff. de senatorib.* Ergo idē erit in præsenti argum. *c. Cum illorum, de sent. excommunicat.* ibi: *Cum maiora intelliguntur illi prohibita, cui vetita sunt minora.* Sic Hostiens. *ad Cap. 1. Cum dilectus de tempor. ordinat. v. Suspensio, n. 5.* Sayr. *l. 4. thes. c. 3. nu. 3.* Bonac. *to. 3. de susp. d. 3. pun. 2. n. 7.* Sylueſt. *v. Suspensio, n. 5.* Henr. *l. 13. c. 32. n. 2.* Auila *p. 3. d. 2. dub. 2. concl. 11.* Vgolin. *tab. 4. c. 6. §. 6.* Tolet. *l. 1. c. 43.* Reginal. *l. 31. n. 15.*

79 *Non censetur.*

Non censetur. Quia id decidi videtur in *c. vlt. de tempor. ordinat. l. 6.* Vbi Episcopus suspensus à primæ tonsuræ collatione, non censetur ex cōmuni sententia suspensus à collatione reliquorū Ordinū. Et *c. Litteras, de tempor. ordinat.* Suspenditur Episcopus à collatione *Diaconatus*, & *Presbyteratus*. Si autem facta suspensione pro ordine inferiori ad superiorem censetur extensa, vt quid Pontifex exprimeret Presbyteratus suspensionē, posita suspensione Diaconatus. Ita Hurtad. *de suspens. disp. 4. n. 10.* Coninch *d. 15. dub. 2. n. 10.* Filliuc. *tr. 17. n. 25. & 29.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1.* Suar. *d. 26. sect. 4. à num. 11.*

80 *Hæ defendo.*

Probabilius existimo, suspensum à collatione inferioris ordinis non esse suspensum à superioris collatione, aut è contra, quando vnum sine altero potest exerceri. Concedo namque indignum minore, & maioris esse indignum, quando ex se, & absolute indignus est: secus quando fit indignus in pœnam delicti commissi. Vel dic, indignum minori honore, seu cui minor honor interdictus est, expedite quidem interdici maiorem: non tamen de facto interdictum esse.

Dvbivm XV.

An suspensio à beneficio inhabilem reddat ad beneficium suscipiendum?

81 *Reddit inhabilem.*

REddit inhabilem. Quia beneficium est ius suscipiendi fructus, iure inquam radicali, quo per suspensionē priuatus es. Coninch *d. 15. dub. 2. n. 14.* asserit sententiam esse communem.

82 *Non reddit inhabilem.*

Inhabilem non reddit, sed valida est beneficij collatio. etsi ope Iudicis veniat irritanda. Quia nullus est textus, ex quo irritatio ipso iure colligatur. Ita Coninch. *citatus.* Layman. *lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 3.* Suarius *disp. 27 section. 1. num. 26.*

83 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Verum enim non est, per suspensionem te priuari iure radicali percipiēdi fructus: alias titulo beneficij possessi priuareris; sed solum priuaris iure proximo, libero, & expedito prædictos fructus percipiendi. Imo Suarius *ibi, nu. 27.* merito probabile reputat, si nullum beneficium habens crimen perpetres, cui annexa est suspensio à beneficio te non esse priuatum, noui beneficij acquisitione. Quia hæc pœna censetur ferri aduersus beneficiarios, qui ex suspensione à beneficiis possessis suspenduntur, & ex consequenti priuantur aliis acquirendis.

Dvbivm XVI.

Sub suspensione à beneficio comprehenduntur ne distributiones quotidianæ?

84 *Comprehenduntur.*

COmprehenduntur. Quia suspensio à beneficio fructibus beneficij omnino priuat. At distributiones solis beneficiariis conceduntur. Ergo eo ipso censentur intuitu beneficij concedi. Igitur quotidianæ distributiones sub suspensione à beneficio comprehenduntur. Sic Glos. *in Clement. 2. verb. Suspensio, de vita & honest. Cleric.* Zabarel. *ibi, n. 6* Anchar. *n. 3.* Felin. *ad cap. Apostolicæ, de exception. numer. 23.* Vgolin. *tab. 4. capit. 8. Paragraph. 2.* Sayrus *libr. 4. thes. capit. 6. numer. 11.* Bonacin. *de Cens. disp. 3. punct. 2. numer. 14.* Filliuc. *tractat. 17. nnmer. 44.*

85 *Non cōprehenduntur.*

Non comprehenduntur. Quia distributiones illę non intuitu beneficij, sed in officij stipendium conceduntur. Vnde qui Choro non adest, licet beneficiarius sit, distributiones illas non percipit. Quia non adimpleuit officium, cui erant annexæ. Ita Tuscus *l. 2. de visitat. & regim. Eccl. c. 29. n. 10.* Couar. *l. 3. var. c. 13. nu. 8.* Hurtad. *hic, disp. 4. num. 10.* Sayrus *l. 4. thes. c. 6. num. 11.*

86 *Vtor distinctione.*

Ego distinctione vtendum esse credo. Si distributiones enim sint ex fructibus beneficij extractæ, eo quod fructus beneficij in distributiones quotidianas fuerint diuisi, verissimam esse iudico priorem sententiam, Quia illæ non

tam sunt distributiones, quam beneficij fructus, cum etiam ab infimis, ac legitime absentibus obtineantur. Aſt ſi diſtributiones illæ non ex fructibus beneficij fuerint extractæ, ſed ex peculiari fidelium fundatione, eſto ſolis beneficiariis applicentur, credo ſub ſuſpenſione à beneficio non comprehendi. Quia, vt fert ſecunda ſententia, non beneficij intuitu, ſed in officij ſtipendium impertiantur.

Dvbivm XVII.

Sub nomine fructus beneficij, quo ſuſpenſus à beneficio priuatur, comprehenditurne collatio, & electio ad beneficium titulo beneficij competens?

87 *Comprehenditur.* COmprehenditur collatio, & electio ad beneficium titulo beneficij competens. Quia cum à beneficio proueniat, inter beneficij fructus debet computari. Sic Nauar. *ſumm. capit. 27. numer. 160.* Sayrus *lib. 4. theſau. capit. 4. numer. 7.* Henriquez *l. b. 13. capit. 32. numer. 4.*

88 *Non comprehenditur.* Non comprehenditur. Quia id aperte colligitur ex *Cap. Cum in cunctis, §. vltim. de elect.* Vbi vltra ſuſpenſionem à beneficiis dicitur priuatio poteſtatis eligendi. Ergo ſignum eſt, ſub ſuſpenſione à beneficiis hanc priuationem non contineri. Ita Suar. *d. 27. ſection. 1. n. 34.* Filliuc. *tractat. 17. num. 46.* Coninch. *d. 15. dub. 2. n. 11.* Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 1. num. 4.* Bonacin. *de Cenſur. d. 3. punct. 2. num. 12.* Hurtad. *de Suſp. difficul. 4. num. 9.* Auila *part. 3. diſp. 2. dub. 1.*

89 *Verius hoc.* Veriorem eſſe hanc ſententiam exiſtimo. Quia poteſtas eligendi, & conferendi beneficia, etſi à beneficio proueniat, non eſt beneficij vſus, ſed officij ex beneficio competentis.

Dvbivm XVIII.

Si ſuſpenſio alternatiua ab officie, vel beneficio feratur, producitne effectum ipſo iure?

90 *Quæſtionis ſtatus.* ALiquando ſuſpenſio profertur ſub diſiunctione, ab officio inquam, vel beneficio. Et à Doctoribus controuerſia excitatur, quem habeat effectũ? Quæſierim itaque, an vllum ſortiatur effectum huiuſmodi ſuſpenſio?

91 *Producit effectum.* Aliquem producit effectum: comprehendit enim tã ſuſpẽſionẽ à beneficio, quã ab officio. Quia cum nulla adſit ratio, ob quam magis ad beneficij ſuſpẽſionem, quã ad officij referatur ne illa ſententia irrita ſit, cenſenda eſt, vtrãque ſuſpenſionẽ comprehendere. Sic Gloſ. ad *c. A Cr pula, v. Beneficio de vita & honeſt. Cleric.* Hoſtienſ. *ad c. Latores, de Cler. excom. miniſtr. n. 7.* Hurtado *de Suſp. diſſic. 4. num. 11.* exiſtimat, in voluntate ſuſpenſi ſitum eſſe effectum huius cenſuræ: ſicuti cum pœna pecuniaria, vel exilio quis! condemnaretur. Quod ſi reus noluerit eligere, vt tenetur, credendum eſt, vtraque ſuſpenſione ex mente legiſlatoris affici.

Nullum effectum producit ipſo iure. Argum. *Leg. 3. C. de ſententia, quæ ſine certa quantit. profer.* Vbi deciditur, ſententiam in certam, & indeterminatam nullam eſſe. At ſententia ſuſpenſionis lata ſub illa forma indeterminationem, & incertitudinem habet: Ergo. Ita Panormit. *ad Cap. Latores, num. 7.* Sylueſt *verb. Suſpenſio, nu. 5.* Tabie. & Roſel. *ibi.* Nauar. *c. 27. n. 161.* Maiol. *l. 2. de irregul. c. 19. num. 14.* Vgolin. *tab. 1. de Cenſur. c. 20. §. 3. num. 4.* Henriquez *lib. 13. capit. 32. numero quarto* Sayrus *lib. 4. theſ. capit. 7. nnmer. 3.* Ludouic. Lopez *p. 2. Inſtruct. num 97.* 92 *Non probatur.*

Hoc verius eſſe credo. Nec enim verum eſt obligatum eſſe delinquentem eligere, qua ſuſpenſione affici velit; nam hac obligatione non adſtringitur ante delictum commiſſum, vt de ſe conſtat; commiſſo autem delicto, ſtatim in ſuſpenſionem incidere debebat: alias non eſſet ſuſpenſio ipſo iure. Ergo nequit ab electione delinquentis dependere. Profecto alienum eſt quemlibet obligare, ſuarum pœnarum executorem eſſe. Neque eſt ſimile de ſententia condemnatoria ad ſolutionem pecuniæ, vel exilij. Quia hæc non annectitur delicto, ſed poſt delictum commiſſum ferturꝫ ideoque cõpelli poteſt delinquens, vt vnum è duobus eligat. Hæc mei Gaſparis Hurtado venia dixerim. 93 *Veriùs, bitror hanc eſſe ſenten. tiam.*

Dvbivm XIX.

Pro violatione ſuſpenſionis ab Ordine Sacro, pro determinato tempore appoſitæ incurritur-ne irregularitas?

SVppono graue peccatum eſſe ex ſuo genere, ſuſpenſionis violationem. Eximi vero ſuſpenſum ab officio non denunciatum, ſi ad aliorum petitionem Sacramenta miniſtret. Denunciatum vero non poſſe extra vrgentiſſimam neceſſitatem officia, à quibus eſt ſuſpenſus, exercere. Demum ob violationem ſuſpenſionis in Ordine contrahi irregularitatem. *Capit. 1. de ſentent. & re indica. libr. 6. Cap. Cum medicinalis de ſentent. excommunicat. eodem lib.* Extrauag. Pij II. incipiens, *Cum ex Sacrorum.* Iam requiro, num pro violatione ſuſpenſionis ab Ordine Sacro pro determinato tempore appoſitæ irregularitas contrahatur? 94 *Nonnulla ſuppono.*

Non contrahitur ob violationem ſuſpenſionis pro determinato tempore appoſitæ, & in puram pœnam delicti commiſſi: ſed in ſuſpenſione abſoluta lata pro contumacia ſuſpenſi coërcenda. Quia cum abſit contumacia, quæ illa cenſura erat contundenda, de pietate Eccleſiæ colligitur huiuſmodi cum ſuſpenſo vti benignitate. Sic Manuel Sà, *v. Irregularitas ex Ordinis abuſu, numero ſeptimo* ait: *ſi aliquis ſit ſuſpenſus ſolum ad tempus, multi cenſent, ſi celebret,* 95 *Non contrahitur.*

lebret, non fieri irregularem.

96 Contrahitur. Contrahitur equidem. Quia id expresse *c. 1. de sent. & re iudica. in 6.* præscribitur. Et idem traditur *Capit. de sent. excom. in 6.* Ita Suar. *d. 26. sect. n. 3.* Filliuc. *tract. 17. num. 193.* Sayrus *lib. 4. thes. c. 16. num. 30.* Bonac. *de cens. disput. 3. pun. 4. num. 6.*

97 Incertum esse reor. Hanc sententiam certam omnino esse non dubito. Nam in *cap. 1.* illo *de sent. & re iudicata* Index ordinarius, vel delegatus, qui contra iusti iam quidquam gesserit in grauamen partis alterius &c. *ab executione officij per annum suspenditur. Quod si suspensione durante damnabiliter se diuinis ingesserit, irregularitatis laqueo se inuoluet, secundum Canonicas Sanctiones, à qua nonnisi per summum Pontificem poterit liberari.*

CAPVT XI.

Circa Suspensionis suspensionem, & absolutionem.

DVBIVM XX.

Suspensio ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ absolute lata, & incursa, si postmodum à Iudice pro aliquo tempore suspendatur per appellationem interpositam illo medio tempore habetne effectum?

98 Nonnulla suppono. SVPPONO suspensionem ante incursionem appellatione posse suspendi, si appellatio sit rationabilis, & legitima: suspensionem vero subsecutam ab appellatione subsecura non suspendi. Vnde infertur suspensionem à beneficio per appellationem suspendi. Quia non continetur sub suspensione ab officio, & ingressu Ecclesiæ, quæ exceptæ sunt in *c. Is cui, de sent. excommunic. in 6.* Quæsierim vero, num suspensione ab officio & ingressu Ecclesiæ absolute lata & incursa, si postmodum à Iudice pro aliquo tempore suspendatur per appellationem illo medio tempore interpositam, eius effectus impediatur?

99 Effectum habet. Effectum habet. Quia illa censura iam est incursa, & secum trahit executionē, tametsi ex benignitate Iudicis pro aliquo tempore eius effectus suspēdatur. Sic Panormit. *ad c. Ad hæc quoniam, de appellat.* Innocent. *ad cap. Cum inter, de consuetud.* Baldus *ad Leg. Cum aliis, C. Si à curat. furios. & ad Leg. fin. vers. & circa hoc C. si à non compet. Iudice.* Vgolin. *tab. 1. c. 9. §. 11. n. 10.* & alij à Glossa relati.

100 Non habet effectum. Per appellationem interpositam illo medio tempore, quo censura suspensa est, eius effectus impeditur. Quia id manifeste colligitur ex *c. Delictis de appellationib.* Vbi quidā Decanus, qui sententiā interdicti tulerat, eāque pro aliquo tempore suspenderat, reprehenditur à Pōtifice, eo quod appellationi illi medio tempore interpositæ, non detulerit. Sentit ergo Pontifex & appellationem legitime interponi, & efficacem esse ad censuræ effectum impediendum. Ita Glos. *ad c. Ad hæc quoniam. v. Interdictus & ad c. Dilectus, v. Suspendendus.* Abbas *ad c. Ad hæc quoniā, n. 5.* Angel. *v. Interdictum 8. n. 4.* Tabiena *v. Interdictum 1. §. 1.* Federic. de Senis *cons. 208.* Rota *decis. 434.* Alteri. *de interdicto disput. 11. capit 5. fine.* Sayrus *lib. 4. thes. c. 9. numer. 4.* Bonacin. *tom. 1. de censur. d. 3. punct. 1.*

101 *Verior hæc sententia mihi.* Verius hoc. Quia appellatio vim habet suspendendi censuram, quando secum non trahit executionem: At stante suspensione Iudicis, censura secum executionem non trahit, siquidem suspensus æque liber est ab effectibus censuræ ac si nunquam ea adstrictus fuisset. Porro si quis suspensionem tulisset sub aliqua conditione, non est dubium, ante conditionem appositam appellatione suspendi posse; quia vsque quo conditio ponatur, censura non habet effectum. At cum censura pro aliquo tempore suspenditur effectum non habet, quousque illud tempus sit elapsum: ergo interim appellatione suspendi potest, ne effectum elapso illo termino habeat.

DVBIVM XXI.

Suspensio ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ, quæ non est Censura, sed pura pœna, suspenditurne per appellationem?

102 *Non suspēditur.* NOn suspenditur eius effectus. Quia textus in *c. Is, qui, de sent. excom. in 6.* absolute decit, per sequentem appellationem non suspendi suspensionem ab officio, vel ingressu Ecclesiæ: ergo quocumque modo suspensio apposita sit, siue in correctionem delicti, siue in illius punitionem subsequenti appellatione non suspendicur; secum enim trahit executionem. Sic nonnulli.

103 *Suspēditur.* Suspenditur equidem. Quia textus ille eam suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ decidit subsequenti appellatione non suspendi, quæ est excommunicationi similis: vt constat ex illis verbis: *Sicut excommunicatio &c.* At excommunicatio nunquā induit rationem puræ pœnæ, sed semper retinet naturam censuræ: ergo pro sola suspensione, quæ censura est, illa textus decisio intelligitur Ita Abbas *ad c. 2. de Cleric. excom. ministr. n. 2. & ad c. Sæpe de appellat. n. 16.* Palao *de censib. 4. pun. 7. n. 7.*

104 *Idem vnice admitto.* Dicendum existimo, suspensionem, quæ est pura pœna, per sequentem appellationem suspendi, textumque *c. Is cui*, intelligi de suspensione tantum, quę est censura Et quidem odiosum est, negare appellationi hanc vim, & efficaciam impediendi effectum sententiæ latæ. Ergo dum manifesto textu, vel ratione non conuincimur, asserendum non est.

DVBIVM

Dvbivm XXII.

Manente Suspensione, alij à Pontifice illam ferentes possuntne eius effectum, & obligationem tollere: ac si de facto illa sublata esset?

105 *Nonnulla præmitto.* DE Pontifice nemo est, qui dubitet, cum ex eius voluntate, & institutione censurarũ effectus, & obligatio pendeat. Glos. *in cap. Ad hæc quoniam, v. Interdictum, de appellat.* Innocent. *in c. Ad Monasterium, de Regular.* & omnes. De aliis à Pontifice requiro, num manente suspensione possit illam ferens eius effectũ, & obligationem tollere, ac si de facto ipsa censura sublata esset?

106 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia ex facultate Pontificis manifestum est, posse prædictum effectum & obligationẽ auferre seu suspendere: At hãc potestatẽ concessã esse colligitur ex *c. Dilectus, de appellat.* Vbi Decanus suspẽdit interdictũ à se latũ cuius suspensionẽ non improbat Pontifex. Sic Innoc. *ad c. Cum inter. de consuetud.* Panormit. *in c. Ad hæc quoniam, n. 5. & ad c. Dilectus, de appellat. n. 21.* Sayr. *l. 4. thes. c. 10. n. 13.*

107 *Non potest.* Minime potest. Quia inferior nequit superioris decretũ, & institutionẽ mutare, aut variare *c. Cum inferior, de maiorit. & obedient.* At ex decreto, & institutione Pontificis suspensio, & quælibet alia censura, dum de facto est, suum effectum habet, & obligationem inducit: ergo inferior Pontifice nequit hunc effectum, & obligationẽ à suspensione, aliáve censura separare. Ita Castro Palao *de cens. d. 4. pun. 8. num. 3.*

108 *Hoc mihi verius.* Hanc sententiam putarim esse probabiliorẽ. Nam licet ex authoritate Pontificia id proculdubio geri posset, ex nullo tamen textu, aut ratione colligo, Pontificem hanc Prælatis inferioribus tribuisse potestatem. In *c.* enim *Dilectus, de appellat.* citato pro prima sententia, non effectus interdicti, manente interdicto, sed ipsum interdictum suspenditur pro aliquo tempore iterum apponendum.

Dvbivm XXIII.

Suspensio lata à iure absolute ad comprimendam alicuius contumaciam, indigetne absolutione, contumacia recedente?

109 *Status quæstionis.* SCio, suspensionem latam pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, elapso tempore, vel conditione adueniente absque absolutione cessare. Requiro autẽ, an suspensio lata à iure absolute ad cõprimendã alicuius cõtumaciã, cõtumacia cessante, absolutione indigeat: an perrecessum à contumacia finiatur?

110 *Non indiget absolutione.* Non indiget absolutione. Quia videtur ferri sub ea conditione tacita, donec suspensus à contumacia recesserit: qua conditione posita ipso iure finitur. Sic Innocent. *ad c. Cum bona, de stat. & qualit. Ordin. vers. si verò expressit. & ad c. Sicut de cohabit. Cleric. & mulier. n. 2.* Felin. *ad c. Ex litteris, n. 36.* Decius *ibi, n. 16.* Sayr. *l. 4. thes. c. 17. n. 8.*

111 *Absolutione indiget.* Indiget absolutione. Quia non est apposita suspensio sub ea conditione, sed absolute; alias nullum discrimen esse inter censuram suspensionis conditionaliter appositam, & eam, quæ absolute, & absque vlla determinatione conditionis infligitur. Ita Suar. *d. 29. sect. 2. nu. 15.*

112 *Suarium sequor.* Hunc, qui pro innumeris valet sequor. Et quidem quamuis cessante contumacia, cessare debeat censura, eo quod illius absolutio impendenda sit: ipso tamen facto non cessat, ob rationem à Suario expressam, donec absolutio impendatur.

Dvbivm XXIV.

Si suspensio in puram pœnam delicti commissi à iure sit lata sine vlla temporis determinatione: potestne ab Episcopo tolli?

113 *Tolli non potest.* TOlli non potest. Quia eiusmodi suspensio censenda est perpetua. Argum. *l. Seruus, C. de pœnis.* Vbi deciditur pœnam carceris absolute ac simpliciter latam debere durare in perpetuum. At pœnis à iure perpetuis solus iuris conditor potest dispensare, eo quod nemini alteri concessum videatur. Nam textus in *c. Nuper, de sent. excomm.* solum concedit Ordinariis absolutionem censuræ à iure latæ non reservatæ: At hæc suspensio non absolutione, sed dispensatione est auferenda. Sic Panormit. *ad c. Tam litteris. n. 3. & ibi* Felin. *de testib. & attestationib.* Angel. *v. Suspensio 4. n. 1.* Sylvest. *verb. Suspensio, q. 8.* Tabie. *ibid. §. 11.* Bonac. *to. 1. d. 3. pun. vlt. fine.* Hurtad. *de Suspens. diffic. 12. nu. 32.* Valent. *to. 4. d. 7. qu. 18. punct. 1.* Nauar. *sum. c. 17. num. 162.*

114 *Tolli potest.* Potest tolli. Quia hæc suspensio absolute lata differt ab ea, quæ expresse in perpetuum fertur: alias frustra *in perpetuum* adderetur. Sed nulla differẽtia in iis inueniri potest nisi quod suspensio, quæ in perpetuũ fertur, ex intentione ferentis debet in perpetuum durare: secus vero suspensio quæ absque illa expressione perpetuitatis fertur: hæc enim ex ferentis intentione remissibilis est, & auferenda, præstita sufficienti pœnitentia, & emendatione. Ita Innocent. *ad c. 1. de solution.* Palud. *in 4. d. 18. a. 3. concl. 11.* Couar. *l. 4. decretal. p. 2. c. 6. n. 15.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 4. n. 4.* Auila *p. 3. d. 6. dub. 1. concl. 4.* Suar. *d. 29. sect. 1. n. 19.* Sayr. *l. 4. thes. c. 17. nu. 15.* & alij.

115 *Hæc sententia habenigniorem mihi placet.* Existimo hanc sententiam (posse scilicet Episcopum in hac pœna dispensare) benigniorem esse, imo forte probabiliorem. Quia iæpe iura hanc suspensionem absolute latam in cõmissi delicti pœnam, reseruant vt, patet ex *c. Cum quidam, c. Litteras c. Dilectus de tempor. ordinat. c. Tam litteras, de testib.* Aliquando vero nullam apponunt reseruationem. Ergo reseruationem apponendo, tacite insinuat inferioribus concedi, posse in ea dispensare, alias frustranea esset reseruatio.

CAPVT

CAPVT XII.

Circa Suspensiones in particulari.

DVBIVM XXV.

De suscipiente Ordinem ab Episcopo excommunicato.

Si quis recipiat Ordinem, vel consecrationem Episcopalem ab Episcopo excommunicato ignorans eum defectum: suspenditurne ab Ordinis sic susceptis executione?

116 *Nonnulla suppono.*

CErtum est, ab executione ordinis suscepti suspendi, qui recipit Ordinem, seu consecrationem Episcopalem ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto irregulari simoniaco, hæretico, vel Schismatico. *c. Daibertum 1. qu. 7.* Opus autem esse, vt prædicti sint ab Ecclesia vt tales denunciati; nam ante denunciationem ab ipsa tolerantur, & potestatem conferendi Ordines in fauorem fidelium retinent: ideoque recipientes nulla suspensione illigantur. Quæsierim vero, num si quis laborans ignorantia probabili præfati defectus in ordinante Episcopo, recipiat ab eo Ordinem, ab eius executione suspendatur?

117 *Suspenditur.* Suspenditur quidem. Quia hæc priuatio ab executione Ordinis non videtur apposita in pœnam delicti ipsius ordinati: sed in iniuriam, & detestationem ordinantis; ad cuius finem parum refert, quod ordinem scienter vel ignoranter recipit. Sic Glos. *ad cap. Si qui à Simoniacis 1. q. 1. & ad c. Ab excommunicatis, 9. q. 1.* Couar. *ad c. Alma, p. 1. §. 6. n. 6.* Suar. *d. 31. sect. 1. n. 64.* Alteri. *de cens. l. 2. d. 9. c. 4.* Sayr. *l. 4. thes. c. 14. n. 3.* Bonac. aliis relatis, *to. 3. de cens. in partic. d. 3. q. 1. pun. 10. n. 4.*

118 *Non suspenditur.* Non suspenditur. Quia nullus est textus, ex quo colligi possit, stante prædicta ignorantia, hanc censuram contrahi: imo contrarium efficaciter deducitur ex *c. Si qui simoniacis 1. q. 1. & ex cap. Ordinationes 9. q. 1. & ex cap. 1. & 2. de Schismaticis, & ex Cap. Per tuas, de simonia. 34.* Ita Innoc. *ad cap. 1. de Schismat. num. 4.* Abbas *ad cap. Veritatis, num. 46. de dolo, & contum.* Alfonsa Castro *libr. 2. de leg. Pœnali, capit. 15. concl. 5.* Manu. *sum. to. 2. c. 19.* Coninch *d. 15. dub. 5. num. 32.* Hurtad. *de Suspens. difficultat. 13. numer. 34.*

119 *Hoc probabilius.* Hoc probabilius esse crediderim. Falsum est enim, hanc inhabilitatem positam non esse in pœnam delicti ab ordinato commissi in receptione Ordinum ab excommunicato, vt expendenti allegatos textus facile constare potest.

DVBIVM XXVI.

De eo, qui excõmunicatione ligatus Ordines Ecclesiasticos recipit.

Suspensionem latam in Cap. Cum illorum, de sentent. excommunication. *contra eum qui excommunicatione maiori ligatus Ecclesiasticos Ordines suscipit: incurritne qui Ordines minores sic recipit?*

120 *Nonnullæ præmitto.*

Cap. citato ait Innocent. III. *Nonnulli Ecclesiasticam censuram negligentes in excõmunicatione positi Ecclesiasticos Ordines recipere non formidant. Quid autem de his fieri debeat Apostolicum sæpius oraculum imploratur, &c.* Suspensione hoc textu afficitur, qui excõmunicatione maiori ligatus ob Clerici percussionem Ordinem aliquem suscipit. Quod Doctores ad omnes, qui excommunicatione ab quælibet alia delicta grauantur non immerito extendunt. Quia Pontifex, cum ad decisionem procedit, generaliter loquitur. Et quia non est specialis ratio, ob quam susceptio Ordinũ in excõmunicatione ob Clerici percussionem potius, quam in excommunicatione ob alias causas quis huic censuræ subiiciatur. Porro primam tonsuram sic recipiens hac pœna non afficitur. Quia licet prima tonsura cõmuni modo loquendi Ordo appellatur: at stricte ac propriè loquẽdo ab Ecclesiasticis Ordinibus distinguitur, ad illosque recipiendos est dispositio. Suar. *d. 31. sect. 1. n. 58.* Filliuc. *tr. 17. c. 94.* & alij. Quæsierim vero, an suspensionem hanc incurrat, qui excommunicatione maiori irretitus Ordines minores suscipit?

121 *Non incurrit suspensionem.*

Non incurrit. Quia cum textus generatim loquatur, *Ordines accipere nõ formidant*, de ordinibus Sacris est intelligendum. Hoc enim vocabulum *Ordo* pro famosiori assolet stare. Sic Nauar. *lib. 5. Consil. titul. de excommun. cons. 28. à nu. 2. vsque ad 16.* Auila *p. 7. d. 9. section. 1. dub. 6.*

122 *Suspensionẽ incurrit.*

Incurrit quidem. Quia vere sunt Ecclesiastici Ordines, & præsens textus de suscipientibus Ordines Ecclesiasticos loquitur. Ita Suar. *de Cens. d. 31. sect. ... numer. 59.* Filliuc. *tract. 17. n. 94.* Bonac. *d. 3. q. 1. pun. 6. n. 3.*

123 *Hos sequor.*

Primam sententiam nullatenus admitto, cũ minores Ordines vere Ordines esse non dubitem Ecclesiasticos. Et forte ob hanc causam textus non dixit, *Ordines Sacros*, sed *Ecclesiasticos*, vt tam minores, quam maiores comprehensi censerentur.

DVBIVM XXVII.

Suscipiens Ecclesiasticos Ordines suspensione, vel Interdicto innodatus subiiciturne huic suspensioni, ac si excommunicatione maiori afflictus susciperet?

124 *Quæstionis status.*

AD incurrendam præfati *Cap.* pœnam, necessarium est, vt suscipiens Ecclesiasticos

sticos Ordines excommunicatione maiori ligatus sit. Quia nomine *excommunicationis* absolute prolato maior tantum intelligitur. Bonac. *to. 3. de cens. d. 3. q. 1. pun. 6 n. 1.* Quæsierim vero, num suscipiens Ecclesiasticos Ordines suspensione, vel interdicto innodatus huic pœnæ subiiciatur, ac si maiori excommunicatione innodatus esset?

125 *Subiicitur.* Subiicitur quidem. Quia in hoc æque delinquit, & Ecclesiasticam disciplinam contemnit, ac si in excommunicatione positus Ordines Ecclesiasticos reciperet. Sic Couar. *ad cap. Alma mater, p. 1. §. 6. n. 6.* Maiol. *l. 4. c. 34.* Harius Alteri. *to. 2. d. 10. c. 6.*

126 *Non subiicitur.* Nō subiicitur, Quia præfatus textus *Capitis Cum illorum* solum de suscipientibus Ordines Ecclesiasticos in excommunicatione loquitur. Ita Auila *part. 7. d. 1. section. 1. dub. 6.* Suarius *d. 31. sect. 1. num. 58.* Bonac. *tom. 3. d. 3. q. 1. punct. 6. num. 3.*

127 *Hoc longe verius.* Hoc longe verius existimo. Nam licet æque delinquat, qui Ordines suscipit suspensione, aut interdicto innodatus, cum textus de solo excommunicato loquatur, dispositio pœnalis ob rationis identitatem non est extendenda.

Dvbivm XXVIII.

Excusaturne ab hac Cap. Cum illorum *suspensione, qui Ordines suscipit excommunicatione innodatus, si ignarus probabiliter suæ excommunicationis, vel prohibitionis huius Ecclesiæ sit?*

128 *Non excusatur.* Minime excusatur. Quia hæc non tam est pœna, quā quædā inhabilitas, quæ absque culpa contrahi potest ideoque eo *c. Cum illorum* non solum scientes se esse excommunicatos, sed etiā illius cēsurę ignari, aut ignari iuris, quo tenentur, suspēsioni subiiciuntur. Sic Couar. *ad c. Alma, p. 1. §. 6. n. 6.* Maiol. *lib. 4. de irregul. c. 34. numer. 4.* Alterius *to. 2. d. 10. c. 6. dub. 2.*

129 *Excusatur plane.* Excusatur omnino in foro conscientiæ. Quia negari non potest, hanc suspensionem esse pœnam, cum sit priuatio executionis Ordinis suscepti, & officij possessi: & consequenter iuris quæsiti: At pœna, cessāte, culpa, cōtrahi nō potest. Ergo procul dubio à suspensione excusatur. Ita Panormit. *ad c. Veritatis, de dolo, & contum. n. 46. & ad c. Cum illorum, de sent. excomm. n. 15.* Bonac. *d. 3. q. 1 pun. 6. n. 2.* Suar. *d. 31. sect. 1. n. 59.* Filliuc. *tr. 17. n. 94.*

130 *Verius hoc mihi.* Hoc verius esse credo, Cui non obest, quod ignorantes suam excommunicationem, vel ius, quo tenentur, illoin *Cap.* suspendantur, seu deponantur. Quia id intelligendum est de ignorantia vincibili, ac lethaliter culpabili. Nam inuincibiliter ignorantes excommunicationem seu Ecclesiæ prohibitionem solum in foro externo suspensi, seu depositi censeri debent, ideo quod in foro externo nulla huius rei probabilis ignorantia præsumatur.

Dvbivm XXIX.

Suspenditur ab executione Ordinis in Cap. Si quis ausus fuerit, *quis Ordinem suscipit ab alieno Episcopo absque proprij Ordinary facultate. Hæc Suspensio estne ipso iure lata ex vi præfatæ constitutionis?* De suscipiente Ordines ab alieno Episcopo sine proprij Ordinarij licentia.

Est lata ipso iure. Quia hoc manifeste ex his verbis eiusdem *c. Probatur*, ibi: *Irrita sit huiusmodi ordinatio.* Et *c. Illud quoque 1. dist. 7.* dicitur, *Non sit rata ordinatio eius.* Sic aliqui Doctores, quos presso nomine, memorat Castro Palao *de Censur. disputation. 4. punct. 10. numer. 4.* 131 *Est ipso iure lata ex vi illius textus.*

Non est ipso iure lata, sed ferenda. Quia in præfatis Capitibus esto dicatur, *Irrita sit, Non est Rata non sit*, intelligi debet, per sententiam. Quia est benignior interpretatio, & textui accommodata. Quod satis colligitur ex Conc. Nicæno, *c. 17.* vnde illi textus sunt deducti, dicitur enim ibi: *Irrita erit*, scilicet sententia accedente. Ideoque in *Cap. Translationem. de tempor. ordinat* dicitur, *Interdicenda illis est Ordinis sic suscepti executio.* Ita Suar. *d. 31. sect. 1. num. 13.* 132 *Non est ex vi textus illius.*

Idem censeo. Vnde ex vi horum Capitum persuaderer, hanc suspensionem nomine esse ipso iure latam, sed ferendam, si contrarium non contineretur in Extrau. Pij V. quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, quæ est sexta illius in Bullario, eamque refert Salcedo *pract. capit. 26.* & alij. Scio tamen aliquos esse casus, in quibus permittitur ab alieno Episcopo sine licentia proprij ordinatio. Primus est, si proprius Episcopus ab executione ordinum sit notorie suspensus, eo quod subditum alterius Diœcesis sine debita facultate ordinauerit: eo casu subditis facultas conceditur, vt ab alieno Episcopo Ordines recipiant. *Cap. Eos, qui, de tempor. ordinat. in 6.* Secundus est, si per triennium quis commoretur cum alieno Episcopo tanquā eius familiaris, seu de eius familia, & beneficium, quacumque fraude cessante statim ab illo recipiat: poterit primam tonsuram, & reliquos Ordines, tam minores quam minores ab illo recipere absque proprij Ordinarij licentia. Trident. *sess. 23. capite nono.* Tertius est, quando quis censet, proprium Episcopum ratam ordinationem habiturum, illa enim ratihabitio præsumpta censetur facultatis concessio. Argum. *Cap. Lugdunensis vltim. 9. quæstion. 2.* Vbi D. Epiphanius ordinauit quendam ex Diœcesi D. Ioannis Chrysostomi absque expressa eius facultate: quod sanctus vir non egisset, si ei detrimentum fore perpenderet. Tradit ibi Glossa, Reginaldus *libr. 32. tract. 2. c. 69. vers. sunt autem.* Suarius *disputation. 31. section. 1. numer. 17.* 133 *Hoc asserit, additiens vndenam lata sit ipso iure.*

* *
*

Dvbivm XXX.

De eo, qui recipit ordines à proprio Episcopo exercente Pontificalia in aliena Diœcesi.

Suspensionem latam in Cap. Episcopum, 9. quæstion. secund. & in Tridentin. sess. 6. c. 5. *aduersus eum, qui ab Episcopo proprio exercente Pontificalia in aliena Diœcesi sine Episcopi illius loci licentia: Ordines suscipit, an incurat qui solum primam tonsuram recipit?*

134 *Incurrit quidem.*

INcurrit quidem. Quia Episcopus conferens primam tonsuram Pontificalia exercet, cum solum Episcopis, seu iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus datum sit eam conferre. Neque obest, quod in suo cubiculo eam conferre possit, nam etiam ibi, potest Calicem consecrare, cum tamen alis collatio tōsuræ, & consecratio Pontificalis vsus sit. Sic Rebuf. *praxi benef. tit. de Cleric. ad Sacros Ordin. male promotis. Glos. 1. nu. 4.* Alteri. *to. 2 d. 10. c. 2.* Bona. *ctom. 3. de cens. d. 3. quæstion. 1. pun. 12. num. 2.*

135 *Non incurrit.*

Non incurrit. Quia prima tonsura, spectato iuris rigore, non est Ordo, sed Ordinis dispositio, & ab Ordinibus sæpe distinguitur: vt manifeste constat ex Trident. *sess. 14. c. 2.* ibi: *Ad Sacros Ordines, aut minores Ordines, vel primā tonsuram promouere, seu ordinare valeat.* Ita Henriq. *l. 3. c. 6. n. 6.* Suarius *disput. 31. section. 1. num. 21.*

136 *Hoc teneo, & confirmo.*

Et si Episcopus ob primæ tonsuræ collationem in aliena Diœcesi absque licentia Ordinarij illius loci à Pontificalium executione suspendatur: at prima tonsura initiatus suspensionem *ibi* latam non incurrit. Quia tonsura nullum speciale munus, habet à cuius executione ea initiatus suspendi valeat. Moneo, ordinatum sine licentia sui Episcopi ab alio Episcopo in aliena Diœcesi absque debita facultate duas suspensiones incurrere, vnā, quia sine litteris dimissoriis: alteram, quia ab eo Episcopo in eo loco Ordines maiores, vel minores suscipit; possequę vnam suspensionem ab alia separari: ideoque non se impedire, quominus simul contrahantur.

Dvbivm XXXI.

De ordinato, non seruatis tēporis interstitiis.

Suspensionem latam contra ordinatum non seruatis temporum interstitiis, contrahitne qui duos Ordines Sacros eodem die absque Pontificis dispensatione recipit?

137 *Non incurrit.*

NOn incurrit. Quia in *Cap. Litteras, de temporib. ordinat.* die ordinato Diaconatu & Presbyteratu eodem die decernitur, ab executione officij Sacerdotalis manere suspensū, quousque Pontifex aliter disponat. At non fertur lex pro aliis casibus, sed casui ibi relato arctatur dispositio. Sic Suar. dubius tamen sed non mediocriter inclinans *disput. 31. section. 1. num. 41.*

138 *Incurrit profecto.*

Incurrit profecto. Quia verum non est, in *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. VI. præfato *c. Litteras*, legem non statui: alias de omnibus decretis casum specialem referentibus idem dici posset. Ita Nauar. *summ. c. 27. n. 71.* Maiol. *lib. 4. de Irregular. c. 11.* Vivald. *titul. de susp. n. 47.* Savr. *l. 4. thes. c. 14. n. 25.* Bonac. *to. 3. d. 3. q. 1. pun. 4. n. 5.*

Incurrit profecto.

Hoc certum esse reor. Quia textus in *c. Innotuit, de eo, qui furtiue Ordinem suscepit.* dicit. De iis, qui subdiaconatus, & Diaconatus Ordinem simul susceperunt, *De iuris rigore in susceptis Ordinibus* ministrare non debent. Ibique potestas dispensandi Abbati, & Episcopo remittitur, si Religionem intrauerint. Secus summo Præsuli reseruatur.

149 *Hoc certum esse reor.*

Dvbivm XXXII.

Fertur ne ipso iure suspensio aduersus eum, qui per saltum promouetur, hoc est, qui in Ordinem superiorem, prætermisso inferiori, ascendit?

De eo, qui per saltum promouetur,

NOn fertur ipso iure. Quia *c. Solicitudo* 52. solum mandatur Episcopo prohibere ab officio Sacerdotis Presbyterum, per saltum promotum donec Diaconatum prætermissum recipiat. Quod arguit, suspensionem non esse ipso iure latam. Item *cap. vlt. de Cleric. per saltum promoto.* non indicat ipso iure esse suspensum recipiens per saltum Sacros Ordines. Solum enim eo ex textu colligitur, non esse permittendum sic ordinatum Ordinem prætermissum recipere, neque in recepto ministrare, quousque condignam de delicto pœnitentiam præstet. Verba vero Concilij Tridentin. *sess. 23. c. 14.* (mox referenda pro sententia secunda) exponi possunt, non de propria dispensatione alicuius impedimenti contracti, sed de permissione absque impositione alicuius suspensionis, vel pœnæ. Sic Turrecr. *ad cap. Solicitudo articul. 4.* Et *ib.* Archidiac & Præposit. Angel. *verb. Irregularitas 1 num. 16.* Armil. *eodem numer. 68.* Bernard. Diaz *pract. c. 29.* Et probabile reputat Suar. & Auila citandi.

140 *Non fertur suspensio.*

Ipso iure fertur. *c. vnic. de Cler. per saltum promoto*, de subdiacono, qui prætermisso Diaconatu Presbyteratum suscepit, inquit Pontifex *n. Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam pro negligentia huiusmodi iniungas eidem: quam peracta ipsum in Diaconum ordinare procures, & sic de misericordia eum ministrare permittas in Ordine Sacerdotis.* Ergo ob prædictum delictum impeditus erat promotus à susceptione Ordinis prætermissi: & ab administratione Ordinis suscepti. Et in Tridentino *sess. 23. cap. 14.* id supponitur: siquidem dicitur: Cum promotis per saltum si ministrauerint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare. Si igitur dispensatione indigent: ergo vinculo aliquo ligati erant: quod nullum aliud esse potest, nisi suspensionis: siquidem non solum impediuntur à susceptione Ordinis prætermissi, sed etiam à suscepti administratione. Ita Sylvest. *verb. Irregularitas quæstion. 11.* Sotus *in 4. dist. 25. quæstion. 1. art. 4.* Nauar. *sum. c. 25. n. 71. & c. 27. n. 244.* Suar. *d. 31. sect. 1. n. 35.* Auila *p. 7. d. 9. dub. 2.* Bonac. *to. 3. d. 3. q. 1. punct. 2. num. 1.* Filliuc. *tract. 17. c. 5. quæst. 8.* Barbosa *de potest.*

141 *Fertur plane.*

Episc. alleg. 47. n. 1. Hurtad. *de suspens. diffic. 13. n. 30.* & alij.

142 *Prima sententia non placet.*

Nullatenus prima sententia mihi placet. Quia videtur esse textuum violenta expositio. Et quia Tridentinum concedit Episcopo potestatem dispensandi cum promotis per saltum si non ministrauerint. Supponit ergo post ministrationem dispensare non posse; quod verum esse non posset, nisi ex ministratione in regularitatem incurreret ob violatam suspensionem & ordinationem per saltum contractam.

Dvbivm XXXIII.

De Sacerdote, qui sine Parochi licentia iungit eius ipsos, aut eos benedicit.

Suspensio lata à Tridentino sess. 24. cap. 1. *contra Parochum vel alium Sacerdotem qui alterius Parochi sponsos sine eorum Parochi licentia iungit, aut benedicit: estne non solum ob officio, sed etiam à beneficio suspensio?*

143 *Est suspensio ab officio & beneficio.*

Hæc suspensio aduersus Parochum, vel quemlibet Sacerdotem sæcularem aut Regularem, est non solũ ab officio, sed etiam à beneficio. Quia absolute fertur, & sine vlla distinctione. At si Concilium vellet huiusmodi Sacerdotes à solo officio suspendere proculdubio exponeret. Sic Bonac. *tom. 3. disput. 3. quæstion. 3. punct. 5. numer. 7.* Filliuc. *tract. 17. num. 101.*

144 *Non est nisi ab officio solum.*

Est suspensio ab officio solum, seu munere Sacerdotali. Quia fertur non solum in Sacerdotes sæculares, sed & in Regulares, ac per modum vnius, & consequenter ab aliqua actione, quæ illis sit communis. Ita Suar. *d. 31. sect. 3. num. 18.* & probabile iudicant Bonac. ac Filliuc. *vbi suprà.*

145 *Hoc probabilius.*

Probabilius id ego esse crediderim. Nam pœna culpæ debet commensurari. Cum autem culpa solummodo sit aduersus Sacerdotale officium, pœna suspensionis solum Sacerdotale officium spectare debet.

Dvbivm XXXIV.

Excommunicatio lata in Clement. 1. de priuileg. contra Sacerdotem Regularem, qui matrimonio assistit absque Parochi licentia: cessatne ob impositam hanc à Tridentino suspensionem?

146 *Cessat quidem.*

Cessat quidem. Quia vere sunt Ecclesiastici Ordines, & præsens textus de suscipientibus Ordines Ecclesiasticos loquitur. Ita Suarius *de censur. disputatione trigesima prima sectione secunda numero quinquagesimo nono.* Filliuc. *tractatu decimo septimo numer. 94.* Bonacin. *disp. 3. quæstion. 1. punct. 6. numer. 3.*

147 *Hos sequor.*

Primam sententiam nullatenus admitto, & minores Ordines vere Ordines esse non dubitem Ecclesiasticos. Et forte ob hanc causam textus non dixit, *Ordines Sacros*, sed *Ecclesiasticos*, vt tam minores, quam maiores comprehensi censerentur.

Dvbivm XXXV.

Suscipiens Ecclesiasticos Ordines Suspensione, vel Interdicto innodatus subiiciturne huic suspensioni, ac si excommunicatione maiori affectus susciperet?

148 *Status quæstionis.*

Ad incurrendam præfati c. pœnã, necessariũ est, vt suscipiens Ecclesiasticos Ordines excõmunicatione maiori ligatus sit. Quia nomine *excommunicationis* absolute prolato maior tantũ intelligitur. Bonac. *to. 4. de cens. d. 3. q. 1. pun. 6. n. 1.* Quæsierim vero; num suscipiens Ecclesiasticos Ordines suspensione vel interdicto innodatus huic pœna subiiciatur, ac si maiori excommunicatione innodatus esset?

149 *Subiicitur.*

Subiicitur quidem. Quia in hoc æque delinquit, & Ecclesiasticam disciplinam contemnit, ac si in excõmunicatione positus Ordines Ecclesiasticos reciperet. Sic Couar. *ad c. Alma mater, p. 1. §. 6. n. 6.* Maiol. *l. 4. c. 34.* Alteri. *to. 2. d. 10. c. 6.*

150 *Non subiicitur.*

Non subiicitur. Quia præfatus textus *Cap. Cum illorum* solum de suscipientibus Ordines Ecclesiasticos in excommunicatione loquitur. Ita Auila *p. 7. d. 1. sect. 1. dub. 6.* Suar. *d. 31. sect. 1. n. 5 8.* Bonac. *to. 3. d. 3. q. 1. pun. 6. n. 3.*

151 *Hoc longe verius.*

Hoc longe verius existimo. Nam licet æque delinquat, qui Ordines suscipit suspẽsione, aut interdicto innodatus, cũ textus de solo excommunicato loquatur, dispositio pœnalis ob rationis identitatem non est extendenda.

Dvbivm XXXVI.

Excusatur ne ab hac C. Cum illorum suspensione, qui Ordines suscipit excommunicatione innodatus, si ignarus probabiliter suæ excommunicationis, vel prohibitionis huius Ecclesiæ sit?

152 *Non excusatur.*

Minimè excusatur. Quia hæc non tã est pœna, quam quædam inhabilitas, quæ absque culpa contrahi potest. Ideoque eo *c. Cũ illorum* non solum scientes se esse excommunicatos, sed etiam illius censuræ ignari, aut ignari iuris, quo tenentur, suspensioni subiiciuntur. Sic Couar. *ad cap. Alma, p. 1. §. 6. nu. 6.* Maiol. *libr. 4. de irregul. capit. 34. num. 4.* Alteri. *tom. 2. d. 10. cap. 6. dub. 2.*

153 *Excusatur plane.*

Excusatur omnino in foro cõscientiæ. Quia negari non potest, hanc suspensionem esse pœnam cum sit priuatio excusationis Ordinis suscepti, & officij possessi: & consequenter iuris quæsiti: At pœna, cessante, culpa, contrahi non potest. Ita Panormit. *ad c. Veritatis, de dolo, & contum. n. 46. & ad cap. Cum illorum, de sent. excom. n. 15.* Bonac. *d. 31. sect. 1. n. 59.*

Dvbivm

Dvbivm XXXVII.

An prædicta pœna sit excommunicatio, non suspensio?

155 *Est excommunicatio non suspensio.*

ESt excommunicatio, non suspensio. Quia separatio ab Altari, quæ huiusmodi delinquenti indicitur illis verbis : *A Sacro Corpore, & Sanguine Domini nostri* Ivsv Christi *sit suspensus* anathema dici solet. *Cap. Engeltrudam 3 quæstion. 4. & Cap. Nemo per ignorantiam, de consecrat. dist. 1.* Sic Archidiacon. *ad Cap. Nihil*, asserens indici inibi Sacerdotibus illud gerentibus excommunicationem minorem. Maiol. *l. 3. c. 16.* affirmans indictam esse in illo *cap.* minorem excommunicationem.

147 *Est suspensio non excommunicatio.*

Est suspensio, non excommunicatio: suspensio inquam ab officio Sacerdotali celebrandi. Quia separari à Corpore & Sanguine Domini nequit Sacerdos, nisi à celebrandi munere separetur. Ita Castro Palao *de cens. d. 4. pun. 10. §. 2. n. 5.*

157 *Verius hoc esse credo.*

Verius hoc esse credo. Nec huic resolutioni obstare textum in *Cap. Nihil*, vbi (fateor) expresse de excommunicatione sermo habetur. Nam ibi excommunicatio ferenda indicitur ob Sacrificiũ ex quacumque occasione inchoatũ, si relinquatur. At in *c. Nullus Episcopus*, suspensio indici videtur si relinquatur Sacrificiũ imperfectum, vt alius Episcopus, vel Presbyter illud perficiat, vt colligo ex illis verbis. *Nullo modo audeat*, data occasione, recedere, vt ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur.

Dvbivm XXXVIII.

Suspensio lata in Concil. Toletano, qua refertur in Cap Relatum, de consecr. dist. 2. *contra Sacerdotem Sacrificantem, & se communione suspendentem: estne proprie suspensio?*

158 *Quæstionis fatur.*

EX Concilio Toletano in *c. Relatum* Sacerdos Sacrificans quidem, sed se à Communione suspendens culpabiliter, à gratia cõmunionis, qua sese indecenter priuauit, per annum ipso iure repellitur; ipso, inquam iure, vt demonstrant illa verba textus : *Anno vno repulsum se nouerit*: Non enim actionem futuram denotant, sed præsentem & à lege appositam. Quæsierim vero, an hæc sit propria suspensio, an excommunicationis, vel interdicti species?

159 *Non est propria suspensio.*

Non est propria suspensio, sed quædã species interdicti. Quia id innuere videntur illa verba: *Repulsum se nouerit*, id est, anno vno à Communione intelligat. Sic nonnulli. Quos, presso nomine, memorat Palao *de cens. d. 4. pun. 10. §. 2. n. 6.* Eorumque sententiam ait esse probabilem, cum contrariam probabiliorem esse affirmet.

160 *Est suspensio propria.*

Est propria suspensio, non interdicti, vel excommunicationis species. Quia Sacerdos communionem in Sacrificio omittens non prohibetur à communione more laicorum recipiẽdas; sed à Sacrificio: & consequenter prohibetur à celebratione, quæ est vera suspensio. Ita Maiol. *de irregul. l. 3. c. 16.* Bonac. *to. 3. de cens. d. 3. q. 3. pun 3.* Sayr. *l. 4. thes. c. 15. n. 2.* Alteri. *to. 2. d. 11. c. 3.* Palao *citat.*

161 *Cum hi opinor.*

Cum his opinor, adiiciens, si Sacerdos vtrãque speciem consecrans, vnam tantum malitiose assumat, & ab alia se indecenter suspendat, ea tantum directe priuari: indirecte tamẽ ab vtraque recipienda suspendi: cum non possit vnam sine alia recipere, Doctores citati annotarunt.

Dvbivm XXXIX.

In Cap. Tanta, de excessib. Prælat. *lata estne suspensio ipso contra eos, qui Ordine vtuntur in loco interdicto?*

De eo qui Ordine vtitur in loco interdicto.

LAta est *ibi* ipso iure suspẽsio. Quia hoc in *c.* sententiæ datæ ab Episcopo violante interdictum, & collationes, ac institutiones, beneficiorum ab eodem factæ decernuntur irritæ, & inanes. Ergo quia suspensione affectus fuit, dũ Ordine in loco interdicto est vsus Sic Glos. *ad c. Tanta v. Irrita sup.* Sylvest. *v. Interdictũ 6. n. 1.* Angel. *eodem. 7. n. 7.* Armil. *ibid. n. 58.*

162 *Lata est ibi suspẽsio.*

163 *Lata non est.*

Non est illo in *c.* lata. Quia sententiæ datę ab illo Episcopo, qui interdictũ violauit, nõ decernuntur irritæ, qui suspensus erat à iurisdictione ob violationẽ interdicti; sed quia iniustæ erant. Vnde non omnes sententiæ, & collationes ab eo factæ irritantur : sed eæ tantum quæ occasione interdicti violandi prolatæ fuere: vt ibidẽ cauetur *in p. 2.* illius textus. Manifestũ ergo est, non ferri ipso iure suspensionẽ, siquidẽ dicitur eos, qui prædictũ interdictũ violarunt, *authoritate Apostolica ab officio, & beneficio suspendas.* Indicatur ergo sententia ferenda: non ipso iure lata. Ita Filliuc. *tr. 17. n. 98.*

164 *Idem asserã ostendens nullo ex c. esse latã, sed ferendam.*

Existimo probabilius esse ex *c. Tanta* minime colligi latam esse ipso iure suspensionem. Scio equidem alios hanc suspensionem ex aliis *Capitibus* probare conati, nempe ex *c. Postulasti, de Cler. excommunic. ministr.* ex *c. Episcoporum, de priuil. in 6. c. 15, qui, de sent. excom. in 6.* Attamen ex nullo horum textuum suspensio probatur. Non ex *Cap. Postulasti* quia ibi asseritur Clericos violatores interdicti, si sæculares sint, beneficiis spoliandos: si vero Regulares, in arctum Monasterium detrudendos: quod pœnam ferendam denotat, non latam. Neque ex *Cap. Episcoporum*, quia solum continetur quædam species interdicti laicis ac Clericis communis scilicet ab ingressu Ecclesiæ prohibitio. Nec ex *Cap. Is, qui*, ibi enim non suspensio, sed irregularitas quædam indicitur: siquidem ineligibilis redditur. Præterquam quod illa textus verba : *Adeo efficitur ineligibilis, vt neque ad eligendum cum aliis debeat admitti*, non videntur sententiam latam, sed ferendam continere.

Dvbivm XL.

De electore, qui per abusum sęcularis potestatis aliquē ad beneficiū eligit.

Suspensionem in Cap. Quisquis, de electio. *ipso iure incurritne electo, qui per abusum sæcularis potestatis aliquem ad beneficium Ecclesiasticum eligit, suspensionem inquam, seu priuationem potestatis eligendi?*

165 *Status quæstionis.*

SCio aliquos affirmare, ferri suspensionem in *Cap. citato*, aduersus electores, qui per abusum sæcularis potestatis aliquem ad Ecclesiasticum beneficium eligunt. Sed verius esse puto cum Glossa *verb. Suspendantur*, Suario *disputatione trigesima prima sectione tertia numer.* 12. & aliis, suspensionem ab officiis, & beneficiis non esse ipso iure latam sed ferendam, vti constat ex illis verbis: *Ab officiis, & beneficiis penitus suspendantur per triēnium.* Nam verbum *suspendantur* Iudicis denotat actionem. Quæsierim vero, num suspensio, seu priuatio potestatis eligendi, quam incurrunt, sit ipso iure lata?

166 *Est ipso iure lata.*

Est quidem. Quia textus profatur, *Eligendi tunc potestate priuati* ideſt, priuati iam, seu suspensi tunc potestate eligendi à Iudice suspendantur ab officiis, & beneficiis. Sic Suar. *citatus, n.* 12.

167 *Nō est lata ipso iure.*

Non est lata ipso iure, sed posita triennali suspensione ab officiis, ac beneficiis. Quia illa verba hunc sensum reddunt: Qui præfatam electionem per abusum sæcularis potestatis præsumpserint celebrare, ab officiis, & beneficiis penitus suspendantur per triennium, qua suspensione durante, eligendi potestate sint priuati. Ita Gloss. *v. Tunc.* Alteri. *to.* 2. *d.* 16. *c.* 5. *fine.* Bonacin. *tom.* 3. *de cens. d.* 3. *quæs.* 4 *punct.* 5. *num.* 3.

168 *Hoc tenens, alia adiicio.*

Probabilius hoc esse existimo adiiciens, Episcopos huic pœnæ non subiici. Quia illorum in hac parte expressa mentio facta non est. Præterquam quod ipsi ibidem aliter puniri cauentur. Electum vero electioni illi consentientem electionis commodo carere, reddique ineligibilem, & absque dispensatione nō posse ad aliquam eligi dignitatem. Censetur autem electio fieri cum abusu sæcularis potestatis, quando sæcularis potestas absque Pontificis priuilegio se electioni immiscet, & authoritatem illi præbere intendit. Quod si electores Ecclesiastici libere permittant, præfatis pœnis subiiciuntur.

Dvbivm XLI.

De Clerico beneficiario, qui Ecclesiā alienis debitis grauat.

Suspensio contenta in Cap. Si quorumdam 2. de solutionib. *aduersus Clericos beneficium habentes, qui Ecclesiam alienis debitis grauant &c. estne summo Præsuli reseruata?*

169 *Status quæstionis.*

COntinetur in eo *Cap.* suspensio contra Clericos beneficiū habentes, aut alicuius Ecclesiæ curam qui Ecclesiam debitis aggrauant alienis, seu litteras, vel sigilla alicui concedunt, quibus Ecclesia possit obligari: Hi quidem ab administratione spiritualium, & temporalium ipso iure suspenduntur. Et insuper decernitur, Ecclesiam ad solutionem eiusmodi debitorum minime teneri, nisi quatenus in vtilitatem conuersa sint. Quæstio autem est, an suspensio hæc sit Pontifici reseruata?

170 *Reseruata est.*

Reseruata quidem est. Quia hæc suspensio videtur per modum pœnæ, & non per modum censuræ lata esse. Sic Panormit. *ad Cap. Si quorumdam, numero quinto.* Suarius *d.* 31. *sectione tertia numero secundo* Filliuc. *tract.* 17. *num.* 107.

171 *Non est reseruata.*

Non est Pontifici reseruata. Quia nullum est verbum, ex quo colligatur hanc suspensionem in puram pœnam esse impositam. Ita Bonacin. *tomo tertio de censur. disputation.* 3. *quæst.* 4, *punct.* 14. *num.* 8. Angel. *verb. Suspensio* 1. *casu* 10. Sylvest. *eodem Paragrapho sexto vers.* 10.

172 *Idē affirmo.*

Idem affirmo, adiiciens, casu, quo suspensio hæc in puram pœnā imposita esset, cum non reseruetur expresse Episcopo concedendam venire.

Dvbivm XLII.

De conseruatore se intromittente in aliis, quam in manifestis iniuriis

Suspensio lata in Cap. Hac constitutione, de offic. & potest. Iudicis delegati, *contra exercentes munus conseruatoris si de aliis, quam manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromittat: estne solum suspensio ab officio?*

173 *Ab officio nulla restrictio constituta est.*

NOn est solum suspensio ab officio, sed etiam ab Ordine. Quia hoc in Capite nulla restrictio constituta est. Sic Suar. *dub.* 31. *sectione tertia numer.* 17. Moneta *de Conseruatorib. c.* 7. *q.* 12.

174 *Solū est ab officio.*

Est suspensio solum ab officio, non ab Ordine. Quia Gregorius XV. in constit. edita 20. Septembr. anno 1621. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pater.* Solum præscribit suspensionem ab officio Conseruatoris; vt in eo Conseruator puniatur, in quo deliquit. Ita Palao *de Cens. disput.* 4. *punct.* 10. *Parag.* 2. *num.* 9.

175 *Auctoris resolutio.*

Primam sententiam sustineo, si *Capitis, Hac constitutione* vim spectem; quia ibi absolute Pontifex loquitur, vnde de suspensione ob officio, & ab Ordine textus esset exponendus. At si Gregorij constitutioni adhæream, à solo officio suspensionem ferri affirmabo. Neque hæc suspensio extenditur vltra annum ab eo die, quo suæ potestatis limites excessit, annumerandum. A beneficio autem nullatenus manet suspensus. Quia neque in *Cap. Hac constitutione*, neque in Bulla Gregorij mentio facta est: & pœnæ vltra verborum proprietatem non sunt extendendæ.

Dvbivm

te apponenda, suspensioni, vel interdicto subiiciuntur: Ergo.

Dvbivm XLIII.

Suspensionem latam in Cap. Exigit, de censi. lib. 6. *aduersus Clericos inferiores Episcopo, qui occasione visitationis Ecclesiarum aliquam pecuniam &c. tempore visitationis acceperint: incurruntne recipientes esculenta & poculenta domo sua postmodum insumenda?*

176 *Nonnulla negantur.*

LAta est hæc suspensio à Gregorio XV. aduersus Clericos inferiores Episcopo, eorũque familiares, qui occasione visitationis Ecclesiarum sibi subiectarum, aliquam pecuniam aut munus etiam sponte oblatum accipiunt, præter moderatum victum sui & suorum pro tempore visitationis insumendum: nisi infrà mensem duplum Ecclesiæ grauatæ restituerint vel nisi ex Extrauag. vnica *Inter communes*, (vbi tempus restitutionis prolongatum fuit) infra duos menses præfatam restitutionem gerãt. Quod si Episcopi in hac parte excesserint, ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, nisi duplum illius, quod acceperint, recipiant. Quæstio igitur est, num recipiens esculenta, & poculẽta, postmodum sua domo insumenda, hanc incurrat suspensionem?

177 *Non incurrit.*

Non incurrit. Quia hæc videntur esse leuis materiæ, & insufficientia ad animum Iudicis peruertendum, quod Pontifex vitare eiusmodi pœnam præscribens procurat. Sic nonnulli in manuscriptis, quod alicui docto haud improbabile videtur. Et quia *c. statutum, Parag. In nullo, de rescrip. in 6.* Delegato permittitur esculenta accipere paucis diebus insumenda.

178 *Incurrit omnino.*

Incurrit omnino. Quia Tridentinum expresse statuit, ne aliquid aliud præter victualia pro temporis necessitate ministranda Visitatores recipiant: alioquin pœnis in Concilio Lugdun. statutis subiiciuntur. At recipiens esculenta & poculenta sua in domo insumenda, recipit victualia vltra illius visitationis temporis necessitatem: Ergo suspensionem incurrit. Ita Imola & Anchar. *ad Clement. 2. de cen. sib.* Praxis noua Episcop. *part. 2. c. 3. numer. 65.* Marcus Antonin. Genuens. *in Manu. Pastor. c. 35. numer. 6. & 7.* Barbo. *de potest. Episc. allegat. 73. numer. 54.* Bonac. *to. 3. de cens. d. 3. qu. 5. pun. 4. n. 2.*

179 *Auctoris resolutio.*

Existimo si parua sit materia leue constituẽs piaculum, à censura graui quidem pœna excusare. Attamen potest quis in domum suam esculenta & poculenta ratæ quantitatis, vel qualitatis paucis diebus insumenda adducere, vt materiæ leuitatem proculdubio excedat. Igitur si illa victualia tanta, aut talia sint, quæ prudentis arbitrio grauem materiam constituant, huic suspensioni, & interdicto locus erit. Profecto prædicta esculenta ad domum adducenda muneris rationẽ habent vltra victualia eo temporis illius necessitate ministranda. At Visitatores occasione visitationis munus quodcumque recipientes vltra victualia eo tempo-

Dvbivm XLIV.

Episcopus per Oppida Diœcesis cursitans, vt Confirmationis Sacramentum conferat, vel alia similia exerceat, si procurationẽ visitationis tempori designatam recipit, inciditne in hanc suspensionem?

190 *Quæstionis status.*

SOlent Episcopi discurrere per Oppida, & villas Diœcesis, gratia Sacramenti Confirmationis conferendi, vel conficiendi chrismatis, vel Ecclesiæ recenter ædificatæ consecrandi, vel pollutæ reconciliandæ. Quæsierim, an suspensionis pœnæ subiiciatur recipiens ob eam causam procurationem?

181 *Subiicitur.*

Subiicitur quidem, Quia textus *c. Exigit, de Censib. in 6.* huic pœnæ subiicit Visitatorem, qui aliquid vltra victualia pro temporis necessitate recipit, nõ impẽso visitationis officio. At Episcopus recipiẽs præfatas procurationes cũ pergit ad illa ministeria exercenda officium visitationis nõ exercet: Ergo in suspẽsionẽ incidit. Sic Bonac. *to. 3. de cens. d. 3. q. 5. pun. 4. n. 8.* Barbo. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 73. nu. 52. & in remiss. Concilij, c. 3.*

182 *Non subiicitur.*

Nõ subiicitur. Quia ea munera præstans, suas Ecclesias suosq; subditos visitat. Ergo quod Visitatori cõceditur, Episcopo concedendũ est, dũ ea munera exerit. Ita Azor. *part. 2. l. 3. c. 42. fine.* Castro Palao *de cens. d 4. pun. 10. §. 2. n. 11.*

183 *Hoc mihi verius.*

Hoc mihi verius videtur. Quia posito etiam quod accessus ille ad Ecclesias consecrãdas, vel Sacramentũ Confirmationis ministrandũ, &c. dici nequeat visitatio: victualium receptio nõ causa visitationis fit, & muneris illius executione. At textus in *c. Exigit*, & Tridẽt. nõ subiicit Episcopum suspensioni ob quamliber victualiũ, aut muneris receptionẽ ratione visitationis, officio visitationis nõ impenso. Cum ergo Episcopus non visitationis occasione, sed occasione laboris in alio suo munere impensi recipiat, huic suspensioni non subiicitur.

Dvbivm XLV.

Si Ecclesia, vel Rector visitandus potestatem habeant soluendi Visitatori procurationem: possuntne laici compelli ad eam soluendam?

184 *Nonnulla præmitto.*

PRocurationẽ seu necessaria ad Visitatoris victũ soluere obligãtur quælibet Ecclesiæ, Monasteria & personæ, quæ visitãtur, spectato iure cõmuni, *c. i. & vlt. de censib. in 6.* & ibi Glos. cõmuniter recepta. Solũ est dubiũ de laicis, nũ compelli possint, hãc procurationẽ soluere? Et quidẽ quando Ecclesia, & Rector pauper est, cõpellendos esse affirmat Azor. tanquam certũ *p. 2. l. 3. c. 42. q. 3.* Quia tunc nõ ratione sui, sed ratione sui Parochi, & in illius defectũ com-

pelluntur, ne suo labore Visitator defraudetur, neue visitatio necessaria omittatur. At si Ecclesia, vel Rector visitandus facultates habeat ad soluendam procurationem, quæsierim, an laici possint ad eam soluendam compelli?

185 *Possunt quidem.* Possunt equidem. Quia visitationis beneficium ipsi recipiunt, neque possunt illud repellere: & consequenter nec valebunt expensas visitationi annexas repellere. Sic Glos. *vlt. ad c. Placuit. 10. quæstion. 1.* Ioan. Andre. & Imola *ad c. Romana, de censi. in 6.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 42. q. 3.*

186 *Non possũt.* Minime possunt. Quia cum Prælati Ecclesiastici præcipue ad visitandas Ecclesias, loca pia, & personas Ecclesiasticas procedant, ab his vult Ecclesia, vt expensæ exigantur, non à laicis, quos ex consequenti visitant, nisi voluntarie illas concedant. Ita Glos. *ad c. Placuit. & ad c. 1. de censi. in 6. v. Laicos.* Et id declarauit Sacra Cardinalium congregatio teste Barbo. *parte tertia de potest. Episc. allegat. 73. numer. 45.* Bonacin. *disputat. 3. quæstion. 5. punct. 4. numer. 3.*

187 *Hoc defendo.* Hanc doctrinam adeo veram existimo, vt etiam quando Ecclesia, illiusque Rector pauperes sunt, neque facultatem habent procurationem soluendi, laici compelli non debeãt, sed gratis visitatio facienda est, & visitatores propriis expensis alendi. Quod à fortiori procedit, cum Hospitalia, aliáque loca infirmorum visitant, à quibus procurationes exigi nequeunt. Vti decisum referunt Barbosa *nu. 50.* & Bonac. *n. 10.*

Dvbivm XLVI.

Ecclesiæ Ciuitatis, vbi Episcopus Cathedram habet, vel illarum Rectores debentne cum visitantur, procurationes soluere?

188 *Non debẽt.* NOn debent. Quia illa victualia necessaria non sunt Episcopo visitanti, cum in propria domo existens ex propriis se sustentare possit. At prohibentur Visitatores quidquam recipere nisi pro temporis illius necessitate, quæ non adest, dum Ecclesiæ, Vrbis, vbi Episcopus Sedem obtinet, visitantur. Sic Praxis noua Episcopor. *p. 2. c. 3. num. 65.* Barbo. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 73. nu. 46.* referens id à Sacra Congregatione esse decisum. Quinimo idem Barbosa, relato Marco Antonio Genuensi in *Manu. past. c. 35. num. 9.* existimat, nec posse Episcopum procurationem recipere ab Ecclesia, ex qua posset ad propriam domum ad prædium redire, ductus illis verbis Tridentini *sess. 24. c. 3. Exceptis tantum victualibus, quæ sibi, aut suis frugaliter, & moderate pro temporis tantum necessitate, & non vltra erunt miniſtranda.*

189 *Debent plane.* Debent quidem soluere. Quia nullo textu à solutione procurationum eximuntur. Nam etsi ea victualia necessaria non sint Episcopo, cum in propria domo possit se ex propriis sustentare: at sunt conuenientia, vt decentius sustententur, aliàs Episcopus diues non posset ab vlla Ecclesia Diœcesis procurationes recipere. Ita Abbas *ad cap. Venerabile, de censib.* Gofred. *sum. tit. de simonia, §. sunt autem.* Henric. *ad c. Cum Apostolus, de censib.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 42. quæst. 4.*

His adhæreo. Nam procurationes non solum ob sustentandum Episcopum, sed in subiectionis debitæ signum, & recognitionem offeruntur; si enim solum ad sustentationis necessitatem nullo in Oppido visitans Episcopus prædiues posset procurationem accipere. 190 *His haret.*

Dvbivm XLVII.

Episcopus, vel eius substitutus plures Ecclesias eodem die visitans, potestne à suspensione liber à singulis integras procurationes recipere, ac si vnam tantum visitaret?

MInime potest. Quia id prohibuit Bonifacius VIII. in *c. Felicis, de censib. in 6.* fatus. *Non liceat visitanti nisi vnam procuratio-nem recipere vna die, siue vnum locum solum visitauerit, siue plura, etiamsi quilibet locus visitatus ab illo sufficeret ad procurationem integram persoluendam: cum eidem sufficere debeat, vt temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis spiritualia ministrat. Alioquin* (ait Glos. *ibi. v. Persoluendam*) *posset totam Ciuitatem vna die visitare, & tot procurationes recipere, quot ibi essent Ecclesiæ quod est absurdum.* Sic Zerola *part. 2. prax. Episc. verb. Visitatio, §. 6. dub. 6.* Barbo. *in remiss. Concil. c. 3. fine.* Bonacin. *tom. 3. de cens. d. 3. quæst. 5. punct. 4. numer. 4.* 191 *Minime potest.*

Potest quidem. Quia hodie Prælati habent à summo Præsule dispensationem, vt possint vna die plura loca visitare, & à quolibet integram procurationem recipere. Ita Glos. *ad c. Felicis, in propos. casus circa finem.* Molina *tractatu secundo de iust. disputation. 85. fine.* Alterius *de interdicto, tomo secundo disput. 12. cap. 2. col. 2.* Nec dissentit Bonacin. *vbi supra.* asserit enim, hodie Prælatos habere huiusmodi dispensationem, 192 *Potest quidem.*

Ego quidem existimo vbi id consuetudine receptum est, permitti posse. Quia cum prohibitio recipiendi vna die plures procurationes sit à iure positiuo inducta, potuit summi Præsulis dispensatione: & consuetudine tolli. 193 *Auctiui resolutio.*

Dvbivm XLVIII.

Qui recipit procurationem à locis priuilegio, vel consuetudine exemptis ab onere eam soluendi: subiiciturne pœnis latis in Cap. Exigit?

SVbiicitur quidem. Quia Tridentinum sait: *Quod si quisquam (quod absit) aliquid amplius.* 194 *Subiicitur plane.*

plius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter duplì restitutionem infra mensem faciendam, aliis etiam pœnis iuxta constitutionem Concilij Generalis Lugdunensis, quæ incipit Exigit, *necnon & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque vlla spe veniæ multetur.* At vnus ex casibus à Concilio relatis est, vt nihil recipi debeat procurationis si viget consuetudo, & à fortiori priuilegium nihil recipiendi : sed gratis visitationem præstandi. Sic Bonacina *tom. 3. de Censur. disputatione tertia, quæstione quinta puncto quarto, numero duodecimo.*

195 *Non subiicitur.* Non subiicitur. Quia esto graviter delinquat procurationem exigens, vtpotè qui iniustitiam committit, violans legitimum priuilegium, & exemptionem : attamen Censura non videtur innodari. Quia non præstat actionem sub Censura prohibitam. Nam in *cap. Exigit, & cap. Romana, de censib. in 6.* solum prohibetur receptio alicuius muneris vltra victualia, vel victualium receptio, officio visitationis non impenso : non autem prohibetur receptio victualium à locis exemptis, vt consideranti constabit. In Tridentin. vero etsi præcipiatur obseruari consuetudinem illis in locis præscriptam, nec victualia, nec pecuniam, nec quidquam aliud percipiendum : attamen receptionem victualium præcisè ab iis locis, non videtur pœnis relatis in dicto *cap. Exigit* subiicere. Quia non subiicit recipientem præcisè aliquid à locis exemptis : sed recipientem aliquid amplius, quam concessum est vt recipiatur. Ita Castro Palao *de Censur. disputation. 4. punct. 10. §. 3. num. 11.*

196 *Satis probabilem hanc reor esse sententiam.* Satis probabilem esse iudico hanc sententiam, ideoque quia mitior est, eam lubens amplector. Itaque cum concessum sit recipi victualia pro temporis necessitate insumenda, qui aliquid vltra ipsa siue à locis exemptis, siue à non exemptis receperit, pœnis in *cap. Exigit*, præscriptis afficietur, secus vero si nihil amplius, quam victualia à locis exemptis receptauerit.

Dvbivm XLIX.

An Suspensioni subiiciatur Visitator in euentu, quo laici procurationem soluunt, & ab ipsis aliquod munus vltra victualia recipit?

197 *Non subiicitur.* NOn subiicitur. Quia has Censuras non incurrit Visitator ex eo præcisè, quod aliquid vltra victualia recipit; sed ex eo quod duplum eius, quod ab Ecclesia receptum est infra mensem non restituat. Neque ab his pœnis liberari potest, quousque de duplo huiusmodi grauatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendat, vti *cap. Exigit* habetur. Ergo supponit Pontifex Ecclesiam grauari debere, non populum, vt hisce pœnis locus sit. Ita nonnulli, quorum sententiam Palao *de Censur. disputat. 4. punct. 10. §. 3. num. 11.* innuit esse probabilem.

198 *Subiicitur quidem.* Subiicitur equidem, à quocumque munera visitationis occasione recipiantur. Quia in *cap. Romana §. procuratione, de censib. in 6.* & in Tridentino *sess. 24. cap. 3.* generaliter prohibetur receptio vltra victualia ab his, qui visitantur: neque vlla restrictio apposita est, vt solum ab Ecclesia debeat esse receptum. Ita Bonacina *tom. 3. de Censur. disputation. 3. quæstion. 5 punct. 4. num. 15.*

199 *Hoc verius mihi.* Hoc verius longe esse crediderim. Nam sub nomine Ecclesiæ Rectores Ecclesiarum, imo & populus intelligi potest, cum hi nomine Ecclesiæ procurationem soluunt. Addo, in *cap. Exigit* appositum esse nomen *Ecclesiæ*, non ad restringendam dispositionem, sed gratia frequentioris vsus : eo quod frequentius ex bonis Ecclesiarum, quam ex bonis Rectorum, ac populi procurationes soluuntur.

Dvbivm L.

Infamatus de crimine adulterij, periurij, ac falsi testimonij suspenditurne à susceptione ordinum, eorumque exercitio. Cap. fin. de tempor. ordinat.

200 *Suspenditur ipso iure.* SVspenditur quidem. Quia de his criminibus infamatus Clericus non repellitur in eo *Cap.* nisi talia crimina notoria fuerint. Ergo si manifesta sint, supponit textus, huiusmodi delinquentem à susceptione ordinum, illorumque exercitio esse repulsum. Sic nonnulli Doctores, quos presso nomine memorat Palao *de Censur. d. 4. punct. 10. §. 4. num. 4.* innuens probabiliter eos opinari.

201 *Non ipso iure suspenditur.* Non suspenditur. Quia suspensio indicenda non est, absque textu manifesto. At ex citato textu ad summum colligitur, stante delicti notorietate, esse delinquentem repellendum, non tamen esse ipso iure repulsum. Ita Palao *ibi* Couar. *ad Clement si furiosus, de homicid. p. 1. §. 1. num. 5.* Henriquez *lib. 13. cap. 36.* Toletus *lib. 1. cap. 47.* Filliucius *tractat. 17. num. 121.* Suarius *disputation. 31. section. 4. num. 2.* Auila *part. 3. disputation. 5. dub. 1.* Bonacina *tom. 3. de Censur. disputatione tertia, quæstione septima, puncto primo.*

202 *Hoc longe probabilius.* Hoc probabilius longe esse crediderim, cum nullum alium textum videam contrarium asserere. Imo Tridentinum *sess. 22. decreto de observand. in celebrat. Missæ.* solum statuere, peccatores publicos, si Clerici sint, non esse permittendos alteri ministrare : si vero sint laici, sacris interesse. Quod potius denotat suspensionem ferendam, quam latam.

Dvbivm LI.

Clericus publicus concubinarius suspenditurne in Cap. Quæsitum vltim. de cohabit. Cleric. & mulier.

203 *Suspenditur.* SVspenditur plane ipso iure. Quia ibi dicitur, Clericum concubinarium esse suspensum quoad se, non quoad alios, huiusmodi pec-

catum sit notorium per sententiam, vel confessionem factam in iudicio, aut per rei euidentiam, quæ tergiuersatione celari non possit. Ergo quando delictum perpetratur aliquo ex his modis, suspensio contrahitur: cuius effectus est, excludere ab officio, & beneficio. Sic nonnulli, quos memorat Palao *disp.4.punct.10. num.5.* mox citandos.

204 *Non suspenditur.* Non suspenditur ipso iure. Quia Tridentinum *sess.25.c.14.* nullam fert iure ipso suspensionem, præter eam, quæ aduersus Episcopum concubinarium à Concilio Prouinciali monitum inducitur. Quod manifeste probatur ex ipso decreto, vbi cauetur, ne Clerici quicumque sint, concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis vllam consuetudinem habere audeant: *alioquin pœnis à Sacris Canonibus, aut statutis Ecclesiarum impositis puniantur.* Expende TÒ puniantur, quod futuri est temporis, & Iudicis denotat actionem, Ita Soto *in 4.distinction.1.quæstion.5.articul.6.ad 1.* Henriquez *libr.13.c.36.* Garcia *de benefic. part.7. c. 14.num.15.* Suarius *disputation.31.section.4.nume.10.* Auila *part.3.d.5.dub.2.concl.1* Filliucius *tractat.17. numer. 123.* Bonacina *de Censur. in particul.disputation.3.quæstion.7. punct.4.* Palao *citatus.*

205 *Auctoris resolutio.* Fateor iure antiquo latam esse suspensionem aduersus Clericum concubinarium Cap. *Nullius.* Cap. *Præter* 32. Cap. *Si qui sunt.* Cap. *Ministri* 8. & præcipuè Cap. *Quæsitum, citato.* Et scio, inter Doctores id asserentes esse discrimen. Nam S. Antonin. *part.3.titul.27.c.3.* Syluester *verb. Concubinarius*, §. 4. Nauarr. *umm. c. 25. num. 76.* asserunt quemlibet Clericum etiam minoribus ordinibus initiatum hanc suspensionem incurrere. At Couarruuias *ad Clement. si furiosus, part.2.§.1.num.5. de homicid.* Ludouic. Lopez *part.2. Instr.c.23.& 31.* Manu. *summ.tom.1.c.202.num.3.* Valentia *tom.4. d.7. quæst.18.punct.1.* censent, solum Clericum in sacris constitutum huic subiici suspensioni. Ast iure nouo de Clericis non habentibus beneficium statuitur, vt iuxta delicti qualitatem pœna carceris, suspensionis ab Ordine, & inhabilitatis ad beneficia obtinenda aliisque modis ab Episcopo puniantur. Vnde infertur Clericos Episcopo inferiores non subiici iure ipso suspensioni. Episcopus vero si ab huiusmodi crimine non abstinuerit à Concilio Prouinciali admonitus, ipso iure suspenditur: & cum sit absoluta suspensio, ab officio, & beneficio debet intelligi.

Dvbivm LII.

Clericus Sodomiæ crimine infectus siue publicè siue occultè, estne Suspensione ipso iure affectus, ex Bulla Pij V.

206 *Est suspensus iure ipso.* CLericus Sodomita siue publicus siue occultus ab officio, ac beneficio iure ipso est suspensus. Quia in Bulla Pij V. (quæ in Bullario est 70. in ordine) Clericus tam dirum nefas exercens omni priuilegio Clericali, dignitate & beneficio Ecclesiastico priuatur: & per Ecclesiasticum Iudicem degradatus, statim Curiæ sæculari traditur. Præterea hoc crimen infamiam inducit: at infames à beneficiis executione, neque suorum ordinum suspenduntur *Cap. Infames 3.q.7.*

Non est iure ipso suspensus. Quia nullus est 207 *Non est iure ipso suspensus.* textus, ex quo talis suspensio colligi possit: imo colligitur contrarium ex *cap. Clerici, de excess. Prælat.* Neque est verum infames esse iure ipso suspensos: sed durante infamia, irregulares esse, & impeditos ab ordinum executione, non ob suspensionem, sed ob irregularitatem infamiæ annexam. Ita Nauarra *summ. c. 27. numer. 249.* Filliucius *tractat. 17. numer. 127.* Bonacina *d.3 quæstion.7. punct.2.* Auila *part.3. d.5. dub.3.* Suarius *d. 31. section. 5. numer. 19.* Toletus *libr.1 c.74. num.3.* Henriquez *libr. 13. capit.36.* & alij.

Veriorem hanc sententiam esse credo. Nam 208 *Verius hoc esse credo.* Pius V. denudans Clericos Sodomitas priuilegio Clericali, dignitatibus, aliisque Ecclesiasticis beneficiis, non suspensionem, neque irregularitatem inducit; sed iuris quæsiti priuationem: ideoque sententia saltem declaratoria criminis est necessaria. At quidquid sit de hac sententia, cuius veritas ex facto pendet, illud est certum præfatas pœnas à Pio latas non habere locum in patrantibus hoc crimen semel, aut iterum, sed in illis, qui per vsum continuo exercent.

Dvbivm LIII.

Suspensio expressa in Cap. Non solum, *& in* Cap. Constitutionem, de Regularibus, *contra Religiosos Mendicantes aliquem ad professionem admittentes, anno probationis non completo: comprehenditne Moniales?*

HIquidem suspenduntur à receptione quo- 209 *Quæstio fit.* rumcumque ad professionem, & pœnis, quæ pro grauibus culpis apponi in ea Religione consueuerunt, subiiciuntur. Et licet in *Cap. Non solum* sermo tantum sit de Ordinibus Prædicatorum, & Minorum Religiosis: at in *Cap. Constitutionem* ad omnes Mendicantes prohibitio extenditur. Quæsierim autem, num in hac constitutione Moniales comprehendantur?

Comprehenduntur quidem. Quia masculi- 210 *Comprehenduntur.* num in iure fœmininū se assolet continere. Sic nonnulli apud Sylvest. *v. Religio 3.q.3.* Neque est improbabile.

Non comprehenduntur. Quia esto masculi- 211 *Non comprehenduntur.* num sub se continere fœmininum soleat: sed id plerumque est in fauorabilibus; sed non in penalibus. Ita Palao *de Censur. disputatione quarta, punctо decimo, Paragrapho sexto, numero secundo*, & alij apud eundem Syluestrum *vbi supra.*

Hoc probabilius longe. Nam Moniales non 212 sunt suspensionis capaces Clericos solummodo

do afficientis. Fateor tamen illis Monialium receptionem posse interdici ob indebitam, & immaturam alicuius receptionem ad professionem.

Dvbivm LIV.

An hæc pœna suspensionis habeat locum post Tridentinum sess. 2. cap. 15. *professionem ante annum expletum irritans?*

213 *Habet locum.* Locum habet. Quia in præfato *c. Non solum* spectatur factum, non valor actus. Et quia grauius Religiosi delinquunt admittentes nunc ad professionem, vtpote invalidam. Sic Bonacina *tom. 3. de Censur. in particul. disputatione 3. quæstione 8. puncto 5. numero decimo nono.*

214 *Locum non habet.* Non habet locum. Quia suspensionis pœna in *c. Non solum*, & in *c. Constitutionem, de Regularibus, in 6.* inducta erat, ne ad professionem, quæ obligationem Religioni saltem in genere inducebat, admitterentur, qui nondum annum probationis expleuerant; quia hoc fragilitati humanæ, in cuius fauorem annus probationis est statutus, contradicebat. At hæc ratio cessat, posito quod professio illa nullam vim obligandi habeat; siquidem ex ea fragilitas humana non læditur, & reputatur, ac si facta non esset. Ita Sanchez *libro 5. Decalogi cap. 4. num. 40.*

215 *Hanc sententiam profero.* Hanc præfero sententiam. Nam textus in *c. Non solum*, spectare factum, scilicet, admittere ad professionem ante expletum probationis annum: sed non quodcumque factum, sed factum, quod obligationem in professo induceret, quam obligationem Pontifex impedire, hac pœna imposita, intendebat.

CAPVT XIII.

Circa Depositionem, & Degradationem.

Dvbivm LV.

Si Clericus incorrigibilis esse declaretur, sufficitne, vt depositus valeat, & Curiæ sæculari tradi?

216 *Nonnulla suppono.* Depositio simplex, & absoluta Clericum priuilegio fori, & Canonis non denudat, nisi expresse in sententia exponatur. Colligitur ex *c. Cum non ab homine, de iudiciis*, vbi post degradationem verbalem non traditur delinquens Curiæ sæculari, nisi contumacia crescat, & incorrigibilis existat. Et in *c. 2. de pœnis, in 6.* degradationi actuali, & reali, & non verbali priuatio Clericalis priuilegij annectitur teste Suario *disputation. 30. section. 1. num. 8.* Auila *part. 4. d. vnic. dub. 1.* Bonacina *tom. 1. disputation. 4. de Censur. part. vnic. num. 3.* & aliis. Restringitur vero hæc doctrina, nisi post depositionem Clericus in eodem crimine, vel simili perseueret, cuius correctionem Ecclesia sub excommunicatione præcipit. Nam eo ipso videtur Clericali priuilegio denudatus, & sæculari potestati puniendus tradi, vtpote incorrigibilis. Quæstio autem est, an sufficiat ad hoc vt Clericus declaretur esse incorrigibilis?

217 *Sufficit quidem.* Sufficit quidem. Quia *c. Cum non ab homine* exigitur solum, vt incorrigibilis existat. Et *c. 2. de pœnis*, degradationi actuali priuatio Clericalis priuilegio ob incorrigibilitatem Clerici annectitur. Sic Abbas ad *c. Cum non ab homine, num. 28.* Sylvest. *verbo Degradatio, quæstion. 6. numer. 8.* Auila *part. 4. disputation. vnic. dub. 1.* Bonacina *disputatione quarta, puncto vnico, numero tertio,*

218 *Non sufficit.* Non sufficit. Quia ad id opus est non solum sententia declaratoria incorrigibilitatis, sed etiam priuatiua Clericalis priuilegij. Nullibi enim cautum videtur, Clericale priuilegium ob incorrigibilitatem amitti. Ita Gloss. *ad cap. Cum non ab homine, ver. Postmodum.* Toletus *lib. 1. cap. 50 §. Addu te.* Suarius *disputation. 30. section. 1. num. 7. & 8.* Layman. *lib. 1. tract. 6. part. 5. c. 5. num. 4.*

219 *Prima sententia adhæreo.* Primæ sententiæ adhæreo, licet secundam satis probabilem esse censeam. Itaque Clericus depositione simplici, absoluta minime denudatur fori, ac Canonis priuilegio, nisi expresse in sententia declaretur esse incorrigibilem. Hoc autem sufficit, nec opus est sententia priuatiua illius priuilegij.

Dvbivm LVI.

An degradationis verbalis ferre sententiam, pertineat ad solum Episcopum consecratum?

220 *Ad solum Episcopum cõsecratum pertinet.* Ad solum Episcopum consecratum pertinet. Quia est actus solemnissimus, quo Ecclesia sua vtens iurisdictione Clericum fœdis pressum facinoribus, & incorrigibilem Clericali priuilegio priuat: quæ quidem actio nequit, nisi à Præsule geri ea, quæ requiritur decentia, ac grauitate. Et quidem ex vsu Ecclesiæ id esse compertum, quis non videat? Sic Imoa ad *c. Transmissam.* Sarmiento *l. 1. select. cap. 14. num. 9.* Didac. Perez *libr. 8. ordin. titul. 4. leg. 3. col. 17.*

221 *Nõ pertinet ad solum Episcopum consecratũ.* Non pertinet ad solum Episcopum, sed Capitulum Sede vacante per suum Vicarium electum ferre potest degradationis sententiam. Quia succedit Episcopo in iis, quæ ad iurisdictionem pertinent. Ita Auila *p. 4. d. vni. dub. 2. §. Secundo sequitur.*

222 *Hoc defendo, & confirmo.* Scio, Abbatem contrarium sentire *c. Atsi Clerici, §. de adulteriis*, & alibi. Ego autem existimo, degradationem comparatione Episcoporum, solum Pontificem posse. *cap. Accusatus. c. Quamuis 3. quæstion. 6.* Cognitionem autem causæ ferri debere per Metropolitanum, conuenientibus

nientibus Episcopis totius Prouinciæ, qui ad minus præter Metropolitanum, debent esse duodecim. Ad degradationem Religiosi exempti, nullum alium nisi Pontificem, sententiam ferre posse, nisi forte ex consuetudine, vel priuilegio eorum Prælato Regulari ea potestas competat. Comparatione autem aliorum Clericorum Episcopum proprium esse, qui potest degradationis sententiam ferre, etiamsi consecratus non existat. Quinimo ex eius delegatione à simplici Sacerdote fieri posse. Quia non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Suarius *disputation.30.section.1.numer.18.* Bonacina *tom. 1.disputation.4.punct.vnic.num.10.& 11.* Laym. *libr.1.tractat.5.part.3.c.5.num.3.* Coninch. *d.16. num.6.* Ex quo patet Capitulum sede vacante per suum Vicarium electum sententiam degradationis ferre posse, cum succedat Episcopo.

Dvbivm LVII.

An degradationem actualem necessario debeat proprius gerere Episcopus?

223 *Status quæstionis.* DEgradationi authenticæ succedit actualis degradatio, quæ est solemnis executio sententiæ degradationis, fitque necessario ab Episcopo consecrato; quia est actus non solum iurisdictionis, sed & ordinis ex Ecclesiæ institutione consecrationi Episcopali annexus. Toletus *libr.1.c.50.* Suarius *d.30.section.1.num.18.* Sayrus *libr.5.thesaur.c.21.num.12.* Quæsierim autem num proprius Episcopus necessario huiusmodi degradationem gerere debeat?

224 *Debet quidem.* Debet quidem, neque potest alteri Episcopo consecrato ad id suas vices committere. Quia Tridentinum *sess.23. cap.4.* ait: *Et per se ipsum etiam ad actualem, & solemnem degradationem, &c.* Sic Bonacina *tomo primo, disputatione quarta, de Censur. puncto vnico, numero 11.*

225 *Non debet.* Non debet necessario, sed potest id alteri Episcopo consecrato committere. Quia verba Concilij *Per se ipsum* non posse per Vicarium non consecratum fieri: non tamen excludunt, quin per alium Episcopum consecratum fieri valeat. Ita Suarius *disputatione trigesima, sectione prima, numero decimo octauo.* Layman. *libro primo, tractatu quinto, parte tertia, capite 5. numero 5.*

226 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam si Episcopus, cui actio illa committitur, consecratus sit, ad id. que Episcopi proprij commissionem accipiat, saluari existimo Concilij mentem; nam ille Episcopus vices proprij Præsulis exerens, quasi alter ille esse videtur. Vnde proprius Episcopus *Per se ipsum* quodammodo gerit actionem.

Dvbivm LVIII.

An ob alia crimina ab ijs, quæ à Iure annumerantur possit Clericus, maxime si Sacerdos sit, vel Religiosus, degradari?

227 *Nonnulla recolo.* REcolo quænam crimina sint degradationis pœnæ obnoxia. Primum crimen est hæresis, si in ea quis contumax existat *cap. Ad abolendum.* Secundum, falsificatio litterarum Apostolicarum *cap. Ad falsariorum, de crimine falsi*, nisi forte Pontifex pœnam mortis in carcerem perpetuum commutet. Tertium Sodomia non semel, sed aliquoties commissa. *Constitut.70. Pij V. contra Sodomit.* Quartum calumnia, seu conspiratio in proprium Episcopum. *c.Si quis Sacerdotum 11.quæstion.1.* Si incorrigibilitas accedat. Quæsierim autem, num ob alia crimina possit Clericus maxime si Sacerdos, vel Religiosus sit, degradari, & Curiæ sæculari committi; esto incorrigibilis non sit?

228 *Non potest.* Non potest, si incorrigibilis non sit. Quia textus in *c.Cum non ab homine, de iudiciis*, exigit incorrigibilitatem, vt Clericus Curiæ sæculari puniendus tradatur. Sic Bernard. Diaz *pract.c.90.& c.132.* alios referens Iulius Clarus *lib.5.quæst.36.num.31.* Bossi. *tractat. de crimin. titul. de foro compet. num.135.& 136.* Scaccia *de iudic. part.3.cap.11.num 60.& 61.* Sayrus *libro quinto, thesaur. capite vigesimo secundo, numero vigesimo.*

229 *Potest, quidem.* Potest quidem, pro quolibet crimine enormi, & notabiliter scandaloso Clericus etiam Sacerdos, vel Religiosus degradari actualiter, & Curiæ sæculari committi, non expectata incorrigibilitate. Quia hoc ex experientia sæpe est comprobatum: cui consuetudini allegatus textus minime obstat, vti mox ostendam. Ita Barbosa *de potestat. Episc. part.3. alleg.110. numer.13.* Abbas *ab 6. Cum non ab homine*, & *cap. Atsi Clericus, num.49.* Sylaest. *verbo Degradatio, quæstion.2.* Toletus *libr.1.c.50.* Layman. *libro tractat.5.part.3.c.5.num.vltim.* Molina *tractat. 3.disputation.49.numer.19.* & alii relati à Couarruuia *libro secundo, variarum capite vigesimo, numero septimo.*

230 *Hoc verius existimo.* Hoc verius este existimo. Cui, inquam, non obstat textus in *c.Cum non ab homine*, exigens incorrigibilitatem, vt Curiæ sæculari Clericus puniendus tradatur. Quia textus loquitur de quolibet delicto graui, ob cuius causam plerumque loquendo, non est tradendus Clericus Curiæ sæculari, nisi incorrigibilitas adsit. Non tamen ibi prohibetur, quin Ecclesia possit ob enorme delictum, non expectata incorrigibilitate, Clericum curiæ sæculari plectendum committere: quandoquidem ipsa Ecclesia non habet pœnam, quam imponere possit tali delicto dignam. Quod si rogites, quodnam censeatur delictum enorme? Respondeo, hoc Iudicis arbitrio remitti, vt ait Iulius Clarus *libr. 5.§.final.quæstion.36.num.36.* Censerem autem, esse delictum enorme homicidium Prælati, vel Sacerdotis, patris, vel fratris. Item assassinium, furtum,

furtum,sacrilegium, deprædationem communium bonorum,& similia.Et generatim omnia illa delicta ob quæ capitalis pœna ciuili iure statuta est,si pluries,repetita fuerint, enormitatem iudico continere.

Dvbivm LIX.

Cum Episcopus dispensat, vt depositus ob crimen minus adulterio ad pristinum restituatur statum:ad hanc dispensationem faciendam, indigetne Capituli consensu?

231 *Nonnulla suppono.*

CErtum est,facta depositione, vel degradatione,regulariter solum Pontificem depositum,vel degradatum in suum pristinum statum posse restituere. Attamen si crimina, ob quæ quis depositus est, adulterio minora fuerint, poterit Episcopus dispensationem,post peractam pœnitentiam, concedere. *cap. Atsi Clerici,de iudiciis.*Bonac. alios referens *tom.* 1. *d.4.punct. vnic. num.* 11. Neque obest infamia orta tum ex delicto, ratione cuius facta est depositio:tum ex depositionis sententia;quia infamia orta ex delicto pœnitentia purgatur;quę vero ex sententia condemnatoria nascitur,dispensatione tollitur.Quæsierim autem, num ad hanc dispensationem faciendam, Episcopus Capituli consensu indigeat?

232 *Indiget necessario.*

Indiget necessario Quia *cap. At si Clerici,de iudiciis*,Pontifex ait: *Potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Nam illa particula, *Cum Clericis* denotat, Clericos ad dispensationem concurrere, illiusque causam efficientem esse. Sic Panormit. *ad dictum cap. num.16.*

233 *Non indiget.*

Minime indiget.Quia spectata consuetudine,soli Episcopo hæc facultas dispensandi conceditur. Ita Gloss. *ad cap. Cum ex eo, verbo Episcopus,de election.in 6.* Decius *ad cap. Atsi Clerici,num.*20.Romanus *consil.*325.*fine.*Alter. *tom.*2.*disputation.*2.*quæstion.*9. Bonacin. *tom.*1. *disputation.* 4. *de Censur. puncto vnico. circa finem.*

234 *Hoc dicendum.*

Hoc plane dicendum,spectata,vt dixi, consuetudine.At spectato iuris rigore idem efficacius affirmarim.Quia nullus est textus, ex quo Capituli consensus requiratur. Nam *cap. Atsi Clerici* non obstat.Nam cum dicit, posse Episcopum *cum Clericis* post peractam pœnitentiam dispensare, ly *cum Clericis* non actiuè, sed passiuè est sumendum, huncque sensum præstat : potest Episcopus cum Clericis ob crimina adulterio minora depositis post peractam pœnitentiam dispensare. Porro degradatum instè, nullus præter Pontificem dispensare potest. Quia degradatio semper fit ob crimina adulterio grauiora. Dixi *Degradatum iustè*; nam si iniustè quis degradatus fuerit, ipsi, qui prædictam sententiam tulit, competit emendare. Episcopus ergo,qui tulit sententiam, subditum defendat, & depellat iniuriam.

LIBER LII.

INTERDICTVM.

PLerumque nomen Interdicti sumitur in Iure pro dicto, seu ordinatione Iudicis inter reum, & actorem. Nam cùm hi contendunt de aliqua possessione obtinendâ, vel retinendâ, & Iudex quid faciendum statuit, statutum illud quia est inter duos dictum, Interdictum *appellatur* Institut. de interdict. in principio, & Digestis eodem titulo, & Gloss. Clement. *1.* de foro compet. *At Interdictum sumptum à verbo* Interdico *solum significat decretum Iudicis prohibitorium, quo Iudex aliquid faciendum prohibet. Institut.* de interdictis, §. Exhibitoria. *Strictiùs in præsenti nomen Interdicti sumitur pro bonorum spiritualium prohibitione in pœnam, vel medicamen alicuius delicti imposita, & iuxta hanc acceptionem Interdictum vna est ex Ecclesiasticis Censuris, quarum mentio fit in* Cap. Quærenti, de verborum significatione. *Expendam itaque quid, ac quotuplex sit hoc Interdictum, eius effectus, peccatum, ac pœnas illud violantium, eiusdem causas, & relaxationem: Demum Interdicta speciatim in iure lata expendam.*

SECTIO PRIMA.

De Interdicto Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex sit Interdictum.

1 *Quid interdictum.*

INTERDICTVM est *Ecclesiastica Censura Sacramentorum vsum, diuina officia, & sepulturam Ecclesiasticam secundum se ipsam prohibens.* Omnes.

2 *Interdictũ Locale, Personale, & Mixtũ.*

Aliud interdictum est *Locale*, aliud *Personale*, aliud *Mixtum*. *Locale* est, quo directe interdicitur locus, ne in eo diuina officia audiantur ab incolis, vel extraneis, quamuis personæ loci interdicti possint officia diuina alibi exaudire. *Personale* est, quando prohibetur populus, vel aliqua persona particularis officia audire vbicumque adsit: & ideo immediate dirigitur ad personam, differtque à locali, quod ad certum locum non terminetur. *Mixtum* vero complectitur locale, ac personale, quia interdicit locum, & personas simul. Vnumquodque illorum potest diuidi in *simplex*, & *mixtum* hoc est, generale tantùm, aut particulare tantùm, aut generale, & particulare simul. *Cap. Non est nobis, de sponsal.* Suarius *de Censur. d. 32. sect. 1. & 2* Filliucius *tractat. 18. numer. 1.* Toletus *libro primo, capite 51.* Nauarr. *summa capite 27. numero 164.*

3 *Interdicto loco, non censetur populus interdictus, nec è contra.*

Interdicto loco non censetur interdictus populus, nisi aliud exprimatur: & posito interdicto personali, non censetur positum locale, nisi hoc exponatur à Iudice. Quare interdicta aliqua Ecclesia possunt Sacerdotes illius in alia Sacra officia persoluere, modo ipsi non fuerint in causa culpabili, ob quam latum sit interdictum. Nam qui causam culpabilem interdi

terdicto locali dedere, nullibi possunt audire, vel persoluere diuina officia. Posito autem interdicto locali, non possunt ciues illius loci, imo neque exteri in loco interdicto celebrare. *c. Sicut, de sent. excomm. in 6.* Sylvest. *v. Interdictum 2. n. 7.* Regin. *l. 32. n. 5.*

4 *Interdictum locale generale.*

Interdictum *locale generale* illud est, quo interdicitur locus vniuersalis, ideſt, Regnum, aut Prouincia, aut Diœceſis, aut Ciuitas, aut Villa, aut Castrum. Vnde interdictum Parochiæ est generale, si per eam intelligatur totus ambitus alicuius Castri. Si vero in Ciuitate, vel Oppido, vel Castro sint aliæ Parochiæ, non est generale, sed speciale. Multo magis erit speciale, non generale, quando interdicuntur aliquæ Eccleſiæ, vel omnes cuiuscumque loci. Vnde diuina officia poterunt extra Eccleſiam celebrari, scilicet in domibus priuatis, in quibus ali. qui priuata habent sacella. Suarius *disput. 32. sect. 2. n. 7.* Henriq. *l. 13. c. 41. n. 3.* Fill. *tr. 18. nu. 5.* Sayr. *l. 3. c. 2. n. 13. & 14.*

5 *Interdictum personale generale.*

Interdictum *personale generale* est, quo interdicitur generaliter populus totius Regni, vel Prouinciæ, vel Ciuitatis, vel Villæ, vel Castri: speciale vero, quo interdicitur pars aliqua populi, & communitatis. Interdicto populo, non intelligitur interdictus Clericus, & è contrà. Interdicta autem familia interdicti censentur Clerici, & alij eiusdem familiæ. Quia interdictum simpliciter in personas illius familiæ fertur. Quando interdicuntur Doctores alicuius Ciuitatis, vel Collegij, intelliguntur etiam interdicti Clerici Doctores. Quia nomen Doctoris tam conuenit Clerico, quam laico. Interdicto vero populo Ciuitatis non intelliguntur interdicti qui in suburbiis habitant, quando non sunt de populo Ciuitatis: alias interdicti censentur. Valent. *tom. 4. d. 7. q. 18. pun. 2.* Nauar. *sum. c. 27. n. 167.* Auila *de Cens. p. 5. d. 1. dub. 9. c. 5.* Vgol. *tab. 5. c. 20. §. 5.*

6 *Subiacent interdicto vniuersitatis Communi. tatis ciues, qui absunt dum latum est, non vero exteri etiam si adsint.*

Communitatis interdictæ ciues, qui absunt, dum interdictum fertur, ei subiacent. Quia sunt pars Communitatis interdictæ. Si vero habeant actu domicilium alibi, vel alio transferant domicilium, desinunt interdicti esse, modo ipsi causam culpabilem interdicti non dederint. Populo interdicto, non intelliguntur interdicti exteri alterius Ciuitatis, vt sunt Scholares, quamuis ad longum tempus ibi habitent. Quia non sunt pars illius populi, vel Communitatis. Qui autem habent duo domicilia, vnum in eo loco, in quo totus populus est interdictus: aliud in alio loco, vbi non est interdictus, interdictus etiam erit. Quia ex domicilio, quod in interdicto populo obtinet, pars est illius communitatis. Sayrus *lib. 3. cap. 4. num. 2.* Vgolin. *tab. 5. cap. 20. §. 5.* Nauarr. *cap. 27. num. 167.* Filliucius *tract. 18. num. 14.* Bonacin. *disputation. 5. punct. 1 numer. 17.*

7 *Carentes rationis vsu non subiacent, priuantur tamen Eccleſiaſtica sepultura.*

Pueri, & amentes carentes rationis vsu, communitate interdicta, interdicti minime censentur. Quia non sunt culpæ capaces. Priuantur tamen Eccleſiaſtica sepultura interdicti tempore. Quia est interdictum locale directe afficiens locum. Porrò per interdictum generale personale latum contra aliquam Communitatem, intelliguntur interdictæ singulares personæ, quæ sunt pars illius communitatis. Quia non interdicitur communitas abstractè sumpta. Fil. liucius *tractatu 18. numero 24.* Sayrus *libr. 3. cap. ... numer. 23.* Suarius *disputation. 32. section. 2. numer. 13.*

8 *Ciuitate interdicta, suburbia intelliguntur etiam interdicti.*

Aliqua Ciuitate interdicta, intelliguntur etiam interdicta esse suburbia, ideſt, ædificia, quæ sunt extra muros Ciuitatis, vel illis contigua, aut vicina. Et hoc valet, etiamsi loca illa sint alterius Diœceſis, & non subdita Iudici Eccleſiaſtico, à quo latum fuit interdictum. Quia tunc illa suburbia non censerentur interdicta ab Episcopo, sed à iure communi. Suarius *disputation. 32. section. 2. numer. 32.* Coninch. *disputation. 17. num. 18.* Filliucius *tract. 18. num. 8. & 9.*

9 *Et Eccleſiæ Regularium si interdictū locale generale sit.*

Interdicta aliqua Ciuitate per interdictum locale generale, etiam Religionum Eccleſias, quæ alias sunt exemptæ censeri interdictas Tridentinum statuit. Vnde Religiosi tenentur interdictum locale generale obseruare. Per interdictum tamen speciale non potest Episcopus Eccleſias exemptas interdicere. Quia ius id ei non permittit. *Tridentin. sess. 25. capit. 12. & 22.*

10 *Eccleſiæ interdictæ, intelliguntur interdictæ Capellæ cœmeteria, &c.*

Eccleſia interdicta, intelliguntur interdictæ esse Capellæ, ac cœmeteria Eccleſiæ contigua. Quia censentur vnum corpus, & accessorium sequitur principale. Contigua dixerim ea, quorum extrema sunt simul, seu quorum extremitates se inuicem tangunt, itavt inter vnum, & alterū aliud aliquid non interponatur. Nauarra *capite 27. numero 167.* Sayrus *libro 3. capite 2. numero 16.* Reginaldus *libro 32. numero nono.*

11 *In personali interdicto non includitur Iudex, qui id tulit, in locali vero includitur.*

In personali interdicto non includitur Iudex, qui illud tulit. Quia non potest se ipsum interdicere, cum non habeat iurisdictionem coactiuam in se ipsum: sicut neque habet in Superiorem, vel æqualem, sed solum in subditos. In locali vero interdicto includitur etiam ipse Iudex, vel superior, vel æqualis. Quia effectus interdicti sunt instituti à iure communi: in iure autem communi non potest Iudex inferior Papa dispensare. Vnde Iudex, qui locum aliquem interdixit, tenetur abstinere ab officiis in eo loco persoluendis. Quia hic est effectus à iure communi introductus, in quo non potest dispensare. Coninch. *disputatione decima septima, dubio decimo octauo, numero vigesimo quinto.* Nauarr. *capite vigesimo septimo, numero 161.* Sayrus *lib. 3. cap. 3. num. 6.* 8. Filliucius *tractat. 18. num. 26.*

CAPVT II.

De Interdicti Effectibus.

12 *Effectus interdicti ad tria capita reducuntur.*

INterdicti effectus ad tria capita reuocātur. Primū est priuatio actiua, & passiua quorūdā Sacramentorū. Secundū, priuatio actiua, & passiua diuinorum officiorū. Tertium, priuatio similis Eccleſiaſticæ sepulturæ. *cap. Si ciuitas. cap. Alma mater, de sent. excomm. in 6.* Hi effectus cōmunes sunt proportionaliter omni interdicto tam locali, quam personali

& vtrique tam generali, quam particulari. Singula expendo capita.

Primus effectus, seu priuatio actiua, & passiua Sacramentorum.

13 *De Baptismo & Confirmatione interdicti localis tempore.*

INterdicti localis tempore, siue sit generale, siue particulare, Sacramenta Baptismi, ac Confirmationis possunt administrari paruulis, & adultis, sanis, & infirmis, idque solemniter cum catechismis, exorcismis, vnctione Chrismatis in vertice, publicè, & apertis ianuis. Vnde Parochus, cuius Ecclesia est interdicta, non tenetur, aliam non interdictam adire, vt Sacramentum Baptismi administret. Quia illius Parochia quoad hunc effectum interdicta non est. *c. Quoniam. c. Alma mater, de sent. excomm. in 6.* Sayr. *libr. 5. capit. 7. numer. 3.* Filliucius *tractat. 18. numer. 31. & 32.* Suarius *disputation. 33. section. 1.*

14 *De eisdem tempore interdicti personalis.*

Sacramentum vero Confirmationis recipere potest personaliter interdictus interdicto personali generali. Ille autem, qui personali speciali interdicto ligatus est, aut qui dedit interdicto causam, ad hoc Sacramentum admitti non potest, nisi prius condignam satisfactionem præscriptam ab Ecclesia præstiterit. Quia hic est reus culpæ, & contumaciæ. Licitum est quidem Baptismum etiam solemniter ministrare, qui interdicto personali generali afficitur. Personæ vero specialiter interdictæ non licet extra necessitatem id ministrare. In necessitate autem licebit, priuatim tamen. Similiter personaliter interdictus interdicto personali generali, & qui causam interdicto non dedit, potest ministrare Confirmationis Sacramentum, sicut & Baptismi: specialiter vero interdictus minime potest. Bonac. *disputation. 5 punct. 3. Paragraph. 1. num 4. 5. & 6.* Filliucius *tractat. 18. num. 33. & 35.* Suarius *disputation. 33. sect. 1. num. 9.* Sayrus *lib. 5. cap. 7. num. 6.* Reginaldus *l. 32. num. 24.*

15 *De Pœnitentia Sacramento tempore interdicti localis generalis, & specialis.*

Pœnitentiæ Sacramentum tempore generalis interdicti localis iure nouo conceditur tã ægrotis, quam sanis: Excipe tamen excommunicatos, qui quidem ad Pœnitentiam non admittuntur interdicti tempore nisi in mortis articulo, vel nisi à superiore legitimo absolutus fuerit. Et illos, quorum culpa, dolo, vel fraude latum est interdictum. Et illos, qui auxilium, consilium, vel fauorem dedere ad patrandum delictum, propter quod interdictum est latum; hi etenim absolui non possunt, nisi prius satisfaciant: vel si id nequeunt gerere, idoneam saltem dent cautionem de satisfaciendo: vel quando hæc præstare non valent, iurent, se quam primum poterunt, satisfacturos, simulque curaturos, vt ab aliis satisfiat. Sic statuitur *Cap. Alma, de sententia excommunicationis, in sexto.* Vnde quilibet Confessarius, qui non dedit culpabilem causam locali interdicto, potest eo tempore in loco interdicto Sacramentum Pœnitentiæ administrare. Quando vero specialiter est interdictus Confessarius, non potest licite hoc Sacramentum administrare, excepto necessitatis casu. An vero valide administret, *Sectionis secundæ* est resolutio. Henriquez *lib 13. cap. 45.* Toletus *lib. 1. cap. 20.* Couarruu. *ad c. Alma mater, p. 2. §. 3. num. 1.* Filliuc. *tr. 18. n. 38.* Suar. *d. 33. sect. 1. n. 20.* Sayr. *l. 5. c. 7. n. 8. & 9.*

16 *Quid de Eucharistiæ Sacramento.*

Sacramentum Eucharistiæ iure antiquo, & etiam à fortiori iure nouo infirmis in probabili mortis periculo existentibus tempore interdicti localis administrari potest, cum solita solemnitate, ideſt, cum gestatione luminarium, cum tintinnabulo campanulæ sonitu, cum recitatione Psalmorum, & cum apparatu Sacerdotis, & Christi fidelibus cum luminaribus comitantibus. Vnde fœminæ vicinæ partui, dum prima vice est parituræ, vel si alias cum periculo peperit: & suscipienti periculosam nauigationem: & præliaturo, & ei, qui est suspendendus, licitum est, Eucharistiam administrare interdicti localis instantia, & hoc per modum viatici. Quia hi omnes in probabili periculo mortis dicuntur. Alio vero tempore, secluso priuilegio, non licet, in loco interdicto Eucharistiam recipere. Extra autem locum interdictum, licitum est, modo recipiens non sit personaliter interdictus interdicto speciali, vel generali: vel non dederit causam culpabilem interdicto. *c. Præmittimus, de sentent. excomm. c. Alma mater. c. Quod in te, de pœnit.* Sayrus *l. 5. c. 7. n. 21. & 26.* Vgolinus *tab. 1. c. 7. §. 6. n. 5.* Bonac. *d. 1. pun. 3. §. 2. n. 8.* Nauarr. *summ. c. 27. n. 169.* Suarius *d. 33. sect. 1. n. 28.* Henriquez *l. 13. c. 45. n. 2.* Sacerdos vero, qui, sublato interdicto, habet ius administrandi Eucharistiæ Sacramentum, potest illud administrare interdicti tempore in mortis articulo, modo ipse non dederit interdicto causam, nec sit speciali interdicto ligatus. Similiter interdictus personaliter interdicto generali potest Eucharistiam recipere per modum viatici absque alia satisfactione, modo non dederit interdicto causam, nec sit specialiter interdictus. Ab his enim prius est exhibenda satisfactio, si exhiberi potest: sin minus cautio erit præstanda. Coninch. *d. 17. dub. 2. n. 45.* Suar. *d. 33. sect. 1. nu. 24. & 26.* Fill. *tr. 18. n. 39.*

17 *De Sacramento Extremæ Vnctionis.*

Sacramentum Extremæ Vnctionis ministrãdum non est interdicto personaliter, aut interdicti localis personalis, vel particularis tempore, nisi aliquibus sit ex speciali priuilegio permissum. Vnde personaliter interdictus non potest hoc recipere Sacramentum in loco non interdicto. Quia interdictum personale personas afficit, & suum in illis producit effectum, vbicũque existant. Præterea tempore interdicti localis non potest hoc Sacramentum vlli personæ etiã non interdictæ, quamuis sit Clericus non interdictus, in loco interdicto ministrari. Et hoc verum etiam in illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio iuris licitum est diuina officia audire. *Cap. Quod in te, de pœnit.* Sayrus *lib. 5. cap. 7. num 29.* Nauarr. *cap. 27. numer. 179.* Suarius *disput. 33. section. 1.* Fill. *tract. 18. cap. 2. quæst. 7.*

18 *De Ordine Sacramen.*

Ordines Sacramentum administrari non potest specialiter interdicto, aut interdicti localis tempore. Quia interdictum priuat Sacramentorum perceptione, nisi aliqua specialis exceptio in aliquo sacramento fiat, quam non constat in hoc fuisse factam. Excipitur tamen casus necessitatis, v. gr. si non essent Sacerdotes, qui necessitatis tempore sacramenta conferrent, licitum esset ordinem in loco interdicto ministrare, si alius locus commodus non in

terdictus

terdictus non esset. Verum non interdictus personaliter potest in loco non interdicto ordines recipere, & tempore interdicti localis possunt Clerici, & laici ordines suscipere alibi, modo causam culpabilem interdicto non dederint. *cap. Non est vobis, de sponsal.* Vivaldus *de interdict. n.* 211. Henriquez *l.* 13. *c.* 45. §. 4. Sayr. *l.* 5. *c.* 7. *n.* 38.

19 *De Sacramento Matrimonij.*

Licitum non est personis interdictis, aut interdicti localis tempore matrimonium contrahere: nisi forte contrarium sit vsu receptum. Quia licet matrimonium sit contractus, est etiam Sacramentum, quod non potest licitè administrari interdicto, vel interdicti tempore, exceptis Sacramentis, quæ in iure exprimuntur. Suarius *d.* 33. *sect.* 1. *n.* 50. Filliucius *tract.* 18. *c.* 2. *q.* 8. Bonac. *d.* 5. *punct.* 3. §. 3. *n.* 8. Reginaldus *l.* 32. *tr.* 3. *n.* 28.

20 *De Sponsalibus, & Benedictionibus nuptialibus.*

Sponsalia autem de futuro licitè, ac validè fieri possunt siue in loco interdicto, siue inter personas interdictas. Quia nec sunt Sacramentum, neque aliquid Sacrum, sed est tantum quidam humanus contractus. Benedictiones vero, quæ super coniugatos fiunt, licitæ sunt tempore interdicti localis generalis, modo fiant ianuis clausis (exclusis excommunicatis, & interdictis) sine solemnitate, & coniugati habeant priuilegium assistendi diuinis. Imo hæ benedictiones fieri possunt cum solemnitate iis diebus, in quibus licitum est persoluere diuina officia solemniter, exceptis diebus, queis solemnitates nuptiales ab Ecclesia prohibentur. Porro huiusmodi benedictiones haud possunt fieri super coniugatos, quorum vterque, vel alter est personaliter interdictus interdicto particulari, aut generali personali. Suarius *d.* 33. *sect.* 1. *n.* 46. & 47. Couar. *ad c. Alma, p.* 2. §. 2. *n.* 7. Henriquez *l.* 13. *c.* 44. *n.* 1. Bonac. *d.* 5. *pun.* 3. §. 3. *num.* 9.

Secundus effectus, seu priuatio diuinorum officiorum.

21 *Interdicti localis tempore prohibentur Missa, & horarum celebratio.*

Secundus interdicti effectus est *diuinorum officiorum priuatio.* Vnde interdicti localis generalis tempore prohibetur celebrare Missas, & diuina officia loco interdicto, vti sono organorum, vel campanarum pro diuino officio. Nomine autem diuini officij intelligitur illud, quod in Ecclesia à ministro fit Ecclesiastico, seu à persona consecrata, aut deputata ad illud officium. Hinc elicio, horas Canonicas esse officium diuinum, imo Sacramentalia nomine diuini officij venire, vt sunt omnes cæremoniæ Sacræ, quæ ad solemnem spectant ritum Sacramentorum immediatè, vel præparatoriè, vt est solemnis benedictio nuptiarum, Templi, Vasorum Sacrorum, Corporalium, Vestium Sacrarum, Candelarum, Ramorum, Cinerũ, Fõtis Baptismalis aquæ, aut Episcopi, litaniæ processionaliter recitare cum Cruce, & superpellicеis, officia vero, quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam non censentur prohibita, quia non censentur officia Ecclesiastica, & communia, sed priuata: vnde generalis confessio, & absolutio, Angelica Salutatio, mẽsæ benedictio, Crucis adoratio, priuata animæ officia recitari solita, à Confraternitatibus, commendatio, prædicatio, purificatio mulieris post partum, & similia officia permittuntur. *c. Si ciuitas. c. Alma, de sent. excommun. in* 6. Suar. *d.* 24. *sect.* 3. *n.* 4. Fill. *tr.* 18. *n.* 79. Sayr. *l.* 5. *c.* 5. *a n.* 38. Reginald. *l.* 32. *n.* 32.

Tempore interdicti cuiusvis siue localis, siue personalis obligati ad Horas priuatim eas debent recitare, siue ad eas ex speciali voto, siue ratione Beneficij, siue ratione Ordinis Sacri teneantur. Et beneficiarij eas omittentes ad restitutionem fructuum pro rata omissionis obligantur. Nauarra *summæ capite* 27. *numero* 175. Fillincius *tractatu* 18. *numero* 62. Sayrus *l.* 5. *c.* 5. *n.* 10.

22 *Localis, vel personalis interdicti tempore, obligati ad officiũ Canonicum.*

Iure nouo Bonifacius VIII. in *c. Alma mater* concessit, vt diebus singulis tempore interdicti localis generalis in Ecclesiis, & Monasteriis possit Missa cum quadruplici moderatione celebrari. Prima, vt submissa voce celebretur. Secunda, vt ianuis clausis. Tertia, non pulsatis campanis. Quarta exclusis excommunicatis, & interdictis. Annotarim vero circa hasce moderationes, quod quando celebratur, ita ianuæ claudi debent, vt illi, qui interesse prohibentur, diuina officia videre non valeant, & tam submissa voce Missa dicenda est, vt cantores non possint moraliter loquendo audiri à prohibitis extra Ecclesiam existentibus. Præterea quamuis licitum sit campanas pulsare ad conuocandum populum ad concionem, ad comitandum Eucharistiam, quæ infirmis ministratur, vel ad Salutationem Angelicam, vel ad indicandum populo festi diei solemnitatem, ad ostendendas reliquias: ad diuina tamẽ officia pulsare non licet: imo in Missæ Sacrificio licitum non est vti tintinnabulo ad Sanctus, vel cum Hostia eleuatur. Loco autem cãpanæ adhibenda est tabula cum matraca, vel tuba; quia hæc instrumenta vetita non sunt, cum nomine campanæ non veniant, *c. Alma mater, de sentent. excommun. in* 6. Filliuc. *tract.* 18. *numer.* 69. Henriquez *libr.* 13. *capit.* 46. *numer.* 1. Coninch. *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 33. Nauarr *cap.* 27. *num.* 177. Suarius *disputation.* 24. *section.* 3. *num.* 12. Reginaldus *lib.* 32. *num.* 34. Saytus *lib.* 5. *ca.* 5. *num.* 5.

23 *Potest quotidie Missa celebrari quatuor ad hibitis conditionibus.*

Inter locale generale interdictum, & locale speciale ea est differentia, quod tempore speciali localis licitum non est diuina officia, vel Missas diebus singulis celebrare, sed solummodo licet, semel in hebdomada celebrare Missã ad Eucharistiam renouandam in loco, vbi Eucharistiæ Sacramentũ asseruatur, sicut licitum iure antiquo erat, circa hoc enim nihil iure nouo sancitum reperio. Cæterum inter locale, ac personale interdictum differentia est, quod personalis tempore personæ interdictæ personaliter interdicto particulari, vel generali Missas celebrare, & illis interesse non possunt. Reginaldus *lib.* 32. *n.* 33. Nauar *summ. cap.* 27. *n.* 173. Sayr. *l.* 5. *c.* 5. *num.* 8. & 9. Henriq. *lib.* 13. *c.* 44. *nu.* 1.

24 *Differẽtiam circa hoc inter interdictũ locale generale, & locale speciale assigno.*

Aliquæ festiuitates assignantur in *cap. Alma mater*, in quibus est licitum tempore interdicti localis generalis (non vero specialis) celebrare Missas, ac diuina officia publice, & solemniter cum campanarum sono, apertis ianuis, alta voce, admissis interdictis, etiam illis quorum causa latum est interdictum, modo ad oblationes, & communionẽ.

25 *In quibusdã festiuitatibus licitum est tempore interdicti localis generalis diuinis interesse.*

Festiuitates sunt Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis Deiparæ. Porrò Martinus V. & Eugenius IV. Solemnitatem Corporis Christi cum octaua addidere. Et Leo X. adiecit diem immaculatæ Mariæ Conceptionis simul cum octaua. Quæ quidem festiuitates incipiunt à primis vigiliæ Vesperis vsque ad ipsius festiuitatis Completorium. Nomine autem Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes non solum intelligitur primus dies, sed etiam alij festiui sequentes. Coninch *disputation.* 17. *dub.* 2. *nu.* 37. Sotus, Auila, & alij apud Bassæum *verbo Interdictum* 2. *numer.* 16. Rodriguez *capit.* 116. *numer.* 8. Nauarr. *capit.* 27. *numer.* 184.

26 *Quæ personæ tempore interdicti localis generalis possint ad diuina admitti.*

Interdicti localis generalis tempore aliquæ personę ad diuina officia possunt admitti, nempe infantes rationis vsu carentes, amentes. Quia non sunt præcepti, & obligationis capaces. Item Clerici non coniugati, etiam extranei, modò ipsi non sint excommunicati, vel interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederint. Clerici vero coniugati, qui non sunt addicti alicui ministerio Sacro, tanquam sæculares reputantur, quamuis gestando tonsuram, & Clericalem habitum priuilegio Canonis, & fori gaudeant. Laici autem non habentes priuilegium non possunt ad Missam, & ad diuina officia admitti. Porrò habens priuilegium diuinis interessendi, potest simul cum sua familia diuina audire, modo inter eos non adsit aliquis, qui causam culpabilem interdicto dederit. Nomine demum familiæ vxorem, filios, nepotes, seruos, ac famulos intelligo. Suarius *disputation.* 34. *section.* 1. *numer.* 33. Coninch *disputation.* 17. *dub.* 2. *num.* 27. Nauar. *summ. cap.* 27. *num.* 175. Sayrus *libr.* 5. *capit.* 5. *numer.* 35. Filliucius *tractat.* 18. *numer.* 71. Reginaldus *libr.* 32. *num.* 35.

Tertius effectus, seu Ecclesiasticæ sepulturæ, & ingressus Ecclesiæ priuatio.

27 *Huiusmodi priuatio sepulturæ expenditur.*

INterdicti tam localis, quam personalis generalis, aut specialis est *priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, & ingressus Ecclesiæ.* Sepulturæ priuatio est, non posse sepeliri in loco ab Episcopo consecrato, vel in cœmeterio ab Episcopo benedicto, vel in loco, vbi diuina peraguntur, vel cum pompa funerali Ecclesiastica. Vnde interdicti tempore localis non possunt laici, quamuis non interdicti sepeliri in loco Sacro interdicto, & multo minus interdicti, & excommunicati. Laici vero, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dedere, possunt tempore interdicti sepeliri in loco Sacro non interdicto; interdicti vero in campo, vel in cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto. Præterea laici, qui habent priuilegium diuinis officiis assistendi tempore interdicti, possunt obeuntes in loco Sacro humari, quamuis in priuilegio non exprimatur sepultura. Quia cui principale est concessum, hoc est, posse diuinis interesse, ei videtur etiam concedi accessorium, quod est sepultura *Clement.* 1. *de sepultur.* Suarius *disput.* 35. *section.* 1. Coninch. *disput.* 17. *dub.* 2. *num.* 52. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 181. Reginaldus *lib.* 32. *numer.* 37. Syluest. *verbo Interdictum* 5. Sayrus *libro* 5. *capite* 8. Filliucius *tractatu* 18. *capite* 4.

28 *Quid de infantibus, & amentibus?*

Interdicti localis tempore non possunt infantes, vel amentes in loco sacro sepeliri. Quia per locale interdictum locus fit sepulturæ incapax cuiuscumque sit cadauer. Tempore autem interdicti personalis generalis nequeunt hi in loco sepeliri Sacro. Quia videntur hi aliqua ratione communitatis pars. Tempore vero interdicti personalis specialis possunt sepeliri in loco non interdicto. Quia ipsi non afficiuntur interdicto speciali: ideoque nec ex parte personæ, nec ex parte loci adest impedimentum. Henriq. *l.* 13. *cap.* 42. *nu.* 3. Fill. *tr.* 18. *n.* 70. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 5. Nauarr. *capit.* 27. *numer.* 168.

29 *Quid de sepultura laici in loco non Sacro geri. dum, sublato interdicto?*

Laicus autem, qui tempore interdicti sepultus fuit in loco non Sacro, sublato interdicto, exhumandus est, & sepeliendus in loco Sacro. Quia Censura sublata, cessat etiam illius effectus. Laicus vero, qui causam culpabilem interdicto non dedit, nec interdictus est, sepultus illicite in loco interdicto Censura durante, non est exhumandus, vt in loco non Sacro sepeliatur. Sà *verbo Interdictum, numero* 25. Sayrus *libro* 5. *capite* 8. *numero* 21. Henriquez *libro* 13. *capite* 44. *numero* 5. Filliucius *tractatu* 18. *numero* 97.

30 *De sepeliribus interdicti casualiter.*

Qui sepelit laicum interdictum interdicto personali generali, nō peccat. Quia interdictus solum interdicto generali, vitandus non est. Idem dixerim de sepeliente in loco interdicto, antequam locus denunciatus fuerit esse interdictus. Sepeliens autem interdictum specialiter ac nominatim, excommunicationem latam in *Clement.* 1. *de sepultur.* incurrit. Ille vero censetur specialiter denunciatus, qui est membrum alicuius communitatis, quæ interdicta denunciata est. Suarius *disputation.* 35. *section.* 3. *numer.* 2. Reginaldus *libr.* 32. *numer.* 38. & 47. Coninch *disputatione* 17. *dubio* 2. *numero* 75.

31 *De sepultura interdictorum ab Ecclesiæ ingressu.*

Porrò interdictus ab Ecclesiæ ingressu, non potest in Ecclesia, vel cœmeterio sepeliri, nisi signa dederit contritionis: tunc enim potest absolui, & in loco Sacro humari. Præterea huiusmodi interdictus priuatur actione, seu exercitio Ordinis Sacri in Ecclesia: & consequenter non potest celebrare, & ministrare Sacramenta, imo fit irregularis exercendo Sacros Ordines in Ecclesia. Quia violat interdictum per Ordinis Sacri exercitium. Poterit tamen extra Ecclesiam celebrare, vt in tentorio aliquo, vel oratorio priuato, imo in cœmeterio. Quia interdictus ab Ecclesiæ ingressu non censetur interdictus à cœmeterij ingressu, consequenter non prohibetur, vt valeat inibi celebrare, aut diuina audire, eo quod in rigore cœmeterium Ecclesiæ nomine non veniat, & in materia odiosa, quæ non est extendenda, versemur. *Cap. Is, qui, de sententia excommunicationis in sexto*, Reginaldus *libro trigesimo secundo, numero trigesimo nono, quadragesimo, & quadragesimo primo.* Nauarr. *capite vigesimo septimo, num.* 170. Sayrus *libr.* 5. *capit.* 7. *numer.* 30. Sà *verbo Interdictum, numer.* 16. Filliucius *tractat.* 18. *num.* 101. & 102.

Interdi

32 *De eorundem priuatione, ne diuinis interfint.*

Interdictus ab Ecclesiæ ingressu formaliter audire diuina officia, & audiendo lethaliter delinquit. Quia contra prohibitionem in re graui agit. Non tamen fit irregularis. Quia non violat Censuram per ordinis exercitium. Porro si diuinorum officiorum tempore transiens per Ecclesiam alio fine, aliquid incidenter audierit, non peccat mortaliter. Quia non dicitur formaliter audire, vel interesse diuinis. Sicut neque peccat, si tempore quo diuina non celebrantur officia, ingrediatur Ecclesiam, ibique priuatim oret, etiamsi inibi recondatur Eucharistiæ Sacramentum. Secus esset dicendum, si huiusmodi interdictus existens extra Ecclesiam, Missam audiat, vel diuina officia, quæ in Ecclesia celebrantur. Quia tunc licet non sit materialiter, & quoad corpus in Ecclesia, dicitur tamen formaliter, & animo interesse. Potest tamen huiusmodi interdictus in Ecclesia actus iurisdictionis exercere in exteriori foro, vt excommunicare, &c. non tamen Sacramentaliter absoluere; quia absolutio est ordinis actus. Potest item Sacramenta in Ecclesia recipere, quando diuina officia non celebrantur. Quia non est priuatus vsu Sacramẽtorum, sed vsu diuinorum officiorum, & sepultura. Suarius *disputation. 34. section. 1. numer. 36.* Reginaldus *libr. 32. numer. 41.* Auila *disputat. 5. cap. 5.* Coninch. *disputation. 17. numer. 59.* Filliucius *tractat. 18. numer. 104.* Sayrus *libr. 5. capit. 7. numer. 11.* Henriquez *libr. 13. capit. 3. numer. 1.*

33 *De Clericis, Religiosis, & Monialibus.*

Clerici, seu aliquo ordine, vel tonsura initiati, Religiosi, ac Moniales eorumque Nouitij, non interdicti, qui interdictum seruarunt, & ei causam culpabilem non dedere, possunt tempore interdicti localis generalis, vel etiam specialis sepeliri in loco specialiter etiam interdicto, idest, in Ecclesia, vel cœmeterio Sacro, modo id fiat sine solemnitate, & sine campanarum sono. Imo post *cap. Alma mater* possunt sepeliri cum diuino officio, & Missa, adhibita eiusdem Capitis moderatione, idest voce submissa, ianuis clausis, interdictis, & excommunicatis exclusis. Quod si cœmeterium extra Ecclesiam existat, officia celebrari poterunt in Ecclesia, seruata solemnitate à *Cap. Alma mater* præscripta, deinde in cœmeterium cadauer cum silentio transferri. *Cap. Quod in tel, de pœnit. & remiss.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 176.* Henriquez *l. 13. c. 44.* Reginaldus *l. 32. num. 17.* Sayrus *l. 5. c. 8. n. 6. & 13.* Suarius *disp. 35. sect. 1. & 3.*

CAPVT III.

De peccatis, & pœnis violantis interdictum.

34 *Laicus violans interdictum lethaliter peccat.*

DElinquit lethaliter ex suo genere laicus violans interdictum locale generale, speciale, vel personale. Quia agit contra prohibitionem Censuræ in graui materia. Hæc doctrina ab omnibus recipitur quoad violantes interdictum personale: quoad locale variant Doctores, de quo *sect. 2.* Nullam vero pœnam laici incurrunt præcisè ob interdicti violationem. Quia nulla in iure expressa inuenitur, præterquam in *Clement. 2. de sentent. excommun.* vbi ligantur excommunicatione laici cogentes aliquem diuina officia celebrare in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt diuinis officiis intersint, quæ in loco interdicto celebrantur: aut prohibentes, ne interdicti exeant, postquam fuerint admoniti, à celebrantibus recedere. Suarius *disputation. 34. section. 5.* Sayrus *libro 5. capite 14. numero 3.* Filliucius *tractatu decimo octauo, numero 54. & 81.*

Clericus vero tam sæcularis, quam Regularis violans interdictum tam locale, quam personale, tam generale, quam speciale, mortaliter suo ex genere peccat. Quia in re graui contra præceptum agit. Vnde violans scienter interdictum per alicuius Sacri Ordinis exercitium irregularitatem incurrit, & suspẽsionem ab officio: consequenter à iurisdictione interdictum locale violando. Præterea incurrit interdictum ab Ecclesiæ ingressu, qui violat interdictum locale saltem generale. Insuper violator electione actiua, & passiua priuatur: imo per sententiam potest beneficio priuari. Regulares autem non seruantes Cessationem, vel interdictum locale generale, quando ab Ecclesia Cathedrali, vel Matrice Oppidi, seu Parochiali indicitur, ipso facto excommunicantur à iure, etiamsi re ipsa interdictum sit nullum *Cap. Is, de sent. excomm. in 6. c. Tanta, de excess. b. Prælat. c. Episcoporum, de priuil. c. Is, qui, de sent. ex. omm. c. Postulastis, de Cleric. & Clement. 1. de sentent. excomm.*

35 *Peccata, ac pœnas Clericorum sæcularium, aut Regularium, interdictum violantium enuncio.*

Potest interdictum à Clericis tripliciter violari. Primò, dum Clericus vinculo interdicti ligatus exercet Ordinum functionem Sacramenta conferendo. Secundò, dum ipse non est interdictus, sed Sacramenta in loco interdicto confert. Tertiò, dum nec ipse, nec locus est interdictus, sed Sacramenta interdicto ministrat. In primis duobus casibus irregularitas incurritur, in tertio autem crediderim non incurri; quia hic casus non est in iure expressus. Suarius *disputation. 34. section. 5. numer. 8.* Filliucius *tractat. 18. numer. 56.* Bonacin. *disputation. 5. punct. 7. num. 4.*

36 *Interdictũ potest à Clericis tripliciter violari.*

Clericus interdictum violans per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, irregularitatem non incurrit, dũ illam vt laicus exerit actionem. Vnde Clericus sepeliens interdicti cadauer in loco interdicto sine diuinis officiis non fit irregularis. Nec qui tempore interdicti campanas pulsat, ad conuocandum populum ad Missam, sed postea re ipsa Missam non celebrat, irregularis fit, sed mortaliter delinquit. Qui vero audit Missam, diuina officia, vel eorum partem notabilem in loco interdicto, lethaliter peccat, sed irregularitatem non incurrit. Quia auditio non est Ordinis Sacri actio. Nec Clericus interdictus recipiens Sacramenta, irregularitatis vinculo illigatur. Quia receptione Sacramentorum Ordines non exercet. Cæterũ Sacerdos matrimonio assistens, aut priuatim baptizans, irregularis

37 *Quando Clericus interdicti violator peccat, sed irregularitatem non incurrit.*

non sit. Quia hic non est Sacri Ordinis actus. Secus si sponsis benedicat, aut Baptismi suppleat solemnitates. Henriquez *l.13.c.47.nu.1.* Suarius *d.34.sect.5.n.15.& 21.* Filliuc. *tr.18.n.59.* Sylvest. *v.irregularitas,q.13.* Bonac. *d.5.pun.7.num.8.*

38 *De Clerico celebrante coram interdicto, & cum eodem communicante.*

Coram interdicto celebrans, non incurrit irregularitatem. Quia huiusmodi pœna in iure non extat. Clericus autem communicans cum nominatim interdictis in rebus, à quibus sunt interdicti, mortaliter peccat, vt si coram illis celebret, vel illos ad diuina officia admittat, vel ad sepulturam, vel ad Sacramenta. Imo si Clericus quamuis exemptus ab ordinaria iurisdictione, celebret coram illis, aut admittat excommunicatos publicos, vel interdictos ad diuina officia, seu Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, donec ad arbitrium illius, qui interdictum tulit, satisfaciat. Et hoc verum, non solum de Clericis celebrantibus, sed etiam de Clericis habentibus regimen Ecclesiæ, permittentibus, huiusmodi interdictos diuina officia audire. Filliucius *tr.18.n.57.& 147.* Auila *disp.5.dub.4.* Sà *v.Interdictum.* Sayrus *l.5.c.14.n.11.* Nauarr. *summ.c.25.n.94.* Suar. *d.34.sect.4.numer.29.*

39 *De communicante cum interdicto in humanis, & de obligati non seruãd interdictum.*

Communicans cum interdicto in rebus humanis, non peccat. Quia interdictum prohibet tantum diuina officia, Sacramenta, & sepulturam. Similiter non est peccatum, communicare cum interdicto nõ denunciato nominatim, vt patet ex Concilio Constant. Vnde nemo tenetur seruare interdictum latum à iure, vel ab homine, nisi fuerit promulgatum à Iudice specialiter, & expressè contra certam aliquam personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiã, aut locum. Sayr. *l.5.c.12.n.23.& 24. Extrauag. Ad euitanda scandala.*

CAPVT IV.

De Interdicti Causis.

40 *Causa efficiens interdicti.*

CAVSA *efficiens*, à qua scilicet interdictum fieri potest, est illa eadem, quæ alias Censuras ferre valet, vnde in primis Summus Pontifex potest interdictum ferre. Deinde Episcopus etiam sine Capituli consẽsu. Quia consuetudine est iuri antiquo derogatum. Tertio Religionum Prælati. Qui tamen non possunt interdictum locale ferre, licet possint personale. Quia horum iurisdictio potius in personas, quam in locum exeritur. Suar. *d.36.sect.1.* Nauarr. *summ.c.27.n.168.* Filliuc. *tr.18.cap.1.*

41 *Causa subiectiua.*

Subiectum interdicti personalis sunt homines, in quos iurisdictionem externam spiritualem potest is, qui fert interdictum, exercere. Hinc omnes personæ, quæ excommunicari possunt, poterunt etiam interdici, quantum est ex parte personæ, si reliqua confluant, ideſt, causa, iurisdictio sufficiens. Quia ex parte fidelium eadem est capacitas ad quamcumque Cẽsuram. Iure tamen est statutum, vt Episcopi interdici non valeant per sententiam, seu generalem legem, per quam interdicuntur omnes, quihoc, vel illud commisere delictum. Præterea secundum ius non solum particulares personę, sed etiam Communitates possunt interdici: in quo etiam differt interdictum ab excommunicatione, & cum suspensione conuenit. Ex quo patet, interdictum personale, aut locale ferri posse à Summo Præsule etiam in totum orbem & etiam à Concilio Generali, Sede vacante; quanquam moraliter loquendo, non videtur posse iusta adesse causa, ad interdictum vniuersale ferendum. Similiter tota Diœcesis cuiuscumque Episcopi potest ab eo interdici, non tantum diuisiue quæcumque pars eius, sed etiã collectiuè simul tota, sufficienti causa accidente. *c.Quia periculosum, de sent.excomm.in 6.* Filliuc. *tr.18.n.121* Sylvest. *v.Interdictum.3.* Suar. *d.36.sect.2.à n.1.*

42 *Causa materialis.*

Materialis causa est culpa. Et quidem interdictum personale speciale non potest in aliquem ferri nisi ob propriam culpam eius, quã necessum est esse mortalem, si interdictum simpliciter, & absolute feratur. Posset autem venialis sufficere, si interdictum nimis limitatum ac leue imponeretur. Interdictum vero personale generale longe grauiorem causam, seu culpam requirit, quam speciale: non tamen eam exigit ex omnibus personis, quæ tali interdicto illigantur; sed in corpore morali, vt tale est, vel in magna parte personarum eius, vel in capite. Porro interdictum locale generale, vt iuste feratur, requirit causam grauissimam, quæ non solum peccatum lethale contineat: sed etiam sit generalis ex peccato aliquo modo publico, seu communi procedens. Vnde necesse est, vt tale delictum sit ipsius Principis, seu Gubernatoris, aut totius Communitatis. Cæterum interdictum locale particulare etiam requirit culpam grauem, & aliquomodo communem, quamuis minorem, quam interdictum generale. Demum causa *Finalis* interdicti est resipiscentia, ac emendatio delinquentis. Suarius *disputatione 36.sectione 1.numero 2.* Nauarr. *capite 27.numero 168.* Couarruuias *ad Cap. Alma, parte secunda, Paragrapho primo, numero 4.& 5.* Sylvest. *verbo Interdictum, 3, quæstione 5.*

CAPVT V.

De interdicti relaxatione.

43 *Quando sit necessaria absolutio quando nõ*

INTERDICTVM latum pro delicto pure præterito, absque vlla adiecta conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdicitur, & absque temporis limitatione, auferri non potest nisi per relaxationem, aut absolutionem Superioris habentis potestatem: siue ille sit, qui illud tulit, vel eius Superior, vel alias habens facultatem delegatam. Quando autem fertur interdictum, vt

vt pura pœna pro peccato præterito, ac pro tempore definito, tunc non est necessaria interdicti absolutio illo tempore elapso: sed ipso facto cessabit: Quia censura non amplius operatur, quã per verba exprimitur, ac proinde nõ durat vltra intentionem conditoris Reginaldus *lib.* 32. *numer.* 55 Sayrus *lib.* 5. *c.* 15. *numer.* 2. Filliuc. *tractat.* 18. *num.* 114. Bonac. *d.* 5. *pun. vlt. num.* 1.

44 *Quid quãdo fertur vt à contumacia recedatur.*

Quando vero fertur interdictum, vt à contumacia recedatur, vel sub hac conditione tacita vel expressa *Donec satisfiat*, vel restituatur: non est necessaria absolutio, vel relaxatio. Si conditio impletur, ipso enim facto cessat interdictum. Quia ille terminus positus est ab ipsa lege: ergo vltra illum non operatur. Sylvest. *v. Interdictum* 3. *q.* 9. Couar. *ad c. Alma, p.* 1. §. 11. *n.* 8. & alij.

45 *Locale interdictũ nõ cessat ædificiorum destructione. Quid latũ in communitatẽ communitate dissolua?*

Locale interdictum non cessat destructione ædificiorum loci interdicti. Quia non solum censentur intetcicta ædificia, sed etiam ipsum solum, tanquam ipsorum basis, ac fundamentum. Vnde destructa Ecclesia interdicta, non possunt in eius solo caduera sepeliri. Interdictum autem in Communitatem latum, si communitas dissoluatur, cessat respectu innocentum: respectu vero eorum, qui causam culpabilem interdicto dedere, non cessat. Quia hoc est interdictum particulare, quod personam sequitur. Suar. *d.* 38. *numer.* 13. Reginaldus *libr.* 32. *numer.* 59. & 60. Filliuc. *tractat.* 18. *numer.* 118. Coninch *disputation.* 17. *dub.* 6. *numer.* 78.

46 *Quid circa absolutionẽ à locali, æue personali possit Episcopus?*

Episcopus potest absoluere ab interdicto locali à iure posito, vel suspendere illud ad tẽpus. Quia in iis, quæ non sunt reseruata, potest Episcopus dispensare. Ab interdicto autem personali nequit absoluere, nisi forte sit occultum: tunc enim potest absoluere virtute priuilegij in Tridentino concessi. Quando vero interdictum est à summo Præsule latum tanquam ab homine, non potest Episcopus ab illo absoluere. Quia inferior non habet potestatem, seu iurisdictionem in superiorem. Suar. *d.* 38. *sect.* 2. Filliuc. *tr.* 18. *n.* 125. Coninch *d.* 17. *n.* 76. Henriq. *l.* 13. *c.* 48. *n.* 3.

47 *Quid possit, & nõ possit Parochus?*

Parochus, vel alius confessarius non potest absoluere ab interdicto locali. Quia cum locus non sit materia fori pœnitentialis, non pertinet ad Confessarium illius interdictum auferre, sed ad Episcopum habentem iurisdictionem in foro externo. Nec ab interdicto personali generali. Quia communitas interdicta vt communitas haud pertinet ad pœnitentiæ forum, in quo solum de eo particulari, quod quis sua sponte illi subiicit, iudicatur. Fateor tamen, iure communi Parochum posse absoluere ab interdicto personali particulari non reseruato. Quia ab aliis censuris potest: ergo & ab interdicto. Si autem interdictum adnexum sit excommunicationi reseruatæ, sola excommunicatio reseruata est. Suar. *d.* 38. *sect.* 2. *n.* 6. Filliuc. *tract.* 1. *nu.* 125. Coninch *d.* 17. *n.* 77. Tolet. *l.* 1. *c.* 55.

CAPVT VI.

De Interdictis in iure latis.

48 *Interdicta generalia loci.*

INTERDICTVM generale loci in iure latum triplici ex causa reperitur. Prima est ex culpa temporalis Domini. Secunda, ex culpa Episcoporum, & Clericorum, seu personarum Ecclesiasticarum. Tertia ex culpa ipsiusmet Ciuitatis, quando dominus Regni, Ciuitatis, Castri, Oppidi, aut alicuius loci impedit, ne Legatus, vel Nuncius. Apostolicus possit officium suum in suis exequi: tunc eius Regnum, Ciuitas, terra, & quælibet loca eis subiecta tandiu sunt eo ipso Ecclesiastico supposita interdicto, quamdiu in huiusmodi contumacia dominus loci perstiterit. *Extrau. Super gentes, de consuetud.* Filliuc. *tract.* 18. *numer.* 137. Henriq. *l.* 13. *c.* 43. *n.* 5. Quando quis quemcumque Episcopum iniurioſe, vel temere percutit, capit, seu bannit, occidit, aut hæc fieri mandat, aut ab aliis facta rata habet, vel consilium facienti dat, vel eundem scienter defensat, aut socius eius fit: tunc territorium illius subiacet interdicto vsque ad condignam satisfactionẽ: & locus etiam, vbi Episcopus captus detinetur interdictus est, quamdiu durat detentio *Clement.* 1. *de pœnis* Reginaldus *lib.* 32. *numer* 65. Sayr. *lib.* 5. *capit.* 12. *num.* 1. Quando dominus aliquis, Rectores, vel officiales Ciuitatis, in qua obit summus Pontifex, & in qua facienda est Romani Pontificis electio, non faciunt inuiolabiliter obseruari absque vlla fraude, & dolo ea, quæ constituta sunt in *c. Vbi periculũ, de elect. in* 6. tunc locus, & Ciuitas ipso facto est interdicta. Tolet. *l.* 1. *c.* 21. §. 4. Quando Episcopus & alij inferiores Ecclesiastici permanent per mensem in excommunicatione, vel suspensione ob culpam, quam admisere in concedenda domo manifestis vsurariis ad fœnus exercendum: tunc omnes eorum terræ post mensem interdicto subiiciuntur, quamdiu vsurarij ibi commorantur. *Cap.* 1. *de vsur. in* 6. Viuald. *de interd. n.* 10. Vniuersitas, Ciuitas, Collegium, vel Locus, qui exigit per se, vel per aliũ ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis quidagia, pedagia, vel alia de rebus suis, quas asportant, vel important non causa negotiationis: terra ipso facto interdicto subiacet, donec acceptum totum restituatur, ac pro delicto huiusmodi cõpetenter satisfiat. At plerisque in locis hæc censura in vsu non est. *Cap. Quamquam, de cens. in* 6. Suar. *d.* 37. *sect.* 1. *num.* 14. Si Ciuitas Episcopum iniurioſe, vel temere ceperit, percusserit, bannierit, occiderit, vel hæc fieri mandauerit, vel ab aliis facta rata habuerit, vel socia facientis fuerit, aut dederit consilium, vel fauorem, vel scienter defensauerit: interdicto afficitur. *Clement.* 1. *de pœnis.* Nauar. *summ. cap.* 27. *numer.* 199. Ciuitas quæuis præter Vrbem, quæ consentit, præbendo consilium, auxilium, vel fauorem occidentibus, vel percutientibus

Cardinalem S.Romanæ Ecclesiæ, vel quæ intra mensem delinquentes huiusmodi, prout enormitas facientis exegerit, & ei facultas adfuerit, non punierit, ipso facto est interdicta. *Cap. Felicis, de pœn. in 6.* Suarius *disput.17. numer.17.*

49 *Interdicta specialia loci.* Interdictum speciale loci in iure latum in duobus casibus reperitur. Primus est, quando Clerici sæculares, vel Regulares inducunt aliquem ad vouendum, iurandum, vel interpositam, seu alias promittendum, vt in eorum Ecclesia eligat sepulturam, vel tenet electam vlterius non immutet: si postea in eorum Ecclesia, vel cœmeterio hunc sepelire præsumpserint: tunc eorum Ecclesiæ, & cœmeteria ipso iure sunt interdicta, nisi intra decem dies Ecclesiæ, in qua ille de iure sepeliendus erat restituant omnia, quæ occasione sepulturæ accepere, etiamsi non petantur, & præterea ipsum cadauer, si postuletur. *Cap. Animarum, de sepult. in 6.* Nauarr. *capit.27. numer.199.* Filliuc. *tractat. 18. numer.141.* Secundus est, quando hæreticus traditur scienter Ecclesiasticæ sepulturæ, locus ille in perpetuũ interdicitur quoad sepulturã, ita vt nullus inibi in perpetuum humari valeat. Quantum vero ad alia locus ille non censetur interdictus. Porro Episcopus nequit hoc interdictum remouere. *Cap. Quicumque, de hæret. in 6.* Vivaldus *de interdicto, numero decimo nono.*

50 *Interdicta personalia generalia.* Interdictum personale generale in his casibus est latum: Quando vniuersitas concedit repressalias, vel ignorationes contra Ecclesiasticas personas, vel earum bona. Et quando iis concessis ab aliis, non reuocat concessionem intra mensem: tunc quidem vniuersitas in interdictum incidit. Eadem pœna exenditur ad Vniuersitates imponentes, vel exigentes decimas, talias, ab Ecclesiasticis, vel bona Ecclesiarũ occupantes. Porro *repressalia* sunt, quando Dux, aut Iudex (postquam monuit Rempublicam satisfacere læsis, nec illa satisfecit) concedit licentiam generalem, vt in compensationẽ bona à quocumque Ciuitatis illius diripiant. *Cap. vnic. de iniur. in 6. cap. Clericus, de immunit. Eccles.* Nauar. *cap. in 27. numer.199.* Quando vniuersitates, vel Capitula, vel Collegia appellant à sententiis summi Pontificis ad futurum Concilium generale eidem subiacent interdicto consilium, vel fauorem præbentes. *Bulla Cœnæ, numer.2.* Quando Capitulum Sede vacante, intra annum à die vacationis concedit litteras dimissorias ad Ordines, præterquam, quando aliquis est ordinandus ratione beneficij accepti, vel accipiendi. Illi sunt personaliter interdicti, qui causam culpabilem intetdicto locali generali dedere. Trident. *sess.7. cap.10.* Filliuc. *tractat 18. numer.144.* Capitulum, & vniuersitas, quæ non obseruat constitutionem Ioannis XXII. circa beneficiorum vacantium fructus, subiacet interdicto. *Extr. vni. de Sede vacante.*

51 *Interdicta personalia particularia.* Interdictum personale particulare in his casibus in iure reperitur: Index Ecclesiasticus qui sententiam cuiuscumque censuræ propriæ dictæ pronunciat sine scriptis; vel in scriptis quidem, sed sine monitione, aut non exprimendo causam: vel qui parti petenti non concedit intra mensem scripturæ exemplar: suspensus est ab ingressu Ecclesiæ, Prælatus tamen Regularis potest absque scriptis contra suos subditos censuram proferre. *Cap. Cum medicinalis, de sentent. excommunicat. in 6.* Henriquez *lib.13. cap.43. Paragrapho quinto* Episcopus, ipsóve maior, necnon Abbates, & alij Regulares, seu sæculares, qui sibi vsurpant aliquid ex redditibus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum subditarum interdicto ab ingressu Ecclesiæ puniuntur, quousque de præfatis restitutionem gesserint. *Cap. Præsenti, de offic. ordi. in 6.* Episcopus, aut Abbas, qui bona Ecclesiæ non legitime alienat, ab ingressu Ecclesiæ interdicitur. *Extrau. g. vnic. de reb. Eccles. non alien.*

52 *Interdicta ab Ecclesiæ ingressu.* Ab ingressu Ecclesiæ interdicitur Metropolitanus, qui suffraganeũ, & suffraganeus antiquior residens, qui Metropolitanum vltra annum non residentem ad Romanum Pontificem non refert intra tres menses, vel per nũcium, vel saltem per litteras. *Trident. sess.6. cap.1.* Quando Episcopus in visitatione aliquid accipit, quod sibi non debetur, nisi intra duos menses duplum restituat, interdicitur ab Ecclesiæ ingressu. Verum hoc interdictum incurritur, quando quis recipit Abbatiam, vel aliã dignitatem de manu laici. Item Sacerdos interdictum quempiam admittens ad diuina officia, hoc afficitur interdicto. *Trident. sess.24. capit.3. Cap. Si quis deinceps 16. quæstion.7.* Prælati edentes commentaria in Tridentinum remanent interdicti ab Ecclesiæ ingressu. *Pius IV. in Bul. confirmat. Concil. Trid.* Interdictum locale saltem generale violans, ab ingressu Ecclesiæ interdictum incurrit. *c. Episcoporum de priuileg. in 6.*

CAPVT VII.

De Cessatione à Diuinis.

53 *Quid cessatio, & quæ duplex.* CESSATIO à diuinis est simplex prohibitio, qua Ministri Ecclesiæ impediuntur diuina officia pro soluere Sacramenta ministrare, & laicos in loco Sacro sepelire. Est duplex, alia generalis, vt in toto Regno, Ciuitate, oppido: alia particularis, qua officia in loco particulari, puta in vna Ecclesia, prohibentur. Suar. *d.39. sect.1. n.1. & 5.* Sayr. *l.5. c.17. n.2.*

54 *Differt ab interdicto.* Differt ab interdicto, & ideo censura non est. Quia fertur per simplicis prohibitionis modum: censura vero vt quoddam morale accidens afficit, & quasi ligat subiectum, in quod fertur; deinde interdictum violans, irregularis efficitur, non autem sic, qui contra Cessationis tempore officia celebrare non licet, sicut licet interdicti generalis tempore iuxta moderationem *Cap. Alma* adhibitam, demum cessatio nunquam à iure incurritur, sed tantum commiatorie fertur. Nauarr. *capite vigesimo septimo*

mo numer. 188. Filliuc. *tractat.* 18. *capite septimo* & alij.

55 *Quinam possint Cessationē imponere.*

Summus Pontifex, Episcopus, Capitulum Sede vacante, Concilium Prouinciale, Diœcesanum, aliique ab his delegati iuxta facultatem, sibi delegatam, vel consuetudine obtentam, imponere possunt cessationem à diuinis propter delictum graue manifestum, ac notorium: idque exprimi debet in litteris, in quibus sententia continetur. Peccatum autem debet esse cum contumacia aduersus commune Ecclesiæ bonum. Henriq. *l.* 13. *c.* 54. *n.* 1. Reginal. *l.* 32. *n.* 72.

56 *A quibus debeat abstineri Cessationis tempore.*

Cessationis tempore præcipimur, abstinere à diuinis officiis, puta ab Horis Canonicis publice persoluendis, Missæ celebratione, &c. Vnde tunc non est licitum campanas ad Sacra pulsare. Tamen semel in hebdomade licet ob necessitatem infirmorum pro renouanda Eucharistia priuatim cum vno ministro celebrare, & Cleri possunt in Ecclesia priuatas recitare orationes: imo ei id licet binis, vel ternis submissa voce ianuis clausis sine cantu. Reginaldus *libr.* 32. *nu.* 75. & 77. Suar. *disput.* 39. *sectione secunda.* Henriquez *lib.* 13. *c.* 53. *nu.* 2. & 3.

57 *Quenam eius possint Sacramēta ministrari:*

Cessationis tempore Sacramentum Ordinis aut Extremæ vnctionis laicis, aut Clericis non confertur: Sacramenta vero Baptismi, ac Pœnitentiæ secundum benignam Doctorum interpretationem, ac praxim licite administrantur: quamuis stando in rigore iuris, licite paruulis Baptismus, & Pœnitentia morientibus debeant ministrari, Sacramentum Eucharistiæ ægrotantibus solum confertur per modum viatici. Matrimonium vero celebrari omnino prohibetur. Sayrus *libro quinto capite decimo nono.* Reginaldus *libr.* 32. *numer.* 70. Suar. *d.* 39. *section.* 2.

58 *De priuatione sepulturæ Sacræ per Cessationem.*

Cessatio à diuinis priuat etiam laicos Sacra sepultura: Clericis nō ex benigna iuris interpretatione, modo in silentio, & sine diuinis humentur officiis. Auila *d.* 1. *dub.* 10. Suar. *d.* 39. *sect.* 1. *n.* 31.

59 *Præcedit aliquando interdictum cessationem, aliquando non.*

Cessatio à diuinis interdum indicitur interdicto præcedente, vt accedat tunc noua, & arctior prohibitio cessationis: cuius proinde effectus cum interdicti censura coniunguntur. Interdum vero cessatio pure, & sine interdicto apponitur. Fill. *tr.* 18. *n.* 181. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 5.

60 *Non exiguntur festiuitates vllæ.*

Inspecto iuris rigore, non videtur licitum, in quatuor festiuitatibus exceptis *Cap. Alma*, officia diuina tempore Cessationis celebrare. Quia exceptio huiusmodi solum de interdicto est facta. Sanchez *de matrimon. libro septimo disput.* 8. *num.* 18. Suar. *d.* 39. *sect.* 2. *numer.* 12.

SECTIO SECVNDA.

De Interdicto Dubia.

CAPVT VIII.

Circa Interdicti Diuisionem.

DVBIVM I.

Interdictum latum in familiam estne speciale?

61 *Dimulla recole.*

RECOLO ex *section.* 1. Interdictum aliud esse locale, personale aliud, vtrumque autem diuidi in generale, & speciale. Interdictum locale generale est, quod plura loca sub se continet: speciale, quod specialem locum spectat. Interdictum vero personale generale est, quod fertur in aliquod corpus politicum, quod propriis legibus gubernari potest: vt si incolæ huius Prouincię, Ciuitatis, Parochiæ, Collegij, vel alterius Communitatis interdicantur. Speciale autem est, quod in personas particulares fertur; vt in Antonium, Petrum, &c. Neque opus est, vt hę personę propriis nominibus designentur. Satis namque est, si sub aliqua ratione communi exprimantur, vt si in personas tale delictum committentes feratur, sufficienter exprimuntur singulares personæ, licet sint ignotæ. Iam requiro, num interdictum latum in familiam speciale sit, an generale?

62 *Speciale est, non generale.*

Speciale, nō generale est. Quia familia non constituit Communitatem propriis legibus gubernandam. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 8. *articul.* 1. *conclus.* 5. Hurtad. *de Interd. difficul.* 2. Sayrus *libro quinto thesau. capite quarto numero decimo.* Henriquez *libr. decim. tert. capit.* 42. *numer. tert.* Auila *part. quint. disputatione prima dub. quart. conclusion. octau.* Bonacin. *tom. prim. disputation. quint. de censur. punct.* 1. *numer.* 16.

63 *Generale, non speciale est.*

Generale est, non speciale. Quia interdictū illud videtur ferri non in personas, quatenus aliqua qualitate sibi propria afficiuntur; sed quatenus communi afficiuntur qualitate: nempe quatenus sunt ex tali familia, & vnum corpus politicum componunt. Ita Coninch *disputatione decima septima dubio prima-*

primo numer. vndecim. Palao *de cens. d. 5. punct. 1. num. 7.*

64 *Primã eligo sententiam.*

Hanc sententiam valde esse probabilem scio, imo à P. Castro Palao probabiliorem vocitari. Ast ego primæ communi quidem adhæreo. Nam cum de interdicto personali generali Doctores loquuntur, asserunt debere esse corpus politicum, quod propriis legibus gubernari possit: idque in familia non inuenio.

Dvbivm II.

Interdicta Ciuitate, vel Diœcesi, Cathedralis Ecclesia censeturne esse interdicta?

65 *Nõ censetur interdicta.*

NOn censetur interdicta. Quia *cap. Quamuis, de præbend. in 6.* nomine Ecclesiarum non comprehenditur Cathedralis in casu odioso, qualis erat casus illo in textu relatus. Sic Couar. *ad Cap. Alma mater, p. 2. §. 1. num. 4* Staphyleus *de litter. gratia, fol.* 1569. Henriquez *libr. decim. tert. capit 42. numer. 1.* plures referens.

66 *Interdicta censetur.*

Interdicta censetur. Quia alias eneruaretur vis interdicti generalis, contra textum in *cap. Si Ciuitas.* Ita Sayr. *l. 5. thes. c. 3. n. 10.* Suar. *d. 32. sect. 2. n. 22.* Bonac. *to. 1. de cens. d. 5. pun. 1. num. 7.* & alij apud ipsum.

67 *Hæc dicendum.*

Hæc sententia mihi omnino tenenda videtur. Cui non obest textus in *c. Quamuis.* Quia non dixit, sub nomine Ciuitatis, vel Diœcesis non comprehendi Cathedralem Ecclesiam: sed sub nomine Ecclesiarum Ciuitatis, vel Diœcesis. Quocirca si interdictum esset omnium Ecclesiarum illius Ciuitatis, vel Diœcesis, probabile est Cathedralem non comprehendi ex textu illo: vt docuere Henriquez *lib. 13. capit. 42. numer. 3.* & Sayr. *libr. 5. cap. 3. dub. 10.* Quia Ecclesia Cathedralis ob eius dignitatem speciali nota digna censetur, nec venire sub dictione vniuersali omnium Ecclesiarum. Sicuti non veniunt Cathedralis Ecclesiæ Canonici sub generali Clericorum interdicto.

Dvbivm III.

Interdicta Diœcesi, Ciuitas censeturne interdicta?

68 *Nõ censetur interdicta.*

MInime interdicta censetur. Quia Diœcesis accipi debet secundum suam propriam speciem, iuxta quam equidem à Ciuitate differt. Sic Bonac. *to. 1. disput. 5. de cens. pun. 1. num. 11.*

69. *Interdicta censetur.*

Interdicta censetur. Quia Diœcesis ex Ciuitatibus, Villis, & pagis coalescit. Ita Ferdin. à Castro palao *de Censur. dub. 5. punct. 2. Parag. 1. num. 4.*

Verius censeo Diœcesi interdicta, Ciuitatẽ, & omnia Diœcesis loca comprehendi. Quid enim est Diœcesis, nisi Ciuitatis, Oppidorum, villarum, quæ in ea continentur colligatio? Ergo interdicta Diœcesi censentur interdictæ omnes illius partes: sicuti Ciuitate interdicta, censentur interdictæ omnes Ecclesiæ, quæ in illa continentur. 70 *Hoc def. do*

Dvbivm IV.

Si terra aliqua diuisim sit nocentis, & innocentis, & interdicto plectatur: terrane illa, quæ ad innocentem pertinet subiiciatur interdicto?

CErtum est, interdicto non subiici terram, quæ pro indiuiso alterius est innocentis, ne absque culpa innocens puniatur *c. fin. 1. q. 4.* D. Antonin. *p. 3. tit. 27. de interd. c. 3.* Sylvest. *v. Interdictum, 2.* Quid autem, si terra illa diuisim sit nocentis & innocentis, ita vt pars illius nocenti competat, & pars distincta innocenti. Num pars quæ ad innocentem spectat, generali interdicto locali subiiciatur? 71 *Quæstionis status.*

Non subiicitur, sed ea solum pars, quæ ad nocentem pertinet. Quia vbi culpa non adest, iniuste pœnæ iacula contorquentur. Sic docent Sayrus *libro quinto thesau. capite tertio numer. 23.* 72 *Non subiicitur.*

Subiicitur quidem censuræ & pars illa quæ ad innocentem spectat. Quia alias interdictũ generale latum in terram domini nocentis eluderetur, contra textum in *cap. Si Ciuitas, de sentent. excommun. in 6.* Eluderetur autem, si populus habitans in terra interdicta directe, posset ad diuina audienda & celebranda ad partem terræ contiguam accedere. Ita Palao *de censur. disputation. 5. punct. 2. Paragraph. 1. numer. 6.* 73 *Censura subiicitur.*

Existimo veram esse primam sententiam, si de interdicto directo & immediato loquamur, at si de interdicto accessorio, & quasi per consequentiam sermo sit, verius credo, partem illam innocenti competẽtem interdicto subiici, ne interdictum generale latum in terram domini nocentis eludatur. 74 *Auctoris resolutio.*

Dvbivm V.

Si interdictum hac forma feratur: Interdicimus omnes terras, quas Dominus habet vel possidet comprehendunturne hæ quarum solum vsumfructum habet?

CErte si dẽ terris ad dominum pleno ore pertinentibus loquamur, si interdictũ feratur hac forma: *Interdicimus terras illius Domini, in qua ipse dominium habet:* omnes terræ sub 75 *Nonnulla præmitto.*

sub illius dominio existentes interdicuntur. Quia nulla est ratio, ob quam vna potius, quã alia sit interdicta, & dictio, *Omnes* nullam excludit. At ex prædicta forma non subiiciuntur interdictæ terræ, in quas solum dominus iurisdictionem habet, & administrationem, vel vsumfructum. Quia harum proprie dominium non habet. Neque crediderim, subiici terras, in quas solum dominium indirectum dominus habet: vt sunt datę in pignus, vel hypothecam, aut feudum. Quia illud interdictum in damnũ potius feudatarij, & hypothecarij cederet. Quæsierim vero, si interdictum sub hac forma feratur: *Interdicimus omnes terras, quas dominus habet, vel possidet*: an comprehendantur illæ, quarum solummodo vsumfructum habet?

76 *Non cõprehenduntur.* Non comprehenduntur. Quia à domino illo hæ terræ pleno iure non possidentur: & ly *Habet*, vel *possidet* plenum indicat ius, cum absolute dicitur. Sic nonnulli, quorum sententiam Palao *de cens. d. 5. pun. 2. §. 1. num. 6.* ait esse probabilem.

77 *Comprehenduntur quidem.* Comprehenduntur quidem. Quia etiamsi in feudum, vel pignus acceptæ sint: at vere ab ipso habentur. Argum. *cap. 2. de postulat. Prælat.* Ita Auila *p. 5. d. 1. dub. 3.* Palao *citat.* Coninch *d. 17. dub. 1. numer. 21.* Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 2.* Sayr. *l. 5. thesau. cap. 3. à numer. 17.* plures citans.

78 *Auctoris sententia.* Existimo probabile esse, solum in illa interdicti forma comprehendi terras illas, quæ pleno iure à domino possidentur. Verius autem, comprehendi etiam eas, quarum habet vsumfructum, vt sunt terræ in feudum, vel pignus acceptæ. Dum enim durat ille contractus, vere dicitur eas terras habere, ac possidere.

Dvbivm VI.

Si terras interdicto suppositas Dominus vendat, & solius domini culpa interdictæ fuerint, & non incolarum: cessatne illarum Interdictum?

79 *Cessat interdictum.* Interdictum cessat. Quia integra ratio finalis, ob quam illæ terræ sunt interdictæ, est, quia sunt domini delinquentis, vt eo interdicto appositio puniatur, & corrigatur: quæ ratio omnino cessat, alienatione facta. Sic Coninch *d. 17. dub. 1. num. 22.* Hurtad. *tr. de interd. diffic. 5. fine.*

80 *Non cessat.* Non cessat interdictum. Quia interdictum illud non fuit latum sub conditione restrictiua quousque terra illa domini delinquentis esset; sed absolute latum est, vnde ad quemcumque transeat, secum onus interdictum ei annexum defert. Ita Geminian. Anchar. Francus, Sylvest. Palud. Sayr. quos refert, & sequitur Palao *de cens. d. 5. pun. 2. §. 1. n. 6.* Suar. *d. 32. sect. 2. num. 3.* Vgol. *tab. 5. c. 12. n. 3.*

81 *Hic defendo.* Esto ratio finalis, ob quam terra illa interdicto fuerit supposita, cesset: non tamen inde probatur cessare interdictum ipso iure, ob rationem præfatam, sed esse auferendum. Vnde mihi secunda sententia magis arridet.

Dvbivm VII.

Exteri etsi diu in populo habitent, eximunturne ab Interdicto personali generali lato?

82 *Non eximuntur.* NOn eximuntur. Quia diu inibi habitantes, vti assolent Scholastici, mercatores, liré gerentes, &c. legibus populi adstringuntur. Sic plures Doctores, quorum sententia admodum est probabilis, eam approbante Castro Palao *de censur. disputation. 5. punct. 2. Parag. 2. num. 6.*

83 *Eximũtur.* Eximuntur equidem. Quia exteri ad populum non pertinent, nec partes illius sunt: Ergo legibus iis, quę pœnales sunt, minime subiiciuntur. Ita Bonacin. *tom. 1. de cens. disputat. 5. punct. 1. numer. 20.* Vgolin. *tab. 5. cap. 20. Parag. 3. num. 2.* Henriquez *lib. 13. capit. 21. numer. 3.* Nauarr. *capit. 27. numer. 167.* Sayrus *lib. 5. cap. 4. nu. 19.* Auila *p. 5. d. 5. dub. 4. concl. 10.* Coninch *d. 17. nu. 12.* & alij.

84 *Idem assero.* Licet exteri plerumque legibus populi adstringantur, quod negari non potest: non tamen adstringuntur illis, quæ singulares personas, quatenus sunt illius populi afficiunt: vti est lex hæc interdicti. Vnde exteros hoc ex capite minime afficere potest interdicti pœna.

Dvbivm VIII.

Duplex habentes domicilium, alterum in loco interdicto, alterum in loco, qui Interdictus non est, afficiunturne censura personali?

85 *Afficiũtur.* AFficiuntur plane. Quia vere sunt de populo interdicto & illius perfruuntur honoribus: Ergo debent oneribus etiam præ. grauari. Sic Calderin. *tr. de interd membr. 2. nu. 39.* Angel. *v. Interdictum 1. n. 4.* Tabie. *eodem, §. 10.* Rosel. *ibid. n. 8.*

86 *Non afficiũtur.* Non afficiuntur. Quia cum æquè pares sint populi interdicti, & non interdicti: nulla est ratio, ob quam populi interdicti onus subire debeant potius quam libertate populi non interdicti potiri. Ita Sayr. *l. 5. thes. c. 4. n. 18.* Henr. *lib. 13. cap. 42. numer. 2.* Sylvest. *v. Interdictum, num. 13.*

87 *Mediã teneo viam.* Mediam teneo viam. Interdicto subiiciuntur cum in loco interdicto habitant: secus si in loco non interdicto commorantur. Quia æquum est, vt durante habitatione, aliis de populo, cuius ipsi sunt pares, conformentur. Mecum Suarius *disputation. 32. section. 2. n. 16.* Filliuc. *tract. 19. num. 14.* Bonac. *to. 1. d. 5. de cens. pun. 1. num. 20.*

Dvbivm

Dvbivm IX.

Cum Interdictum fertur à summo Præsule, seu ab eo, qui in sæculares, & Regulares iurisdictionem habent: comprehenduntur ne Religiosi, interdicto Clero?

88 *Comprehẽduntur.* COmprehenduntur quidem. Quia communitas in populum & Clerum diuiditur. Argum. *Cap. Si sententia, de sentent. excommunicat.* At Religiosi etiam laici siue mares, siue fœminæ, non sunt de populo, vt suppono: ergo sunt de Clero. Igitur interdicto Clero, cẽsendi sunt esse interdicti. Sic Couar. *ad c. Alma, p. 2. §. 1. n. 8.* Nauar. *sum. c. 27. n. 167.* Suar. *d. 32. sect. 2. n. 13.* Philiarc. *de offic. Sacerd. p. 1. l. 4. c. 3.* Viuald. *de interd. nu. 159.* Tolet. *lib. 1. cap. 18.* & alij.

89 *Nõ comprehenduntur.* Non comprehenduntur. Quia esto sub nomine Cleri Religiosi in fauorabilibus intelligantur: non tamen in pœnalibus & odiosis: vt. pote qui diuersis legibus, ac constitutionibus reguntur. Ita Vgolin. *tab. 5. §. 5. numer. 3.* Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 3.* Sayr. *lib. 5. thesau. cap. 4. numer. 29.* Auila *p. 5. disputation. 1. dub. 4. concl. 7.* Coninch *disputat. 17. n. 8.* Filliuc. *tract. 18. numer. 14.* Layman. *lib. 1. tractat. quint. part. quart. capit. 1. numero tertio.* Hurtad. *de interd. diffic. 4.*

90 *Hoc affirmo.* Si interdictis Religiosis, non censentur Clerici sæculares interdicti, vt fert communis sententia neque etiam interdicto Clero, Religiosi censendi sunt interdicto affici. At si Religiosus beneficium sæculare possideat, interdicto Cleri subiicitur. Quia vnum cum Clericis sæcularibus corpus constituit. Hurtado, ac Sayro annotantibus. Verum si interdictum latum esset non sub nomine Cleri, sed sub nomine personarum Ecclesiasticarum: crederem Religiosos tam Clericos quam laicos comprehendi. Quia vere sunt personæ Ecclesiasticæ ad Ecclesiam, illiusque iurisdictionem directe pertinentes.

Dvbivm X.

Interdictis alicuius vniuersitatis Doctoribus, afficiunturne Doctores Clericali statu insigniti?

91 *Non afficiũtur.* NOn afficiuntur Doctores Clerici, sed laici tantum. Quia solum Doctoribus laicis competit, vniuersitatem constituere, siue communitatem. Sic Angel. *verb. Interdictum 1. num. 9.* Rosel. *ibid. num. 15.* Syluest. *2. nu. 18.* Vgolin. *tab. 5. Parag. 5. num. 3.* Sayr. *lib. 5. thesau. capit. 4. num. 10.*

92 *Afficiũtur.* Afficiuntur plane tam Clerici quam laici Doctores. Quia nomen Doctoris æque Clericis ac laicis est commune. Ita Tabie. *verb. Interdictum 1. numer. 9.* Armil. *numer. 11.* Viuald. *numer. 169.* Henriquez *lib. 13. capit. 42. numer. 1.* Bonacin. *tom. 1. disp. 5. de censur. punct. prim. numer. 17.*

Hos sequor. Nam ex Doctoribus tam Clericis quam laicis communitas, seu vniuersitas coalescit, vt experimento comprobatur. 93 *Hos sequor.*

Dvbivm XI.

Interdicto populo, interdictane loca eius censentur?

CEnsẽtur interdicta. Quia alias interdictum frustraneũ esset cum Clerici possent, aperto ianuis, & campanis pulsatis in Tẽplis illius populi diuina peragere. Sic Couar. *ad c. Alma, p. 2. §. 1. num. 7.* Henriquez *lib. 13. capit. 42. circa finem.* 94 *Interdicta censentur.*

Minime interdicta loca illa censẽtur. Quia interdictum personale à locali distinguitur, ne que vnũ aliud infert. Neque est inconueniẽs, interdicto populo, posse Clericos diuina in ecclesiis illius populi peragere, cum Ecclesiæ non sint interdictæ. Ita Nauarr. *summ. capit. 27. numer. 167.* Hurtad. *tractat. de interd. difficul. 3.* Auila *part. quint. disputation. prim. dub. 2.* Coninch *dub. 17. num. 20.* Sayr. *lib. 5. thesau. cap. 4. num. 16.* 95 *Nõ censentur interdicta.*

Hanc sententiam probabiliorem esse iudico. Neque enim inde sequitur, interdictum populi eludi, cum populus debeat à diuinis illis officiis audiendis abstinere. Quod si populus interdictus eis velit assistere, neque expelli valeat, cessare debent Clerici ab illorum celebratione, non ex lege interdicti, sed ob scandalum vitandum, & ad peccatum cooperationem. 96 *Probabilius hoc esse iudico.*

CAPVT IX.

Circa Interdicti Causas.

Dvbivm XII.

Episcopus, seu Prælatus sub se Capitulum habens potestne sine eius consensu interdicti sententiam ferre

POtest quidem. Quia consuetudo legis vim habens docet, id illos posse, cum quotidie huiusmodi potestatem executioni mandari videamus, tali sententia vim suam exercente. Sic Calderin. *de interd. membr. 3. numer. 54.* Glos. *ad cap. 1. de excessib. Prælat. verb. Capituli.* Abbas *ibi.* Vgolin. *tab. 5. capit. 1. Paragraph. prim.* Suarius *dub. 36. section. 1. numer. 6.* Sayrus *l. 5. thes. cap. 10. num. 20.* 97 *Potest fieri.*

Minime potest. Quia *c. 1. de excessib. Prælator.* Pontifex 98

Pontifex prohibet, ne Clericos sine Capituli iudicio Episcopus suspẽdat, aut eorũ Ecclesias interdicto subiiciat. Fauet *c. Nouit. c. Quanto de his, quæ fiũt à Prælato sine cons. Capituli. c. Cum in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli.* Ita DD. quos presso nomine affert, & sequitur Palao *de cens. d. 5. pun. 3. n. 2.*

99 *Auctoris resolutio.* Existimo, spectato iuris rigore neque Episcopum, neque Prælatum alium sub se Capitulum habentem posse Clericos interdicere absque Capituli consensu, bene tamen laicos. At spectata consuetudine, et laicos & Clericos interdicere posse.

Dvbivm XIII.

Prælati Regulares iurisdictionem tantum in Religiosos habentes possuntne eos absoluto interdicto ligare?

100 *Nonnulla præmitto.* Etsi spectato iuris rigore possunt interdictum tam in personas quam in loca sibi subiecta ferre: at consuetudine præscriptum est, hanc eis ademptam esse potestatem, saltem quoad interdictum locale, nisi forte in plebem iurisdictionem habeat. Henriq. *l. 13. cap. 24. n. 3.* Sayr. *l. 5. thes. c. 10. n. 22* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 4. n. 1.* Quæsierim vero, an Prælati hi iurisdictionẽ in Religiosos solũ habentes, possint eos absoluto interdicto illigare?

101 *Non possunt absoluto, sed partiali.* Non possunt absoluto, sed solum partiali, nempe ab audiendis diuinis officiis, vel confessionibus excipiendis. Quia potestas absolutum interdictum ferendi residet penes illos qui absolutam in subditos Clericos & laicos prælaturam gerunt. Sic Sayr. *l. 5. thes. c. 10. num. 22.* Henriq. *l. 13. c. 24. n. 3. & c. 51. n. 1.*

102 *Possunt absoluto.* Possunt equidem absoluto interdicto ligare. Quia in Religiosos subditos absolutam obtinent potestatem. Ita Palao *de cens. disp. 5. pun. 3. n. 4.* Et Doctores, qui negata potestate apponendi interdictum locale, personale concedunt.

103 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam si absolute personæ eis subiectæ sint, cur solum partiali pœna solum poterit eos punire, prohibendo, ne Confessiones excipiant, aut diuinis intersint? Et si sigillatim possunt eis singula interdicta ferre, cur non poterunt eos absoluto interdicto plectere?

Dvbivm XIV.

Vt interdictum generale locale aut personale ferri possit, vltra culpam capitis, vel communitatis requiriturne vt delinquens iurisdictionem temporalem habeat in locum vel communitatem?

104 *Nonnulla pro.* Interdictum generale locale, personale quocum vltra personas delinquentes, innocentes afficiat, nullomodo in iure fertur, nec ferri ab alio, quam à Pontifice potest ob culpam quantumuis grauem alicuius priuatæ personæ nisi ea culpa sit culpa capitis, vel communitatis. Argum. *Cap. Non est de sponsal.* Et deciditur in Concil. Basileensi, *sess. 20.* Quia pœna debet proportionari culpæ: & cum hæc sit communis pœna, culpam communem requirit. Suar. *d. 36. sect. 3. nu. 5. & 6.* Auila *part. 5. d. 3. dub. 1. concl. 5.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 4. n. 4.* Henriq. *l. 13. c. 50. nn. 1.* Ad quæstionem autem assero, num vltra culpam capitis, vel Communitatis, requiratur, vt delinquens iurisdictionem temporalem in locũ vel communitatem interdictam habeat?

105 *Requiritur plane.* Requiritur quidem. Quia non videtur rationi consonum, spiritualis Pastoris contumaciam cum tam graui populi iactura coërcere. Sic Cardinal. *ad cap. Sane el 2. de offic. delegati.* Panormit. *ibi, n. 7.* Henriq. *l. 13. c. 50. n. 1.*

106 *Non requiritur.* Non requiritur. Quia contumacia spiritualis Pastoris grauius delictum est contumacia domini temporalis: ergo si hæc sufficit ad interdictum generale personale & generali locale, vel speciale constituendum: etiam contumacia spiritualis Pastoris sufficere debet. Ita Auila *p. 5. d. 3. dub. 1. conel. 2.* Suar. *d. 36. sect. 3. n. 7.* Sayr. *l. 5. thes. c. 11. n. 9.* Vgolin. *tab. 5. c. 20. §. 1. numer. 2.* Felin. *ad cap. Sane numer. 2.* Decius *notab. 7.*

107 *Verius hoc puto.* Verius hoc esse credo. Quod quidem non leuiter colligitur ex eo *c. Sane.* Vbi deciditur posse delegatum Pontificis interdicto subiicere terram iurisdictioni Episcopi subiectam, absque vlla iurisdictionis temporalis, vel spiritualis distinctione.

Dvbivm XV.

Interdictum locale speciale, v. gr. vnius, vel alterius Ecclesiæ, potestne licite & valide pro debito pecuniario imponi?

108 *Nonnulla suppono.* Certa sententia est, interdictum locale generale ferri non posse absque speciali sũmi Præsulis licentia pro delicto à capite, vel communitate perpetrato in ære alieno retinendo. Ita expresse cautũ est à Bonifacio VIII. in *Extrauag. Prouide attendentes, de sent. ex com.* Ibi enim statutum est, pro contumacia domini, vel Episcopo loci in alieno ære retinendo, & debito pecuniario non soluendo, nullatenus posse aliquam Prouinciam, Ciuitatem, Castrũ, locum, territorium sine speciali Sedis Apostolicæ licentia interdici. Quod si contra factum fuerit, irritum esse decernit. At de interdicto locali speciali quæsierim num licite, & valide possit imponi?

109 *Potest imponi.* Interdictum locale speciale, v. gr. vnius, vel alterius Ecclesiæ etsi non conueniat pro debito pecuniario imponi: absolute tamen licite ac valide imponi potest. Quia præfata constitutio solum de interdicto locali generali loquitur, vt aduertit *ibi* Glossa, & Abbas *ad cap. Cũ in partibus, de verbor. signific.* Ergo cum interdictum locale speciale nullibi prohibitum inueniatur, ferri pro debito pecuniario potest. Sic Nauar. *sum. c. 27. n. 168.* Sayr. *l. 5. thes. c. 11. n. 19.* asserens esse omnium præter Couar. Suar. *d. 36. sect. 3. n. 8.*

110 *Imponi non potest.* Interdictum locale speciale non potest ob debitum pecuniariũ ferri. Quia in illa Extrau. prohibetur, ne supponatur interdicto Prouincia

Ciuitas, Castrum, locus, territorium: at locus tam de interdicto locali, generali, quam speciali intelligitur Præterea solutio debiti pecuniarij facile aliis viis potest obtineri, absque innocentũ periculo. Ita Couar. *ad c. Alma, p. 2. §. 1. n. 5.* Mexica *de interd. diff. 3. concl. 2.* Auila *p. 5. d. 3. dub. 3. concl. 2.* Inclinat Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. fine.*

111 *Cum his Doctoribus opinor.* Cum his Doctoribus opinor. Nam interdictum locale generale ideo ob causam pecuniarij debiti prohibetur apponi ab ordinaria potestate, ne ob temporalem causam, & quę alia via emendari potest, innocentes detrimentum patianturiat hæc ratio etiam in interdicto locali speciali procedit: ergo interdictum locale speciale ob debitum pecuniarium nequit imponi absque summis Præsulis facultate.

Dvbivm XVI.

Interdictum personale generale potestne imponi ob retentionem æris alieni à capite communitatis factam?

112 *Potest omnino.* INterdictum personale generale, hoc est, interdictum Communitatis ob æris alieni retentionem à capite Communitatis factam potest imponi. Quia constitutio Bonifacij VIII. in *Extrau. Prouide attendentes* solummodo de interdicto locali loquitur, vt manifestum est. Ex quo colligitur, interdictum personale cõcedi. Sic nonnulli, quorum sententiam amplectitur Castro Palao *de cens. d. 5. pun. 3. §. 2. nu. 6.*

113 *Imponi non potest.* Imponi non potest. Quia si imponeretur, innocentes ob temporalẽ causam, haud æque, grauarentur. Vnde prohibitum proculdubio est, sicuti generale locale. Ita Calderin. *tract. de interd. memb. 1. n. 22.* & alij.

114 *Auctoris placitum.* Ego quidem existimo, si illius Extrau. spectemus verba, veram primam sententiam esse, idque omnino asserendum. At si intentionem Pontificis perpendamus, verius censeo, interdictum personale generale prohibeti, sicut & locale, ne ad innocentes pœna illa redũdet. Illud autẽ est certum, interdictũ personale speciale pro debito pecuniario imponi posse authoritate ordinaria. Quia nullibi contrarium est cautum: neque verba, nec mens illius Extrauag. aduersantur.

Dvbivm XVII.

An interdictum personale speciale possit ob culpam alienam ferri?

115 *Potest quidem.* POtest quidẽ. Quia si ob culpã capitis innocentes communitatis grauantur interdicto populo: cur non poterit innocens interdici ob culpam alterius, qui ipsi coniunctus est? Sic Henr. *l. 13. c. 50. n. 2.* Auila *p. 5. d. 3. dub. 2.*

116 *Non potest.* Minime potest. Quia cum speciale personale interdictum propriam personam vbique afficiat, pœna est in ipsa culpam supponens. Ita Sayr. *l. 5. thes. c. 11. n. 5.* Suar. *d. 36. sect. 3. num. 2.* Hurtad. *de Interd. diffic. 13.*

117 *Hoc eligo.* Hanc sententiã communẽ eligens assero, interdictũ personale speciale nunquã ob alienã culpam ferri posse, sed necessario propriã supponere: vt culpa, non innocentia flagelletur.

Dvbivm XVIII.

Ob culpam venialem propriam potestne ferri speciale personale interdictum?

118 *Potest plane.* POtest quidem. Quia huiusmodi interdictũ non priuat maioribus bonis, quam excommunicatio minor: & ex alio capite cum est à iure, vel ab homine generaliter latum, æque facile ac excommunicatio minor valet auferri. Ergo sicut excommunicatio minor ob solam culpam venialem contrahi potest, etiam contrahi poterit interdictum. Sic Henriq. *lib. 13. c. 50 n. 2.* Auila *p. 5. d. 3. dub. 2.* Sà *v. Interdictum, n. 7.* Hurtad. *de interd. diffic. 13.*

119 *Non potest.* Non potest. Quia huiusmodi interdictum maioribus bonis priuat, quam minor excommunicatio, & passim contingentibus siquidẽ priuat Sacramentorum administratione, ac receptione plurium, diuinorum officiorum assistentia, ac Ecclesiastica sepultura: & difficilius tollitur quam excommunicatio minor, quæ à quolibet Sacerdote simplice valet auferri, cum interdictum saltem proprium Sacerdotẽ requirat. Ita Suarius *disputation. 36. sect. 3. nu. 1.* Sayrus *lib. 5. thes. c. 11. num. 16.* Layman. *libr. 1. tr. 5. p. 4. c. 4. num. 4.* Vasquez *tom. 2. disputat. 58. num. 50.*

120 *Hanc sententiam probabilem esse.* Hanc sententiam probabiliorem esse non dubito. Nam ob transgressionem interdicti sæpe incurritur irregularitas, quæ tamen non incurritur ob minoris excommunicationis violationem: ergo signum est grauiorem esse pœnam: ac proinde non nisi ob grauem culpam contrahi posse. Fateor tamen, si interdictum non sit absolutum, & integrum, sed partiale, & ad breue tempus: posse ob veniale piaculum posse iniungi. Quia tunc est leuis pœna facile remouenda. Caiet. *v. Suspensio, & v. Interdictum* Nauar. *sum. c. 27. n. 167.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. n. 4.* Hurtad *de interd. diffic. 12.* Suarius *d. 36. sect. 3. num. 2.*

CAPVT X.

Circa Interdicti Effectus.

Dvbivm XIX.

Tempore Interdicti potestne secluſa necessitate solemniter ministrari Baptismus?

De primo effectu ipsius priuationis actiua, & passiua Sacramentorum.

121 *Nonnulla recolit.* VIdimus *sectione prima.* administrationem, ac receptionem Sacramentorum esse tempore interdicti prohibitam, exceptis casibus in iure expressis. Decidit *Cap. Re-*

sponso

sponso, de sent. excom. & c. Si sententia, eodem tit. Certum est, excipi Baptismum paruulorum cuius quidem administratio potest, imo debet esse solēnis: nec refert, an interdictū sit locale generale, an speciale: Constans autem est Doctorum sententia, posse personam generaliter interdictam hoc Sacramentum solemniter ministrare. Quia generale personale interdictum arctius non ligat, quam generale loci, quo non obstante Baptismi ministratio permittitur. Persona vero specialiter interdicta potest priuatim in casu necessitatis Baptismum ministrare. Quæsierim vero, num secluſa necessitate possit solemniter illum ministrare?

122 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia sicut non obstante interdicto speciali locali potest eo in loco ministrari hoc Sacramentum. Sic videtur ministrari posse à persona specialiter interdicta, eius interdicto non obstante. Concessio enim hæc non ob Ministrum, sed ob Baptizandum facta est. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse Palao citandus indicat.

123 *Non potest.* Minime potest. Quia his personis, sicut excommunicatis nullus est fauor concessus, qui necessario foret, si secluſa necessitate ministrandi, Baptismum solemniter possent id gerere. Ita Sayr. *l. 5. thes. c. 7. n. 6.* Bonac. *to. 1. de cens. d. 5. pun. 3. §. 1. nu. 5.* Alter. *de interd. d. 4. c. 1. fine.* Fill. *tr. 18. n. 335.* Palao *de cens. d. 5. pun. 4. §. 1. n. 5.*

124 *Hic teneo.* Satis probabilem primam sententiam esse reor, sed longe veriorem esse secundam. Quia si nullatenus adest vrgens necessitas totus fauor Ministro soli factus censetur non Baptizando, siquidem posset ab ipso priuatim Baptizari si vrgeret necessitas.

Dvbivm XX.

Ad ministrandum Confirmationis Sacramentum tempore interdicti potestne si opus sit, confici Chrisma non seruata c. Alma mater moderatione?

125 *Nonnulla suppono.* Qvod dictum est de Baptismo, de Sacramento Confirmationis dicendum esse omnes fatentur. Licet enim non sit Sacramentum necessitatis, est tamē Baptismo accessoriū, & illius quasi complementum: vnde concesso Baptismo, hoc censetur concessum non vtcūque, sed cum omni sua solemnitate apertis ianuis, ac si interdictum non esset. Argum. *Leg. Si quando, C. de inofficioso testam.* Quia vno concesso, conceduntur ea, cum quibus præstari solet. Et sumitur ex *c. Quoniam, de sent. excom. in 6.* Henriq. *l. 13. c. 45.* Suar. *d. 33. sect. 1. n. 7.* Avila *p. 5. d. 5. sect. 1. dub. 4. concl. 3.* Additur præterea in *cap. Quoniam* posse Chrisma confici in loco etiam specialiter interdicto. Quia est necessarium Confirmationi: & concessa Confirmatione, concedi debent quæ ad illam conficiendam sunt necessaria. *Leg. Ad rem. & Leg. Ad legatum, ff. de procurat & defensorib.* Iam requiro, an vt tempore interdicti Chrisma possit confici non seruata moderatione, quæ in *c. Alma* præscribitur?

Non potest. Quia si ad Confirmationis Sacramentum tempore interdicti ministrandum, necessaria est Chrismatis confectio, debet ea moderatione perfici, quæ in reliquis Sacrificiis diuinis constitutione ex illa obseruari imperatur. Sic Coūar. *ad c. Alma p. 2. §. 2. num. 7.* Henriq. *l. 13. c. 45.* Bonac. *to. 1. de cens. d. 5. pun. 5. §. 1. n. 4.* & alij. 126 *Non potest.*

Potest quidē. Quia textus in *c. Alma* nō fuit expeditus ad ampliandā interdicti prohibitionē, & abrogaāos casus, in quibus interdicti prohibitio locū iure antiquo non habebat: sed expeditus fuit ad tēperandū rigorē illis in casibus, in quibus vim habebat interdicti prohibitio. Cū autē iure antiquo ministratio Cōfirmationis, & Chrismatis confectio absque vlla moderatione *c. Alma mater*, fuerit permissa, non debet censeri, id ex eo *c. Alma* esse sublatum. Ita Barbosa *de potest. Episc. alleg. 31.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 1.* 127 *Potest quidem.*

Hanc sententiam quam satis probabilem esse reor eligendam duxi, quamuis primam cōmunem esse ingenue profiteor. Quia huiusmodi textus moderationem adhibet in Sacrificio Missæ, & officiis diuinis, quæ diebus singulis dicuntur: At Chrismatis confectio sub his officiis diuinis quotidie dicendis non continetur: tum quia non dicitur, sed conficitur: tū quia non singulis diebus peragitur. 128 *Hoc defendo.*

Dvbivm XXI.

An ministratio Sacramenti Pœnitentiæ à Sacerdote interdicto denunciato facta validane est?

SAcramentum Pœnitētiæ iure antiquo solis moribundis, & peregrinis concessum erat, *Cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* at iure nouo omnibus conceditur duplici conditione apposita. Prima est, ne recipiens excommunicatus sit, quia pertinaciter interdicto causam dederit. Secunda, ne absoluendus causam culpabilem dederit interdicto: eo enim casu debet prius satisfactionem condignam exhibere. Quod autem dictum est de receptione, dictum de eius administratione existima: posse inquam, administrari in loco interdicto, & à persona generaliter interdicta: secus vero à persona, quæ specialiter interdicta sit. Iam requiro, num administratio facta ab interdicto denunciato, non solum sit illicita, sed & inualida? 126 *Nonnulla suppono.*

Inualida est. Quia in *cap. Responso, de sent. excommun. & cap. Si sententia, eodem titul.* Sacerdoti specialiter interdicto quælibet Sacramentorum administratio extra casum necessitatis prohibetur absolute, nec an valide id gerat, exponitur. Ergo de interdicto denunciato credendum non solum illicite sed inualide Pœnitentiam ministrare, iurisdictione vtique omnino priuato. Sic nonnulli Doctores, quorum sententiam Suarius *disputatione trigesima tertia sectione prima numero vigesimo* approbare, imo & sequi videtur, cum dubitans in contrariam inclinet. 130 *Inualida est.*

131 *Inualida non est.* Non est invalida. Quia interdictum non iurisdictione, sed diuinorum vsu priuat. Ita Fil. *tr.16.n.38.* Bonac *tom.1.d.5. de cens.pun.3.§.3. n.2.* Palao *de cens.d.5.pun.4.§.1.nu.8.* Suar. *vbi supra.*

132 *Hoc mihi probabilius.* Hoc probabilius esse censeo. Quia Pœnitentiæ administratio, quia diuinum quid est, illicite ab interdicto denunciato getitur, attamen quia interdictum iurisdictione non priuat, valide exerceri nullo ex capite repugnat.

Dvbivm XXII.

Permissumne est Eucharistiam sumere, ac ministrare in quatuor festiuitatibus contentis in Cap. Alma mater, de sentent, excommunicat. in 6.

133 *Quæstionis status.* Evcharistiæ Sacramentum tempore Interdicti localis, & personalis generalis potest, & debet ministrari iis, qui sunt in probabili mortis periculo constituti. Extra hoc periculum nec licitum est id ministrare, nec illud recipere in loco interdicto, nec à personis generaliter interdictis. Quæsierim vero, an in quatuor festiuitatibus, nempe Natalis Domini, Paschę, Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ, quibus in C. *Alma* concessum est omnibus fidelibus, vt tempore interdicti localis, vel personalis diuina participare valeant, dummodo causam interdicto non dederint, aut alias sint personaliter interdicti: possint illis temporibus Eucharistiam sumere, eisque ministrari permissum?

134 *Non est permissum.* Permissum non est. Quia in his festiuitatibus solum permittuntur diuina officia celebrari, & participari à fidelibus ac si nullum esset interdictum. At Sacramenti huius receptio & administratio à diuinis officiis est diuersa, vti constat ex *cap. Si sententia, de sentent. excomm. in 6.* & ex *Cap. Episcoporum, de priuileg. eodem lib.* Ergo ex diuinorum officiorum, receptio & administratio Eucharistiæ concessa non videtur. Nam à diuersis, & separatis non est facienda illatio. Argum. *Leg. Papinianus exuli. ff. de minorib.* Certe Pontifex in prædicto *Cap. Alma*, solum agit de Missæ celebratione & qualiter officia diuina tempore interdicti valeant celebrari, nihilque adiicit de Sacramentorum receptione, & administratione: ergo prohibitio tempore interdicti iure antiquo statuta, ne Sacramenta recipiantur, nullam accepit mutationem ex eo *Cap.* Sic Couarruuias *p.2.ad Cap. Alma §.5.nu.5.* Nauar. *sum.c.27.n.* 179 Bonac. *to.1.de cens.d.5.pun.3.§.2.num.* 12. Auila *p.5.d.4.sect.1.dub.5.concluſ.3.* Hurtad. *de interd.diffic.7.n.26.* Sayr. *lib.5.thes.c.7.num.25.* Henr. *l.13.c.45.n.2.*

135 *Permissum est.* Permissum quidem est. Quia in omnium sententia his festiuitatibus conceditur omnibus Christi fidelibus non solum diuinis officiis assistere, sed & Missæ sacrificio. At iure antiquo omnibus assistentibus sacrificio Missæ concessum erat de ipso Sacrificio communicando, participare: ergo modo etiam id debet censeri esse concessum. Et forte ob hanc causam textus vsus non fuit *verb. Assistere*, sed *Participare*: vt ex eo colligitur, non solum ex Sacrificio Missæ, & diuinis officiis fideles assistendo, sed & sacratissimum Christi Domini Corpus percipiendo posse participare. Ita Fil. liuc. *tr.18.num.32.* Coninch *d.17. dub.2. num. 36.* Suarius *d.33. section.1. num.37.* Palud. *in 4. dist.18. quæst.8. articul.2. concl.3.* Federic. *conſ. 111.n.7.*

136 *Secundam sententiam.* Profecto vt primam sententiam probabilem admodum imo communem deseram, secũ. dæque libenter hæream, hac ratione allicior: *sententiam* specialiter interdictis, seu illis, qui causam in. *eilg.* terdicto dederunt; in *c. Alma* prohibetur Eucharistiam recipere: ergo tacite aliis concedi. tur, exceptio enim vnius in casibus non exceptis regulam firmat. Alias namque frustranea esset hæc exceptio, si omnes tam interdicti, quam non interdicti: & tam interdicti specialiter, quam generaliter, excluſi à communione essent.

Dvbivm XXIII.

Illi quibus ex priuilegio competit Missæ Sacrificio assistere tempore interdicti, possuntne tunc Eucharistiam recipere laicorum more?

137 *Quæstio status.* Qvæstioni Dubio proximo agitatæ affinis est hæc, quam Doctores excitant de Sacerdotibus, aliisque Clericis, quibus concessum est celebrare Missam, & diuina officia: & de iis, quibus ex priuilegio competit tempore interdicti diuinis assistere: an, inquam, omnes hi possint laicorum more Eucharistiam accipere?

138 *Nil possunt.* Non possunt. Quia iure antiquo prohibita erat Eucharistiæ receptio nisi morituris, *Cap. Quod in te, de pœn. & remiss.* à qua prohibitione recedi nequit, nisi quatenus iure nouo permissum inueniatur. Argum. *Clement.1.§. Porro. de verb.signific.* At iure nouo sola receptio Eucharistię in celebratione Missæ permittitur sacerdotibus, ne sacrificium imperfectum esset: *Cap. Alma mater, de sentent. excommunication.* Ergo extra hunc casum nequaquam aut hi, aut alij poterunt more sæcularium Eucharistiam recipere. Sic Nauar. *sum. c.27.num.178.* Henriq. *l.11.c.45.n.2.* Vgolin. *tab.5.c.7.§.6.nu.* 5. Sayrus *lib.5.thesaur.c.7.n.21.* Bonacin. *tom.1. d.5.de cens.pun.3.§.2.n.8.* Auila *p.5. d.4.sect.1. dub.5. concl.3.* Layman. *l.5.tr.1.p.4.c.2.num.1.* Hurtad. *de interd. difficultat.8 numer.vigesimo octauo.*

139 *Possunt qui dem.* Possunt quidem. Quia tempore nascentis Ecclesiæ assistentiæ ad Missam annexa erat Sacra Communio: ergo concesso primo accessorium concessum esse liquet. Ita Sylvest. *verb. Interdictum. 5. quæstion.7.* Suarius *d.33. section 1.numer.35. & 36.* Filliuc. *tract.8 n.42.* & alij.

140 *Assentiorem placitum.* Fateor, primam sententiam communem esse pluriumque Doctorum patrocinio fulciri:

rimihilominus valde probabilem censeo esse secundam. Assero igitur, omnibus illis, quibus ex priuilegio competit Missæ Sacrificio assistere posse, concessum consequenter esse posse communicare. Hinc colligo, Religiosos siue viros, siue fœminas, & nouitios, queis datum est Missæ, & diuinis assistere, posse Sacrã Eucharistiam recipere. Et quidem hoc priuilegium suscipiendi Eucharistiam interdicti tempore omnes fere Religiosi habent. Lege compendium priuilegiorum SOCIETATIS IESV, *verb. Interdictum*, & *verb. Communicare.* Nauarrum *c. 27. n. 179.* Henriq. *l. 13. c. 41. nu. 2.* Sayr. *l. 5. thes. c. 7. n. 23.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. capit. 2. num. 2.*

DVBIVM XXIV.

Clericis, quibus concessum est, tempore Interdicti Sacrificium Missæ, & diuina officia celebrare, concessumne etiam est Sacramentum Extremæ vnctionis recipere, vel ministrare?

141 *Nonnulla suppono.* CErtum est Extremæ vnctionis Sacramentum in nullo interdicto locali, vel personali ministrari laicis posse. *c. Non est vobis, de sponsalib. c. Quod in te, de pœnit. & remissionib.* Quia licet hoc Sacramentum sit valde proficuum morienti: quia tamen necessarium non est per se, ideo Ecclesia ad maiorem censuræ terrorem suis fidelibus id abnegauit. Concessit autem Eucharistiam, licet enim morienti, & Pœnitentiam recipienti simpliciter necessaria non sit, Eucharistiam eo in articulo recipere iure diuino obligamur. Dubito autem an Clericis, quibus concessum est, tempore interdicti Sacrificium, ac diuina officia celebrare, concessum etiam sit Extremam Vnctionem ministrare, aut recipere?

142 *Concessum est.* Concessum est. Quia cui maiora conceduntur & minora intelligi debent esse concessa. Ergo cum celebratio Sacrificij Missæ & Eucharistiæ receptio tempore interdicti Clericis concedatur, censeri debet & Extrema vnctio, vtpote inferior concessa. Sic nonnulli, quorum sententiam alicui haud improbabilem esse videbitur.

143 *Non est cõcessum.* Minime est concessum. Quia *Cap. Quod in te, de pœnit. & remission.* id haud obscure præscribitur. Postquam enim Pontifex dixerat, omnibus tempore interdicti prohibitam esse Extremam vnctionem, & Ecclesiasticam sepulturam: subdit, sepulturam Ecclesiasticam Clericis seruantibus interdictum esse concedendam: tacite ergo prohibitionem Extremæ vnctionis suo in vigore reliquit. Argum. *cap. Nonne, de præsumpt.* Ita Abbas *ad Cap. Quod in te, num. 9.* Bonacin. *tom. 1. disputation. quint. de censur. punct. tert. Paragraph. tert. num. 4.* Sayrus *libr. quint. thesau. capit. septim. numer. 30.* Couar. *ad cap. Alma, part. secund. Parag. quint. numer. sext.* Syluest. *verb. Interdictum 5. num. 8.*

144 *Hoc omnino tenendum.* Hoc omnino tenendum, quod (quidquid aliquis dixerit) certum esse defendo. Attamen si interdicti tempore infirmus nullum aliud Sacramentum recipere posset: poterit ei Vnctio Extrema ministrari ex præsumpta Ecclesiæ volũtate. Quia minimè credã piissimã Matrem suis fidelibus, & maxime morituris Sacramentorum subsidium velle denegare: cum salus æterna infirmi, Sacramento non recepto non leuiter periclitetur: cuius periculum maxima ex parte Sacramento extremæ vnctionis recepto temperatur. Layman. *libr. prim. tractat. quint. part. quart. capit. secund. numer. prim.* Sayrus *libr. 5. thesau. capite septimo numero trigesimo tertio* adiiciens magnæ futurum vtilitatis, si Pontifex omnibus morituris hoc Sacramentum sicut Eucharistiam permitteret, tum ob eius vtilitatem, tum ob necessitatem quæ aliquando poterit euenire. vt omisso hoc Sacramento infirmus solum attritus pereat æternum: quisi illud reciperet vitam æternam obtineret.

DVBIVM XXV.

Illis festiuitatibus, in quibus Cap. Alma *fidelibus conceditur diuinorum participatio censeturne concessa etiam esse eis Extrema Vnctio?*

145 *Concessa censetur.* COncessa censetur. Quia Sacra Vnctio inter diuina debet reputari. Et quia priuilegium Principis quale hoc est, late interpretandum, vt de quolibet officio diuino, & de cuiusuis Sacri participatione intelligatur. Sic Federic. de Senis *cons. 111.* Sylvest. *v. Interdictum 5. n. 3.*

146 *Non cẽsetur concessa.* Non censetur concessa. Quia cũ Extremæ Vnctionis prohibitio tẽpore interdicti sit absoluta, & in *Cap. Alma* non inueniatur temperata pro quatuor illis festiuitatibus: nullatenus censendum est, huiusmodi priuilegium ad Extremam Vnctionem extendi. Ita Couarruuias *ad cap. Alma, p. 2. §. 5. n. 6.* Vgolin. *tab. 5. capit. 8. Parag. 11.* Sayrus *libr. 5. thesau. capit. 7. numer. 33.* Bonacin. *tom. prim. disputation. 5. de cens. punct. 3. §. 3. numer. quart.* & alij communiter.

147 *Hanc sententiã admitto illam reiicio.* Primam sententiam sustinendam non esse crediderim. Nam *Cap. Alma*, non quorumlibet diuinorum participatio conceditur, sed Sacrificij, & officiorum diuinorum, sub quibus Extrema Vnctio non comprehenditur. Neque Principis priuilegium vltra verborum proprietatem est extendendum.

DVBIVM XXVI.

Sabbatho Sancto in loco interdicto possuntne Ordines conferri?

148 *Quæstionis status.* CErtum est Sacramentũ Ordinis in loco interdicto, vel personis specialiter interdictis nulla

nullat enus conferri posse. Bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto. Quæsierim vero, num Sabbatho Sancto possint in loco interdicto Ordines conferri?

149 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia festiuitas Paschatis à Missa incipit: At Ordinum collatio ex Ecclesiæ præscripto Missæ, diuinisque officiis eo die peragendis est accessoria: ergo concessa Missa, & diuinis officiis, censeri debet concessa Ordinum collatio. Theologus non immeritus iudicans hanc sententiam improbabilem non existere.

150 *Non potest.* Minime potest. Quia Ordinum collatio nō est ita accessoria celebrationi Missæ, & officiis diuinis Sabbathi Sācti, quin absque illa peragi possint, vt sæpius accidit. Non enim accedit collatio Ordinum necessario, sed voluntarie: Ecclesia enim id non præcipit, sed permittit. Ergo ex concessione celebrationis Missæ & diuinorum officiorum Ordinum collatio non intelligitur concessa. Ita Palud. *in 4. dist. 18 qu. 8. articul. 2. conclus. 3.* Sayrus *lib. 5. thesau. cap. 7. numer. 39.* Bonacin. *tom. 1. d. 5. de cens. punct. 3. §. 3. num. 3.* Couar. *ad cap. Alma, part. 2. Par. 3. num. 4.*

151 *Hoc vt certū admitto.* Hanc sententiam vt certam admitto. Nam si ex concessione celebrationis Missæ, & diuinorum officiorum Ordinum collatio concessa intelligeretur: in diebus quatuor temporum, seruata moderatione *Cap. Alma mater*, possent Ordines saltem iis, qui in Clericalem statum sunt adscripti, conferri; quod quidem est falsum.

Dvbivm XXVII.

In casu necessitatis alicuius Prouinciæ possuntne Ordines in loco interdicto conferri?

152 *Nō possunt.* NOn possunt. Quia ob huiusmodi necessitatem nullibi inuenitur concessa huius Sacramenti ministratio. Sic Sylvest. *v. Interdictum 5. q. 7.* Couar. *ad c. Alma, p. 2. §. 3. num. 4.* Vgolin *tab. 5. c. 7. §. 2. n. 2.*

153 *Possunt plane.* Possunt conferri. Quia in *Cap. Alma* permittuntur aliqua Sacramenta ministrari, ac confici interdicti tempore: ergo consequenter permittenda est Ordinatio Ministrorum qui ad id fuerint necessarij: alias inutilis esset talis concessio. Ita Abbas *ad cap. Non est vobis, de sponsal. numer. 8.* Henriquez *lib. 13. c. 45. num. 4.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 4. capit. 2. num. 1.* Sayr. *l. 5. thes. c. 7. n. 38.* Villadiego *tr. de irreg. c. de interd. n. 3.* Bonac. *to. 1. d. 5. de cens. pun. 3. §. 3. n. 3.* & alij.

154 *Hanc sententiam eligo & confirmo.* Probabilius hoc iudico. Quod quidem à simili confirmarim. Ex eo enim, quod tempore interdicti conceditur Baptismi, & Confirmationis receptio, ac ministratio, concessa censetur (vt vidimus) confectio Chrismatis sine quo nec ministrari, nec recipi possunt. *c. Quoniam, de sent. excom. in 6.* Ergo cum Sacramenta absque Ministris ordinatis confici nequeant, efficitur ex concessione Sacramentorū concessam esse Ministrorum ordinationē. Profecto hæc procedunt casu, quo necessarium sit in loco interdicto Ministros initiare, quod raro vel nunquam contingere potest. Debet enim Episcopus ad locum non interdictum accedere, vel ordinandos ad Episcopos vicinores remittere. At si hæc cōmode fieri nequeāt, & tanta sit Sacerdotum penuria, vt fideliū necessitati consuli non possit: poterit Episcopus in loco interdicto initiare eos solū Ministros, qui prudētis arbitrio necessarij esse iudicētur.

Dvbivm XXVIII.

Sacramentum Matrimonij potestne in loco interdicto, & à personis interdicti recipi, ac ministrari?

155 *Non potest.* NOn potest. Quia quoties aliquid generaliter est prohibitū si nō inueniatur exceptum, prohibitū esse censetur, textu in *Clement. 1. §. Porro de verbor. signif.* At Sacramentorū receptio & administratio interdicti tempore generaliter prohibita est nisi in casibus à iure exceptis. *c. Si sententia, de sent. excom in 6.* Ergo cum Matrimonij Sacramentum exceptum non inueniatur, denegatum censeri debet. Sic Bonac. *d. 5. pun. 3. §. 3. n. 8.* Fill. *tr. 18. n. 51.* Sayr. *l. 5. thes. c. 7. n. 43.* Suar. *d 33. sect. num. 51.* Vgolin. *tab. 5. c. 7. §. 3. n. 1.*

156 *Potest plane.* Potest profecto. Quia Matrimonium præcipue est contractus humanus, & politicus, cui ratio Sacramenti Christo Domino ex institutione annexa est. Ergo hic contractus ob Sacramenti rationem adiunctam non debet censeri prohibitus, cum accessorium principalis naturam sequatur. Ita Abbas *ad c. Non est vobis, de sponsal. n. 8.* Sylvest. *v. Interdictum, 5. num. 9.* Nauar. *sum. c. 27. n. 179.* Hurtad. *de interd. diffic. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 1.* Coninch *d. 17. num. 48.* Auila *p. 5. d. 4. sect. 1. dub. 6.* Henriq. *l. 13. c. 45. n. 3.* Tolet. *l. 1. c. 20. n. 9.*

157 *Verior hæc mihi sententia.* Verior hæc mihi sententia est. Quia generalis illa prohibitio intelligenda est de Sacramentis pure spiritualibus, quæque Ecclesiæ Ministris dispensanda committuntur: quale Matrimonium non est, cum contractui humano ac politico nitatur, & ab ipsis contrahentibus administretur, & recipiatur. Eaque de causa necessarium non fuit, id à prohibitione generali excipi, sub ipsa enim non comprehendebatur.

Dvbivm XXXIX.

Benedictiones Nuptiales possuntne in loco interdicto recipi, aut ministrari?

148 *Recipi, & ministrari possunt.* BEnedictiones hæ vulgo *Velationes*, recipi, & ministrari possunt. Quia sunt Matrimonio accessoria: ergo illo concesso, hæ cēlendæ sunt concedi ex *Reg. Accessorium 24. de regul. iur. in 6.* Fauet textus in *c. Quoniam, de sent. excommu*

ex communication. vbi conceditur Chrismatis confectio, eo quod sit accessoria Baptismo, & Confirmationi, quæ tempore interdicti conceduntur. Sic Rosel. *verb. Interdictum, 2. numero 7.* Angel. *verb. Interdictum 6. num. 3.* Gaëta *repetit. cap. Ad limina, 30. quæst. 1. §. 1. num. 547.* Sub dubio Abbas *ad cap. Non est, n. 8.* & Præpositus *n. 7. de sponsal.*

159 *Nec recipi possunt, nec ministrari.*

Nec possunt recipi, nec ministrari. Quia hæ benedictiones à Sacerdote, & tempore Missæ adhibitis quibusdam orationibus constituuntur, ac proinde sub officio diuino continentur: at officium diuinum non licet tempore interdicti à Clericis peragi præsentibus laicis: ergo hæ benedictiones coniugatis vtpote laicis nequeunt in loco interdicto conferri. Ita Nauar. *summ. cap. 27. num. 178.* Bonacina *tom. 1. disp. 5. de Censur. punct. 3. §. 3. num. 9.* Sayrus *libr. 5. thes. cap. 7. num. 41.* Sanchez *l. 7. de matr. d. 8. num. 10.* innumeros referens Henriquez *lib. 13. cap. 44. numer. 1.*

160 *Hoc vnice defenden. dum est.*

Hanc sententiam vnice defendendam esse reor, nisi ipsi coniugati priuilegium haberent assistendi officiis diuinis interdicti tempore: eo enim casu possent Nuptiæ eorum benedici, seruata *cap. Alma*, moderatione. Cæterum accessorium fateor naturam principalis sequi, quando est eadem ratio in accessorio, ac in principali, eademque dispositio. Quæ in præsenti non contingunt; nam Nuptialis benedictio pertinet ad diuina officia, Matrimonium non pertinet, & Nuptialis benedictio interdicti tempore specialiter prohibetur, cum tamē Matrimonij nulla adsit prohibitio.

Dvbivm XXX.

Recitatio publica, & Solemnis Horarum Canonicarum à Monialibus præstita, est ne sub officio diuino per interdictum prohibito comprehensa?

161 *Nonnulla suppono.*

CErtum mihi, ea sub nomine officij diuini intelligenda venire, quæ primo, ac per se annexa sunt alicui Ordini Sacro, quæque à solis Clericis ex institutione Christi Domini, vel Ecclesiæ fieri permittuntur, aut præcipiuntur scilicet Sacrificiū Missę, Olei benedictio, Chrismatis, Fontis pro Sacramento conficiendo requisita. Item benedictio Templi, Vestium Sacrarum, aquæ benedictæ, altaris consecratio. Horæ vero Canonicæ, & Officium Deiparæ cum Psalmis, & Litaniis, si in communi dicantur, & in loco ad id specialiter deputato, & cum ordinaria solemnitate sub prohibitione comprehenduntur. Secus autem, si in priuata domo recitatio fiat. Quia ea non est publica oratio, sed priuata, & Clericali ordini minime annexa. Iam requiro, num publica, & solemnis Horarum Canonicarum recitatio à Monialibus præstita sit sub officio diuino per interdictum prohibito comprehensa?

162 *Non est.*

Non est. Quia illud solummodo censendum est officium diuinum eo tempore prohibitum, quod de se Ordinem Sacrum requirit. Ergo Moniales Ordinis incapaces officium diuinum canentes non comprehenduntur in illa prohibitione. Quod autem solum sit tempore interdicti prohibitum officium, quod de se Ordinem Sacrum requirit, affirmant. Sayrus *libr. 5. thesaur. cap. 5. numer. 12.* Suarius *disputation. 34. sectione 3. numero 7.* Auila *part. 5. disputation. 4. section. 1. dub. 1.* Coninch *disputation. 17. numer. 26.* Bonacina *tom. 1. disput. 5. de Censur. punct. 4. numer. 1.*

163 *Est comprehensa.*

Comprehensa quidem est Monialium solemnis Horarum recitatio. Quia licet illa recitatio vt à Monialibus sit, non fit Ordini Sacro annexa: quia tamen per se ex sua institutione solemnis horarum recitatio à ministris consecratis peragitur, & in ordine ad id officium peragendum ministri consecrantur: ideo Monialibus, quibus hæc solemnis recitatio indulgetur, censenda est tempore interdicti prohibita. Ita Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 4. cap 2. numer. 2.* Palao *de Censur. disput. 5. punct. 4. §. 2 numer. 1.*

164 *Hoc certū.*

De hac conclusione non dubito. Nam eo ipso, quod Monialibus solemnis diuini officij recitatio indulgetur. Ecclesiasticorum ministrorum quodammodo vices gerere videntur. Vnde certum mihi, imo & omnibus, huiusmodi recitationem sub prohibitione contineri.

Dvbivm XXXI.

Priuilegio concesso Cap. Alma mater *Clericis, vt singulis diebus Missas celebrare possint, & diuina officia peragere, seruatis quatuor conditionibus inibi expressis fruuntur ne Clerici coniugati?*

165 *Nonnulla recolo.*

A præfata generali prohibitione exceptio facta est in *Cap. Permittimus, de sententia excommunicationis*, vbi à Gregorio IX. conceditur, non solum in interdicto generali loci, sed speciale Missam semel in hebdomade celebrari ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis, seruatis quatuor conditionibus in *cap. Alma* præscriptis, nempe vt submissa voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis, & excommunicatis, & interdictis exclusis. Deinde in *cap. Quod in te, de pœnit. & remissionib.* permissum est officium diuinum à Clericis binis, vel ternis peragi, non cantando, sed legendo sub quatuor præfatis conditionibus. Porro hæ concessiones extensæ sunt in *Cap. Alma, de sententia excommunicationis.* Vbi Pontifex non semel hebdomade, sed singulis diebus facultatem facit Clericis Missas celebrandi, & diuina officia peragendi in quibuscumque Ecclesiis, & Monasteriis, illis conditionibus asseruatis. Hoc vero priuilegium concessum non est laicis, sed Clericis, seu Ecclesiasticis personis, quæ priuilegio Canonis, & fori fruuntur siue sæculares, siue Regulares, siue viri, siue fœminæ. Iam requiro, num hoc priuilegio Clerici coniugati fruantur?

166 *Non fruuntur.* Non fruuntur. Quia licet hi Canonis, & fori priuilegio gaudeant, hoc priuilegium distinctum plane est. Sic Nauarr. *summ. c. 27. numer. 174.* Hurtado *de interdict. difficultat. 7. numer. 20.* Vgolinus *tab. 5. c. 8. §. 5. num. 5.* Toletus *lib. 1. c. 20.* Sayrus *l. b. 5. thesaur. c. 5. num. 34.* Couarruuias *ad cap. Alma, part. 2. Paragraph. 4. numer. 4.*

167 *Fruuntur.* Fruuntur profecto. Quia Clerici coniugati priuilegio Canonis, ac fori gaudentes necessarij adscripti sunt ex mandato Episcopi alicuius Ecclesiæ obsequio iuxta Tridentin. *sess 23. c. 3.* Sunt igitur iam ministri altaris constituti. Ergo non debent ab officiis diuinis excludi, sed potius admitti. Ita Sotus *in 4. distinct. 23. quæstion. 3. articul. 1. post 4. conclusion.* Auila *part. 5. disputation. 4. section. 2. dub. 4. conclusion. 4.* Coninch. *disputation. 17. numer. 20.* Bonacina *tom. 3. disputation. 5. de Censur. punct. 4. num. 20.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 4. capit. 2. numer. 2.* Suarius *disputatione 34. sectione 4. numero 1. & 2.*

168 *Idem affirmo.* Existimo potiri priuilegio, admittique debere sicut ante interdictum admittebantur. Siquidem finis concessionis Pontificiæ in *Cap. Alma*, fuit, vt officia diuina in Ecclesiis tempore interdicti peragerẽtur sicuti interdictum: cui intentioni manifeste obstaret exclusio Clericorum coniugatorum, qui ante interdictum in officiis diuinis ministrabant.

Dvbivm XXXII.

Præfato priuilegio diuina celebrandi officia Interdicti tempore, potiunturne Clerici exteri, seu alienigenæ?

169 *Non potiuntur.* NOn potiuntur. Quia *cap. Alma*, dicitur: *Canonicos, & Clericos Ecclesiarum admittendos esse.* Quasi diceret, qui illarum Ecclesiarum non sunt, non debent admitti. Sic Archidiacon. ad *c. Alma.*

170 *Potiuntur quidem.* Potiuntur quidem. Quia Clerici exteri ad officia diuina vt Ecclesiæ ministri antea admittebantur. At Bonifacius VIII. in *cap. Alma*, concedit, vt diuina officia peragantur secus ante interdictum: ergo necessario sunt admittendi. Ita Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 4. c. 2. num. 2.* Auila *part. 5. d. 4. section. 2. dub. 4. conclusion. 3.* Henriquez *libr. 13. c. 44. numer. 4.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 174.* Couarruuias *ad c. Alma, part. 2. Paragr. 4. numer. 4.* Vgolinus *tab. 5. capit. 8. Paragr. 5. numer. 5.* Sayrus *libr. 5. thesaur. cap. 5. numer. 35.*

171 *Cum his sentio.* Admittendos esse non dubito secundæ sententiæ fundamento hærescens. Quod non infirmant illa textus allata verba, *Canonicos, & Clericos Ecclesiarum admittendos esse.* Quia referuntur ad distributionum consecutionem, non autem ad celebrationem diuinorum, vti Sayrus annotauit.

Dvbivm XXXIII.

Tempore interdicti possuntne in priuatis Oratoriis diuina celebrari seruatis quatuor Cap. Alma, *conditionibus?*

172 *Possum quidem.* POssunt quidem. Quia Bonifacius VIII. in *cap. Alma*, concedit celebrari diuina sicut prius. Ergo vbicumque ante interdictum diuina celebrantur, lato interdicto, celebrari possunt, illis quatuor conditionibus asseruatis. Sic Layman. *lib. 1. tractat. 5. part. 4. c. 2. num. 2.* Auila *part. 5. d. 4. section. 2. dub. 3. conclusion. 3.* Nauarra *summ. c. 27. num. 175.* Vgolinus *tab. 5. c. 8. §. 5. n. 2.* Henriquez *lib. 13. c. 46. numer. 1.* Sayrus *lib. 5. thesaur. c. 5. num. 21.* Suarius *disputat. 34. sect. 1. numer. 8.*

173 *Non possunt.* Non possunt. Quia seruanda est prohibitio diuinorum officiorum vi interdicti facta, nisi in casibus à iure exceptis, *Cap. Si sententia, de sententia excommunicationis, in 6.* At solum inuenitur excepta celebratio in *Ecclesiis, & Monasteriis*, adhibitis illis quatuor conditionibus: ergo extra Ecclesias, & Monasteria seruanda est prohibitio. Maximè cum finis, ob quem hæc constitutio fit in Oratoriis priuatis aliisve locis non procedat. Non enim ex eo quod in illis diuina non peragantur, adest periculum, vt populi deuotio tepescat, hæreses pullulent, & Ecclesiæ debitis priuentur obsequiis. Ita Calderin. *tractat. de interdict. membro 6.* Francus ad *c. Alma, §. Adiicimus, num. 1.* Couarruuias *ad c. Alma part. 2. §. 4. num. 1.* Sanchez *l. 7. de matrimon. d. 8. num. 13.* Bonacin. *tom. 1. d. 5. de Censur. punct. 4. numer. 10.*

174 *Secundam sententiam defendo.* Probabilem valde primam sententiam esse iudico, sed probabiliorem adhuc secundam, Pontifex enim concedit celebrari diuina tempore interdicti, *sicut prius*, in Ecclesiis tamen, & Monasteriis, non alibi. Profecto rationes, ob quas Bonifacius hoc priuilegium concessit, in Ecclesiis, ac Monasteriis procedunt, non extra. Vnde fit, illa verba, *In Ecclesiis, & Monasteriis* non gratia frequentioris vsus, sed ad restringendam dispositionem fuisse apposita.

Dvbivm XXXIV.

Tempore interdicti possuntne pulsari campana ad designandum Horarum, nempe Prima, Tertiæ, &c. tempus?

175 *Nonulla supponuntur.* VNa ex conditionibus appositis in *c. Alma*, vt interdicti tempore possint in Ecclesiis, & Monasteriis diuina officia celebrari, *supponuntur.* est, ne campanæ pulsentur. Nam cum populus conuocandus non sit, sed potius à diuinis excludendus, expediens non erat signo vsitato ad illis conuocationem, vti. Verum ad ea, quę non sunt officia diuina, licitum est, campanas pulsare verbi gratiâ, ad conuocandum populum ad

ad concionem, ad Salutationem Angelicam ad Reliquiarum ostensionem, ad delationem Eucharistiæ, illiusque comitatem. Quæsierim vero, num pulsari possint ad designandum Horarum Primæ, Tertiæ, Nonæ Vesperarum tempus?

176 *Possunt plant.* Possunt quidem. Quia huiusmodi campanæ sonitu non conuocatur populus, sed solummodo Horarum tempus designatur. Sic Bonacina *tom. 1. disputation. 5. de Censur. punct. 4. numero 8.* Suarius *disputation. 34. sect. 1. num. 19.* & alij.

177 *Non possunt.* Minime possunt. Quia ea pulsatio non solum destinata est ad designandum Horarum tempus, sed etiam ad conuocandos Clericos ad eas recitandas, & populum ad earum auditionem: ideoque tempore interdicti silent. Ita Castro Palao *de Censur. disputation. 5. punct. 5. numer. 14.*

178 *Hæc mihi magis placet opinio.* Hæc mihi magis placet opinio. Scio enim P. Suarium concedentem huiusmodi campanæ pulsationem ad designandas Horas, illam conuocando populo pulsentur, & in Horarum solemnitatem. Nam campanarum pulsatio per se non est prohibita, sed in ordine ad diuina officia. At quia Clerici conuocandi sunt ad officia recitanda, ideo Ecclesia vti assolet signo tabulæ, vel tubæ. Suarius *num. 16.* Henriquez *l. 13. c. 46. n. 1.*

Dvbivm XXXV.

In festo immaculatæ Conceptionis Deiparæ in omnibus Ecclesiis suspenditurne interdictum in tota Hispania?

179 *Nonnulla permitto.* SCio, in *c. Alma*, interdictum suspendi in quatuor præcipuis anni festiuitatibus, scilicet Natiuitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatissimæ Mariæ. Quam suspensionem interdicti postmodum Martinus V. in constitut. vltim. quæ incipit, *Ineffabile Sacramentum*. Et Eugenius IV. in constit. 4. incipiente, *Excellentissimum*, extendit ad festum Corporis Christi non solum pro die, sed pro octaua. Leo autem X. priuilegium hoc professo immaculatæ Conceptionis Deiparæ extendit in tota Hispania. Quæsierim autem, an in omnibus Hispaniæ Ecclesiis suspendatur?

180 *Non suspenditur.* Non suspenditur in omnibus Hispaniæ Ecclesiis. Quia concessio illa non fuit absoluta, sed pro illis tantum Ecclesiis, in quibus recitatur officium immaculatæ Conceptionis ordinatum per quendam Prothonotarium, cuius Missa incipit, *Egredimini*. Sic Nauarr. *summæ c. 27. num. 181.* Couarruuias *ad c. Alma, part. 2. §. 5. num. 2.*

181 *Hispidiuersitas occurrit.* In omnibus Hispaniæ Ecclesiis suspenditur. Quia consuetudine effectum est, vt extensio habeat locum, quamuis prædictum officium non dicatur. Ita Henriquez *lib. 13. c. 47. num. 4.* Auila *p. 5. d. 4. sect. 2. dub. 9.* Suarius *d. 34. sect. 1. num. 41.* Castro Palao *de Censur. d. 5. punct. 4. §. 2. num. 17.*

182 *Certum hoc mihi.* Certum hoc esse reor, adiiciens ex Suario *n. 41.* hoc priuilegium ex Tridentino minime reuocatum esse. Quia non est concessum singularibus personis, vel Conuentibus; sed Prouinciæ, vel Regno.

Dvbivm XXXVI.

Priuilegia præfata, & alia quæ mox referam, circa interdicti suspensionem, suntne à Tridentino reuocata?

183 *Nonnulla suppono.* PRæter priuilegia tempore interdicti concessa, quæ dubio proximo expressi, aliq; sunt extensiones aliquibus Religionibus factæ. De quibus late Henriquez *lib. 13. c. 48.* Auila *part. 5. d. 4 sect. 2. dub. 9.* Manuel *in exposit. Cruciatæ, addit. ad §. 5. num. 38.* vbi asserit, Religiosis Mendicantibus concessum esse priuilegium suspendendi interdictum in suorum Sanctorum festiuitatibus: & in festo Circumcisionis, Epiphaniæ, & in quatuor festiuitatibus Beatæ Mariæ Virginis, & in festis Apostolorum, ac denique in Dedicationis suarum Ecclesiarum festo. Præterea ex concessione facta Ordini Sancti Hieronymi testatur, posse Mendicantes interdictum suspendere in festiuitatibus Apostolorum, Sanctissimæ Trinitatis, Sanct. Ioannis Baptistæ. Sanct. Marci, & Sanct. Lucæ, & in festo Omnium Sanctorum, omniumque fidelium Defunctorum commemoratione, quatenus dicitur Missa maior. & fit processio. Iam requiro, num hæc priuilegia sint à Tridentino *sess. 25. c. 12.* reuocata?

184 *Sunt reuocata hæc priuilegia.* Reuocata iam sunt. Quia id Sacra Cardinalium Congregatio declarauit. Sic Nauarr. *summ. c. 27. num 190. & cons. 7. de priuileg. in noua edit.* Garcia *de benefic. part. 3. c. 2. num. 278. & part. 5. c. 8. num. 87.* vbi Cardinalium decisionem refert Bonacina *tom. 1. de Censur. disputation. 5. punct. 1. numer. 25.*

185 *Reuocata non sunt.* Non sunt reuocata. Quia in Tridentino solum reuocantur priuilegia aliquibus Religionibus concessa, quæ omnino eximebantur ab obseruatione interdicti in Ecclesia matrice positi, vt ex Collectore priuilegiorum Ordin. Mendicant. *verbo Interdictum* 1 §. 26. & 27. refert Sayrus *libr. 5. thesaur. c. 13. num. 24.* At ex vi horum priuilegiorum non eximuntur omnino Mendicantes ab obseruatione interdicti, sed pro aliquibus tantum diebus, & in ordine ad aliquem effectum. Ita Henriquez *libro decimo tertio, capite quadragesimo octauo, numero primo.* Manuel. *quæstionum Regularium, tomo secunda, quæstione 112. numero secundo.* Alterius *de interdict. disputatione prima, capite quarto*, Sayrus *libro quinto, capite decimo tertio, numero vigesimo quarto*, & alij.

186 *Hoc probabilius.* Hanc sententiam probabiliorem esse crediderim. Vnde his diebus, in quibus ex *c. Alma*, ex Bulla Martini V. & Leonis X. ex priuilegiis Religiosorum interdictum generale loci suspenditur diuina officia permittuntur solenniter celebratis, cæmis pulsatis, ianuis apertis, alta voce, excommunicatis prorsus exclusis, sed

sed interdictis admissis, ita tamen, vt illi, ob quorum excessum est interdictum latum, altari nullatenus appropinquent, hoc est, nullo modo communicent, neque ab illis oblationes in Missa accipiantur. Suarius *d.34.sect.1.num.37.* Coninch. *d.17.num.35.* Nam de propinquitate secundum locum non videtur commodè textus intelligi, cum vix definiri posset, quæ propinquitas sit prohibita.

Dvbivm XL.

Sub Festis Natalis Domini Paschæ, & Pentecostes, in quibus interdictum suspenditur, comprehenditurne primus tantùm dies?

187 *Primus tãtum dies comprehenditur.*

PRimus tantum dies comprehenditur. Quia de solo illo fit Officium Natiuitatis, Paschatis, ac Pentecostes: aliis diebus de Sancto Stephano, Sanct. Ioanne, &c. vel de Paschatis Octaua. At si ob Officium Octauæ illis diebus celebratum priuilegium extendendum esset, ad totam Octauam extenderetur, quod videtur absurdum. Sic Gloss. *ad c. Alma, v. Assumptio.* Sylvester *verbo Interdictum 5. quæst.2. numer.3.* Nauarr. *sum. c.27.num.182.* Henriquez *lib.13. c.47.num.2.* Sayrus *libr.5. c.13. num.4.* Suarius *disputation.34.section.1.numer.38.* Filliucius *tr. 18.num.109.*

188 *Non comprehenditur tantum primus dies.*

Non comprehenditur dies primus tantùm, sed omnes dies Festiui Natiuitatis Domini, Paschæ, ac Pentecostes comprehenduntur. Quia iuxta communem morem loquendi, qui in his maxime spectandus est, illi dies, qui vt Festiui obseruantur in Natalitio Domini, Resurrectione, & Spiritus Sancti aduentu in honorem illarum festiuitatum obseruantur. Quod non tollit quominus in honorem aliorum Sanctorum simul obseruari valeant. Ita Sotus *in 4. distinct.22.quæstion.3.art.1.conclusion.4.* Vualdus *titul. de interdict. num.137. & 138.* Auila *part.5.d.4.sect.2.dub.9.* Coninch. *d.17.num.37.* Hurtado *de interdict. difficultate 7. numero 24.*

189 *Hoc eligo.*

Fateor, primam sententiam esse communem sed secundam probabilem admodum esse credo, imo ita iam ex praxi receptam, vt communem hanc, non illam possim quodammodo nuncupare.

Dvbivm XLI.

Initium solemnitatis Natalis Domini ad interdicti suspensionem, sumendumne est a Laudibus Vigiliæ?

190 *Nonnulla præmitto.*

OMnes conueniunt hasce festiuitates à primis Vesperis Vigiliæ incipere. De tribus solemnitatibus Paschalibus asserunt Sotus *in 4. distinct.22.question.3.art.1. post 4. conclus.* Paludanus *ibi. distinct.18. quæstion.8. articul.2. conclusion.7.* & alij incipere à Missa Vigiliæ antecedentis. Et quidem de Festo Paschatis id certum existimo. Quia omnes Doctores conueniunt à primis Vesperis incipere Festi Solemnitatem: at Vesperæ in Missa Vigiliæ continentur, & simul cum ipsa dicuntur: ergo à Missa incipit Paschatis solemnitas. De Festo autem Pentecostes hac ratione id probatur. Quia Missæ præfatio dicitur de Spiritu Sancto, & communicanda legitur. Ergo Missa illa ad festiuitatem diei sequentis pertinet: ac proinde ab eo tempore festiuitas incipit. Quæsierim vero de Natalitij Domini Festo, num eius initium sumendum sit à Laudibus Vigiliæ?

191 *Sumendum est.*

Sumendum quidem est. Quia à Laudibus Vigiliæ fit officium duplex, quasi iam Natalis solemnitas inchoetur. Sic Paludanus *citatus*, & probabile esse Sayrus *lib.5. thesaur.c.13, num.7.* affirmat.

192 *Non est sumendum.*

Non est sumendum à Laudibus huius solemnitatis initium, sed à primis Vesperis. Quia si ex eo quod Laudes in Officio Vigiliæ sub Officio duplici recitentur, sumatur initium Natalis solemnitatis, quoad interdicti suspensionem, affirmandum est, ab eo tempore, quo Laudes recitari possunt, interdictum suspendi, ac proinde à prima nocte diei antecedentis Vigiliam, esse suspensum: quod est omnino falsum. Ita Suarius *disputation.34.section.1. numer.40.* Polanco *in direct. Confess. pag.150.* Auila *part.5.disputation.4.section.2.dub.10. conclus.2.* Palao *de Censur. disputation.5 punct.4. §.2. numer.20.*

193 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Nam Missæ introitus in Vigilia præscriptus manifeste indicat, haud ab eo tempore Natalem solemnitatem incipere. Inquit enim Ecclesia: *Hodie scietis, quia veniet Dominus, & manè videbitis gloriam eius.* Officium vero duplex, quod in Laudibus, & in Missa Vigiliæ fit, præscribitur, non quod sit initium solemnitatis, sed quia est dispositio ad tantum festum.

Dvbivm XLII.

In festiuitatibus concessis Cap. Alma, *ad Interdicti suspensionem, licitumne est cadauera defunctorum publico, & solemni ritu sepelire?*

Tertius effectus Ecclesiasticæ sepulturæ primus.

194 *Nonnulla præmitto.*

REcolo, locale, vel personale interdictum Ecclesiastica sepultura priuare. A qua quidem priuatione Clerici eximuntur. *c. Quod in te, de pœnit. & remiss. omb.* dummodo personali speciali interdicto ligati non sint, nec dederint ei causam culpabilem. At in huius priuilegij vsu quatuor requiruntur conditiones. Prima est, vt sepultura detur eis in cœmeterio Ecclesiæ: vsus obtinuit, vt nomine cœmeterij quilibet locus sacer intelligatur. Secunda, vt fiat sine pulsatione campanarum. Tertia, ne sepultura cum solemnitate (Ecclesiastica) fiat: nam quæ ad humanum honorem pertinet, non prohibetur. Quarta, vt fiat cum silentio, hoc est absque officiis diuinis, quæ more Ecclesiastico dici assolent. Dubium autem est, num in festiuitatibus

tatibus in *cap. Alma* concessis,& aliis Apostolicis constitutionibus liceat corpora defunctorum quorumlibet publicè,ac solemni ritu sepelire?

195 *Licitū est.* Licitum est. Quia quibus communicamus viuis,defunctis communicare possumus. *Cap. Sane 1.24.quæstion.2.*Sed in hisce festiuitatibus licite Clerici cum omnibus fidelibus in diuinis officiis communicant. Ergo etiam cum illis iam defunctis communicare possunt. Et quia sepultura Sacra non tam ratione sui, quam ob diuina officia ei adiuncta prohibetur. Ergo concessis diuinis officiis sepultura censetur concedi.Sic D.Antonin.*part.3. titul.29.cap.4.* Angel.*verb. Interdictum 6.num.25.* Sylvest. *ibi, 5.quæstion.2.*Tabien.*ibi,5.num.12.*Nauarr.*sum. cap.27.num.181.*Henriquez *l.13.c.44.n.5.* Bonacina *tom.1.de Cens.d.5.punct.5.numer.6.* & alij.

196 *Non est licitum.* Non est licitum. Quia priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ est vnus ex quatuor effectibus interdicti distinctus à diuinorum officiorum priuatione.*c.Si ciuitas,de sententia excommunicationis,in 6.*& *c.Episcoporum,de priuileg.eodem lib.*At laicis tempore generalis localis interdicti denegatur Ecclesiastica sepultura,quæ solis Clericis est concessa *c.Quod in te,de pœnit. & remissionib.* neque in *c. Alma*, hæc denegatio reuocatur, cum ibi nulla facta sit sepulturæ Ecclesiasticæ mentio. Ergo minime possunt Ecclesiasticæ sepulturæ tradi. Ita Suarius *d.25. section.1.num.13.*Coninch.*d.17.num.55.* Auila *d.4.sect.3.dub.3.*Filliucius *tract.18.numer.99.* Hurtado *de interdict.diffic.9.*Vgolinus *tab.5.c.9.§.1.*

197 *Hoc mihi probabilius.* Hoc probabilius mihi, concedenti quidem quibus communicamus viuis posse communicare defunctis in eadem re, secus in diuersa. Vnde cum non communicemus viuis in sepultura Ecclesiastica,sed solum in diuinis officiis, infertur, cum ipsis defunctis solum in officiis communicare posse.Abnego autem, Ecclesiasticam sepulturam prohiberi ratione diuinorum officiorum tantum: siquidem vere ratione sui etiam prohibetur.

Dvbivm XLIII.

Priuilegium Clericis concessum circa Ecclesiasticam sepulturam tempore interdicti, extenditurne ad interdictum locale speciale, si Clericus illius loci sit?

198 *Quæstionis hæc.* SI de interdicto locali speciali loquamur,nemini est dubium,Ecclesiasticam sepulturam eo tempore cunctis prohiberi. Solum est dubium,an exceptio,& priuilegium Clericis concessum,circa sepulturam,extendatur ad interdictum hoc locale speciale?

199 *Non extenditur.* Non extenditur. Quia in illo *c. Quod in te*, vbi sepultura Ecclesiastica Clericis decedentibus conceditur,sermo est de interdicto locali generali.Ergo non debet hæc concessio ad locale speciale interdictum extendi. Sic Innocent.*ad cap.fin.de excess.Prælator.*Ioann.Andr. *ad cap.Quod in te, de pœnit. & remiss.* Summ. Astens. *part. 2. libr. 7. titul.16. articul. 3. initio.*

200 *Extenditur quidem.* Extenditur quidem.Quia textus in *c. Quod in te*, mentionem faciens interdicti generalis localis,speciale non exclusit: & illa generalis interdicti localis mentio facta est, quia interdictum generale est frequentius,non vt dispositionem restringeret.Ita Abbas *ad cap. Quod in te,num.10.*Sylvester *verbo Interdictum 5. numer.10.*Couarruuias *ad cap.Alma,part. 2.§.2. numer.7.*Henriquez *libr.13. capit. 44. numer.4.* Sayrus *libr. 5. thesaur. capit. 8. à numero 12.*

201 *Hanc sententiam eligo.* Communem sententiam affirmantem,Clericum in ea Ecclesia specialiter interdicta sepeliri posse,si ipsiusmet Ecclesiæ sit, defendo. Nam licet expediens sit, vt in Ecclesia non interdicta,si commode fieri possit, sepeliatur: nulla tamen est obligatio,cum nullibi inueniatur Clericus à sepultura loci specialiter interdicti exclusus,vti ex *c.Quod in te*,probaui.

Dvbivm XLIV.

Si Clericus illius loci specialiter interdicti non sit,sed alienus, potestne in eo sepeliri?

202 *Nō potest.* MInime potest. Quia cum habeat Ecclesias non interdictas,vbi possit sepulturę amandari, non debet Ecclesia interdicta illi concedi.Sic Panormit. *ad cap.Quod in te, num.10.*Sylvester *verbo Interdictum 5.numer.10.* Couarruuias *ad cap.Alma, part.2. Paragraph. 2. numer. 8.* Henriquez *libr. 13. capit. 44. numero 4.*

203 *Potest plane.* Potest planè.Quia nullus textus concessam Clericis sepulturam tempore interdicti localis restringit ad propriam Ecclesiam. Ita Hostiens. *ad cap.final. de excess. Prælator.* Paludanus *in quarto, distinctione decima octaua, quæstione octaua, articulo secundo, conclusione decima.* Sayrus *libro quinto, thesaur. capite octauo, numero decimo tertio.* Auila *parte quinta, disputatione quarta, sectione tertia, dubio secundo.*

204 *Hoc probabilius esse credo.* Hanc sententiam probabiliorem esse crediderim.Nam ex eo,quod Clericis in *cap. Alma*, concessum sit diuina celebrare, tam Clericos illius Ecclesiæ, quam alienos admitti posse non dubito.Ergo eadem ratione ex concessione sepulturæ Clericis facta omnes indifferenter poterunt admitti. Quia ratio concessionis eadem in omnibus est, scilicet Clericalis Ordo.Præterquam quod plures essent Clerici ab Ecclesiastica sepultura excludendi,cum plures adsint nulli speciali Ecclesiæ adscripti.

Dvbivm

Dvbivm XLV.

Interdictus potestne in cœmeterio diuina celebrare, & audire?

205 *Nonnulla præmitto.*

CAp. *Sacro, de sententia excommunicationis,* & Cap. *Is, cui, eodem titulo, in* 6. deciditur interdictum esse priuatum ab ingressu Ecclesiæ. Aliquando tamen hic effectus suspensioni tribuitur. Cap. *Cum medicinalis, de sententia excommunicationis.* Requirit tamen hic effectus, specialem sententiam; quia non est annexus interdicto absolute, sed est quasi nouum interdictum. Cuius effectus sunt priuatio, & exclusio ab exercitio Ordinis Sacri in Ecclesia, & à sepultura in ipsa, eiusque cœmeterio. Cap. *Is, cui.* Item ab auditione diuinorum officiorum in eadem Ecclesia. Cap. *Præsenti* 5. *q.* 2. & Cap. *Is, cui.* Nomine Ecclesiæ venit quodlibet Templum Episcopi authoritate ad sacra peragenda deputatum. *c. penult. de immunit. Eccl.* Quæsierim ergo, an interdictus possit in cœmeterio diuina celebrare, & audire?

206 *Non potest.*

Non potest. Quia sepultura in cœmeterio huic interdicto prohibetur: ergo etiam censenda est prohibita celebratio, & auditio diuinorum. Et quia si cœmeterium contiguum Ecclesiæ sit, sub Ecclesia videtur comprehensum. Argum. *Cap. Si ciuitas, de sent. excomm. in* 6. vbi interdicta Ecclesia, cœmeterium contiguum illi interdictum esse censetur. Sic Paludan. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 7. *a.* 3. *concl.* 2. Fauet Glossa *ad c. Is, cui, v. Cœmeterio, de sent. excomm.*

207 *Potest sane.*

Potest quidem in cœmeterio diuina celebrare, & audire, non sepeliri. Quia *c. Is, cui.* Pontifex loquutus de sepultura dixit, interdicto cuique prohibitam esse tam in Ecclesia, quam in cœmeterio. At cum de diuinis officiis loqueretur, solum Ecclesiam expressit, subdens ibi celebrantem irregularem fieri. Ergo satis indicauit, officia diuina in cœmeterio non esse tempore interdicti prohibita. Ita Gloss. *ad cap. Is, cui, v. In ea.* Anchar. *ibi, n.* 1. Geminian. *num.* 6 Nauar. *c.* 27. *n.* 170. Vgol. *tab.* 5. *c.* 16. §. 2. *num.* 2. Sayr. *l.* 4. *thes. c.* 7. *n.* 16. *& l.* 5. *c.* 9. *n.* 22. *&* 23. Bonac. *tom.* 1. *d.* 5. *pun.* 5. *n.* 11. Fill. *tr.* 18. *n.* 103. Suar. *d.* 35. *sect.* 4. *a n.* 12.

208 *Hoc dicendum.*

Hoc dicendum. Fateor enim, accessorium naturam principalis sequi: attamen id in fauorabilibus, nō in odiosis. At si in *c. Si Ciuitas,* sub interdicto Ecclesiæ cœmeterium contiguum comprehendatur, non est, quia cœmeterium Ecclesię sit accessorium: sed ne Ecclesię interdictum eludatur; quod in casu nostro non procedit: hoc enim interdictum non afficit Ecclesiam, sed personam in ordine ad Ecclesiam: vnde etsi cœmeterium sit Ecclesiæ accessorium, quia tamen non est accessorium personæ in ordine ad Ecclesiam interdictæ, ex interdicto ab ingressu Ecclesiæ non infertur, esse à cœmeterio interdictum.

Dvbivm XLVI.

Diaconus, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, potestne extra Ecclesiam existens, Euangelium cantare, vel Missam audire?

209 *Potest sane.*

POtest profectò. Quia hic non in Ecclesia, sed extra diuina audit, ac ministrat. Sic Henriquez *libro* 13. *capite* 43. *numero* 4. Aula *parte* 5. *disputatione* 4. *dubio* 5. *ante* 6. *conclusion.*

210 *Non potest.*

Non potest. Quia Euangelium canens vnicam cum sacrificante in Ecclesia actionem constituit, & moraliter censetur in Ecclesia fieri. Ita Geminian. *ad cap. Is, cui, n.* 7. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 26. *c.* 2. §. 2. Syluester *verbo Interdictum* 6. *q.* 6. Vgolinus *tab.* 5. *c.* 16. §. 2. *num.* 2. Filliucius *tract.* 18. *num.* 104. Bonacin. *tom.* 1. *disputation.* 5. *punct.* 5. *num.* 11. Suarius *disputation.* 35. *sect.* 4. *num.* 7. *&* 8. Sayrus *libr.* 5. *thesaur. capit.* 9. *numer.* 20.

211 *Hanc pro foro sententiam.*

Hāc communem quidem eligo sententiam. Quia huiusmodi personæ interdictæ non prohibetur materialis in Ecclesiam ingressus, sed formalis, scilicet, ne diuinorum, quæ in Ecclesia fiunt particeps sit. Ergo seu Euangelium canens, seu Missam exaudiens, formaliter init Ecclesiam.

Dvbivm XLVII.

Tempore, quo diuina non celebrantur, interdictus ab Ecclesiæ ingressu potestne Ecclesiam ingredi, ibique preces fundere?

212 *Nō potest.*

NOn potest. Quia *cap. Latorem* 33. *quæst.* 2. cuidam matricidæ prohibetur Ecclesiæ ingressus per integrum annum, & subditur, *Vt ante fores Ecclesiæ stans, orans, & deprecans Deū perseueret.* Ergo non potest intra Ecclesiam orare, ac Deum deprecari. Sic Calderin. *de interdict. memb.* 2. Abbas *ad cap. Cum Ecclesia, n.* 3. Tuschus *de visitat. & regim. Eccl. c.* 32. *num.* 7. Vgolin *tab.* 5. *c.* 16. §. 1. Alter. *de interd. d.* 7. *cap.* 2. *sect.* 4. Suarius *d.* 35. *sect.* 4. *n.* 23. Filliuc. *tract.* 18. *num.* 105.

213 *Potest tamen.*

Potest equidem. Quia Templa deputata sunt eo fine præcipuo, vt ibi Sacra solemniter peragantur, & populus ad ea audienda congregetur: ergo Templum ingrediens quando nec sacra peraguntur, nec ea audire potest, non videtur ingredi Templum formaliter, & quatenus institutum est: ac proinde nec præceptum violare. Ita Bonac. *tom.* 1. *disputation.* 5. *punct.* 5. *numer.* 11.

Dvbivm XLVIII.

An ex vi interdicti ab Ecclesiæ ingressu quis prohibeatur Sacramenta in Ecclesia recipere?

215 *Prohibetur quidem.* PRohibetur quidem. Quia ideo interdictus huiusmodi priuatur Ecclesiam ingredi, cum diuina celebrantur, quod Ecclesia ad id præcipuè est deputata: at etiam deputata est ad Sacramentorum receptionem: ergo Sacramentorum receptio censeri debet esse prohibita: præcipuè cum Sacramentorum receptio nobilius quid sit, quam diuinorum officiorum assistentia. Sic Gloss. ad *c. Præsenti 5. q. 2.* & ad *c. De viro refando 12. q. 2.* & ad *c. Latorem 33. q. 2.* vbi prohibito Ecclesiæ ingressu, simul prohibetur communio. Angel. *v. Suspensio, 3. nu. 4.* Sylvest. *v. eodem. q 5.* Sayr. *l. 5. thes. c. 9. n. 21.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. fine.* Coninch. *d. 17. n. 59.* Suar. *d. 35. sect. 4. num. 5.*

216 *Non prohibetur.* Non prohibetur. Quia pœnæ extendendæ non sunt absque manifesto textu, vel ratione: At nullus est textus, ex quo colligatur interdicto ab Ecclesiæ ingressu prohibitam esse Sacramentorum receptionem: quin potius ex *c. Sacro, de sent. excom.* & *c. Is cui, eod. tit. in 6.* non leuiter infertur concessam esse: siquidem solum ibi memoratur, prohibitam ei esse diuinorum celebrationem, & auditionem, & sepulturam: ergo cum nulla de Sacramentorum receptione mentio fiat, intelligi debet esse permissa. Ita Henriq. *l 13. c. 32. n. 2.* Auila *p. 5. d. 4. dub. 5. conc. 6.* Bonac. *tom. 1. d. 5. pun. 5. n. 12.*

217 *Hæc probabilius.* Spectato iuris rigore probabiliorem hanc reor esse sententiam. Fateor enim, Ecclesiam deputatam esse ad Sacramenta ministranda, & recipienda: ex interdicto autem ab ingressu Ecclesiæ non prohibetur quis omnibus ad quę Ecclesia deputatur: sed illis tantum, quæ ex aliquo textu colliguntur. Cùm vero ex nullo colligatur Sacramentorum receptionem prohiberi, haud est asserendum.

CAPVT XI.

Circa Peccatum, & pœnas violantium Interdictum.

Dvbivm XLIX.

Clericus violans interdictum officia diuina in loco interdicto celebrando: peccatne lethaliter?

218 *Quæstionis status.* CErtum est, Clericum violantem interdictum siue personale, siue locale ministrando Sacramentum, vel illud recipiendo, mortaliter delinquere. Quia contra prohibitionem Ecclesiasticam in re graui delinquit. Dubito autem, an mortaliter delinquat Clericus officia diuina in loco interdicto celebrando?

219 *Non delinquit.* Non delinquit. Quia non videtur tam grauis materia esse, quam Sacramentorum receptio aut ministratio. Sic Caiet. *v. Interdicti violatio,* dubius tamen, nec audens absolute proferre sententiam.

220 *Delinquit plane.* Delinquit profectò. Quia suo ex genere est grauis materia officia diuina contra tam graue Ecclesiæ præscriptum in loco interdicto celebrare. Ita Toletus *libr. 1. capit. 20.* Sayrus *libr. 5. thesaur. capit. 14. numer. 5.* Hurtado *de interdict. difficultat. 10. numer. 52.* Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 4. capit. 3. numer. 1.* Bonacin. *tom. 1. disputation. 5. punct. 7. numer. 3.* Coninch. *disp. 17. numer. 64.* Suarius *disputation. 34. section. 4. à numer. 10.*

221 *Idẽ affirmo.* Adeo communem, ac veram hanc sententiam esse existimo, vt præter dubium Caietanum, reliqui omnes constanter affirment, ex se, & ex suo genere peccatum lethale esse interdicti violationem quoad officia diuina celebranda siue personale sit, siue locale. Quare Clericus diuinis assistens, aut interdictus, aut in loco interdicto, aliter quam permissum est, lethaliter peccat. Dixi *ex se, & ex genere suo,* nam ex lenitate materiæ sæpe veniale esse potest. Si enim parti officij diuini arbitrio prudentis non notabili Clericus interdictus assistat, vel illam in loco interdicto reciter absque moderatione præscripta in *c. Almæ,* non mortale, sed veniale piaculum committet.

Dvbivm L.

An laicus pecc, etsi secluso Ecclesiæ contemptu, violentia, & fraude, diuinis officiis in loco interdicto assistat?

222 *Certa præmitto.* CErtum est, laicos Sacramenta recipientes dum interdicto illigantur, graue peccatum committere. Quia directe ab eorum receptione vi personalis interdicti excluduntur: & cum materia grauis sit, non est, vnde à lethali excusentur. Idem est si illa in loco interdicto recipiant. Quia eo ipso, quo Sacerdotibus prohibita est Sacramentorum administratio, consequenter laicis eorum receptio prohibetur. Si vero de assistentia diuinis loquamur, multi sunt casus, in quibus omnes ferè Doctores laicũ peccatũ mortale cõmittere affirmant. Verto autem in quæstionem, an secluso Ecclesiæ contemptu, violentia, fraude, aliisque circumstantiis extrinsecis peccatum mortale laici committant, si in loco interdicto diuinis assistant.

223 *Nullum peccatum committũt.* Nullum per se peccatum committunt. Quia nulla extat lex prohibens laicis diuinorum officiorum assistentiam in loco interdicto: sed solùm Clericis, ne officia diuina laicis præsentibus peragant. Sic Caiet. *v. Interdicti violatio. §. pen.* Nauar. *sum. c. 27. n. 187.*

224 *Aliquod peccatum committũt.* Committunt per se aliquod peccatum. Quia *cap. Si sententia, de sentent. excommunic. in 6.* asseritur, laicos tempore interdicti diuina extra Ciuitatem interdictam audire posse: quod frustra aduerteretur, si possent in Ci-

uitate interdicta diuina audire. Ita Doctores cuncti, Caietano, & Nauarro exceptis, Plures Dubio sequenti citabo.

225 *Hoc verum esse reor.* Existimo nimis late in hac re Caietanum, & Nauarrum esse locutos. Nam sic assistentes Ecclesiæ intentioni aduersantur, quæ est laicos ab officiis diuinis in loco interdicto celebratis remouere: alias non prohiberet in *c. Alma*, ne campanis pulsatis, néve alta voce, & apertis ianuis officia celebrarentur.

Dvbivm LI.

An mortale sit laicos diuinis sine Ecclesiæ contemptu in loco interdicto assistere?

226 *Mortale non est.* Mortale non est, sed veniale solummodo. Quia comparatione laicorum hæc assistentia non videtur grauis materia, maxime si ea fuerit in officiis diuinis præter Missę Sacrificium. Sic Sylvest. *v. Interdictum 6. n. 7.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. a. 1. concl. 6.* Henr. *l. 13. c. 46. n. 3.* Valent. *tom. 4. d. 7. q. 8. pun. 2.* Auila *p. 5. d. 5. dub. 2.* & alij.

227 *Est mortale.* Mortale quidem est ex suo genere. Quia assistentia diuinis officiis grauis materia est, ad quam si ex voto quis obligaretur, non est dubium, mortaliter in illius trãsgressione peccaturum. Cum ergo ex vi interdicti hæc assistentia laicis sit prohibita, efficitur, laicos transgredientes hanc legẽ lethaliter esse peccaturos. Ita Innocent. *ad c. Tanta, de excess. Prælator. num. 2.* D. Antoninus *p. 3. tit. 27. c. 4. fine.* Suarius *d. 34. sect. 5. n. 4.* Filliucius *tr. 18 n. 54. & 81.* Coninch. *disput. 17. num. 64. & 67.* Hurtado *de interdict. diffic. 10. à num. 32.* Bonacin. *tom. 1. d. 5. punct. 7. numer. 1.*

228 *Hoc probabilius.* Probabilem satis primam sententiam esse iudico, sed probabiliorem secundam. Cuius grauitati transgressionis non obest, quod indirecte laicis hæc prohibitio facta sit: modo vere sit facta. Sicuti non obest, vt fideles excommunicatum denunciatum vitare teneantur, quod communicatio huiusmodi indirecte illis sit interdicta, directe autem excommunicato.

Dvbivm LII.

Violatores interdicti localis incurruntne suspensionem?

229 *Certa suppono.* Certum est, Clericos violantes interdictum per Ordini Sacro annexum actum, irregularitatem incurrere. Extra hũc vero casum nullam esse Clericis irregularitatem impositam. Itẽ Clericum, vel Religiosum violantẽ interdictum locale, reddi inhabilem ad electionem tam actiuam, quam passiuam. Quæsierim autem, an violatores interdicti localis suspensionem incurrant?

230 *Incurrunt quidem.* Incurrunt quidem suspensionem ab officio & beneficio, & consequenter à iurisdictione Quia sic videtur decerni in *cap. fin. de excess. Prælat.* Sic Gloss. *hic, verbo Irritas.* Couarruuias *ad c. Alma, part. 2. §. 2. num. 2.* Auila *part. 5. d. 5. dub. 4.* Suarius *d. 34. sect. 4. n. 16.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 3. n. 3.*

Non incurrit suspensionem maxime à iurisdictione. Quia ex prædicto textu huiusmodi pœna non colligitur, siquidem sententiæ ibi annullantur non ob interdicti violationem, sed quia iniquæ latæ fuere. Ita Sayr. *l. 5. thes. c. 14. n. 12.* plures referens. Coninch. *d. 17. dub. 4. numer. 71.* Bonacina *tom. 1. disput. 5. punct. 7. numer. 4.* 231 *Non incurrit.*

Cum his opinor. Quia sine manifesta textus expressione, non est tam grauis pœna imponenda. Moneo, Religiosos, qui interdictum generale loci, quod ab Ecclesia matrice obseruatur, in suis Ecclesiis non obseruauerint, vel celebrando, vel alios ad officia diuina admittendo, vltra præfatas pœnas excommunicationem incurrere, teste Suario *disput. 34. sect. 4. num. 19.* & aliis. 232 *Cum his opinor.*

Dvbivm LIII.

Clericus non interdictus, & in loco non interdicto admittens interdictos ad celebrationem, &c. incurritne interdictum ab Ecclesia ingressu. Ad quod opus est, vt sit à iurisdictione Ordinaria exemptus?

233 *Nonnulla suppono.* Ex eo quod Clericus non interdictus, & in loco non interdicto admittat interdictos ad celebrationem, eisve Sacramenta ministret, vel sepulturam Ecclesiasticam concedat, irregularis non est. Quia nullibi constat, hanc pœnam ob hoc delictum esse appositam: & irregularitas solummodo in casibus à iure expressis incurritur. Est tamen ei Ecclesiæ ingressus interdictus quousque ad arbitrium eius, cuius sententiam contempsit, competenter satisfaciat. *c. Episcoporum, de privileg. in 6.* Quærim vero, num ad hanc pœnam incurrendam, opus sit, vt Clericus ab Ordinaria Episcopi iurisdictione sit exemptus?

234 *Opus quidem est.* Opus quidem est. Quia *Cap.* præfato dicitur: *Clerici seculares, vel Regulares quantumcumque exempti.* Sic Nauarr. *summa capite vigesimo quinto, numero nonagesimo quarto.* Henriquez *libro decimo tertio, capite quadragesimo tertio, numero tertio.* Suarius *disputatione trigesima quarta, sectione quarta fine.* Auila *parte quinta, disputatione quinta, dubio quarto, conclusione quarta.*

235 *Non est opus.* Opus non est. Quia ly *Quantumcumque exemti* non ad restringendam, sed potius ad ampliandam dispositionem, est appositum. Ita Sayr. *l. 5. thes. c. 14. n. 8.*

236 *Hoc placet.* Probabile hoc, sed probabiliorem reor esse secundam; quia textui magis accommodata est. & cum de pœnis agitur, mitior legis expositio est præferenda.

CAPVT

CAPVT XII.

Circa Interdicti Relaxationem.

DVBIVM LIV.

An quoad aliquos effectus manente interdicto suspendi id possit à quocumque feratur?

237 *Quæstionis status.*

SVspendi interdictum ad tempus ab eo qui id tulit posse, dubium non est. Quia cum potestatem habuerit apponendi, & tollendi illud, à fortiori id potest pro aliquo tempore suspendere: illa enim suspensio est interdicti sublatio, & tacita illius impositio. Quæsierim vero, an quoad aliquos effectus manente, suspendi interdictum possit?

238 *Potest quidem à quocumque latum fuerit.*

Potest profectò. Quia *Cap. Dilectis filiis, de appellation.* Decanus quidam interdicti sententiam ferens, eius effectum, ad tempus decreuerat suspendendum. Ergo non solum à Pontifice, sed ab eo, qui interdicti sententiam tulit, potest interdictum suspendi quoad aliquos effectus, quoad alios manente. Sic Doctores multi ad hoc *cap.* quos sequitur Couarruuias *ad c. Alma, part. 2. §. 2. num. 4.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 165.* Henriquez *l. 13. c. 51. numer. 4.* Sylvester *verbo Interdictum 3. quæst. 5.* Angel. *eodem 8. num. 3.* Suarius *disput. 38. sect. 3. num. 5.* Probabile reputat Auila *p. 5. d. 6. dub. 4. concl. 1. 2. & 3.*

239 *Nè potest.*

Non potest à quocumque feratur, sed solum à Pontifice. Quia interdicti effectus sunt ei ex iuris dispositione annexi, imo in ipsorum priuatione interdicti essentia à Pontifice constituta est: at nemini alteri à Pontifice datum est Pontificiam dispositionem mutare: ergo. Ita Abbas in *Cap. Ad hæc, de appellationib.* Auila *conclusione quarta,* Hurtad. *de interdict. diffic. 16. num. 50.*

240 *Hoc defendo.*

Fateor, primam sententiam communem, & admodum esse probabilem, probabiliorem tamen reor esse secundam. Nam interdictum est locale, vel est personale. Si locale est, locus redditur incapax, vt in eo diuina sicut prius peragantur. Quod adeo est verum, vt fere omnes Doctores asserant, perseuerante interdicto, non posse Iudicem ibi diuina celebrare; nam æquè ipsi, & alij lege à iure communi inducta ligatur. Ergo signum est effectus interdicti non posse suspendere. Eadem ratione id de interdicto personali probo, à cuius effectibus eximi nullus potest, nisi ab interdicto eximatur, quia non ab alio, quam à Pontifice effectus illi interdicto annectuntur. Fateor tamen posse Iudicem partem interdicti suspendere, & priuare personam interdictam à diuinorum assistentia tantum, vel à celebratione, vel à Sacramentorum receptione. Sed hæc priuatio non est interdictum, Censura, sed quædam pœnalis prohibitio ab interdicto distincta.

DVBIVM LV.

Destructa Communitate interdicta, si aliquis ex illa subsistat, ligaturne interdicto?

CEssat interdictum absque absolutione, subiecto illius destructo: vt si latum sit in aliquam Ecclesiam, illa vero omnino destruatur, cessabit interdictum: quod non est verum cum locus Ecclesiæ interdictus est; quia ibi manet solum Ecclesiæ. Idem dixerim de Communitatis interdicto; si enim hæc omnino extincta sit, illius interdictum cessabit; quia cessat subiectum, cui inesse debet. Quæsierim autem, an si destructa Communitate, aliquis ex illa subsistat, adhuc interdicto ligetur?

241 *Quæstionis status.*

242 *Ligatur.*

Ligatur quidem. Quia iura Communitatis in ipso perseuerant. Argum. *leg. Sicut municipij, ff. Quod cuiusque vniuersitatis.* Sic Alterius *de interdict. d. 11. c. 3.* Bonac. *tom. 1. de Cens. d. 5. punct. vlt. n. 3.*

243 *Non ligatur.*

Non ligatur. Quia interdictum Communitatis non illigat singulas personas, nisi quatenus Communitatis partes sunt. Ad destructa Communitate partes illius esse non possunt: ergo. Ita omnes reliqui Doctores, quos memorat, ac sequitur Castro Palao *de Cens. d. 5. punct. 7. §. 1. n. 3.*

244 *Idē affirmo.*

Idem affirmo videns legem illam *Sicut municipiis* ad summum probare, iura fauorabilia Communitatis singulos destructa Communitate retinere, non autem probat pœnalibus grauari.

DVBIVM LVI.

Parochus, aliusve proprius Sacerdos potestne interdictum personale speciale non reseruatum in foro conscientiæ relaxare?

CErtum est, interdictum personale speciale relaxari posse tum ab Episcopo, tum à Religiosis habentibus priuilegium absoluendi à Censuris, vt ex communi docet Henriqu. *libr. 13. capit. 35. numer. 3.* Auila *part. 5. disputat. 6. dub. 2.* Dubium vero est de Parocho, alióve Sacerdote proprio, num possit in foro conscientiæ interdictum hoc personale speciale relaxare?

245 *Status quæstionis.*

246 *Non potest.*

Minime potest Quia speciale ad hoc priuilegium requiritur. Vnde Religiosi ad confessiones audiendas approbati, nequeunt huiusmodi relaxare interdictum, nisi speciale ad id habeant priuilegium. Sic Henriq. *l. 13. c. 35. n. 2.* Sayrus *l. 5. thes. c. 15. n. 22.* Auila *p. 5. d. 9. dub. 1. concl. 2.*

247 *Potest plane.*

Potest plane. Quia hoc interdictum, sicut & excōmunicatio non priuat absolutione Sacra-

mentali, quæ est ratio propter quam Doctores concedunt posse Parochum ab excommunicatione non reseruata absoluere, præcipue quia ratio dispositionis in *cap. Nuper, de sententia excommunicationis*, procedit circa hanc Censuram non reseruatam. Ita Suarius *disputation. 38. section. 8. numer. 9.* Coninch. *disputat. 17. numer. 77.* Layman *libr. 1. tract. 5. part. 4. cap. 5. num. 3.* Bonacin. *tom. 1. disputation. 5. puncto vltimo, numer. 6.* Filliucius *tract. 18. capit. 5. quæst. 8.*

248 *Idē affirmo.* Idem censeo. Ideo enim Gloss. *ad cap. Præsenti, de sententia excommunicationis, in 6. verbo Generaliter*, æquiparat Censuras excommunicationis, & interdicti personalis specialis quoad absolutionem. Dixi verò *Non reseruatum*: nam ab interdicto personali speciali reseruato nullus alius præter ipsum, cui est facta reseruatio, vel illius Superiorem absoluere poterit.

Dvbivm LVII.

Ad interdictum relaxandum, necessariumne est iuramentum de non patrando amplius delicto, ob cuius causam interdictum est latum?

249 *Quæstionis status.* NVlla est determinata forma relaxandi interdictum, sed illa sufficit, quæ voluntatem absoluentis exprimat. Nec cæremoniæ aliquæ, ac solemnitates in huius Censuræ absolutione sunt præscriptæ. Quæsierim autem, an necessarium sit iuramentum de non patrando amplius delictum, ob cuius causam interdictum fuit latum?

250 *Necessariū est.* Necessarium est. Quia pro absolutione ab excommunicationis Censura semper requiritur, nec sine illo absolutio confertur: idemque assolet in absolutione interdicti obseruari: ergo innuitur huiusmodi iuramentum esse necessario addicendum. Sic Sayrus *libro quinto, thesaur. capite decimo quinto fine*, iunctis iis, quæ tradit *libro quarto, capite decimo septimo, numero trigesimo.* Argument. Cap. *Super eo*, el 2. & Cap. *Venerabili, de sententia excommunicationis.*

251 *Non est necessarium.* Non est necessarium. Quia huiusmodi iuramentum pro sola absolutione ab excommunicatione semper iniungitur, non semper pro aliarum Censurarum absolutione: ergo innuitur, ad eam necessarium non esse. Ita Suarius *d. 38. sect. 3. n. 1.* Palao *de Cens. disp. 5. punct. 7. §. 2. num. 11.*

252 *Authoris sententia.* Ego quidem existimo expediens admodum esse, vt iuramentum exigatur, maxime cum delictum est graue: non tamen esse necessarium, sed præstita satisfactione reali, si fieri potest: sin minus cautione de satisfaciendo data, absolutionem absque iuramento adhibito concedi posse.

CAPVT XIII.

Circa casus nonnullos, in quibus ipso iure latum est interdictum.

Dvbivm LVIII.

Vt interdicto afficiatur, qui impedit Legatos, vel Nuncios Apostolicos, ne suum officium libere exerceant: debetne id impedimentum apponere consuetudinis prætextu?

253 *Nonnulla præmitto.* COntinetur interdictum in Extrauag. *Super gentes, de consuetud. inter communes.* Ibi enim Domini Regni, Castri, Ciuitatis, Oppidi, vel alterius loci impedientes, ne Legatus, vel Nuncius Apostolicus in suas terras ingrediatur, néve suum liberè exequatur officium, excommunicationi subiiciuntur, & eorum Regna, Ciuitas, Castrum, & loca supponuntur interdicto, dum in ea contumacia perstiterint. Quæritur autem, an hoc impedimentum apponere debeant consuetudinis prætextu, vt hac Censura illigentur?

254 *Debet apponere prætextu consuetudinis impedimentum.* Debet prætextu consuetudinis apponere. Quia in præfatione huius constitutionis, quæ est aduersus Dominos temporales prætendentes sibi competere ex consuetudine, ne vllus Legatus ab ipsis non petitus eorum terras ingrediatur, munusque suum exerceat: quam consuetudinem vt rationi contrariam, & Apostolicæ authoritati detrahentem Pontifex reprobat. Præterea Rubrica, sub qua hæc constitutio collata est id confirmat; est enim *De consuetudine.* Sic Suar. *d. 37. sect. 1. n. 22.* Alterius *de interd. d. 12. c. 3. fine.*

255 *Non tollit.* Non debet sub consuetudinis prætextu impedimentum adiicere, sed satis est, quocumque titulo præstetur. Quia licet Pontifex occasione dominorum, qui prætextu consuetudinis hoc impedimentum Legatis Sedis Apostolicæ apponebant, hanc constitutionem ediderit: tamen cum legem tulit in futurum, nullius consuetudinis meminit. Ita Bonac. *tom. 3. d. 5. qu. 3. pun. 5.* Sayr. *l. 5. thes. c. 12. n. 2.* Tolet. *l. 1. c. 54. n. 1.* Vgol. *tab. 5. c. 3. n. 7.* Sylvest. *verb. Interdictum 4. quæst. 1. num. 7.*

256 *Reiicitur Authoris.* Communior, ac tutior sententia est, opus non esse ad hanc Censuram incurrendam, quod præsefert impedimentum prætextu consuetudinis: sed satis esse, quocumque titulo appenatur. Ideoque omnes, quos legi, Doctores præter Suarium, & Alterium, nihil amplius requirunt ad hanc Censuram incurrendam, nisi quod Sedis Apostolicæ Legato impediatur ingressus, & eius muneris exercitium.

Dvbivm

Dvbivm LIX.

Prohibitio illa Cap. Quicumque, de hæret. *quo locus, in quo hæreticus sepultus est, in perpetuum priuatur, ne alios recipiat, estne proprie Interdictum?*

257 *Status quæstionis.*

INterdicti localis specialis casus continetur in præfato *cap. Quicumque.* Nam si hæreticus eiusve receptor, defensor, vel fautor tradatur scienter Ecclesiasticæ sepulturæ, locus ille, in quo sepultus est, in perpetuum priuatur, ne alios recipiat. Quæritur, an hoc verum sit interdictum?

258 *Verum interdictum est.*

Verum interdictum est. Quia vnus ex interdicti effectibus est personam interdictam Ecclesiastica sepultura priuare, vel locum interdictum huiusmodi sepulturę incapacem esse, hoc est in eo sepeliri. Sic Paludanus *in quarto, distinctione decima octaua, quæstione octaua, articulo primo*, Sayrus *libro quinto, thesaur. capite duodecimo, numero decimo*, Filliucius *tractat.* 18. *num.* 140. & alij.

259 *Non est verum interdictum.*

Non est interdictum verum, sed prohibitio, ne inibi alius fidelis sepeliatur. Quia si interdictum esset, priuaret officiis diuinis, & Sacramentis, non autem sola sepultura Ecclesiastica. Ita Suarius *disputatione trigesima septima, sectione prima fine.* Alterius *de interdict. disputatione duodecima. capite quarto, numero vigesimo octauo.* Bonacina *tom. 3. disputation. 4. quæstion. 3. punct. 7.*

260 *Hoc verius.*

Hoc verius esse iudico, maximè cum hæc prohibitio non extendatur ad totum Templum, sed solummodo ad locum illum, seu tumulum, in quo cadauer hæretici, vel eius fautoris sepultum est.

Dvbivm LX.

lebrantes, vel celebrari facientes diuina in Ciuitatibus, Castris, vel locis ab Ordinario interdictis, Cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. *interdicuntur. At hæ actiones præstandæ necessarione sunt in interdicto locali generali, vt Censura locum habeat?*

261 *Nonnulla præmitto.*

IN eo *Cap.* interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ omnes quantumcumque exempti, cuiuscumque Ordinis, status, vel conditionis existant, qui scienter celebrant, vel faciunt celebrari diuina in Ciuitatibus, Castris, Villis, (nisi quatenus eis à iure conceditur,) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis, seu delegatis Iudicibus, vel à iure. Quive excommunicatos publice, vel interdictos ad diuina officia, Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittere præsumpserint. Interdicuntur autem hi, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempsere, competenter satisfecerint. Qua satisfactione posita, interdictum cessat; quia solum vsque ad satisfactionem competentem est latum. Quæstio autem voluitur, an præfatæ actiones, præstandæ necessario sint in interdicto locali generali, vt sit locus huiusmodi interdicto?

262 *Non sunt necessario præstandæ.*

Non sunt necessario præstandæ in interdicto locali generali, sed satis est, si in interdicto locali speciali præstentur. Quia textus videtur generaliter loqui, vt colligitur ex verbis superius relatis. Sic Bonacin. *tom. 3. d. 4. q. 2. punct. 6. numer. 3.*

263 *Necessario præstandæ.*

Sunt necessario in interdicto locali generali præstandæ. Quia hæc constitutio præcipue est lata ad comprimendam exemptorum audaciam: exempti autem solum in interdicto generali locali loci exemptionem prætendere possunt, & non in speciali interdicto. Ita Suar. *disput. 37. section. 1. num. 5.* Filliucius *tractat.* 18. *num.* 147.

264 *Hoc verius esse puto.*

Hoc verius esse existimo. Nam verba textus solum interdicto generali perfectè accommodantur. Inquit enim: *Scienter celebrant, vel faciunt celebrari diuina in Ciuitatibus, Castris, Villis, seu locis aliis.* At Ciuitas, Castrum, Villa, & locus subiecta sunt generalis interdicti.

Dvbivm LXI.

Personæ hoc interdicto Cap. Episcoporum, *comprehensæ suntne solum seculares, vel Regulares à iurisdictione Ordinaria exempti?*

265 *Solum exempti sunt huic interdicto obnoxij.*

SOlum sunt sæculares, vel Regulares à iurisdictione Ordinaria exempti. Quia hos voluit Pontifex speciatim hac Censura comprimere: nam Ordinariæ iurisdictioni personæ subiectæ ab Ordinariis compelli poterant, nec opus erat, vt à Pontifice Censura hac compellerentur. Sic Nauarr. *cap. 27. num. 157.* Couarr. ad *cap. Alma, part. 1. §. 6. num. 9.* Suarius *disput. 37. section. 1. numer. 5.* Auila *part. 5. d. 5. dub. 4.* & alij.

266 *Non sunt solum exempti.*

Non sunt solum sæculares, aut Regulares exempti, sed & non exempti. Quia illa dictio, *Quantumcumque exempti*, non est restrictiua, sed solũ dispositionis, sed ampliativa. Ita Gloss. *ibi, verb. Ingressum.* Sylvest. *v. Interdictum 6. §. 2.* Angel. *eodem num. 5.* Bonacin. *tom. 3. d. 4. q. 2. pun. 6. n. 9.* & alij.

267 *Hoc verius esse vidicarim.*

Hoc verius esse iudicarim. Nam si attente textus verba illa, *Omnes quantumcumque exempti cuiuscumque Ordinis status, vel conditionis existant*, perpendantur, hunc sensum proculdubio reddunt: quicumque Clericus, vel sæcularis, vel Regularis, etiamsi summè exemptus sit.

CAPVT XIV.

Circa Cessationem à Diuinis.

Dvbivm LXII.

An triplex Cessationis effectus sit annexus cuilibet Cessationi?

268 *Quæstionis status.* Effectus triplex communiter Cessationi à diuinis attribuitur, scilicet priuatio diuinorum officiorum, Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ. Quæsierim vero, an hi effectus cuilibet cessationi sint annexi?

269 *Non sunt.* Non sunt. Quia non solum à Summo Præsule (de quo non est dubium,) sed à quolibet Iudice cessatio partialis potest imponi, hoc est, quoad vnicum solummodo effectum, & non quoad omnes: verbi gratiâ, quoad priuationem diuinorum officiorũ, & non quoad Sacramentorum, vel Ecclesiasticæ sepulturæ. Hæc enim potestas nullibi restricta videtur. Sic Suar. *d. 39. sect. 2. n. 15. & sect. 4. n. 4.* Fill. *tract. 18. numer. 172. & 187.*

270 *Sunt annexi omnes.* Sunt plane cuilibet cessationi annexi. Quia hi effectus annexi sunt cessationi ex iure communi statuto in *cap. Non est 11. de sponsal.* ibi: *Nulla officia diuina celebrari permittatis.* Quod ius immutare nemo, à Pontifice, potest. Sicut ergo nullus potest excommunicationis effectus restringere, quia iure communi sunt statuti; sic nec cessationis effectus poterit restringere. Ita Henriq. *l. 13. c. 32. n. 1. & c. 54. n. 2.* Sayr. *l. 5 thes. c. 18. n. 7.* Bonac. *tom. 1. d. 6. pun. 3. n. 8.* Auila *p. 6. d. 3. dub. 4.*

271 *Hoc longe probabilius.* Longe probabilius mihi est, nullum alium præter Pontificem cessationis effectus limitare posse. Neque placet mei Suarij (eius venia dixerim) responsio *n. 4.* Pontificem illo in *c. loqui* de speciali cessatione. Nã Doctores omnes inde sumũt argumentum, ad affirmandum, cessationem quamlibet prohibere omnia officia diuina, neque habere locum indulgentiam factam in *cap. Alma mater.* Præterea si cessatio partialis: & quoad particulares effectus, & non quoad omnes imponi posset: esset multiplex cessatio, sicuti est multiplex interdictum, quam tamen multiplicitatem nullo modo iura agnoscunt.

Dvbivm LXIII.

Priuilegium concessum in Cap. Alma, *extenditurne ad Cessationem?*

272 *Quæstionis status.* PRimus effectus cessationis est prohibitio diuinorum officiorum. *cap. Non est vobis, de sponsal.* Quæ prohibitio etsi directe Clericos afficiat, laicos etiam comprehendit. Suario *d. 39. sect. 2. n. 14.* Filliucio *tr. 18. n. 166.* & Bonacina *tom. 1. d. 6. pun. 3. n. 4.* attestantibus. Dubitarim autem, num priuilegium concessum in *cap. Alma, de sent. excom. in 6.* vt possint Clerici officia diuina celebrare in loco interdicto, submissa voce, ianuis clausis, & campanis non pulsatis ad cessationem à diuinis extendatur?

273 *Extenditur quidem.* Extenditur quidem. Quia cessatio hæc spectato iure antiquo sub interdicto continebatur. Et quia rationes, quibus motus fuit Pontifex ad concedendum, vt tempore interdicti generalis diuina celebrarentur illa moderatione, scilicet, ne fidelium deuotio tepesceret, ne hæreses pullularent, æque in cessatione à diuinis procedunt. Ergo priuilegium interdicto concessum ad cessationem debet extendi. Sic Archidiacon. *ad c. Si Canonici, principio* Paludan. *in 4. d. 18. q. 8. a. 3. n. 38.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 189.* Villadie. *de irregul. ob violationem interdict. §. Dictum est & cap. 5. de interdict. numer. 15.* Friburgo *summ. confess. libr. 3. titul. 33. quæstione 221.*

274 *Non extenditur.* Non extenditur. Quia si liceret Canonicis tempore cessationis generalis, sicut licet tempore interdicti Horas Canonicas dicere: possent, & deberẽt, eas Horas recitare, nec priuari possent distributionibus, sed necessario eas lucrarentur. Quo posito, non esset obligatus eas illis soluere, qui causam cessationi dedit: sicuti de facto obligatur in *c. Si Canonici, §. Si autem, de officio Ordinarij, in 6.* & aperte colligitur ex *c. Dilectis, de appell.* & *c. Irrefragabili*, & *cap. Si Canonici.* & *cap. Quamuis, de offic. ordin. in 6.* & Clement. *1. de sent. excomm.* Sic Medina *summ. lib. 1. c. 11. §. 14.* Henriquez *lib. 13. c. 53. numer. 2.* Sayrus *l. 5. thes. c. 19. n. 2.* Suarius *d. 39. sect. 1. n. 7.* Auila *p. 6. d. 3. dub. 3.* Coninch. *d. 17. n. 85.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. n. 2.* Bonac. *to 1. d. 6. pun. 1.* Hurtad. *de cessat diff. 2. n. 58.*

275 *Hæc mihi verum.* Hæc sententia communior quidem, verior mihi est. Quia non est eadem ratio in cessatione, ac in interdicto, vt priuilegium pro interdicto concessum ad cessationem extendatur. Nã cessatio à diuinis rarissimè, & ob vrgentissimam causam imponitur, & tentatis pluribus aliis remediis, & semper ob contumaciam alicuius infringendam. Secus cõtingit in interdicto. Profecto si limitationes, quæ in interdicto licent, in cessatione licerent: cessatio non esset grauamen speciale supra interdictum: quod esse contra Ecclesiæ vsum quis non videat?

Dvbivm LXIV.

Priuilegium concessum pro illis quatuor festiuitatibus in Cap. Alma mater, *extenditurne ad Cessationem?*

276 *Quæstionis status.* PRiuilegium illud pro festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ pro tempore interdicti, ad cessationem minime extenditur. Quia non est eadem ratio indulgentiæ huius in cessatione, ac in interdicto: est enim grauamen specialissimum supra illud. Sic Bonacina *tom. 1. disputation. 6. puncto 1.* Layman. *libr. 1. tract. 5. part. 4. capit. 6. numer. 2.* Suarius *disputation. 39. sectio. 2. num. 7.* & alij.

277 *Extenditur quidem.* Extenditur quidem. Quia id colligitur ex ipso textu *Cap. Alma.* Nam ibi concedũntur interdicti diebus celebrari diuina officia non in vi permissionis, sed constitutionis, & ordinationis, inquit enim, In

In illis festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes,& Assumptionis B. Virginis Mariæ campanæ pulsentur, & ianuis apertis, & alta voce diuina officia solemniter celebrentur: ergo aduersus hanc constitutionem non potest cessatio, quæ ab inferiore Pontificis indicta est,vim habere. Ita Couar. *ad cap. Alma, p.2.§.5.n.5.* Henriq. *l.13.c.53.num.3.* Gutier. *l.1. Canonic.qq.c.10.* Sayr. *l.5.thes.c.19.nu.6* Sanch. *l.7.de matr.d.8.n.18.* Auila *p.6.d.1.dub.6.concl.* 1.Laym. *l.1.tr.5.p.4.c.6.n.3.* Inclinat Suar. *d.39. sect.2 n.23.*

278 *Auctoris resolutio.* Ego autem iudico,iuris rigore spectato veram omnino primam sententiam esse: at spectata consuetudine & æquitate, hanc extensionem faciendam proculdubio esse. Sicque cognoui Doctores almæ Vniuersitatis Salmanticensis respondisse.

Dvbivm LXV.

Ex vi priuilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti: possuntne tempore cessationis diuina audiri,vel celebrari?

279 *Nó possunt.* Minime possunt. Quia(vt supra vidimus) cessatio sub interdicto non comprehenditur,sed ab eo distinguitur. Ergo priuilegium ad interdictum nequit ad cessationem extẽdi. Quod maxime procedit in priuilegio singularibus personis concesso, quod stricte sumendum est. Sic Nauar. *sum.c.24.n.189.* Suar. *d.39. sect.2.n.11.* Sayr. *l.5.c.19.nu.15.* Bonac. *to.1.d.6. pun.1.fine.*

280 *Possunt plane.* Possunt plane. Quia late priuilegium illud est interpretandum,maxime cum iure antiquo parum cessatio ab interdicto distinguebatur. Ita Couarr. *ad cap. Alma part.2.§.4.numer.7.* Henriquez *lib.13.c.53.n.3.* Et refert ita sensisse quosdam iuris peritos Salmanticenses consultos. Sayr. *l.5.cap.19.n.5.* Auila *p.6.d.1.dub.5. concl.2.* limitans casu,quo priuilegium concessum fuerit ante constitutionem *Cap. Alma.*

281 *Auctoris resolutio.* Ego quidem existimo priuilegium non extendi ad cessationem, si fuit singularibus personis concessum: extendi autem si fuit concessum communitati vel personis ratione dignitatis, vt est priuilegium concessum Episcopis audiendi vel celebrandi tempore interdicti in *Cap. Quod nonnullis, de priuileg.* & *Cap. vltim. eodem titul. in sexto.* Hoc enim priuilegium late, illud vero stricte est interpretandum. Id autem est certum, casu quo priuilegium extendatur, Missam, & officia diuina celebranda secreto esse, & moderatione *Cap. Alma* apposita, & asseruata.

Dvbivm LXVI.

Licetne tempore cessationis in particularibus vel ternos recitare Canonicum officium?

Non licet. Quia id præscribi videtur in *c. Permittimus,de sent.excom.* ibi: *Nulla diuina officia permittatis,aliquatenus celebrari.* Et *c.Quod inte,de pœnit.&remiss.* concessa facultas recitandi tempore interdicti bini, vel terni, minime est ad cessationem trahenda. Sic Doctores Salmanticenses teste Sayro *l.5.thesau.c.19.num.4.* 282 *Non licet.*

Licet. Licet equidem. Quia hæc recitatio non est publica,& solemnis,sed priuata, quæ nec interdicto, nec cessatione tollitur. Et quia extra Ecclesiam hæc recitatio licita est,vt Doctores asserunt. Ergo etiã in Ecclesia. Nã cum publica solẽnitas abest, accidentale videtur esse quod recitatio illa in Ecclesia geratur. Ita Sayr. *vbi sup.* Henr. *l.13.c.53.n.2.* Suar. *d.39.sect.1.nu.14.* Bonac. *to.1.d.6.pun.3.n.3.* Laym. *l.1.tr.5.p.4.c.6. num.2.*

283 *Longe hoc probabilius.* Longe probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Cui non obstat textus in *c. Permittimus*; quia intelligendus est de permissione officij publici. Textus vero *c. Quod in te*, non concedit facultatem,sed quod alias licitũ erat, declarat. De pulsione demũ campanarũ idem est dicendum, ac de interdicto, nullo scilicet modo licere in ordine ad diuina officia pulsari. Secus vero ad alia officia, quæ diuina non sint,nisi consuetudo in contrarium ab Ecclesia matrice obseruetur.

Dvbivm LXVII.

Inualidane est Cessatio, non seruatis conditionibus cunctis circa censuras, in c.1. de sent.excom. *in 6.præscriptis?*

Causa materialis, seu delictum, ad cuius emendationem ferenda est cessatio debet esse grauissimum, & manifestum notorietate facti, vt eius scandalo possit cessatione occurri: neque in contrarium stare potest consuetudo, vt potè irrationabilis, & in grauamen Ecclesiæ cedens. Colligitur ex *c. Irrefragabili, de offic. ordinar.* & *c.Si Canonici,* & *cap. Quamuis eodem tit.in 6.* Insuper hæc causa,propter quam imponitur, exprimi debet instrumento publico per Tabellionem, seu patentibus aliis litteris sigillo authentico munitis, quæ debent tradi ei, contra quem cessatio indicitur. Præterea debet prius delinquens moneri, an emendationem,& satisfactionem præstare velit;neque enim cessatio,quæ grauissima pœna est, indici potest nisi pro contumacia. Porro hæ conditiones sunt eiusdem rationis cum illis, quæ præscribuntur in *c.1.de sentent.excom.in 6.* pro qualibet censura ferenda. Iam requiro, an ad validitatem cessationis debeant seruari omnes prędictæ conditiones? 284 *Nonnulla suppono.*

285 *Debent necessario.* Debent necessario, ita vt aliqua deficiente inualida sit cessatio. Quia Doctores plerumque conueniunt præfatas conditiones cõmunes esse omnibus cessationibus siue impositis à Capitulo, siue à Prælato. At in *c. Quamuis, de officiis Ordinar. in 6.* dicitur. *Parte cessante, & supra scripta non seruante* (scilicet quæ in illo *c.* continentur, & quæ lata erant in *c. Si Canonici*, & in *c. Irrefragabili*, quęque in *c. Quãuis* renouantur) *Cessatio non seruetur.* Si igitur non est seruanda cessatio, illis conditionibus in eius impositione seruatis; ergo illæ conditiones sunt pro valore cessationis necessariæ. Sic Sayr. *l. 5. thes. c. 18. n. 16.* alios referens. Auila *p. 6. d. 2. dub. 2.* Et de cessationibus à Capitulo impositis asserit Suar. *d. 39. sect. 3. n. 15.* Coninch *d. 17. n. 90.*

286 *Necessario non debent.* Non debent necessario omnes hæ conditiones seruari. Quia in *c. Quamuis*, & *c. Si Canonici* non redditur sententia inualida. Et ex ipso iure naturali prædictæ conditiones pro valore cessationis non requiruntur. Ita Suar. *d. 38. sect. 2. n. 8. & 11.* Coninch *d. 17. n. 90.*

287 *Auctoris resolutio.* Existimo, in qualibet cessatione has conditiones esse obseruandas, at ob earum defectum non fore irritam cessationẽ, sed solum iniustã. Tantum de monitione crediderim necessariã esse eam scilicet, quæ sufficeret ad notitiam habendam de cessatione imponenda, quæque ad valorem cuiuscumque censuræ requisita foret: non autem quod, fiat tali tempore, & modo, quo in præfato *c. Quamuis* præscribitur.

Dvbivm LXVIII.

Si Capitulum, Sede vacante, velit cessationem imponere, debet ne quasdam conditiones ei præscriptas necessario obseruare?

288 *Nonnulla præmitto.* PRæter supradictas conditiones, aliæ sunt seruandæ pro cessatione imposita à Capitulo, scilicet, vt ad hanc cessationem imponendã, conuocentur omnes, qui conuocandi essẽt pro electione quauis faciendã: qui inter se debent conferre, an expediat cessationem imponi? Et consultatione facta suffragia sunt ferenda, & ex maiori parte suffragiorũ cessatio decernitur. Alias sicut electio sine hac conuocatione, consultatione, ac determinatione est nulla *c. Coram dilecto c. Propter, de elect.* Sic cessatio, quæ electioni comparatur in *c. Quamuis, de offic. ordinar.* nulla erit, vt annotauit. Sayr. *l. 5. thes. c. 18. n. 14.* Quæstio igitur est, num Capitulum Sede vacante debeat has conditiones in Cessatione ferenda obseruare?

289 *Debet quidem.* Debet quidem. Quia textus in *c. Quamuis* has præscribit conditiones obseruandas à Capitulo, seu conuentu, qui ex maiore parte Canonicorum, seu conuentualium coalescit. Sic Auila *p. 6. d. 2. dub. 2.*

290 *Non debet.* Non debet. Quia Capitulum, Sede vacante, non per se, sed per Vicarium electum iurisdictionem exercet iuxta Tridentinum *sess. 24. c. 16.* Ita Suar *d. 39 sect. 3. n. 10.*

291 *Auctoris resolutio.* Ego existimo, primam sententiam veram esse, casu, quo capitulum, seu conuentus per se cessationem indiceret. At cum Capitulum, Sede vacante, non per se, sed per Vicarium electũ iurisdictionem exerceat, ea de causa ad imponendam cessationem non indiget Canonicorũ cõuocatione, & aliis in *c. Quamuis* præscriptis.

Dvbivm LXIX.

Religiosi exempti obligantur ne seruare, & publicare in suis Conuentibus Cessationem impositam à Prælato, seu Capitulo, & in Ecclesia matrice obseruatam?

292 *Status quæstionis.* CErtum est, graue piaculum perpetuum, qui cessationem celebratione diuinorum officiorum, administratione, vel receptione Sacramentorum violauerit. Quia legem Ecclesiasticam ob grauissimam causam impositam transgreditur. Solum est dubium, an Religiosi exempti obligentur seruare ac publicare in suis Monasteriis cessationem impositam à Prælato seu Capitulo, & in Ecclesia matrice obseruatam?

293 *Non obligantur.* Non obligantur. Quia Tridentinum *sess. 25. c. 12. de Regul.* solum præcipit obseruari censuras, ac interdicta: At cessatio à diuinis nec est censura, nec interdictum etiam pœnale: ergo in prædicto decreto non continetur. Sic Alteri. *de interd. d. 2. c. 8.*

294 *Obligantur quidem.* Obligantur equidem. Quia Concilij decretum expeditum fuit in confirmationem *Clement. 1 de sent. excom.* vbi tam Regulares exempti obligantur, interdicta, & cessationes à diuinis seruatas ab Ecclesia matrice obseruare. Ita Bonac. *tr. 1. d. 6. punct. 3. n. 10.* Palao *de cens. d. 5. pun. 9. §. 4. n. 2.*

295 *Hoc dicendum.* Hoc dicendum. Nam licet textus in principio solius interdicti mentionem gesserit colligitur sub interdicti nomine voluisse cessationem à diuinis comprehendere: vti colligitur ex illis verbis: *Quod etiam in interdicto, & cessationibus &c.* quæ indicant, antea de interdictis, ac cessationibus sermonem esse factum. Præterea in cessatione magis vrgent rationes obligantes, vt Religiosorum conuentus cum Ecclesia matrice conformentur.

Dvbivm LXX.

Contrahiturne Irregularitas à Clerico violante cessationem generalem?

296 *Nonnulla præmitto.* NVlla pœna est laicis cessationem violantibus ipso iure imposita, sed Iudicis arbitrio puniri debent. Clericis vero, & Religiosis tam exemptis quam non exemptis imposita est excommunicatio ipso facto in *Clement. 1. de sent. excom.* Debet tamen cessatio esse generalis, & ab Ecclesia matrice obseruari: nam ex violatione cessationis specialis nulla pœna ipso iure contrahitur. Quia nullibi habetur, nec de prædicta cessatione loquitur Clementina. Quæsierim autem, num irregularitatis pœna contrahatur à Clerico violante hanc cessationem generalem ab Ecclesia matrice obseruatam?

Con

297 *Contrahitur.* Contrahitur quidem. Quia in dicta Clement. 1. ceſſatio æquiparatur interdicto, ob cuius violationem irregularitas contrahitur. Sic nonnulli Doctores quos, preſſo nomine memorat Caſtro Palao *de cenſur. diſputatione quinta puncto nono Parag. quart. numer.* 4.

298 *Non contrahitur.* Non contrahitur. Quia pœna huiuſmodi nullibi eſt expreſſa, & irregularitas non contrahitur niſi in caſibus à iure expreſſis. *Cap. Is cui, de ſententia excommunicationis in ſexto.* Ita Palao *citatus.* Gloſſ. *ad cap. Si Canonici.* Abbas *ad cap. Dilectis filiis, de appellat. numero decimo octauo.* Palud. *in* 4. *diſtinctione decima octaua articulo tertio dumero trigeſimo octauo.* Nauarr. *ſumm. capite decimo ſeptimo numer.* 189. Suarius *diſputatione trigeſima nona ſectione prima numero octauo.* Auila *part.* 6. *d.* 3. *dub.* 2. *concl.* 4. Henriq. *l.* 13. *c.* 54. *n.* 3. Sayr. *l.* 5. *theſ. cap.* 18. *num.* 9. & alij apud ipſos.

299 *Hic verius.* Verius hoc. Quia licet in Clement. 1. ceſſatio æquiparetur interdicto, ideſt ſolum quoad pœnam excommunicationis impoſitam Religioſis interdictum, & ceſſationem generalem non obſeruantibus: non tamen quoad reliqua omnia.

DVBIVM LXXI.

Poteſtne per appellationem ſuſpendi ceſſatio, ſi executioni mandata non ſit?

300 *Non poteſt.* NOn poteſt ſuſpendi. Quia non à iure, ſed à Iudice decernitur: ideoque ad factum pertinet, quod non videtur appellatione ſuſpendi poſſe. Sic Abbas *ad c. Dilectis filiis.* Villadieg. relatus à Couar. *ad c. Alma, p.* 2. §. 2. *nu.* 1. Sayr. *l.* 5. *theſ. c.* 17. *n.* 7.

301 *Poteſt quidem.* Suſpendi poteſt. Quia per appellationem impeditur iuriſdictio imponentis, & ex defectu iuriſdictionis nulla erit ceſſatio. Ita Couar. *citatus.* Suar. *d.* 39. *ſect. vlt. nn.* 3. Henriq. *l.* 13. *c.* 12. *num.* 1. *& in Gloſ. lit. O.* Auila *part.* 6. *d.* 3. *dub.* 1. *concl.* 1.

302 *Auctoris reſolutio.* Crediderim, ſententiam ceſſationis executioni mandatam appellatione non ſuſpendi; quia ſecum trahit executionem, quæ nulla alia via impediri poteſt, quam relaxatione. At bene ſuſpendi poſſe, ſi executioni mandata non ſit; quia per appellationem (vt dixi) impeditur iuriſdictio imponentis, vnde nulla erit ceſſatio.

LIBER LIII.

IRREGVLARITAS.

DE Irregularitate denique siue Censura sit, siue non (de quo infrà) disserendum. Exponam itaque Quid sit, & Quotuplex? Quale peccatum requiratur, vt incurratur? Quaenam verbis soleat iure ferri? Quaenam excusent ab Irregularitate, quæ in puram pœnam ob aliquam culpam imponitur. Quâ ratione contrahatur per illicitam Sacramentorum susceptionem? Ob malum Ordinum vsum. Ob Hæresim, Simoniam, aliáve crimina, vel Infamiam. Ob homicidium aut mutilationem voluntariam. Ob inuoluntarium homicidium. Ob defectum lenitatis. Ob Bigamiam. Ob natalium defectum. Et ob defectum corporis vel animi. Demùm quonammodo huiusmodi Iuris impedimentum sit auferendum.

SECTIO PRIMA.

De Irregularitate Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex Irregularitas.

Quid irregularitas, quæ quidem ab aliis Censuris differt.

1 IRREGVLARITAS est, *quædam inhabilitas iure Canonico introducta, directe* (quantum est ex se) *impediens Ordinum susceptionem: & indirectè susceptorum vsum.* Dixi esse *inhabilitatem*, quia eam contrahens, quantum per ius humanum fieri potest, redditur incapax susceptionis, ac vsus Ordinis. In quo à Suspensione, aliisve censuris differt, quod hæ immediate, ac directe solum impediunt vsum alicuius potestatis, irregularitas vero, quantum fieri potest, tollit ipsam potentiam susceptiendi Ordinem, eóque vtendi. Coninch *d.*18.*dub.*1.*n.*1. & alij communiter.

2 Hinc tria sequi affirmo. Primùm, neque fœminas neque non baptizatos esse proprie irregulares. Quia eorum incapacitas susceptiendi Ordines non est inducta à iure, sed oritur immediate ex ipsa natura, ac institutione Sacramenti Ordinis, cui essentiale est, quod inualide fœminis, aut non dilutis Sacra vnda conferatur. Possunt tamen viris nondum baptizatis quædam accidere, quæ postea dilutos irregulares reddant, (de quo infra) vnde possunt quandam quasi inchoatam irregularitatem contrahere. Henriquez *lib.*14.*capit.*2.*num.*4. & omnes.

Nec fœmina, necnon baptizatus irregularitatem contrahunt.

Secundum, eum, qui absolute irregularis est, illicite facere ea omnia, quæ vsum alicuius Ordinis requirunt: contra vero (nisi impediatur) licite ea omnia, quæ illum nullomodo requirunt. Quia irregularitas non inhabilitat nisi ab Ordinis susceptionem, vel vsum. Vnde potest susceptere omnia alia Sacramenta. Exercere etiam solemniter minorum Ordinum actus, ac cum aliis Clericis solemniter canere Officium diuinum, exceptis iis, quæ ex Ecclesiæ vsu sunt Ordini certo deputata, qualis est Oratio præmisso *Dominus vobiscum*, & quædam similia. Quia alia omnia etiam puri laici gerere possunt. Demum omnes actus iurisdictionis præter Sacramentalem absolutionem, & realem degradationem exercere: hæc enim vsum

Illicite ab irregularis requiruntur vsum Ordinum, reliqua licita.

vsum Ordinum includunt. Coninch *d.16.n.*11. & *d.*18.*n.*2.& 3.

4 *Idem est priuatus beneficio, sæpe tamen priuandus.*

Tertium irregularem non priuari beneficio iã ante accepto, eiúsve fructibus, modo officiũ, per se vel per alium præstet. At si id beneficium actus ipsi prohibitos requirat, eo priuandus est iuxta *c. Si celebret, de Clerico excom.* Imo si nõ speraret, breui se posse dispensationem obtinere, teneretur beneficium resignare, præsertim si hoc requireret, vt beneficiatus per se officiũ faceret. Quia cum beneficium sit propter officium, male retinet, qui ad illud omnino ineptus est. Henriquez *lib.*14. *cap.* 2. *numer.*4. Suar. *d.*40. *section.*2. Auila *part.*7. *d.*2. *dub.*6.

5 *Irregularitas contrahitur, quæ quidem vel totalis vel partialis est.*

Alia irregularitas contrahitur sine vllo proprio actu ob aliquẽ corporis aut natalium defectum. Alia vero ob proprium aliquem actũ Quæ iterum subdiuiditur in eam, quæ fertur ob aliquam culpam eam incurrentis: & in eã, quæ incurritur sine vlla culpa, ob bigamiam, defectum lenitatis, &c. Rursum alia est totalis, quæ ab omni Ordine suscipiendo, aut exercendo perpetuo excludit. Alia autem partialis, quæ vel non impedit omne exercitiũ Ordinum (vt fit in Sacerdote, qui sine sua culpa perdidit pollicem, qui excepta celebratione, potest alia Sacerdotalia munera obire.) Vel non impedit in perpetuum; sic pueri sunt irregulares donec habeant ætatem legitimam pro singulis Ordinibus requisitam. Coninch *disputation.*18. *dub. prim. numer.* 8. & alij communiter.

CAPVT II.

Quale peccatum requiratur, ad incurrendam Irregularitatem?

6 *Non incurritur irregularitas ob actum internum.*

NON requiro, ob quæ peccata in particulari lata sit irregularitas (de quo suo loco) sed in genere quale peccatum ad eam requiratur. Nulla quidẽ ob actum internum incurritur. Quia nulli sunt Canones, quibus talis irregularitas feratur & receptius est, dari non posse. Quia Pontifex actus mere internos punire non potest, vt aperte colligo ex *cap. vltim. de Simon.* Nec sufficit quisuis actus externus, sed, nisi in iure aliud exprimatur (quod hactenus factum esse non video) requiritur actus suo in genere consummatus Coninch *disputat.* 18. *numer.*11. & *d.*13. *num.*75.

7 *Nec ob veniale peccatum.*

De facto nulla irregularitas, quæ propter culpam ponitur, ob veniale peccatum incurritur. Quia cum grauissima pœna sit non potest censeri, ob veniale crimen imponi: alias enim pœna delicto minime responderet. Soto *de iust. l.*5. *q.*1. *articul.*9. Nauar. *summ. capit.*27 *num.*252.

8 *Imo nec potest ob veniale incurri.*

Imo nec incurri ob venialem culpam incurri posse crediderim. Quia Pontifex huiusmodi pœnam præscribens iniuste se gereret, pœna scilicet delictum superante. Suar. *d.* 40. *sect.*3. *n.*17. Scio tamen Pontificem posse irregularitatem ferre ob aliquod veniale peccatum, cuius actus materialiter sumptus etiam sine peccato factus sufficientem indecentiam respectu Clericalis status contineret, vt ei posset irregularitas annecti. Verbi gratiã, Pontifex posset statuere, vt per actum, quo aliquis fit bigamus, tum solum irregularitas incurreretur, quando aperte constaret, in eo saltem venialiter esse peccatum. Quamuis hoc forte minus expediret ob difficultates, quæ possent inde nasci. Quia in foro saltem externo nunquam posset sciri, quando quis eam incurrisset, nisi vt summum ex rei cõfessione. Coninch *d.*18. *n.*14.

9 *Potest incurri ex crimine omnino occulto.*

Potest contrahi irregularitas ex criminibus omnino occultis. Quia Tridentinum *sess.* 24. *c.*6. aperte supponit, cum concedit Episcopis facultatem in iis dispensandi. Profecto dupliciter potest alicui crimini irregularitas annecti. Primo per se: & hæc incurritur per tale crimen, quantumcunque sit occultum Secundo potest ei annecti quasi per accidens ratione infamiæ, quam adfert: & tũc sicut ad nõ fert infamiam quamdiu occultum est, ita nec inducit irregularitatem, Nauar. *sum. c.*27. *n.*194. alios citans.

10 *Quid gerere debeat, qui dubitat, an irregularitatẽ cõtraxerit?*

Qui dubitat, an irregularitatem contraxerit, ex quocunque capite dubium oriatur, (nẽpe an in iure tali facto sit statuta, vel an ipse tale fecerit, ob quod constat irregularitatem contrahi) tenetur de veritate diligenter inquirere, quantum pro loco, & tempore commode potest, antequam quidquam agat, quod irregulari sit prohibitum. *Cap. Illud Dominus* 5. *de Clerico excommunicato.* Quando autem post diligentem inquisitionem manet dubium, an tali facto annexa sit irregularitas, qui id commisit, in vtroque foro debet iudicari irregularis non esse. *Cap. Is, qui* 18. *de sentent. excommunication.* Idem dicendum, quando quis post diligentẽ inquisitionẽ adhuc dubitat, an commiserit actum, cui annexa est irregularitas? Quia nemo bona fide suam libertatem aliãve quamcunque rem possidens, tenetur sese ea spoliare, nisi sufficienter constet, eam perdidisse, seu alienam esse. Suar. *d.*40 *sect.*5. *n.*4. Auila *part.*7. *disputation.*2. *dub.*4. Coninch *d.*18. *num.* 21. & 22.

CAPVT III.

Queisnam verbis soleat in Iure Irregularitas ferri?

11 *Nunquam incurritur irregularitas nisi in*

IRREGVLARITAS nunquè incurritur nisi in casibus à iure expressis. *Cap. Is, qui* 18. *de sent. excom. in* 6. Vbi dicitur, irregularitatem nunquam incurri, nisi id in iure sit præscriptum

casth. à iure expressis.

scriptum: & consequenter nullo iure censetur ferri, cuius verba non magis significant irregularitatem, quam aliam pœnam. Quia non potest dici tali iure irregularitatem esse expressam, seu expresse contineri. Attamen quia antiqui nunquam eo verbo vtuntur, sed aliis modis per circumlocutionem hanc exprimunt pœnam ex quo fit, vt multi laborent, vt discernant, quandonam antiqua iura hanc pœnã imponan, quando nõ. Ego quidem ad id discernendum triplicem regulam apponam.

12 *Ad dignoscendum quandonam iure hanc pœnam imponant. Regula prima.*

Prima sit. Quoties ius non imponit pœnam incurrendam ipso facto, sed per Iudicem præscribendam, de irregularitate non loquitur. Quia hæc nunquam per sententiam fertur. Quando vero ius censeatur imponere pœnam sententiæ latæ, quæ ipso facto incurratur: quãdo vero per Iudicem imponendam, exprimit docte Coninch *d.* 33. *num.* 20. Suar. *disputat.* 40. *sect.* 8.

13 *Regula secunda.*

Secunda. Idem dicendum, quoties verba Canonis directe solam executionem Ordinum prohibent vt fit *Cap.* 1. *de ordinat. ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit.* Tunc enim potius fertur suspensio, aut depositio, quam irregularitas, quæ directe impedit Ordinum susceptionem. Excipio casum, quo ex adiunctis clare contrarium colligitur, verbi gratiâ, ratione materiæ ipsius legis: vt si agat de casu, ob quem per alia iura sit irregularitas statuta, & pateat, quod eandem pœnam velit cõfirmare. Suar. *d.* 40. *sect.* 8.

14 *Regula tertia.*

Tertia demum. Quando Ius statuit aliquod perpetuum impedimentum, quod ipso iure incurratur directe impediens susceptionem status Clericalis, aut Ordinum, censetur ferre irregularitatem. Quia hæc in tali impedimento directe consistit. Ex. gr. Si lex dicat, *Quisquis hoc fecerit*, aut *Quisquis talem defectum habuerit, nunquã ordinetur.* Suar. *d.* 40. *sect.* 8. Coninch *d.* 18. *n.* 16.

CAPVT IV.

De iis, quæ ab Irregularitate ob aliquam culpam imposita, excusant.

15 *Quæ operantem à lethali excusant, ab irregularitatis liberant incursione.*

QVÆ operantem à lethali crimine excusant, siue sit ignorãtia iuris, vel facti, siue iustus metus, ab irregularitatis procul dubio excusant incursione. Quia irregularitas non incurritur nisi ob lethale piaculum. Scio, aliquos ab hac regula excipere eum, qui etiam sine sua culpa secundo baptizatur: quia *Cap. Qui bis, de consecr. dist.* 4. dicitur esse irregularem, qui etiam ignoranter secundo vnda Sacra diluitur. Et *Cap. Qui in qualibet* 1. *quæst.* 7. idem dicitur de eo, qui in quacumque ætate, aut bis, aut ab hæreticis baptizatur. Attamen Canon prior est solum Theodori Cantuariensis, qui non potuit irregularitatem constituere. Posterior autem intelligendus est de qualibet ætate eorum, qui vtuntur ratione. Aliter enim contradiceret *Capiti Placuit*, & *Capiti Qui apud* 1. *q.* 4. Vbi expresse dicitur, eos, qui ante vsum rationis apud hæreticos Baptizati sunt, hanc irregularitatem non incurrere. Coninch *d.* 18. *n.* 27. & alij communiter.

Exercens actum, cui annexa est in puram pœnam irregularitas, eam non incurrit, si inuincibiliter ignoret actum iure Ecclesiastico esse prohibitum, licet prohibitum sit iure naturæ. Quia *Cap.* 2. *de constitutionib. in* 6. aperte dicitur non ligari ignorantes Ordinariorum constitutionibus. Vnde aperte sequitur, ignorantem aliquam legem, nec ea, nec eius pœnis teneri. Coninch *d.* 18. *n.* 29.

16 *Excusat etiam inuincibilis ignorantia Ecclesiastica actus prohibitionis.*

CAPVT V.

De Irregularitate ex illicita Sacramentorum susceptione.

17 *Rebaptizatus, aut rebaptizans, irregularis est.*

QVI voluntarie secundo baptizatur, aut alium baptizat, aut rebaptizanti ministrat, fit irregularis. De rebaptizato patet *Canon. Eos, de consecr. distinct.* 4. Qui generatim omnibus rebaptizatis hanc pœnam imponit. De rebaptizante *Can. Ex litterarum, de apostat.* Hæc tamen irregularitas non est nisi quoad Ordines suscipiendos, vt ex textu patet. Omnes sic.

18 *Crimen debet esse publicum.*

Vt ministrans rebaptizanti hanc irregularitatem incurrat, crimen debet esse publicum vti exprimit textus. Rebaptizans vero irregularis est, etiam quando factum est occultum. Potest tamen in hac pœna Episcopus dispensare iuxta Trident. *sess.* 24. *c.* 6. Sicut etiam cum ministro, qui post hanc irregularitatem contractam Religionem ingreditur. *Cap. Ex litterarum, de apostat.* Sylvest. *v. Irregularitas*, *nu.* 6. Suar. *to.* 3. *d.* 31. *sect.* 6. *dub.* 3.

19 *Non sufficit cæremonias Baptismi iterari, sed necessum est reiteri ipsum Baptisma.*

Verum ad huiusmodi pœnam incurrendam, non sufficit, cæremonias Baptismi iterari, sed necessum est reiteri ipsum Baptisma. Vnde patet non incurrere hanc pœnam, qui reiteraret solam externam materiæ ac formæ applicationem sine intentione baptizandi. Quia talis nullatenus rebaptizat nisi secundum externam quandam apparentiam. Suar. *to.* 3. *d.* 31. *dub.* 4.

20 *Non irregularis, qui rebaptizat ob conditionem, quam sciebat esse Baptizatum.*

Nec irregularitatem incurrit, qui rebaptizat sub conditione, *Si non es baptizatus*, etiam eum, quem scit baptizatum esse. Quia non habet animum vere rebaptizandi, sed potius nugandi, vel simulandi Baptismum. In foro tamen externo talis puniri posset tanquam rebaptizatus, quando constaret, hunc esse dilutũ cognouisse. Quia haberetur hæc conditio tanquam non apposita, & iudicaretur, serio voluisse rebaptizare, & conditionem loco adiecisse: nisi aliunde contrarium appareret.

Coninch

Coninch *disput.* 18. *num.* 38. & alij communiter.

21 *Baptizatus ab hæreticis irregularis fit.*

Baptizatus ab hæreticis incurrit. *Cap. Qui in qualibet* 1. *dist.* 7. Excusat ignorantia. *Cap. Placuit & c. Qui apud* 1. *q.* 4. Idem dixerim de necessitate, quæ excusat à culpa. Quia propter culpam illa pœna incurritur. Et secundum hæc intelligo *Cap. Qui in qualibet*, de qualibet ætate discretione vtentium. Est omnium.

22 *Et baptizatus in periculo mortis.*

Adulti baptizati in ægritudine ob periculum mortis non possunt ordinari Presbyteri, nisi fidem, & studium suum probarint, probitate scilicet vitæ, aut nisi Sacerdotum sit inopia, *c.* 1. *dist.* 57. Videtur tamen tunc requiri dispensatio Episcopi, vt de ordinandi dignitate publico iudicio constet. Doctores conueniunt.

23 *Et furtiue ordinatus.*

Qui furtiuè ordinatur irregularis fit saltē quo ad ascensum ad altiores ordines. *Cap.* 1. *de eo, qui Ordinem furtiuè suscipit.* Potest tamen cum eo Episcopus dispensare, nisi fuerit sub pœna excommunicationis prohibitus, ita ad Ordines accedere. Dicitur furtiuè ordinari qui dolo obtrudit se Episcopo ordinanti, persuadendo se esse alium, quàm sit; aut qui prius dum vocatur ad examen, curat, aliū suo nomine examinari, & postea vocatus sistit se pro eo, qui examinatus fuit; vel quacumque alia ratione efficit, vt Episcopus eum ex errore personæ pro alio ordinet.

24 *Et coniug. qui ille. gitime ordinatus.*

Qui post Matrimonium contractum ratū etiam ante consummationem (nisi in Religione approbata professus sit) inuita vxore, Sacros Ordines susceperit, irregularis fit, & ab ordine sic suscepto suspenditur. Si tamē in Religione approbata profiteatur, poterit cū eo Episcopus dispensare. Nonnulli alias irregularitates adferunt huiē capiti concernentes, sed eas haud satis probant, cum nullum ius, in quo exprimantur adferant. Coninch *disputation.* 18. *numer.* 44. ex communi Doctorum.

CAPVT VI.

De Irregularitate ob prauum Ordinum vsum.

25 *Exercens Ordinem, quem non habet, irregularis fit.*

LEICVS exercens Ordinem, quem non habet, fit irregularis quoad ascensum ad superiores. *Cap.* 1. *& 2. de Clerico non ordinato.* Manet etiam per biennium, aut triennium iuxta Episcopi arbitrium suspensus ab Ordine dignissimo, quem habet: non autem ab aliis, vt apertè colligo ex *cap.* 2. *citato.* Suar. *disputation.* 40. *section* 4. *num* 4.

26 *Quia in fa. ctem id ordo, quo a laicis laicè fit.*

Porro ad hanc pœnam incurrendam, debet Ordo exerceri cum ea solemnitate, ac modo, quo à laicis exerceri non potest. Hinc laicus exercens actus minorum Ordinum etiam cū omni solemnitate, aut canens Epistolam etiā cum damalrica sine manipulo, aut baptizans sine solemnitate, irregularitatem non contrahit. Quia hi non sunt actus Ordinis, dum sic fiunt. Præterea debet hic actus fieri non solum cum peccato mortali, (sine quo hæc pœna non incurritur) sed etiam serio. Qui enim ioco eum exhiberet, etsi peccaret, non tamen irregularis fieret. Auila *p.* 7. *d.* 9. *d.* 13. ex communi.

27 *Violans cē. suram per actum Ordinis Sacri, irregularis est.*

Violans censuram aliquam actum Sacri Ordinis exercendo, irregularis fit. *Cap. de sent. & re iudicata in* 6. *Cap.* 15, *qui. Cap. Is, cui de sententent excomm. in* 6. Per actus vero minorum Ordinū non incurritur. Quia possunt à laicis etiam cum omni solemnitate exerceri, atque ex cōsuetudine desiére alicui Ordini esse proprij. Est omnium Doctorum. Scio, varios alios adferri casus, sed à suis Authoribus non probari.

CAPVT VII.

De Irregularitate ob hæresim, simoniam, aliáve crimina, vel ob infamiam contracta.

28 *Hæretici sunt irregulares.*

HÆretici non possunt ad vllos Ordines promoueri, etiā post pœnitentiam trāsactam. *c. Saluberrimum* 1. *q.* 7. Vbi dicitur, Clericos ab hæresi reuertētes ad Ecclesiam debere pro magno beneficio habere, si sine vlla promotionis causa in suo onere permaneant. Est communis.

29 *Et eorum fautores, ac filij.*

Idem dixerim de fautoribus, & receptatoribus hæreticorum, eorumque filiis vsque ad secundam generationem. *Cap.* 2. §. *Hæretici.* Hæc autem intelligo de iis, qui fauent hæreticis formaliter sumptis, sine qua tales sunt. Nam si quis hæreticum domi reciperet, quia pauper, aut frater ipsius est, & ei in re aliqua iusta faueret nullomodo ad hæresim spectante, nullam pœnam incurreret. Hoc autem ius per *cap. Statutum*, 15. limito, vt constitutio illa circa descendentes per lineam fœminea, solū habeat locū in prima generatione: in secunda vero solū respectu illorū, qui per lineā masculinā descendūt. Itē vt nō habeat locū respectu filiorū, quorū parentes ante mortē Ecclesiæ recōciliati. Catholici obiére. Henr. *l.* 14. *c.* 5. *n.* 4. citans Simanchas, Nauarrum, & alios.

30 *Et qui iure sunt infames.*

Qui iure infames sunt, irregularitate puniuntur. *Cap. Infames* 6. *q.* 1. Iuris autem infamia dupliciter incurritur. Primò, per Iudicis sententiā infamiā inurentis. Secundò, per cōmissionē criminis, cui à iure infamia est annexa, quando illud est publicum. Huiusmodi crimina sunt periuriū in iudicio, simonia, Sodomia, improbū fœnus, in quo vsuræ vsuratū exiguntur, Sacrilegiū, duellū, hæresis, eiusq; fauor, crimē læsæ Maiestatis, persecutio hostilis Cardinaliū. Imo duo vltima cōmittentium filij

atque etiam nepotes descendentes per masculinam lineam sunt infames. *Cap. Felicis, de pœnis in 6. & Leg. Quisquis, §. Filiis, C. ad leg. Iuli.* Permanet autem hæc infamia, & consequenter irregularitas etiã pœnitentia peracta. Debent vero hæc crimina esse publica, *c. vlt. de temporib. ordinandor.* Quia crimen occultũ non parit infamiam Nauar. *sum. c. 27. nu. 248.* Coninch *d. 18. n. 56.*

31 *Non omnis infamia irregularitatẽ inducit.*

Alia crimina, quæ iuris infamiam non habent annexam, irregularitatem non inducũt, quãuis quia publica sint, suos auctores infament: sed tantũ inducunt aliquod impedimẽtum ob indecentiã, propter quam tales *c. vlt. citato*, ordinari prohibẽtur, donec per pœnitẽtiã infamiam eluerint; quare hac posita, omne impedimentum tollitur. Nauar. *c. 27. n. 204.*

CAPVT VIII.

De Irregularitate ex homicidio aut mutilatione voluntaria.

32 *Non est irregularis, qui conatur occidere, aut mutilare.*

NVLLVS conatus occidendi per se, vel alium adhibitus sufficit, ad inducendam irregularitatẽ nisi mors, aut mutilatio de facto sequatur. Quia illa solum est lata pro iis, qui occidunt, aut mutilant: nullus autem, quãtumcumque conetur occidere, potest dici occidisse, nisi nex sequatur. Idemq; de mutilatione dicendũ. Infero, irregularẽ nõ esse eum, qui alium lethaliter vulnerauit, si statim ex aliocasu (v. gr. tormento discerptus) ita subito occidatur, vt ratione prioris vulneris nullatenus citius obeat: secus si citius. Quia in hoc casu alter in ipsius occisionem influit, in priori verò non. Auila *hic, d. 6. sect. 3. dub. 4. concl. 2.*

33 *Voluntarie aliquẽ occidens, aut mutilans, irregularis est.*

Voluntariè aliquem occidens, aut mutilãs, irregularis est. Patet ex *tit. de homicidio.* Ad hanc vero irregularitatem nõ sufficit grauis vulneratio cũ copiosa sanguinis profusione, aut deformitate secuta, nisi sequatur mors, vel mutilatio. Quare non sufficit aliquem ita vulnerare, vt aliquod membrum ei reddatur inutile, nisi abscindatur, aut saltem ita tractetur, vt plene moriatur & debeat abscindi. Nauar. *sum. c. 27. n. 223*, Sotus *l. 5. de iust. q. 2. a. 1.* Suar. *d. 44. sect. 2. n. 6.* Henriq. *l. 14. c. 8. num. 4.* Aila *p. 7. d. 5. sect. 1. dub. 2.*

34 *Quid dicatur proprie membrum, cuius mutilatio irregularitatẽ inducat.*

Receptiori vero ex sententia, membrum dicitur solummodo ea pars corporis, quæ per se habet aliquod distinctũ officiũ in corpore, qualis est manus, pes, &c. Vnde digitos membra non esse iudico, sed mẽbri partes idẽque de auribus, naso, &c. sentio. Nauar. *cap. 27. n. 206.* Couar. *in Clement. si furiosus, de homic. p. 3. §. 8.* Auila *p. 7. d. 5. dub. 1.* Henr. *l. 14. c. 8. nu. 1.*

35 *Irregularis Iest, sponte sibi partem digiti amputans.*

Qui sibi sponte notabilem partem digiti abscindit, aut se ipsum castrat, aut castrãri permittit, est irregularis. Secus si ex necessitate vim patiens, aut morbi depellendi causa hæc patiatur. Habetur expresè *cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. distinct. 35.* Vnde constat, aliquem facilius fieri irregularem se ipsum lædendo, quàm si alium lædat. Coninch *disput. 18. n. 64.*

36 *Et procurãs abortum.*

Abortum procurans post fœtus animationem irregularis est. Secus erit, si id ante animationem fiat, vel in priori casu effectus nõ sequatur. Quia tunc non committitur homicidium. *Cap. Sicut ex litterarum, 20. de homicid.*

37 *Et apponẽs sponte causam, ex qua videt, mortem alteri secuturam.*

Apponens sponte causam, ex qua videt, alteri mortem secuturam, v. gr. dando ei venenum, &c. irregularis fit, quantumcumque ante illius mortem facti pœniteat, & eam impedire conetur, si mors de facto sequatur. Quia vere est homicida. Omnes fatentur.

38 *Et mandans, consulens, &c.*

Idem dixerim de iis, qui mandando, consulẽdo, incitando, animando occisorem, aut simili ratione sint causa mutilationis aut homicidij. *Cap. Si quis viduam. dist. 50.*

39 *Non vero qui mandat Antonio Petrũ occidere, si Antonius eum occidat.*

Qui suadet alicui, vt alium interimat eo modo, iisque circumstantiis, quibus inuasori nullum probabile imminet periculum, vt si suadeat hoc clã ex loco tuto facere, aut dato veneno, ita vt nemo id scire possit, & alter habeat facultatem id facile ita gerendi: si hic casu occidatur, alter non fit irregularis. Quia illius mors huic nullo modo dici potest voluntaria, cum nullatenus potuerit eam præuidere. Cum Hostiensi, & Innocentio Auila *p. 7. d 6. sect. 2. dub. 5. concl. 4.*

40 *Nec leuiũ mortem vulnus imperans, aut tentãs, tionem sua mortis secutura.*

Qui volenti occidere, cũ hoc aliter nequeat impedire, suadet, vt potius mutilet, irregularis nõ est. Quia nec peccat, nec deficit in lenitate, sed hanc potius exercet. Idem assẽro de eo, qui reo lenta, duraque morte plectendo à Iudice impetrat celeriorem, aut faciliorem, v. gr. vt potius plectatur capite abscisso, quam suspendio. Quia hîc potius est abundantia, quàm defectus lenitatis. Suar. *d. 45. sect. 5. n. 2.* Coninch *d. 18. n. 69.*

41 *Multi cũ occidentes, irregulares sunt.*

Quando multi aut certo consilio, aut subito coorta rixa, simul vnum aggrediuntur, si hic occidatur, omnes sunt irregulares, etsi ille vnico vulnere à certa persona inflicto interimatur. Quia hi omnes ad necem ipsius vere sunt cooperati, præsertim sua ope animando occisorem, partim impediendo, ne alter posset se defendere. Secus est de eo, qui alicui vulnus non lethale inflixit quem alij postea superuenientes occiderunt. Quia prior percutiens non potest dici causa, sed solum occasio mortis alterius, nisi dum vulnus infligebat, potuit facile præuidere, læsum hac occasione interimendum. Et hic est casus *c. Significasti 18. de homic.*

42 *Et qui definit impedire occisionem, aut mutilationem eius, cui hîc, & nunc ad hoc faciendum ex iustitia obligatur.*

Irregularis fit qui definit impedire occisionem, aut mutilationem eius, cui hîc, & nunc ad hoc faciendum ex iustitia obligatur. Quia est vere causa mortis alterius subtrahens auxilium suum ad eius vitam tuendam necessarium, ex iustitia ipsi debitum. Est communis. Quinam autem teneantur ex iustitia alterum defendere, exprimit Lessi. *de iust. c. 9. dub. 13. num. 94.*

CAPVT

CAPVT IX.

De Irregularitate ex homicidio casuali, aut ob suam, suorúmve defensionem.

43 *Homicidium casuale irregularitatem inducat culpam lethalem requirit.*

HOmicidium casuale dicitur, quod ex aliquo facto præter operantis intentionem sequitur, vt si iaculans in feram, casu interimat hominem. Porro is, qui etiam præter intentionem, ex culpa lata, seu peccando mortaliter in negligentia cauendi eum casum, irregularis fit *Cap. vlt. de homic. in 6* Nec sufficit leuis culpa. Quia cum irregularitas sit pœna grauis grauẽ culpam supponit. Omnes fatentur. Et existimo definitũ esse *c. Quæsitum 7. de pœnitentiis.* Vbi decidit, parentes secum dormientes infantes noctu inter dormiendũ opprimentes, non esse irregulares, etsi hoc aliqua eorũ incuria, quæ pœnitentiam mereatur, eueniat, nisi ea negligentia fuerit *studiosa.* Quod verbum aperte significat, eã negligentiam saltem debere esse latam, siue culpam lethalem continere.

44 *Nõ fit irregularis qui dans operã rei licitæ, sine lata culpa occidit.*

Qui dãdo operã rei licitæ omnino casu, aut saltem sine lata culpa aliquem occidit, non fit irregularis. Idem dicendum de eo, qui cum moderamine iustæ tutelæ aliquem interimit pro suæ vitæ defensione. *Clement. Si furiosus, de homic.* & alia *capita eodem tit.* Quis vero hanc moderationem aut seruare, aut excedere sit dicendus Lessius *c 9. dub. 8.* exprimit.

45 *Nec dans operam rei illicitæ, nisi tenuis sit periculosa.*

Omnino casu occidens dando operã rei illicitæ, irregularis nõ est, nisi ea actio hîc & nũc ita sit periculosa, vt grauiter peccet contra ius naturæ precise ratione periculi occidendi, cui hîc & nunc, ita operando, se exponit. Quia vt habetur *c. Is, qui 18. de sent. excom. in 6.* irregularitas nunquam incurritur nisi in casibus iure expressis. Atqui nullo iure est expressum talem fieri irregularem extra casum à nobis expressum. Sà *v. Irregularitas, ex deformitate.* Salon. *to. 1. de iust. q. 64. a. 8.*

46 *Debet culpa esse lethalis præseruatione periculi.*

Debet culpa esse mortalis præcise ratione periculi, cui occidẽs volũtarie se exponit. Quia obhanc præcise incurritur hæc irregularitas, quæ quando ob culpam fertur, requirit mortalem, cum sit grauis pœna. Colligitur aperte ex *c. Quæsitum*

47 *Irregularis non est, qui occidit in defensionem innocentis.*

Irregularis non est, qui cũ moderamine iustæ tutelæ occidit alterũ in defensionẽ innocentis præsertim sibi propinqui. Quia hæc occisio est omnino inculpata, & quodammodo necessaria, & consequenter inuoluntaria. Lessius *c. 9. dub. 13.*

48 *Nec occidẽs conantẽ sibi pudicitiã honoremve, &c. eripere*

Idem dicendum de occidente cum moderamine iustæ tutelæ conantem sibi pudicitiam, honorem, aut bona temporaria magni momẽti eripere. Quia fit sine vlla culpa. Irregulari. tas vero cum pœnalis sit, non incurritur nisi ob culpam. Suar. *d. 46. sect. 2.* Lessi. *c. 9. dub. 11. & 12.*

CAPVT X.

De Irregularitate ob defectum lenitatis.

49 *Alium ad mortem condemnans fit irregularis.*

QVI aliquem ad mortem condemnat, hac secuta, fit irregularis *cap. 1. dist. 51. c. 2. de homic. in 6.* Vbi hæc irregularitas non tam statuitur, quam statuta supponitur. Eam vero non incurrit Princeps ciuilis, vel Ecclesiasticus, qui statuit Iudices: aut alicui in genere, aut etiam in facto particulari committit cognitionem, & iudicium criminis capitalis. Secus si committeret solam executionem sententiæ latæ. Quia tunc directe iuberet occidi. Nec etiam qui in genere Iudices ad faciendam iustitiam hortatur, etiamsi sciat, mortem reorum secuturam. Nec qui fert leges, queis certis criminibus pœna mortis statuitur. Nec Iudices Ecclesiastici, qui degradatum, aut alium hæreticum condemnatum brachio sæculari tradunt. Debent autem pro eo intercedere, ne morte plectatur, nõ tam vt mortẽ impediant, quod sæpe sciunt, licite fieri non posse, quam vt ostendant, se ex parte sua eam non quærere. *Cap. Nouimus, de verbor. signific.*

50 *Qui in reã mortẽ directe influunt sunt irregulares.*

Irregulares, morte secuta sunt, qui efficaciter in mortem rei directe influunt, siue concurrendo ad sententiæ capitalis executionem, vel lationem. Tales sunt accusatores, Testes, aduocati, notarij sententiam dictantes, scribẽtes, recitãtes, aut eidem subscribentes. Secus est de famulis, qui eam excipiunt. Quia nullam authoritatẽ ipsi addunt, & cõsequenter neque in eam influunt. Auila *part. 7. d. 1. sect. 2. dub. 1.* Itẽ tortores, & lictores physice ad mortẽ concurrentes, extruẽtes focũ quo viui comburendi sunt, & similes. Non tamen ij, qui ligna, gladios, funes, &c. vendũt, quibus alios interficiẽdos sciunt. Quia nimis remote concurrunt. Imo nec faber, qui furcam erigit, nisi tanquam officialis iustitiæ ex officio id faciat. Nam cõmunis faber nimis remote concurrit. Idem dixerim de vendente tortori gladium, aut armaliti ad bellũ euntí: multoque amplius de eo qui comburendo impetraret mortem leniorem & celeriorem, vt dixi.

51 *Non vero qui indirecte sunt causa mortis.*

Irregularis non est, qui indirecte tantũ est, causa mortis. Nempe qui accusat eum, à quo iniuriam est passus. Aut quiuis accusans quatenus hoc est hîc & nunc necessarium, ne innocens graue malũ incurrat. Quia hic est mera defensio innocentis cum moderamine iustę tutelæ, ex qua irregularitas non incurritur. Quia cui conceditur aliquid, censentur etiam concedi ea omnia, quæ ad id sunt necessaria, ne concessio sit inutilis. Vnde colligo, teum se licite defendentem, ciusque aduocatum, & testes non esse irregulares, etsi accusans deficiens in probatione morte plectatur. Imo etsi

vt contra eum excipiant, ei vera crimina obiiciant, ob quæ morte puniatur, quando idad iustam defensionem est omnino necessarium, & modo ipsi aperte ostendant, se nullo modo petere alterius sanguinem. Secus esset, si alia ratione posset periculum euadere. Sua. *d.* 47. *sect.* 4. *n.* 8.

52 *Nec qui hortantur generatim in bello iusto ad pugnandum, imo ad occidendum in genere.*

Qui in bello iusto, & offensiuo alios generatim hortatur ad pugnandum, (quod etiam Clericis licet ex *c.* 7. 8. 9. 23. *q.* 8.) imo etsi hortentur in genere ad occidendum, modo non excitent ad occidendum aliquem in particulari. Item qui in eo pugnant, etsi Clerici sint, & percutiant, non sunt irregulares, nisi aliquem occidant, aut mutilent. Quia tunc solummodo irregularitatem ex lenitatis defectu contrahunt. *Cap. Petitio* 24. *de homicid.* Dixi, *in bello offensiuo*, quia qui in bello mere defensiuo occidit, non fit irregularis, quando id est necessarium ad patriæ, aut Reipublicæ defensionem. Tunc enim etiam Clericis hæc licent, vt patet ex *Cap.* 2. *de immunit. Ecclesiar.* Quia hîc est vera innocentis defensio. Suar. *disp.* 47. *sect.* 5. cum communi.

53 *Secus ad hortantes, vel pugnantes in bello iniusto.*

Ad hortantes vero ad bellum iniustum, aut in eo pugnantes, imo pugnantium Sarcinas custodientes, irregularitatem contrahunt homicidij, aut voluntarij, si aliqui ex parte hostiũ occidantur: aut casualis, si tantum aliqui ex eorum parte necentur. Quia omnes sunt vna causa moralis, dum se mutuo excitant. Coninch *d.* 18. *n.* 98. & alij communiter.

CAPVT XI.

De Irregularitate ex bigamia proueniente.

54 *Bigamus vnde irregularis.*

OMNIS bigamus irregularis est, non propter culpam quæ nulla existit, sed ob defectum significationis. Quia eius matrimonium non potest significare matrimonium Christi Domini cum Ecclesia, scilicet vnius cum vna. *prim. Tim. tertio.*

55 *De triplici bigamia vera, interpretatiua, & similitudinaria.*

Bigamia est triplex. Prima *vera*, quando quis valide contraxit cum duabus, & consummauit. Et de hac nulla est dubitatio. Secunda est *Interpretatiua*, quæ varia est. Primo quando quis contraxit cum aliqua, quæ ab alio, quam ab ipso est cognita. *Cap. Curandum dist.* 34. Secundo quando quis cognouit vxorem suam post commissum ab ea adulterium. *Cap. Si laici* & *Cap. Si cuius vxorem, dist.* 34. Videtur tamen ibi requiri, vt adulterium, sit notorium, vel saltem in iudicio probabile. Scio tamen communiter Doctores asserere, etiam occultum sufficere. Tertio, quando constitutus in Sacris contrahit secundas nuptias, aut cum vidua quantumuis inualide. *Cap. Nuper.* & *cap. vlt. de bigam.* Tertia est *Similitudinaria*, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium licet inualidum, & cum Virgine *c. Quotquot* 27. *q.* 1.

56 *Matrimonium debet esse consummatum.*

Nemo per vllum matrimonium fit bigamus, nisi consummatum perfecta copula sit. Nec is, qui duxit alteri prius nuptam, sed incognitam. *c. Debitum, de bigam.*

57 *Incurritur per matrimonia ante baptismũ.*

Hæc quidem irregularitas incurritur à baptizato per matrimonia ante baptismum contracta. *c. Si quis viduam. dist.* 25.

58 *Sufficit in dispensatione petenda dicere, se alia contraxisse.*

In petenda vero dispensatione sufficit dicere, aliquem contraxisse bis, etsi quartò contraxisset. Auila *p.* 7. *d.* 8. *dub.* 4.

CAPVT XII.

De Irregularitate ex Natalium defectu.

59 *Omnes illegitimi irregulares.*

OMNIS illegitimus est irregularis, nisi fiat Religiosus: tunc enim potest ad omnes Ordines, promoueri, non tamen ad Prælaturam *c.* 1. *de filiis Presbyter.* Expendam itaque quinam ad hunc effectum illegitimi dicantur.

60 *Quinam sint illegitimi.*

Illegitimi sunt nati à parentibus, inter quos tunc haud erat matrimonium. Excipio natum à parentibus, qui publice contraxêre, inualide quidem ob occultum impedimentum, si modo alteruter parens bona fide contraxerit, talis enim absolute legitimus reputatur. *c. Cum inter Cap. Ex te ore, qui filij sint legitimi.* Secus esset, si clam contraxissent, aut parens vterque cognouisset impedimentum, *cap. Cum inhibitio, Parag. Si quis de clandest. desponsat.* Clandestinum autem matrimonium ad hunc effectum dicitur, quod etiam coram Parocho & duobus testibus contrahitur, si sine dispensatione omittantur denunciationes ab Ecclesia adhiberi solitæ ad impedimenta dignoscenda. Quia Pontifex *ibi §. sequenti* vocat etiam clandestinum cui Parochus interest. Omnes. Sic.

61 *Proles suscepta ex matrimonio nullo, ramen illegitime contracto, legitima.*

Proles suscepta ex valido matrimonio quãtumcumque illegitime contracto, etiamsi contra votum simplex castitatis vtriusque parentis aut post illegitimam, alterius parentis ordinationem, aut professionem sit suscepta, legitima quidem est. Quia nullo iure illegitima esse probatur. Verbi gratiâ, si aliquis, contracto valide matrimonio, inuita vxore, Sacris initietur, aut post matrimonium consummatum in Religione profiteatur, non seruatis iis, quæ Ius præscribit, quo casu professio nulla est, & in vtroque casu cogitur ad vxorem redire, & proles ex iis suscepta est legitima. Secus si suscipiatur post legitimam parentis ordinationem, aut professionem. *Cap. Litteras. de filiis Presbyter.* Suar. *d.* 50. *sect.* 2. *n.* 5 & alij communiter.

62 *Proles nata illegitima per subsequens matrimonium fit absolute legitima.*

Proles nata illegitima, per subsequens matrimonium inter parentes valide contractũ fit absolute legitima, nisi cum suscipiebatur, inter parentes impedimentum dirimens interce-deret. *Cap. Tanta, qui filij sint legitimi.* Si vero non fu-

impedi

impedimentum superueniret post conceptionẽ ante natiuitatem, eo sublato per subsequens matrimonium, proles legitimaretur. Suar. *d.* 50. *sect.* 1. *n.* 3.

63 *In dubio legitimus reputandus*

Quando dubitatur, num aliquis sit legitimus, talis est reputandus. Quia defectus non imputatur, nisi probetur. Hinc expositiij possũt se reputare legitimos, cum etiam ob inopiã parentum sæpe exponantur. Henri *de irregul. c.* 8. *in Glos. lit. K.* asserit, Gregorium XIV. in quadã bulla hoc statuisse.

64 *Qui publice præsumitur legitimus nõ tenetur matri contrarium dicenti credere.*

Is, qui public è præsumitur legitimè natus, non tenetur credere matri dicenti esse illegitimum, nisi id aliæ circumstantiæ probent. Si tamen credat, non poterit Ordines suscipere. Lessius *capit.* 10. *numer.* 51. Coninch *disput.* 18. *numer.* 105.

CAPVT XIII.

De Irregularitate ob corporis, vel animi defectum.

65 *Quinam illiterati, aut mutili irregulares sint.*

QVi ob aliquem defectum corporis vel animi non potest aut absolutè, aut non sine periculo, aut scandalo aliorum functiones alicuius ordinis exercere, sit respectu illius irregularis. *c.* 2. *de Cler. ægrot.* Hinc amens, aut omnino illiteratus ad omnes Ordines, & quisque ad eum, respectu cuius non habet sufficientem scientiam, est inhabilis. *Trident. sess.* 23. *c.* 4. 13. & 14. Item mutus, cœcus, carens manu, pollice, altero oculo, naribus, &c. leprosus, aut fœdo aliquo morbo laborans, mancus ita, vt sine fulcris altari adstare nequit, sunt irregulares. Præterea ad Sacerdotium inhabiles, qui pollicem, aut anteriores digitos ita habent debiles, vt sine periculo hostiam tenere, aut frangere, calicem eleuare non valeant. Si tamen defectus ordinato superueniant, tantum prohibent eum Ordinis vsum, quem sine scandalo aut periculo exercere non possit. Hinc Sacerdos cœcus poterit confessiones audire. Omnes.

66 *Arreptitius aut furiosus est irregularis.*

Qui semel fuit à dœmone arreptus, aut in furiam incidit ratione indispositionis organorum cerebri, nunquam potest ordinari. *c.* 3. 4. 5. *dist.* 33. Si tamen post ordinationem in furiam, vel epilepsiam incidat, poterit ministrare, postquam iudicio prudentum, ac præsertim Episcopi sufficienter censetur curatus, vt sine periculo ministrare valeat. Phrenesis autem ex subita vi morbi orta statim ac transit, nullam irregularitatem inducit. Est omnium.

67 *Quid de defectu membri deformitatem magnam non inducente.*

Defectus, vel carentia membri non inducens magnam deformitatem, aut impedimentum ad functiones Ordinum, irregularitatem non inducit. *Cap.* 3. 5. 7. *de corpore vitiatis.*

68 *Serui Ordinari non possunt, nisi*

Serui ordinari non possunt, nisi prius à dominis manumittantur. Quod si, domino sciente, nec contradicente, seruus ordinetur, hoc ipso fit liber, si autem eo in scio initietur Sacris, liber fit, sed Episcopus, si fraudis sit conscius, aut alius eum præsentans, tenetur domino duplum restituere. *cap. Nulli. Cap. Si seruus, sciente. Cap. Si seruus absente. distinction.* 54. *manumittantur.*

CAPVT XIV.

Quomodo Irregularitas tollatur?

69 *Quæ posita est ob merum defectum conditionis requisitæ, tollitur.*

QVæ posita est ob merum aliquem defectum conditionis requisitæ, verbi gratiâ, ob defectum ætatis, scientiæ, libertatis: his acquisitis tollitur. Quare non inepte nonnulli hîc non esse propriè irregularitatem asseruere.

Nulla proprie tollitur per Baptismum. Quia ante eum nulla contrahitur. Quæ tamen fertur ob aliquod crimen, aut qualecumque homicidiũ, requirit, vt ea sint facta post Baptismum: secus de ea, que ob bigamiam incurritur. *cap. Si quis viduam d.* 34. & 50.

70 *Nulla præ tollitur per Baptismum.*

Religionis professio approbatæ tollit irregularitatem ob natalium defectum. *Cap.* 1 *de filiis Presbyteror.* An alias etiam auferat *section.* 2. exponam.

71 *Professio Religionis eam tollit.*

Summus Pontifex potest cum omni irregulari, etiam bigamo dispensare. Quia omnis irregularitas vt summum inducta est præcepto Apostolico Sæpe tamen nullatenus expedit. Quia fieret cum graui scandalo, vel indecentia, vt in fœdè leprosis, aut illiteratis. Communiter antem aliqua causa requiritur, vt omnino licite fiat Coninch *disputat.* 18. *n.* 110. & omnes.

72 *Pontifex potest in omni irregularitate dispensare.*

Episcopus per Tridentinum *sess.* 24. *c.* 5. potest dispensare in omni irregularitate prouenient ex crimine occulto, etiam mutilatione voluntaria, vt declarauit Congregatio Cardinalium: excepto homicidio voluntario. Suarius *disputation. quadragesim. quart. section.* 2. *numer.* 4.

73 *Episcopus dispensat in ea, quæ prouenit ex crimine occulto.*

Potest idem dispensare in homicidio casuali occulto, quale etiam reputatur commissum in sui defensionem excedendo iustæ tutelæ moderamen: aut etiam ex subita ira commissum. In his omnibus solum possunt dispensare, qui ex priuilegio possunt dispensare in omni irregularitate non contracta ex homicidio voluntario, aut bigamia. Est omnium.

74 *Et ex homicidio casuali.*

Potest præterea Episcopus dispensare cum illegitimo ad Ordines suscipiendum minores, & beneficium simplex. *c.* 1. *de filiis, Presbyteror,* excepto Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis, qui Ordinem Sacrum requirit. *Trident. sess.* 24. *cap.* 12.

75 *Et ex illegitimitate.*

Qui multa delicta perpetrauit, ob quæ irregularitatem incurrit, si sint eiusdem rationis, verbi gratiâ, si excommunicatus sæpius celebrauit; in petenda dispensatione sufficit, vnam exprimere. Secus si diuersæ rationis essent, v. c. si violasset Censuram, & homicidium commisisset, aut multis Censuris irre-

76 *Quomodo referenda delicta ad dispensationẽ petendam.*

titus celebrasset: tunc enim totum narrandum esset. Auila *p.7.d.10.dub.8.* Nauar. *sum.in addit. ad c.27.n.32.* Vbi allegat Curiæ stylum. Henriq. *lib.14.cap.7.numer.5.* Porro hi tantum in priori casu adferunt exemplum in eo, qui sæpius celebrauit excommunicatus, quod certum esse non dubito. In homicidio tamen cum crimine patrato putarim, hanc conclusionem exceptionem pati. Nam qui plures homines occidit, videtur plures irregularitates contrahere. Suar. *disputation.* 44. *section.3. num.28.*

SECTIO SECVNDA.

De Irregularitate, Dubia.

CAPVT XV.

Circa causas Irregularitatis.

DVBIVM I.

An solus Pontifex possit Irregularitatem indicere?

77 *Non solus Pontifex, sed & alij possunt.*

NOn solus Pontifex id potest, sed & alius adest potestas indicendi irregularitatem. Quia nulli videtur prohibitum Iudicibus Pontifici inferioribus irregularitatem alicui indicere ob delictum commissum. Si enim possunt depositionem, & degradationem inferre quæ grauiores sunt pœnæ, cur non poterunt irregularitatem? Sic Sotus *in 4.dist.25.quæs.1.* Gabriel. *lect.9.in canon. litt. D.*

78 *Solus Pōtifex potest.*

Solus Pontifex potest indicere irregularitatem. Quia irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis. *Cap. Is, qui, de sentent. excommunication.* At nullus alius à Pontifice potestatem habet ius condendi: Ergo à nullo alio, quam à Pontifice irregularitas indici potest. Ita Suarius *disputation.* 40. *section. quart. numer. septim.* Bonacin. *tom. prim. disputation. sepim. quastion. prim. punct. secund. numer.* 1. & 2. Auila *part.7.disp.1.fine.* & alij communiter.

79 *Hoc certū.*

Hoc certum esse credo. Quia omnibus Iudicibus Pontifice inferioribus hæc potestas est derogata in *Cap. Is qui.* Ibi enim expresse dicitur irregularitatem contrahi non posse nisi in casibus à iure expressis. Si autem alij à Pontifice, possent irregularitatem indicere, iam extra casus à iure expressos irregularitas contraheretur.

DVBIVM II.

Episcopus comprehenditurne sub generali lege Irregularitatem inducente?

80 *Nonnulla suppono.*

QVoad causam materialem seu subiectiquam irregularitatis constat ex communi sententia fœminam esse non posse, quia non potest Ordines recipere. Vnde subiectum irregularitatis necessario debet esse vir: & non vir quicumque sed baptizatus. Quia vir Sacra vnda non dilutus non tam iure Canonico, quam diuino ab Ordinibus est exclusus. Præterea est incapax summus Pontifex, Quia non subditur legibus quoad vim coërciuam. Dubitarim vero de Episcopo, num sub lege generali irregularitatem indicente aduersus quoscūque fideles comprehendatur?

81 *Non comprehēditur.*

Non comprehenditur. Quia propter Pontificiam dignitatem videtur generali lege non comprehendendum, nec huiusmodi pœna debere affici, nisi specialis de eo mentio fiat. Fauet. *C. Quia periculosum, de sent. excom. in 6.* Vbi à censura suspensionis, & interdicti excipitur Episcopus. Ergo & ab aliis iuris pœnis, nisi exprimatur. Sic Maiol. *l.4.de irregul. cap.1. num.7.*

82 *Comprehēditur.*

Comprehenditur quidem. Quia eo ipso, quo in prædicto *Cap. Quia periculosum* Episcopus à censura suspensionis & interdicti excipitur, colligitur sub aliis censuris ac pœnis comprehendi, exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis. Ita Suar. *d.40. sect.7. num.6.* Bonac *to.1. d.7.q.1.pun.2.n.8.* Hurtad. *de irregul. diffic.7.n.16.*

83 *Hoc tenendum.*

Dicendum est Episcopum omnino comprehendi. Quia nullo textu excipitur. Vnde si Episcopus aliquem occideret, vel excommunicatione ligatus celebraret: irregularis foret si cuti quilibet alius Clericus.

DVBIVM III.

Si culpa irregularitati obnoxia, lateat liberaturne ab irregularitatis incursione?

84 *Quæstionis statum.*

CErtum est, ad irregularitatem incurrendam necessario requiri actum externū esse, imo con

consummatum, & perfectum secundum proprietatem verborum Canonis irregularitatem indicentis. Quæsierim vero, si culpa, ob quam irregularitas prescripta est in iure, latet, itavt testibus probari nequeat, qui eam commisit ab incursione irregularitatis liberetur?

85 *Liberatur quidem.* Liberatur quidem. Quia in *cap. vltim. de temporib. ordinat.* dicitur, adulteros, periuros, & falsos testes posse ad Sacros Ordines promoueri, eisque vti, dum eorum crimen est occultum. Sic Castro *de leg. pœn. lib. 1. cap. vltim. conclusion. 3.*

86 *Non liberatur.* Non liberatur. Quia delictum quantumcumque occultum sit, iudicio Ecclesiæ subiicitur, eique annecti potest aliqua pœna, seu impedimentum per legem, vti homicidio, aliisque criminibus irregularitas ex iure Canonico est annexa. Ita Couarruuias *ad Clement. si furiosus part. 2. in princ. §. 3. num. 4.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 194. & 239. & 254.* Suarius *d. 40. sect. 3. num. 21.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 2.* Sayrus *lib. 6. thesaur. cap. 2. num. 19.* Coninch. *disputat. 18. numer. 16.* Auila *part. 7. disput. 2. dub. 2. conclusion. 2.*

87 *Hanc sententiam dicendo vnicè veram.* Existimo sufficere actum esse externum, quamuis omnino occultum, & quod testibus nequeat probari. Colligo ex Tridentin. *sess. 24. c. 6.* vbi Episcopis conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus Neque his obstat textus in *cap. vltim. de temporib. ordinat.* Quia ob crimina inibi expressa nempe adulterium, periurium, &c. non incurritur irregularitas, sed ob infamiam ex illis prouenientem, quæ infamia non adest, dum crimina sunt occulta. At cum irregularitas ob ipsum delictum contrahitur, publicatione non indiget.

Dvbivm IV.

Si ex circumstantia aliqua delictum à peccato lethali excusetur, eo ipso excusaturne ab Irregularitate?

88 *Quæstionis Status.* CErtum est, irregularitatem prouenientem ex delicto, graue piaculum requirere. Quæstio autem est, an si ex circumstantia aliqua excusetur delictum à peccato lethali, eo ipso delinquens ab irregularitate excusetur?

89 *Non excusatur.* Non excusatur. Quia iam delictum culpabiliter commisit, cui irregularitas est annexa. Sic Caietan. 2.2. *quæstione sexagesima quarta, articulo octauo.* Armill. *verbo Irregularitas, numer. 14.*

90 *Excusatur quidem.* Excusatur profectò. Quia irregularitas est malum grauissimum, vtpotè, quod priuat Ordinis susceptione, illiusque vsu in perpetuum, & absque spe dispensationis. Ergo necessario exigit culpam, vel defectum grauem: alias pœna culpæ excederet grauitatem; quod iniquum esse quis dubitet? Ita Nauarr. *summ. c. 27. num. 252.* Suarius *disputation. 40. section. 3. numer. 17.* Henriquez *lib. 14. capit. 3. numer. 1.* Coninch. *disputation. 17. dub. 2. numer. 13.* Vasquez 1.2. *disputation. 158. capit. 5.* Sanchez *libr. 9. de matrimon. disputation. 32. numer. 29.* Bonacina *tom. 1. disputation. 7. quæstion. 1. punct. 3. numer. 1.*

Longe verior hanc sententiam esse credi- 91 derim, vt pœnæ grauitati delicti grauitas correspondeat. Quæ ratio probat, non posse à Pontifice irregularitatem pœnalem alicui ob venialem culpam indici. *Hæc sententia longe verior est mihi.*

Dvbivm V.

An ob causam dubiam quis censendus sit irregularis tam in foro externo, quam in conscientiæ foro?

92 *Status quæstionis.* CVm quis est dubius, an imposita sit aliqua irregularitas, competentem diligentiam præstare debet, vt à dubio soluatur; at si adhibita diligentia adhuc dubio teneatur, quæsierim, num censendus sit irregularis tam in foro externo, quam in foro conscientiæ?

93 *Censendus non est irregularis in foro conscientiæ, secus in externo foro.* Censendus non est, siue sit iuris siue facti dubitatio, irregularis, donec Iudicis sententia aduenial. Quia irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis, *c. Is cui, de sententia excommunicationis, in 6.* At in iure expressum non est, in foro conscientiæ in casu dubio, quemlibet se reputare debere irregularem. Nam textus, qui in contrarium adducuntur, solum in foro externo videntur loqui, vt constat ex *c. Ad audientiam, de homicid.* & *c. Significasti, de homicid.* Sic Henriquez *libr. 14. capit. 3. numer. 3. & 4.* Probabile reputat Couarrunias *Clement. Si furiosus, part. 2. Paragraph. 2. num. 5.* ibi: *In foro conscientiæ consulendum esse abstinere à diuinis, & se irregularem existimare.* Quasi indicans, esse de consilio, non de præcepto. Hostiens. *titul. de homicid.* Suarez inclinat *disputation. 40 section. 6. numer. 10.* Salas *1. 2. quæstion. 21. d. vnic. section. 6. numer. 70.* Rebel. *de iustit. libr. 1. quæstion. 3. section. 2. numer. 13.* plures referens.

94 *Censendus est irregularis in foro conscientiæ, non in foro externo.* In dubio iuris, vel facti qui censendus est irregularis in foro conscientiæ, non vero in foro externo, vt talis est condemnandus. Quia in foro conscientiæ semper quis videtur obligatus, in dubijs tutiorem partem sequi, cum in ea sequenda nullum adsit periculum At in foro externo, dum delictum non probatur, reus est absoluendus, maxime cum iure constitutum sit: *Vbi partium iura obscura sunt, reo fauendum est potius quam actori. Reg. Cum sunt, de regulis iuris, in 6.* Ita Nauarr. *summa capite vigesimo septimo, numero 193.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tomo primo, parte prima, libro quarto, capite sexto, notab. 2.* & alij plures relati à Sanchez *libro primo, Decalogi capite decimo, numero 39. & 40.*

95 *Authoris resolutio.* Ego distinguo inter dubium iuris, & facti: & inter dubium in casu homicidij; & in aliis materiis. Si dubium iuris sit, ideſt, si quis dubitet, an tali facto irregularitas sit imposita, nullatenus se debet irregularem reputare. Quia nemo tenetur ad legis ob-

seruationem, nisi ea lex fuerit sufficienter promulgata: at sic dubitanti lex irregularitatis non est sufficienter promulgata, siquidem ei non constat in iure expressam non esse. Porro in dubio facti homicidij, an scilicet homicidium quis perpetrauerit sua actione, consilio, vel fauore, debet se irregularem iudicare, & vt talis in foro externo habendus non absolute, sed quoad effectum abstinendi à celebratione, quærendique dispensationem. Quia textus in *Cap. Ad audientiam.* & *Cap. Significasti*, & *Cap. penultim. de homicid.* expresse decidunt, in dubio facti homicidij obligationem esse à celebratione abstinere, & sic dubitantem tanquam irregularem esse habendum. Quod supra dicti textus statuunt non tanquã rem ex consilio, vti prima sententia prætendit: sed tanquam ex obligatione, vt expendenti textus manifestum erit. Circa primam meæ conclusionis partem de dubio iuris patronos habeo Sayrum *libr. 6. thesaur. capit. 2. num 15.* Molinam *tractat. 3. disputation. 67. num. 5*, Sancium *libr. 1. Decalog. capit. 10. num. 42.* Suarium *disputation. 40 section. 5. numer. 4.* Coninchum *disputation. 18. numer. 11.* Circa secundam vero de dubio facti homicidij Nauarrum *Cap. Si quis autem, de pœnit. numer. 35.* Azorium *tom. 1. libr. 2. capit. 19. quæstion. 10.* Salas *1. 2. quæstion. 21. tractat. 8. d. vnic. section. 19. numer. 170.* Couarruiam *ad Clement. Si furiosus part. 1. numer. 3.* & alios.

Dvbivm VI.

Non solum in dubio facti homicidij, sed & in omnibus materijs dubijs facti debetne se irregularem reputare?

96 *Status quæstionis.* DIxi *Dubio proximo*, in dubio facti homicidij debere quem se irregularem iudicare, & vt talem in foro externo habendum quoad effectum abstinendi à celebratione, & dispensationem requirendi. Quæsierim vero, an idem censendum sit de dubio aliorum delictorum, ita vt debeat quis in omnibus si dubius sit se irregularem reputare?

97 *Debet in omnibus.* Debet in omnibus. Quia Pontifex in dubio facti homicidij quemlibet reputandum irregularem ait, illo in principio nitens: *In dubiis tutior pars est eligenda.* At hoc principium æque in omnibus aliis materiis procedit, ac in homicidio. Certe Pontifex non videtur nouum ius condere, sed quod æquitati conforme est, declarare: declarat autem, in dubiis tutiorem partem esse eligendam: ergo in omnibus materiis eligenda est. Sic Panormit. ad *Cap. Ad audientiam, de homicid. num. 2.* Syluester *verbo Dubium, quæstion. 4. numer. 7.* Angel. *ibi, numer. 2* Tabien. *quæstion. 2. numer. 3.* Valquez *1. 2. quæst. 19. articul. 6. disputation. 65. capit. 3. & disputat. 66. capit. 1.* Azorius *tom. 1. libr. 2. capit. 19. quæst. 10.* Valentia *tom. 4. disputation. 7. quæstion. 19. punct. 2. notab. 3.* Hurtado *de irregul. disse. 4. fine.* Rebell. *de iustit. part. 2. lib. 1. quæstion. 3. section. 2 num. 13.*

98 *Non debet in omnibus.* Non debet in omnibus irregularis censeri, sed solum in dubio homicidij. Quia in *Cap. Is cui, de sententia excommunicationis*, decidit, non contrahi irregularitatem nisi in casibus à iure expressis: at in iure expressum non est, in dubio facti vltra casum homicidii irregularitatem incurri. Ergo asserenda non est. Profecto in casu dubio nemo tenetur se sua libertate priuare, nisi lege aliqua ad hanc priuationem sustinendam cogatur: at nulla adest lex priuans libertate suscipiendi Ordines nisi in casu homicidii: ergo extra illum casum poterit Ordines suscipere. Ita Nauarr. ad *Cap. Si quis autem, numer. 41.* Suarius *disputation. 40. section. 6. num. 8. & 13.* Salas *1. 2. tractat. 8. d. vnic. section. 18. dub. 2. numer. 22.* Auila *part. 7. disputation. 2. dubio 5. conclusion. 2.* Bonacin. *tom. 1. disputat. 7. punct. 5. numer. 2.*

99 *Hæc probabilius eligo.* Licet sententia prima admodum sit probabilis, existimo probabiliorem adhuc esse secundam. Quia esto Pontifex ad statuendam irregularitatem in dubio homicidii illi principio: *In dubiis tutior pars est eligenda*, nitatur, non nititur illi tanquam principio, quod necessario sit obseruandum: sed tanquam principio, quod obseruari maxime decet. Et licet hoc principium commune sit omnibus aliis materiis, in quibus concilium prudentissimum est, tutiorem partem sequi: quia tamen in irregularitate homicidii efficacius procedit propter indecentiam specialem, quam secum affert homicidium in Clericis: ea de causa disposuit Pontifex, vt in dubio homicidii quis censeatur irregularis, quam dispositionem ad alias materias non extendit.

CAPVT XV.

Circa Irregularitatis Effectus.

Dvbivm VII.

Irregulari prohibitane est primæ tonsuræ receptio?

100 *Non est prohibita.* NOn est prohibita. Quia prima tonsura non est propriè, & in rigore Ordo, sed ad Ordines suscipiendos dispositio: at irregularitas Canonicum impedimentum est Ordinis suscipiendi, vt ex eius diffinitione constat. Sic nonnulli Doctores, quos presso nomine, memorat Palao *de Censur. disp. 6. punct. 5. numer. 2.*

101 *Prohibita.* Prohibita quidem est. Quia irregularitas tendit ad constituendum irregularem extra Clericorum statum, & regulam, qui est effectus susceptioni primæ tonsuræ oppositus, quæ tonsuratum in statum Clericorum adaptat. Ita Nauarr. *tom. 1. cons. 24. de tempor. ordin. num. 1. & 3.* Suarius *disputation. 40. section. 1. numer. 11.*

mer. 11. Palao *citatus.* Sayrus *lib.6.thesaur.cap.1. num.19.* Garcia *de benefic.part.7.cap.12.num.30.* Bonacin *tom.1.disputation.7. punct.1. numer.4.* Auila *parte septima, disputatione secunda, dubio sexto*, Filliucius *tractatu decimo octauo, numero 39.*

102 *Hoc vnice verum.* Hanc sententiam adeo certam esse credidi-rim, vt contrariam minime sustinendam esse affirmem. Nam esto prima tonsura propriè Ordo non sit, satis est, quod sub Ordine late sumpto comprehendatur *Cap. Cum contingat, de etat. & qualitat.* vt inde colligatur, irregularitatem, quæ totius Ordinis susceptione priuat, tonsuræ susceptione priuare. Porro ex priuatione Ordinis suscipiendi infertur primæ tonsuræ priuatio. Etenim prima tonsura est ad Ordines dispositio: qui ergo incapax est suscipiendi Ordines inique eorum dispositionem suscipit. Et hæc de primo irregularitatis effectu, qui est priuatio Ordinis suscipiendi licite; nam validam receptionem nullatenus Ecclesia potest impedire, si de facto materia, forma, & Minister adsint à Christo Domino requisita.

Dvbivm VIII.

Validane est Beneficij collatio irregulari absolutè facta?

103 *De secundo effectu nonnulla reco.* Secundus effectus irregularitatis est priuare irregularem beneficiorum consecutione. Nam cum irregularitas, si absoluta sit deiiciat irregularem ab statu, ac Ordine Clericali: consequenter deiicit ab iis, quæ Clericalem Ordinem requirunt, & quæ illius sunt propria. *Cap.2.de Clerico pugnante in duello.* & Trident. *sess.14.cap.7.* Dixi, *si irregularitas absoluta sit*, nam si sit partialis ordinato, superueniens non ex delicto, sed ex defectu, sicuti est irregularitas, quæ refertur in *Cap.2. de Cleric.agrotante:* validè, ac licitè potest prædicto irregulari beneficium conferri, quod non requirat vsum illi defectui repugnantem. Valentia *tom.4 disputation.7.quæstion.19.punct.2.* Sayrus *lib.6.thesaur. cap.2.num.13.* & alij. Quæsierim vero, an collatio beneficii facta irregulari absolute, vel tali irregulari, qui functiones beneficii exercere licite non potest valida sit?

104 *Valida non est.* Valida non est. Quia irregularis exclusus est ab Ordine, eiusque exercitio: ergo exclusus est à beneficio, quod Ordinem necessario requirit. Etenim inhabilis ad vnum inhabilis censeri debet ad omnia, quæ ex eo vno consequuntur. Argument. *Cap. Translato, de constitut.* iuncta Gloss. *ad c.Studeat. verbo Vtrale beneficium* 50. *distinct.* Sic Nauarr. *summ.c.25.numer. 134.* & *c.27 numer.249.* Couarruuias ad *c.Alma, part.1.§.7 numer.1.* Henriquez *libr.14.c.2. numer.5.* Bonacina *tom.1.disputation.7 punct.4. numer.6.* Auila *part.7 disputation.2. dub.6.conclusion.3.* Suarius *disputation.40.section.2.numero 30.* Sayrus *libr. 6. thesaur. capit. 2. numero 12.*

Valida est. Quia irregularitati non sunt tribuendi plures effectus, nec plures pœnæ assignandæ, quam sunt in iure expressę. At in iure nullus est textus exprimens, collationem beneficii irregulari factam irritam esse, sed ad summum illicitam. Nam *c. Cum bonæ, de etat. & qualitat.* non loquitur de irregulari, sed suspenso per triennium in Censura perseuerante. *c.Postulastis 7.de Cleric. excommunicat. ministr.* de ligato excommunicatione loquitur, non de irregulari. *Cap. final. eodem titulo* loquitur de excommunicatione minori innodato. Ita Syluester *verbo Excommunicatio 4.numer.4.* Inclinat Felin. ad *cap. Inquisitionis, num.6.* & 8. Probabile reputat. Suarius *vbi suprà.* Coninch. *disputation.18.dub.1.numer.4.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part.3. cap. 1. num. 2. & 3.* Hurtado *de irregularitat. difficultate quinta, numero vigesimo.* 105 *Est valida.*

Hanc eligo sententiam. Quia ratio, qua prima nititur, solum probat, illicitam esse collationem, & irritandam venire: at irritam esse, & nullam inde non conuincitur. Quemadmodum ex eo, quod in *Cap.vltim.de Cleric.excommunic.ministr.* dictum sit, minori excommunicatione innodatum eligi non posse: non efficitur, electionem fore irritam, si de facto fiat, sed solum esse illicitam: sic ex eo quod irregularis exclusus sit ab ordine suscipiendo, & illius exercitio: solum conuincitur, exclusum esse à susceptione beneficii licita, non tamen à susceptione beneficii valida: sicut non excluditur à valida Ordinum susceptione: maxime cum irregularis possit procurare dispensationem, & interim beneficio per alium deseruire, eiusque muneri satisfacere. 106 *Hanc eligo, & confirmo sententiam.*

Dvbivm IX.

Irregularitas priuatne Beneficiis ritè acquisitis ipso iure?

107 *Priuat quidem.* PRiuat quidem. Quia cum irregularis incapax sit plerumque exercendi officium, ratione cuius beneficium conceditur: videtur obligatus beneficium amittere, siquidem eius obligationi haud potest satisfacere. Et quia Tridentinum *sess.14.c.7.* loquens specialiter de irregularitate homicidii voluntarii, fatur: *Qui sua voluntate homicidium perpetrauerit, omni Ordine, Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat.* Sed caret Ordine ipso iure, & absque sententia condemnatoria: ergo etiam carere debet Beneficio, & Officio. Sic nonnulli Doctores, quos tacito nomine citat Palao *de Censur. disputatione sexta, puncto quinto, numero nono.* & Maiol. *libro quinto, de irregularitat. capite quadragesimo octauo, Paragrapho quarto, numero primo*, asserit (ponderans Tridentini verba) post Concilium irregularitatem homicidii voluntariis beneficiis obtentis priuare?

108 Non priuat. Quia in *c.Clerici, ne Clerici, vel Monachi.* & *c.Fraternitati, de Cleric.excomm. vel*

Non priuat. *vel depoſita & Cap. Poſtulaſtis, §. Quæſiſtis, & c. Ex litteris, de exceſſib. Prælator.* requiritur officium Iudicis ad beneficiorum privationem. Nec eſt vllus textus hanc pœnam ipſo iure indicens. Ita Nauarr *ſumm. c. 27. num. 249.* Henriquez *libr. 14. c. 2. num. 5.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 2.* Sayr. *lib. 6. theſaur. cap. 2. num. 21.* Suarius *diſputation. 40. ſection. 2. numer. 15.* Auila *part. 7. diſputation. 2. dub. 6. concluſion. 4.* Coninch. *diſputation. 18. numer. 5.* Layman. *libr. 1. tractat. 5. part. 5. capit. 1. numer. 1. corollar. 3.* Hurtado *de irregularitat. difficultate 5. fine.*

109 *Communem hanc ſentẽtiam amplector.* Communem hanc ſententiam amplector videns, nullum eſſe textum, qui hanc pœnam ipſo iure indicat. Nam eſto in *c. 1. de homicid. in 6.* priuetur aſſaſſinus beneficio ipſo iure, & in *c. Cum ſecundum leges, de hæret. in 6.* priuetur hæreticus, & in *c. Si quis Epiſcopus, 1. quæſtion. 1.* Simoniacus: at non prouenit hæc priuatio ratione irregularitatis, ſed ex delicto qualificato, & taliter perpetrato. In quibus caſibus etſi priuatio beneficiorum ſit ipſo iure lata: non tamen tenetur quis ſe beneficiis ſpoliare, quouſque accedat ſententia ſaltem declaratoria criminis. Aduertit Couar. *libr. 4. Decretal. part. 2. c. 6. §. 8. num. 7.* & Suarius aliis relatis, *diſputatione quadrageſima, ſectione ſecunda, numero decimo ſeptimo.*

Dvbivm X.

Poteſtne irregularis, antequam per ſententiam condemnetur conſcius, beneficium eſſe ab alio impetratum, id in alterius fauorem renunciare?

110 *Nonnulla præmitto.* IRregularitate illigatus ex delicto, ſi nolit, vel non poſſit diſpenſationem impetrare: poteſt renunciare beneficium in fauorem tertij, ac ſi nullam irregularitatem contraxiſſet, etiam pendente lite, & accuſatione facta de irregularitate. Quia vſque quo accedat ſententia, & condemnetur, retinet ius in beneficium. Suarius *diſputation. 40. ſection. 2. numer. 1.* Sayrus *libr. 6. theſaur. capit. 2. numer. 14.* Felinus ad *Cap. Inquiſitionis, col. 3.* Dubito autem, an ſi, durante accuſatione irregularitatis, impetret aliquis beneficium irregularis caſu, quo per ſententiam priuetur, poſſit irregularis conſcius huius impetrationis, beneficium in fauorem alterius, vel abſolutè, antequam per ſententiam condemnetur, renunciare?

111 *Non poteſt* Non poteſt. Quia hæc renunciatio cederet in præiudicium eius, cui eſt ius per gratiam quæſitum: & in fraudem illius, qui gratiam obtinuit. Ergo nulla ex *c. Si te præbendam, de renunciat. in 6.* Sic Dominic. *conſ. 105* Anton. de Butrio *conſ. 43.*

112 *Poteſt plane.* Poteſt plane. Quia in hoc nullam committit fraudem, ſi quidem vtitur iure ſuo, & id gerit, vt ſibi conſulat, non vt noceat impetranti. Ita Couar. quias plures referens *ad Clement. Si furioſus, part. 2. Paragraph. 3. num. 7.* Molina *tractatu tertio, de iuſtit. diſputation. 78. numer. 2.* Ludouic. Gomez *Reg. de annali poſſeſſ. quæſtione 42.*

113 *Mihi hoc probabilius.* Exiſtimo probabilius, poſſe præfatum irregularem, non obſtante ea impetratione, ſuam præbendam renunciare. Impetrans namque non habet ius quæſitum abſolute, ſed condtionale, & incertum, hoc eſt, ſub conditione ſi per ſententiam irregularis ille priuetur: cui iuri bene poteſt derogari per renunciationem. Profecto ſecus contingit in *Cap. Si te præbendam*, ibi enim continetur fraus manifeſta, vt legenti patebit.

CAPVT XVI.

Circa cauſas excuſantes ab Irregularitate incurrenda, eiuſque relaxationem.

Dvbivm XI.

Si quis ignoret, lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum eſſe delictum ſub Irregularitatis pœna: excuſaturne ab illius incurſione?

114 *Quæſtionis ſtatus.* CErtum eſt, quemlibet excuſari ab irregularitate delicto annexa, ſi à delicto mortali excuſatur. Quia cum hæc ſit grauiſſima pœna, peccatum mortale ad ſui requirit incurſionem. Quæſtio autem eſt, ſi quis ignoret, lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum eſſe delictum, cui irregularitas annectitur, ab illius incurſione excuſetur?

115 *Non excuſatur.* Non excuſatur. Quia irregularitas non tã in delicti pœnam, quam ob indecentiam Eccleſiaſtici ſtatus indicitur, cui decentiæ obſtat delictum, verbi gratiâ, homicidij, etſi ignoretur, lege Eccleſiaſtica ſub irregularitatis pœna eſſe prohibitum. Sic Doctores admodum probabiliter.

116 *Excuſatur quidem.* Excuſatur equidem. *Quia Cap. 2. de conſtitutionib. in 6.* deciditur non ligari conſtitutionibus Ordinariorum illas ignorantes: hoc eſt, non ligari quoad pœnam incurrendam: æquum enim non eſt æquali pœna puniri tranſgreſſorem legis ex ignorantia, ac ex malitia: ſiquidé ignorantia à culpabili tranſgreſſione legis excuſat. Quæ deciſio à fortiori in legibus Pontificiis procedit. Ita Palao *tractatu ſecundo, de peccatis, diſputatione prima, puncto decimo ſeptimo*, plures referens Coninch. *diſputatione decima octaua, dubio quarto, concluſione prima.*

117 Hanc ſententiam non minus probabilem eligo.

Hanc eligo sententiam. eligo. Nam pœnalis irregularitas plerumque ab Ecclesia indicitur in pœnam inobedientiæ,& contumaciæ aduersus Ecclesiam:siquidem superadditur violationi Censurarum, quæ inobedientiam, & contumaciam requirunt. At inobedientia, & contumacia in Ecclesiam stare nequit posita Ecclesiasticæ legis ignorantia:ergo. Esto autem ob decentiam Ecclesiastici status irregularitas inducatur:at quia simul inducitur in pœnam obedientiæ violatæ,locum habere non potest, cessante inobedientia,quæ proculdubio cessat, posita legis Ecclesiasticæ ignorantia.

Dvbivm XII.

Excusaturne quis ab irregularitate delicto annexa, si agnoscat delictum Ecclesiastica lege esse prohibitum, tametsi probabiliter ignoret sub pœna irregularitatis prohibitum esse?

118 *Non excusatur.* NOn excusatur. Quia si ignorantia pœnæ ab illius incursione excusaret in casu nostro,in aliis plurimi delinquentes à pœnis per legem statutis excusantur. Porrò irregularitas non est pœna medicinalis, quæ illius cognitionem requirat,sicuti sunt Censuræ:& esto ad reprimendam inobedientiam,& contumaciam in Ecclesiam,fuerit apposita, non inde infertur scientiam eius fore necessariam:nam inobedientia, & contumacia non ex pœnæ impositæ cognitione,sed ex cognitione legis,illiusque trangressione contingit. Sic Couarruuias ad *cap. Alma, p.*1.§.10.*nu.*9. Suarius *d.*40.*sect.*5.*n.*9. Corduba *l.*1. *qq.q.*25. Ludouic. Lopez *p.*2.*Instruct. de excomm.c.*13. *ad* 3. Auila *p.*7.*d.*2.*dub.*7. *conclusion.* 2. Vasq. *de excomm.dub.*16. Hurtado *de irregul. diff.*8. *num.*29.

119 *Excusatur quidem.* Excusatur equidem. Quia perpetrans aliquod delictum solum subditur pœnis tali delicto proportionatis:non tamen aliis extraordinariis,& quæ delicti grauitatem secundum se videntur excedere,quęque imponuntur ab Ecclesia,vel Republica ad vitandum frequentem delicti vsum,vel ob aliam causam. Quocirca etsi consensus delinquentis in pœnam non requiratur,ad illam sustinendam:requiritur autem illius consensus in culpam provt est causa talis pœnæ, quando pœna est extraordinaria. At irregularitas,quæ delicto annectitur censenda est pœna extraordinaria delicti,siquidem obligat delinquentem', vt eam in se exequatur. Ergo censeri non debet incurri ab ignorante, legem sub tali pœna esse latam. Ita Sanchez *l.*9.*de matrim.d.*32.*n.*21. Coninch.*d.*18.*dub.*4.*n.*31. Suarius *d.*40. *sect.* 9.*n.*22. Bonacina *tom.*1.*d.*1.*q.*2.*punct* 1. *n.*13. Hostiens. *ad cap. A nobis el* 1. *de sentent. excommunicat.* Manuel.*tom.*1.*summ.c.*195. *nu.*3. & alij.

120 *Huic sententiæ hæreo.* Sententiam primam communem esse, & in praxi receptam profiteor : sed tamen secundam probabilem satis amplector. Nec enim reputo inconueniens, quod multi ab hac pœna in foro conscientiæ excusentur, sicuti excusantur à Censuris ; cum in eo foro aduersus legem Ecclesiasticam completè non delinquant, dum ignorant pœnam extraordinariam,sub qua lex lata est.

Dvbivm XIII.

Episcopus potestne irregularitatem relaxare?

121 *Nonnulla suppono.* CErtum est, Pontificem relaxare omnem irregularitatem posse dispensatione sua, cum ab ipso ortum habuerit:non tamen facile solere in irregularitate bigamiæ propriæ dispensare,cum hæc pœna ab Apostolica traditione descendat. Neque etiam in ea,quę ex homicidio voluntario oritur ; cum grauem contineat indecentiam. Si tamen sine causa dispensationem impertiat, validam esse, esto illicitam. Quæsierim verò,an præter Summũ Præsulem possit Episcopus irregularitatem relaxare iure ordinario, ideſt, sine Pontificis facultate?

122 *Potest sanè.* Potest quidem, si Pontifex sibi expressè non reseruauerit. Quia *cap. Nuper,de sent.excomm.* locutus Pontifex de excommunicatione,fatur:*Cum Conditor Canonis* absolutionem sibi specialiter non reseruat, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Sic nonnulli.

123 *Non potest;* Minimè potest. Quia in Tridentin. *sess.*24. *cap.*6. datur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, neque ad forum contentiosum deductis, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario exoritur. Infertur ergo manifestè, Episcopos ex se, & ex suo munere, hanc facultatem minimè habere. Ita Suarius *disputation.* 41. *section.* 2. *numer.* 3. ex communi sententia.

124 *Hoc vnicè verum.* Hoc vnicè verum. Ratio enim,qua prima sententia nititur, nullius momenti est : quia absolutio ab excommunicatione est maximè necessaria saluti spirituali fidelium, siquidem impedit Sacramentorum receptionem,suffragia Ecclesię,fidelium inter se communicationem,quę sunt bona grauissima:ideoque Pontifex illius absolutionem concessisse videtur, quoties specialiter sibi non reseruauit. Ast in irregularitate hæc non procedunt,vtpotè quę solum impedit ordinum susceptionem, vel illius vsum, quæ non sunt saluti necessaria. Porrò si ex ratione *c. Nuper* facta liceret facultatem ibi concessam ad aliarum Censurarum,& impedimentorum absolutionem,præter excommunicationem,extendere : non solum Episcopus,sed & Parochus posset irregularitatem relaxare,& ab interdicto,& suspensione absoluere: siquidem ab excommunicationis non reseruatæ sententia potest Parochus absoluere:iuxta communem sententiam; quod nemo audebit asserere.

Dvbivm

Dvbivm XIV.

Potestatem à Tridentino concessam Episcopis dispensandi in Irregularitatibus ex delicto occulto abortis possuntne exercere Archiepiscopi in subditos suffraganei Episcopi, dum eius Diœcesim visitant?

125 *Nonnulla suppono.*

PRæmitto, quatuor conditiones seruandas esse ab Episcopis, vt possint frui potestate sibi à Trid. *sess.* 24. *c.* 6. concessa ad dispensandum in irregularitate. Prima est, vt sit dispensatio cum subditis. Secunda, in Diœcesi sua. Tertia, in irregularitate proueniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducta. Quarta, pro foro conscientiæ. Circa primam, certum est, Episcopum non posse dispensationem exercere respectu eorum, qui ei non subduntur. Quia dispensatio est iurisdictionis vsus necessariò in subditos exercendus. Quapropter sub nomine Episcopi non venit intelligendus Archiepiscopus comparatione subditorum suffraganei. Quia non est eorum superior absolutè, nisi in casibus ad ipsum per appellationem deuolutis. *c.* 1. *de officio legati*, & *c. Pastoralis, de offic. ordinar.* Iam procedit quæstio, an cum Archiepiscopus visitat Episcopi suffraganei Diœcesim, possit cum suffraganei Episcopi subditis circa irregularitatem procedentem ex delicto occulto, sicuti Episcopus ipse dispensare?

126 *Potest quidem.*

Potest quidem. Quia pro visitationis tempore Archiepiscopus censetur illorum proprius Episcopus existere. Sic Henriquez *l.* 14. *c.* 18. *n.* 3. Auila *p.* 7. *d.* 10. *dub.* 6. *notab.* 2. *circa* 1. *concluſ.* Anton. Gomez *in explic. Bullæ Cruciatæ, clauſ.* 10. *n.* 59.

127 *Non potest.*

Minimè potest. Quia Archiepiscopus non est iudex ordinarius subditorum suffraganei, nisi in casibus sibi specialiter concessis *c. Pastoralis*. At nulli inuenitur concessa hæc potestas dispensandi in irregularitate tempore visitationis, etiamsi potestas absoluendi à peccatis concedatur in *cap. fin. de censib. lib.* 6. Ita Suarius *d.* 41. *sect.* 2. *num.* 12. Sayrus *in Clau. l.* 6. *c.* 11. *num.* 80. Sanchez *l.* 2. *Decal. c.* 11. *n.* 6. & *l.* 4. *c.* 38. *n.* 14.

128 *Hoc defendo.*

Probabilius censeo Archiepiscopum licet potestatem absoluendi à peccatis subditos suffraganei tempore visitationis habeat, ea carere ad dispensandum in irregularitate, eo quod iudex ordinarius illorum non sit. Nec ex eo, quod concedatur Archiepiscopo, dum visitat Diœcesim suffraganei potestas absoluendi, arguendum est concedi ei ad reliqua omnia Episcopalia munia potestatem. Quia vti aduertit Sanchez *l.* 4. *Decal. c.* 38 *num.* 14. nequit Archiepiscopus concedere suffraganei subditis litteras dimissorias ad ordines, neque potest dispensare in denunciationibus matrimonio præuiis, neque in votis, neque in illegitimorum irregularitate.

Dvbivm XV.

Sub nomine Episcopi ad dispensandum in Irregularitate ex peccato occulto prouenient veniuntne Abbates, & alij Prælati habentes propriam Diœcesim, & in ea iurisdictionem quasi Episcopalem exercentes?

NOmine Episcopi venit intelligendum Capitulum Sede vacante. Quia succedit in iis, quæ Episcopo competunt iure speciali delegato. At hæc potestas dispensandi in irregularitatibus, & absoluendi à quibuscumque casibus occultis competit Episcopis iure ordinario: siquidem non ratione personæ, sed dignitatis conceditur: & ex alia parte non eliguntur tanquam Sedis Apostolicæ delegati, sed tanquam proprij Episcopi, ac Pastores suorum subditorum. Est ergo hæc potestas ordinaria, atque adeo transit in Capitulum. Quæsierim verò, an sub nomine Episcopi veniant Abbates, & alij Prælati habentes propriam Diœcesim, & in ea iurisdictionem, quasi Episcopalem independenter ab Episcopo exercentes? 129 *Nonnulla præmitto.*

Veniunt quidem. Quia hæc potestas absoluendi, & dispensandi contenta in Tridentino, latè est interpretanda: est enim beneficium Principis in iure communi insertum: ergo ad hos Prælatos est extendenda. Qui quidem solùm differunt ab Episcopis in consecratione: sed Episcopi electi, & non consecrati hac gaudent facultate, vt testatur Suar. *d.* 41. *sect.* 2. *num.* 7. & alij. Ergo hi Prælati eadem potestate gaudere debent, siquidem in iurisdictione omninò æquales. Sic Sanchez *l.* 8. *de matr. d.* 2. *n.* 12. alios citans, & *l.* 1. *Decal. c.* 11. *num.* 5. Sayrus *in Clau. l.* 6. *c.* 11. *num* 83. Auila *part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. Barbosa *in remiss. Concil.* 130 *Veniunt quidem intelligendi.*

Non veniunt sub Episcopi nomine intelligendi. Quia hæc potestas dispensandi, & absoluendi videtur Episcopis concessa ratione suæ præeminentis dignitatis. Ita Suarius *d.* 41. *sect.* 2. *num.* 7. Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *somm. tract.* 1. *cap.* 6. *post.* 10. *concluſ.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. *colum.* 7. *concluſ.* 4. Toletus *lib.* 1. *c.* 85. *num.* 5. Bonacina *tom.* 1. *d.* 7. *punct.* 1. *nu.* 7. alios referens. 131 *Non veniũt.*

Hanc rationem infirmam esse reor, cum hæc potestas competat Episcopis ante consecrationem. Vnde primam sententiam eligendam duxi. Sed quidquid sit de hac quæstione, monuerim cum Suario, subditos illorum Prælatorum absolui, & dispensari posse ab Episcopo, in cuius territorio, seu Diœcesi existunt. Quia respectu casuum, qui in Tridentino continentur, subiecti sunt Episcopo, etiamsi in aliis soli suo Prælato subdantur. 132 *Primam eligo sententiam.*

Dvbivm

Dvbivm XVI.

Potestne Episcopus dispensare in Irregularitate ob delictum contracta, in vna parte publicum, & notorium; in alia vero occultum, & quod non timetur probabiliter sciendum esse?

133 *Status quæstionis.* VIdimus, tertiam conditionem à Tridentino requisitam pro dispensatione irregularitatis esse, vt ortũ habeat ex delicto occulto, neque ad forum contentiosum deducto. Porrò occultum dicitur, quod etsi probari testibus valeat, ignoratur tamẽ in maiori parte populi, seu communitatis, in qua ad minus decem resident, vbi delictũ patratũ est: ideoq; occultum notorio opponitur. Quid verò si de irregularitate ob delictum contracta in vna parte publicum, & notorium, in alia verò occultum, & quæ probabiliter sciri nequit, dispensatio petatur? an poterit Episcopus ex Tridentini indulto dispensare?

134 *Potest plani.* Potest quidem. Quia esse occultum, vel nõ occultum, debet intelligi in ordine ad locum, in quo petitur dispensatio. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. c.* 11. *n.* 21. Auila *p.* 2. *c.* 7. *d.* 1. *dub.* 11. *concluſ.* 4. *& p.* 7. *d.* 10. *dub.* 8. *concluſ.* 2.

135 *Non potest* Non potest. Quia hęc irregularitas dici non potest ex delicto occulto prouenire: nã quod in vna parte publicum est, absolutè publicum dici debet. Ita Palao *de Cens. d.* 6. *pun.* 7. *n.* 10. & ex parte Suarius *tom.* 4. *d.* 30. *sect.* 2. *n.* 2.

136 *Probabilior hac mihi sententia.* Hanc probabiliorem planè sententiam eligo, iudicans, si prima esset eligenda, nullam euenire irregularitatem, in qua Episcopus dispensare non posset. Quia nulla est, quę alicubi ignota non sit: ac proinde poterit irregularis mutando domicilium, vel in ea Diœcesi, vbi non scitur, maiori anni parte commorando, ab illius Episcopo dispensationem impetrare. At irregularitatem esse ad forum contentiosum alicubi deductam, sufficit, vt interim non possit ab Episcopo absolui, seu dispensari: tametsi dispensatio petatur in lõco, vbi irregularitas ad forum contentiosum deducta non est, neque periculum adest, vt publicetur: ergo idem est dicendum de irregularitate in vno loco publica, non posse inquam in alio dispensari interim dum publica est.

Dvbivm XVII.

Si delictum in iudicio probatum integre fuerit, & reus condemnatus, & punitus: potestne Episcopus in irregularitate dispensare?

137 *Potest quidem.* POtest equidem. Quia iam est satisfactum fini, ob quem Concilium dispensandi potestatem Episcopis denegauit, cum delictum ad forum contentiosum deductum est. Finis nãque Concilij fuit, nè reus à delictis publicis eorumve pœnis absolueretur, aut dispẽsaretur, quin prius publico scandalo satisfaceret nève authoritas iudicum minueretur, si pendente eorum iudicio reus absolueretur. Quæ rationes cessãt finito iã iudicio, ac punito delinquẽte. Sic Sanch. *l.* 8. *de matr. d.* 34. *n.* 57. & Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. VI.* 58. *& l.* 2. *Decal. c.* 11. *n.* 21. Auila *p.* 7. *d.* 10. *dub* 6. Hurt ad. *de irregul. diff.* 20. *num.* 68. Inclinat Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p* 5. *c.* 9. *n.* 6.

Non potest. Quia esto non impediatur ex eo, quod ad forum contentiosum delictum sit deductum: impeditur tamen ex eo, quod posita illa deductione, & illius delicti integra probatione, ac condemnatione, delictum publicum est notorietate iuris Ita Gutierrez *lib.* 1. *Cannon. qq. cap.* 3. Garcia *de benefic. part.* 7. *cap.* ii. *num.* 50. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 5. *pun.* 1. *num.* 6. 138 *Non potest.*

Hoc probabilius esse reor. Quia Tridentinum non concessit facultatem dispensandi in irregularitate, quæ ex publico, & notorio delicto oritur, sed solum in ea, quæ ex delicto occulto prouenit, vel ad forum contentiosum non est deducta. Igitur in hac irregularitate Episcopus dispensare non potest. 139 *Hoc probabilius.*

Dvbivm XVIII.

Episcopus conscius irregularitatis, in qua dispensare potest, si admittat irregularem ad Ordines suscipiendos, vel ad beneficium: censeturne cum illo dispensare?

NOn censetur. Quia dum in re tam graui suam intentionem non exprimit, debet irregularis præsumere, id ab Episcopo ex obliuione geri: vnde nequit licitè ille ordines, aut beneficium suscipere. Sic Nauar. *summ. c.* 25. *n.* 74. 140 *Non censetur dispensare.*

Censetur sanè cum irregulari huiusmodi dispensare. Quia non est præsumendus Episcopus voluisse peccare non dispensatum ad ordines admittendo, aut ei conferendo beneficium. Ita Bonacin. *tom.* 1. *d.* 7. *q.* 5. *pun.* 1. Auila *p.* 7. *d.* 10. *dub.* 10. Suar. *d.* 41. *sect.* 3. *n.* 4. Maiol. *de irregul. l.* 5. *c.* 51. *n.* 8. Sayrus *l.* 7. *thes. c.* 14. *nu.* 11. Henriquez *l.* 14. *c.* 17. *n.* 4. Sylueſter *v. Dispensatio, q.* 15. *& v. Irregularitas, qu.* 28. 141 *Dispensare censetur.*

Hanc sententiam longè probabiliorem esse non dubito, quoad forum conscientiæ. At quoad externum nullatenus hæc tacita dispensatio à Prælato inferiori Pontifici admittitur. Quia in iure communi inferior Pontifice dispensationem concedere nequit, non præmissa causæ cognitione, vt pluribus firmat Glossa ad *c.* 2. *v. Dispensatum, & ibi*, Abb. & Ioan. Andr. Rebuff. *prax. de benef. part.* 2. *de dispens. n.* 15. Sayr. *l.* 7. *thes. c.* 14. *n.* 13. 142 *Hoc longe verius.*

Dvbivm XIX.

Irregularis dispensatus ad ordines minores censeturne ad beneficium simplex dispensatus?

DIspensatus ad ordines etiam à Pontifice non ideo censetur dispensatus ad beneficia Curata, dignitates, & Prælaturas: bene tamen ad beneficia simplicia. Quia hęc ordinatis conferri solent. Sic Anton. ad *c. Postulasti, de rescript. n.* 10. *ibi*, Imola, *n.* 4. Felin. *n.* 10. Burgas. *de irregular. part.* 2. *titul. de interpretat.* 143 *Censetur dispensatus ab beneficia simplicia.*

Sà *v. Dispensatio, n.* 14. Sayr. *l.6. thes. c.* 11. *n.* 22. & *l.7. c.*14. *n.* 22. & alij relati à Sancio *lib.*8. *de matri. d.*1. *n.*27.

144 *Non censetur.* Ex dispensatione ad ordines minores dispensatio ad beneficia non infertur. Quia non connectuntur necessariò beneficium simplex & ordinum minorum susceptio. Ita Sanchez *vbi supra*, plures citans Doctores.

145 *Authoris resolutio.* Profecto primâ sententiâ si de dispẽsatione ad ordines maiores loquamur, certâ esse existimo: cũ nullũ deceat sacris initiari, qui beneficiũ nõ habeat ex Trid. *sess.*21. *c.*2. Nam esto aliquando ex titulo patrimonij, vel pensionis quis sacris initietur: id quasi ex dispensatione fit ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ. At si sermo sit de dispẽsatione ad minores ordines, etsi prima sentẽtia probabilis sit, longe veriorem existimo esse secundam, cum ordines minores, & beneficium haud necessariò connectantur.

Dvbivm. X'X.

Episcopus litteras dimissorias ad ordines concedens censeturne concedere dispensandi in Irregularitate orta ex delicto occulto potestatem?

146 *Censetur cõcedere dispensandi facultatem.* COncedẽs dimissorias litteras ad ordines eo ipso concedit facultatem, vt ab ordinante ille in irregularitate dispensetur, in alióve impedimento, quod susceptionem ordinum impedit. Quia horum dispensatio necessariò præmittenda est ordinum susceptioni: vnde concessa facultate ad suscipiendos ordines: censenda sunt concessa ea, sine quibus ordines suscipi nequeunt. *c. Præterea, de offic. delegati. Leg.*2. *ff. de iurisd. omnium indic.* Sic Angel. *v. Irregularitas, nu.*34. Sylvest. *ibid. q.*9. *n.*11. Armil. *n.*8. Henriq. *l.*14. *c.*17. *n.*4.

147 *Nõ censetur eam facultatem concedere.* Concedens litteras dimissorias ad ordines, non ideo concedit Episcopo ordinaturo vt subditum ad eum missum in irregularitate dispenset. Quia licet dispensatio irregularitatis, alteriusve impedimenti præmittenda ordinũ susceptioni sit: non tamen est necessarium præmitti ab eo, qui Ordines ex delegatione est collaturus, cuique sola facultas ordinandi est concessa; sed à legitimo superiore. Ita Sanchez *l.*8. *de matr d.*1. *n.*25. Palao *tr.*3. *de legib. d.*5 *de priuil. & d.*6. *de dispensat. & de Cens. d.*6. *pun.*7. *n.*21.

148 *Authoris resolutio.* Exsttimo, primam sententiam solùm esse admittendam, cum Episcopus concedens dimissorias, conscius esset irregularitatis, & impedimenti, quoad ordines suscipiendos quis tenebatur. Nam eo ipso censendus est, vel ipse dispensare, vel facultatem dispensandi Episcopo ordinaturo concedere. At si ipse ignarus impedimenti dimissorias litteras tradat verius censeo, inde non inferre facultatem concessam esse, vt in irregularitate, aliisve impedimentis dispensetur. Concedo, data facultate ad vnum datam censeri ad ea omnia, quæ ex eo vno consequuntur: nego tamen, ex facultate alicui concessa suscipiendi ordines ab alieno Episcopo, inferri potestatem ei concessam esse dispensandi in irregularitate, alióve impedimento. Quia hæ facultates diuersæ sunt, neque vna alteri connectitur: & plerumque contingit, ab alieno Episcopo ordines suscipi, quin vlla dispensatio præmittatur.

CAPVT XVII.

Circa Irregularitatem ex bigamia ortam.

Dvbivm XXI.

Contrahitne bigamiæ interpretatiuæ Irregularitatem, qui ignorans coniugis adulterium eam cognouit: vel à principio existimans virginem duxisse, duxit corruptam?

149 *Nonnulli recolo.* REcolo, dari bigamiam propriam, & interpretatiuã. Propria appellatur, quæ ex binis nupiiis validè cõtractis, ac cõsũmatis consurgit, quod fieri nõ potest, nisi mortua prima vxore. Bigamia interpretatiua est, quæ cõtrahitur ab eo, de quo præsumitur, duas vxores habuisse, esto in re illas non habuerit. Quod tripliciter contingit. Primò si contrahat matrimonium cum vidua, quæ prius matrimonium consummauerat: & idem est, si cum corrupta ab alio contrahas, *c. Præcipimus, dist.*34. & *c. Si quis viduam* 50. & *c. Debitum, de bigamis.* Secundò contingit per accessum ad propriam vxorem postquam illa adulterium cõmiserit, tametsi à principio virgo accepta fuerit *c. Si laici, dist.*34. vel si à principio dixeris corruptam. Iam requiro, an hanc bigamiam interpretatiuam contrahat, qui ignorans coniugis adulterium, eam cognouit, aut putans esse virginem, duxit corruptam?

150 *Non contrahit.* Non contrahit. Quia actus, ob quem irregularitas contrahitur, debet esse actus ab homine, quatenus rationalis est, ac proinde ab illo quatenus ratione vtitur. Cognoscens autem vxorem ignorans esse adulteram, aut corruptam putans duxisse virginem, haud liberè suam carnem diuisit in plures: ergo fundamentum non præstitit hanc irregularitatem contrahendi. Sic Gloss. *ad c.*2. *de bigamis.* Rebuffus *de pacifi. possess. num.*194. Greg. Lopez *leg.*35. *tit.*1. *p.*1. Anton. Cuchus *l.*4. *in fi. maiorat. tit.*12. *n.*175. Palat. *in* 4. *dist.*27. *d.*4. Bernar. Diaz *in pract. c.*16. *fine* adiiciens, virum fore tunc irregularem cognoscendo adulteram, quando potest adulterium probare. Quia in *c. Si cuius, dist.* 34. expostulatur delictum vxoris euidenter probatum esse.

151 *Contrahit quidem.* Cõtrahit profectò. Quia hæc irregularitas nõ in pœnã alicuius delicti, neq; ob infamiam vllã personæ: sed ob defectum significationis indicta est: quæ significatio esse non potest, si maritus corruptæ fuerit; nam sicut mulier ipsa in plures suam carnem diuisit: sic vir illam cognoscens, in plures inam carnem diuisse censetur.

censetur. Ita Abbas *ad c. Si de adulter.* & *c. 2. de bigam. n.* 8. Navar. *sum. c.* 27. *nu.* 195. Suarius *d.* 45. *sect.* 3. *n.* 15. Garcia *de benef. p.* 7. *c.* 6. *n.* 16. Barbosa *alleg.* 49. *n.* 9. Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 84. *n.* 15. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 6. *n.* 3. Auila *p.* 7. *d.* 8. *dub.* 1.

152 *Hoc probabilius.* Probabilius cum his censeo, te fore irregularem si vel adulteram ignorans cognouisti vxorem, vel ab alio duxisti corruptam putans esse virginem, etiam hæc, aut illa vi absque culpa cognitæ fuerint ab alio. Quia excusatio à culpa non impedit, vxoris carnem in plures fuisse diuisam, & consequenter id matrimonium à perfecta significatione deficere.

Dvbivm XXII.

An bigamiam interpretatiuam contrahat qui viuente propria vxore, scienter aliam ducit: vel qui mortua prima vxore, aliam ducit, quacum est impedimento dirimente illigatus?

153 *Nonnulla suppono.* TErtiò contingit bigamia interpretatiua, si contracto matrimonio, & consummato post mortem coniugis quis sacris initietur, & sic initiatus, aliud tentet matrimonium contrahere, ac consummare. *c. Nuper, de bigamis*, vbi hæc irregularitas indicitur non ob defectum significationis, sed ob prauum affectum eo opere expressum. Quæsierim verò, nùm huiusmodi bigamiam contrahat, qui viuente vxore scienter aliam duxerit: vel qui mortua prima vxore, aliam duxit, quacum ligatus erat impedimento dirimente?

151 *Contrahit planè.* Contrahit planè. Quia in vno, & altero casu quantum fuit ex parte sua, contrahens licet inualide, affectum ad duo matrimonia contrahenda ostendit, & licet de iure ea non contraxit: contraxit tamen de facto, quæ fuit ratio decisionis *c. Nuper.* Contrahens tamen in his casibus debet habere intentionem contrahendi quantum est ex parte sua matrimonium secundum: alias si hæc intentio deficiat, non videtur irregularitati esse locus. Sic Henriquez *l.* 12. *c.* 6. *n.* 9. *& l.* 14. *c.* 6. *nu.* 9. Coninch. *d.* 18. *dub.* 11. *nu.* 101. Auila *p.* 7. *d.* 8. *dub.* 1. Sanchez *l.* 7. *de matr. d.* 84. *n.* 3. Bonacina *tom.* 1. *d.* 7. *q.* 2. *pun.* 5. *n.* 3.

155 *Nō contrahit.* Minimè contrahit. Quia irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis, *c. Iscui, de sent. excomm. in* 6. At ob supradictos casus in iure expressa non est irregularitas: ergo asserenda non est. Ita Coninch. *d.* 18. *dub.* 11. *num.* 100. Henriquez *l.* 12. *c.* 6. *num.* 9. *& in comment. litter. Y.* & alij relati à Sayro *l.* 6. *thes. c.* 4. *n.* 5. Palao *de Cens. disp.* 6. *punct.* 8. *num.* 8.

156 *Probabilius hoc mihi.* Hanc non quidem communem, (fateor enim primam communem esse,) sed vt veriorem mihi eligendam statui. Quam aut confirmo, aut explico ostendens nullum adesse textum, qui expressè eiusmodi irregularitatem statuat. Nam *cap. Nuper*, & *c. fin. de nuptiis*, & *c. 1. Qui Clerici, vel vouentes*, & *c. Quisquis* 27. *q.* 1. irregularitatem secundò contrahenti inualidè indicentes, loquuntur de eo, qui ob impedimentum Ordinis, vel Religionis inualidè contraxit. Demum in *c. 1. de bigamis* asseritur, irregularem esse, qui repudiatam duxerit. Ergo nullus est textus, vbi expressè habeatur, irregulares esse laicos, qui matrimonio valido contracto, aliud tentant inualidū inire.

Dvbivm XXIII.

An interpretatiuam bigamiam contrahat qui post matrimonium valide contractum, aliud inualidum init, & consummat, impedimenti dirimentis ignarus?

157 *Contrahit quidem.* COntrahit quidem. Quia habuit affectum contrahendi duplex matrimonium, & de facto contraxit, ac consummauit: vnde ineptus est vnionem Christi Domini cum Ecclesia significare. Sic Ioan. Andr. ad *c. Nuper, n.* 3. Anton. *ibi, n.* 8. Cardinal. *ad finem.* Abbas *n.* 4. Ancharran. *n.* 8. Sylues. *v. Irregularitas, q.* 7. & alij apud Sanchez *l.* 7. *de matr. d.* 84. *num.* 5. Suarius *d.* 49. *sect.* 2. *n.* 8.

158 *Non contrahit.* Non contrahit. Quia hæc irregularitas neque ob defectum Sacramenti, neque ob affectum contrahendi duplex matrimonium potest induci. Non ob defectum Sacramenti, Sacramentum enim irritum aptum non est ad significandum vnionem Christi Domini cum Ecclesia, sicut neque concubinatus. Non item ob affectum; nam hic affectus non fuit culpabilis, seu peccaminosus, vnde dignus non est, vt tanta irregularitatis pœna puniatur. Quippe hæc irregularitas interpretatiua, sicut & similitudinaria delicti commissi in pœnam imponitur. Ita Hostiens. ad *c. Nuper, num.* 5. Sanchez *vbi supra, nu.* 6. Palao *de Cens. d.* 6. *pun.* 8. *n.* 9.

159 *Hoc verius esse iudico.* Hoc verius esse iudico, colligoque ex ipso *c. Nuper.* Ibi enim Innocentius voluit criminosos audentes irrita matrimonia contrahere hac pœna irregularitatis punire. Ergo quando contrahens est liber à culpa, hac irregularitatis pœna non afficitur.

Dvbivm XXIV.

Irregularisne est contrahens duplex matrimonium, si vtrumque sit inualidum?

160 *Irregularis non est.* NOn est irregularis. Quia huiusmodi irregularitas nullibi inuenitur expressa: cum *c. Nuper*, & *c. fin. de bigamis* supponant prius matrimoniū validū fore. Et ex alio capite non deficit Sacramento vera significatio, cū nullū ex illis matrimoniis sit Sacramētum, nec legitimus cōtractus. Sic Henr. *l.* 12 *c.* 6. *n.* 9. *& lit. X.* Auila *p.* 7. *d* 8. *du.* 1. Coninc. *d.* 18. *du.* 11. *n.* 101.

161 *Irregularis est.* Irregularis est. Quia in illo licet inualido duplici coniugio exprimitur ad duplex matrimonium affectus effectu expressus, & in plures caro diuiditur. Ita Navar. *sum. c.* 27. *n.* 195. Suar. *d.* 49. *sect.* 2. *n.* 11. Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 84. *n.* 3. Sayr. *l.* 6. *thes. c.* 4. *n.* 7. Bonacina *tom.* 2. *d.* 7. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 2. Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 49. *nu.* 11. & alij plures apud ipsos.

162 *Authoris sententia.* Ego existimo,& si spectato iuris rigore, primam sententiam fore amplectendam : quia tamen communi sententiæ Doctorum irregularitatem in hoc casu astruenti opponitur, admittendam nō esse,sed secundæ adhærēdū.

Dvbivm XXV.

Clerici in Sacris constituti contrahentes matrimonium sunt ne irregulares ob bigamiam similitudinariam?

163 *De bigamia similitudinaria.* Recolo, bigamiam similitudinariam esse, quæ contrahitur ex matrimonio attentato consummato post votum castitatis emissum in Religione approbata. *c. Quotquot 27. q.1.* Igitur Religiosi matrimonium contrahētes de facto irregulares sunt bigamia similitudinaria. Quia aliquo modo similes sunt duplex matrimonium contrahentibus: siquidem voto solemni castitatis contrahunt spirituale matrimonium cum Christo Domino , à quo matrimonio tētat recedere carnale matrimonium contrahendo. Quęsierim verò,num hęc irregularitas extendenda sit ad Clericos in Sacris constitutos matrimonium contrahētes?

164 *Irregulares sunt.* Extendēda est,& irregulares sunt ob bigamiam similitudinariam. Quia *ca. Qui Clerici, vel vouentes*,de Diacono vxorem ducente dicitur,posse Episcopum cum illo dispensare,vt ad Sacerdotium ascendat peracta pœnitētia. Et *c.2.eod.tit.* cōceditur Episcopo facultas dispensandi cum Subdiacono in ascensu ad Superiores ordines ea conditione,vt ad Religionem transeat. Qui textus non loquuntur de contrahente cum vidua , nec de duplici matrimonio: sed de vno etiam cum virgine post Ordinem Sacrum contracto. Ergo id sufficit ad incurrendam irregularitatem. Sic Nauarr. *sum.c.27.n.195.* Suarius *d.49.sect.4.n.6.* Auila *p.7.d.8.dub.1.* Sayrus *l.6.thes.c.4.n.22.* Sanch. *l.7 de matrim.d.85.nu.5.* Barbosa *p.2.de potest. Episc.alleg.49.n.15.* Garcia *de benef.c.6.nu.15.* Bonac.*tom.1.d.7.q.2.pun.5.n.2.* Certè si Religiosi hanc contrahunt irregularitatem ex bigamia similitudinaria eo quod post votum solemne castitatis emissum matrimonium attentant,idem videtur de Clerico voto solemni castitatis post Ordinem Sacrum astricto coniugium attentante.

165 *Non sunt irregulares.* Non est extendenda ad Clericos,nec irregulares sunt ob matrimonium attentatum. Quia *c.Nuper,de bigamis*,deciditur, Sacerdotes matrimonium contrahentes non esse verè bigamos. Et *c.Sanè,el 2.de Cler.coning.* videtur concludi,non esse irregulares, siquidem post longam pœnitentiam committitur dispēsatio Episcopo,cum tamen irregularitas bigamiæ, etiam illa,in qua nullus adest Sacramenti defectus,dispensari non potest *c.Nuper.* & *c.fin. de bigamis.* Ita Abbas ad *c.Nuper,n.3.* Hurtad. *de irregul.disput.13.n.48.* & probabile reputat Suarius *d.49. sect.4.n.6.*

166 *Mediam sero viam.* Ego autem mediam viam terens, affirmo, irregulares quidem esse,vt probat prima sententia tot Doctorum auctoritate firmata : at hanc irregularitatem non esse ex bigamia,sed ex delicto,& in illius pœnam. Quia *c.Nuper,* & *cap.fin.de bigamis* negatur dispensatio pro bigamia,etiam in qua nullus est Sacramenti defectus. Et quia superflua esset decisio horum textuum indicentium irregularitatem Clerico,qui matrimonio valido contracto,& morte coniugis dissoluto,Sacris initiatus nouum matrimonium tentauit contrahere, vel tentauit viduam ducere post Sacram Ordinationem : siquidem ex eo tantum quod Sacris initiatus duceret vxorem irregularitas bigamiæ indicta erat in *c.Quotquot 27. q.1.*

Dvbivm XXVI.

An in Irregularitate ex bigamia interpretatiua orta , Episcopus possit dispensare?

167 *Dispensat potest.* IN irregularitate ex bigamia interpretatiua, maximè quæ ex delicto ortum habet , siue delictum fuerit proprium,vt cum quis contrahit duplex matrimonium inualidum , vel vnum validum,& inualidum alterum; siue delictum fuerit alienum,vt cum contrahit cum corrupta: vel cognoscit adulterā vxorē: potest Episcopus ad Sacros Ordines cum quocumq; bigamo dispensare, etiamsi Religionem non ingrediatur. Quia contrarium nullo iure cauetur. Sic Turrecr. *ad c.Lector.34.* Palud. *in 4. dist.27.q.4.a.5.n.35.* Armil. *v.Irregularitas,n. 9.* Tabiena *q.vlt.*

168 *Dispensare non potest.* Dispensare non potest in bigamia huiusmodi , si modus dicendi à primæ sententiæ Doctoribus expressus absolutè sumatur. Quia nullum in iure habet fundamentum. Ita Sayr. *l.6.thes.c.7.n.5.* Sanch. *l.7.de matr.d.86.nu.12.* & plures alij à Sayro relati.

169 *Authoris placitum.* Profectò si huiusmodi bigamia ex delicto proprio consurgat , satis probabile putarim posse Episcopum dispensare (dummodo delictum sit occultum) virtute Tridentini *sess.24. n.6.* vti Sanchez aduertit *n.13.* Imò etiāsi hæc bigamia ex delicto alieno emanarit,vt cōingit,cū quis corruptā ducit,vel vxorem adulterā cognoscit. Quia Tridentinum non distinguit,an ex delicto proprio,vel alieno oriatur. Henriq. *l.12.c.6.fine.* Barbo *p.2.de potest.Episc. alleg.49.n.25.* Sayrus *l.6.thes. c.7.n.9.*

Dvbivm XXVII.

Quoad ordines minores,& beneficium simplex potestne Episcopus cum bigamis propriis dispensare?

170 *Potest quidem.* POtest quidem. Quia in *c.Super eo.* & aliis sub *rubr.de bigamis*,arcētur bigami ab ordinibus,sermo est de Ordinibus Sacris. Et licet in *c.vnic.de bigamis in 6.* generaliter bigami ab ordinibus excluduntur : & in Trident.*sess.23.c.17.* specialiter ab vsu ordinum minorum : hoc intelligendum est , per se, & nulla intercedente causa rationabili dispensandi. Et in *cap,Lector.dist.34.* datur facultas bigamo,vt in lectoratu permaneat,ex dispensatione,inquam,vt ait Glossa, & Suar. *d.49. sectione*

sectione quinta, numero tertio. Sic D. Thom. *in 4. distinctione vigesima septima, quæstione tertia, articulo tertio,* Paludanus *ibi, quæstione quarta, articulo quinto, conclusione quarta,* Durandus *quæstione quarta,* Azorius *parte secunda, libro quinto, capite vigesimo, quæstione secunda,* Sanchez *libro septimo, de matrimonio, disputatione octuagesima sexta, numero undecimo.* Comitol. *l. 1. q. 106. nu. 5. & 6.*

171 *Non potest.* Minimè potest. Quia in *c. unic. de bigamis in 6.* & in Tridentin. *sess. 23. c. 17.* expresè prohibetur bigamis vsus, & exercitium minorum ordinum. Qua in lege, vtpotè à Concilio lata nequit Episcopus dispensare, cum nullibi habeatur, hanc ei esse facultatem concessam. Ita Almendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ l. 2. tit. 19. de foro compet. nu. 16.* Garcia *de benef. p. 7. c. 6. n. 5.* Praxis noua Episcopal. *p. 1. c. 1. num. 6.* Francisc. Leo *in thes. fori Ecclesiast. p. 2. c. 8. n. 16.* Barbosa *p. 2. de potest. Episc. alleg. 49. n. 25. iuncto n. 22.* Layman. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. fine.* Bonacina *tom. 1. d. 7. q. 1. pun. 5. num. 15.*

172 *Hoc affirmo.* Etsi propter Doctorum authoritatem prima sententia vt probabilis sustinenda sit, probabiliorem arbitror esse secundam, præcipuè cum, multis ex citatis pro ea Doctoribus, id à Sacra Congregatione fuerit declaratum.

DVBIVM XXVIII.

An in Bigamia similitudinaria possit Episcopus ad Ordines Sacros suscipiendos, illisve vtendum, dispensare?

173 *Non potest.* NOn potest. Quia in *cap. Ex litteris, el 2. Qui Clerici, vel vouentes* inquit Pontifex Subdiaconum contrahentem nuptias nõ esse admittendum in Subdiaconatu ministrare, neque ad vltteriores ordines ascendere, nisi Religionem fuerit ingressus: ergo tollitur Episcopo facultas dispensandi in bigamiæ similitudinariæ irregularitate. Sic nonnulli Doctores, quos presso nomine indicat Palao *de Cens. d. 6. pun. 8. n. 19.*

174 *Potest equidem.* Potest equidem. Quia *cap. De Diacono 1. Qui Clerici, vel vouentes*, & *cap. Sanè el 2. de Cler. coniug.* dicitur: *Officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, eius executionem habere.* Ita Toletus *l. 1. c. 68. concl. 6.* Suar. *de Cens. d. 49. sect. 6. num. 18.* Sanchez *lib. 7. de matrimon. disputation. 86. numer. 20.* Garcia *de benefic. part. 7. capit. 6. numer. 15.* & alij plures apud ipsos.

175 *Certum hoc esse reor.* Hoc certum esse reor. Nam textus pro prima sententia allegatus loquitur de consilio, non de præcepto teste Glossa *ibi.* Abbate, & Alex. de Neuo *in fine.* Innocent. *n. vni.* & aliis. Sanchez autem aduertit *n. 21.* cum huiusmodi Clerico in Sacris constituto viduam ducente posse Episcopum ad beneficium simplex dispensare ex *cap. Presbyterorum, distinction. 28.*

CAPVT XVIII.

Circa Irregularitatem prouenientem ex defectu natalium.

DVBIVM XXIX.

Si defectus Natalium occultus sit, excusaturne quis ab irregularitate?

176 *Status quæstionis.* IRregulares sũt ij, quorum natiuitas à legitimo matrimonio, vel probabiliter existimato deficit: eaque de causa ex defectu natalium appellatur. *c. 1. & fin. de filiis Presbyter.* & *c. Venerabilem. Qui filij sint legitimi.* Quæsierim itaque, an si hoc vitium occultum sit, excusetur quis ab irregularitate?

177 *Excusatur.* Excusatur. Quia in *c. Ex terrore, de tempore ordinato.* criminosus notorius ab ordinibus suscipiendis repellitur, admittitur tamen peracta pœnitentia, si crimen sit occultum. Ergo ex crimine occulto non manat irregularitas. Certe si illegitimus reputatus legitimus irregularis censeatur, cogetur suum vitium occultum saltem Episcopo, vel Pontifici, à quo impetranda est dispensatio, manifestare. At iniquum est, obligare quemlibet, vt seipsum infametet: ergo irregularis censendus non est. Sic Alphons. de Castro *l. 2. de leg. pœn. cap. vlt. concl. 3.* Vincent. relatus ab Angelo *v. Homicidium 5. q. 1.*

178 *Non excusatur.* Non excusatur. Quia textus in *c. 1. & c. fin. de filiis Presbyt.* absolutè illegitimum ab ordinibus excludunt nulla distinctione facta de publico, vel occulto. Ita Nauar. *sum. c. 27. nu. 201.* Couarr. *ad Clement. si furiosus, p. 2. §. 3. n. 4.* Vgolinus *de irregular. c. 44. §. 1.* Azorius *p. 2. l. 6. c. 3. q. 13.* Auila *p. 7. d. 3. dub 6. conclus. 1.* Coninch. *d. 18. dub. 12. initio.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 1.* Bonacina *tom. 1. d. 7. q. 2. punct. 3. n. 2.* Hurtado *de irregul. diffic. 16.* Sayrus *lib. 6. thesaur. c. 10. num. 36.*

179 *Hanc sententiam defendo.* Profectò leuia sunt, quæ à Castro afferuntur fundamenta, vt à communi sententia tot Doctorum authoritate obfirmata recedamus. Nam textus in *c. Ex terrore* excludit criminosum notorium ab ordinibus ob irregularitatem infamiæ, quæ stante delicto occulto, nulla est, ac proinde nulla est irregularitas. Illud verò, quod adiicit Castro, vim tantum haberet casu, quo Ecclesia illegitimum reputatum legitimum obligaret ad ordines suscipiendos: At Ecclesia neminem obligat ad ordinum susceptionem, vnde si quis iudicat, se infamia afficiendum, dum se illegitimum profitetur ad dispensationem obtinendam, ab ordinum susceptione abstineat, ad quam eum non cogit Ecclesia.

Dvbivm XXX.

Cum dubium subest de alicuius illegitimitate estne reputandus irregularis. Vbi de filiis expositis?

180 *Reputandus est irregularis.* IRregularis reputandus est. Quia filios expositos esse illegitimos non est dubium, sed moraliter certum, cum rarò legitimi exponantur. Sic nonnulli Doctores.

181 *Non est reputandus.* Minimè est reputandus irregularis, Quia semper in dubiis benigniora sunt præferenda: maximè cum in iure statutum sit, nullam irregularitatem contrahi nisi in casibus à iure expressis. *c. Is cui, de sent. excomm in 6.* At in iure expressum nō est ob illegitimitatem dubiam contrahi irregularitatem. Et quidem negari non potest, aliquando legitimos filios exponi ob parentum inopiam: fauore ergo eorum qui fortasse sunt legitimi, omnes legitimi reputantur, Ita Castro Palao *tract. 13. de benefic. disp. 4. punct. 1. §. 1 fine.* plures referens. Sayrus *l. 6. thes. c. 10. nu. 39.* Coninch. *d. 18. dub. 12.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2.*

182 *De huius sententiæ veritate nō dubito.* De huius sententiæ veritate non dubito, dum in *c. 1. de infant. & languidis*, lego, eos infantes etiamsi serui fuerint, effici liberos, & libertos fieri ingenuos. Quia ius Canonicum, & Ciuile intendit iis quoad fieri possit, fauere, vtpotè omni subsidio humano destitutis. Illud est certum, Episcopum cum his dispensare posse, non quia in defectu natalium potestatem dispensandi habeat; sed quia hic defectus aliquo modo est dubius, ideoq; ex epicheia censetur Episcopi subiectus potestate. Suarius *d. 50. sect. 4. n. 4.* Bonac. *tom. 1. d. 7. q. 2. pun. 3. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. fine.*

Dvbivm XXXI.

Filius illegitimus dispensationem obtinens potestne aliud beneficium obtinere, primo relicto?

183 *Plura recolo de ablatione irregularitatis ex defectu natalium.* REcolo, irregularitatem ex defectu natalium multipliciter auferri posse. Primò, per subsequens matrimonium casu quo parentes tempore copulę habiles ad contrahendum extiterint. Nam matrimonium subsequens quasi retrotrahitur vsque ad conceptionis tempus ex iuris Canonici benignitate, & prolem antea susceptam legitimam reddit. *c. Tanta, qui filij sint legitimi.* Deinde tolli potest per absolutam legitimationem Pontificis: alius enim non potest ad effectus iure Canonico inductos hos irregulares legitimare. Solùm Commissarius Cruciatæ potestatem habens dispensandi in matrimonio irrito ob occultum impedimentum affinitatis ex illicita copula, quando in vno ex contrahentibus adfuit bona fides: potest etiam legitimare prolem in foro conscientiæ quoad Ordines, & beneficia. Tertiò aufertur dispensatione. Differt autem dispensatio à legitimatione, quia legitimatio est quoad omnes effectus, estque quædam habilitas personæ, & ad primæuam naturam illius restitutio: dispensatio verò respicit effectus, radicali personæ inhabilitate remanente: vnde legitimatio est latè interpretanda, secus dispensatio. Dispensatus simpliciter ad ordines, intelligitur ad minores solùm: & dispensatus ad beneficium, de vnico & simplici intelligitur. Dubitarim verò, an ex vi huius dispensationis possit illegitimus obtinere aliud beneficium, primò, ad quod dispensatus est, relicto?

184 *Non potest.* Non potest. Quia dispensatio est stricti iuris. Et quia in *c. 1. §. Ille verò, de filiis, Presbyter.* dispensatus ad beneficium, potest vnicum tàtùm obtinere. Sic Couar. *l. 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 8. n. 5.* Sayr. *l. 6. thesaur. c. 11. fine,* & alij relati à Sancio *l. 8. de matr. d. 31. n. 6.*

185 *Potest qui, dem.* Potest equidem successiuè plura beneficia obtinere. Quia vno relicto, ad quod dispensatus erat, aliud acquirit: vnde nunquam dupli ci beneficio fruitur, sed vnico ad quod dispensatus est. Ita Sanch. *citatus, n. 11.* Et probabile re putat Castro Palao *de Cens. d. 6. pun. 10. nu. 6.*

186 *Auctoris resolutio.* Certè licet quilibet possit plura beneficia simplicia, quorum quodlibet congruę sustentationi non sufficit obtinere absque dispensatione: illegitimus hac potestate priuatur, vnde licet dispensatus sit ad beneficium, non censetur dispensatus nisi ad vnicum tantum: sed successiuè vno relicto, & alio acquisito, dicitur vnico tantùm beneficio frui, at quidem dispensatus est. Addiderim, dispensatum ad beneficia Curata, non censeri dispensatum ad Canonicatus, vel dignitates Cathedralis ecclesiæ. Quia sunt omninò diuersa, & propter eorum qualificationem debent necessariò exprimi. Nec sub dispensatione ad dignitates comprehenditur dignitas maior Ecclesię Cathedralis: & principalis Ecclesiæ Collegiatæ.

Dvbivm XXXII.

Si beneficio simplici (ad quod obtinendum cum illegitimo dispensatur) annexum sit Beneficium Curatum: impediturne dispensatio?

187 *Statur.* CErtum est Pontificē dispensare posse in irregularitate ex defectu natalium dimanante. Quia ab illo irregularitas emanauit. De Episcopis verò omnes tenentur concedere posse dispensare cum quocumque illegitimo ad ordines minores, & beneficium simplex. Quia sic habetur. *cap. 1. de filiis Presby. teror. in 6.* Quæstio autem est, si huic simplici sit annexum Curatum, an dispensatio impediatur?

188 *Impeditur.* Impeditur quidem. Quia Episcopo non est datum posse cum illegitimo ad beneficium Curatum dispensare: ergo si simplici sit Curatum beneficium annexum, dispensatio impedietur. Sic Sayrus *l. 6. thesaur. c. 11. num. 11.* alios referens.

Non impeditur. Non impeditur. Quia accessorium sequitur naturam principalis, cui adhæret. Ita Gonza. lez *Reg. 8. Cancell. glossa 5. § 7. num. 18* Barbosa *p. 2. de potest. Episcop. alleg. 45. n. 2. 4.* Valquez *de benef. c. 3. §. 1. dub. 3. n. 7.*

Hoc

189 *Probabilius hoc.* Hoc probabilius iudico, monens, hanc concessionem non extendi ad suum familiarem triennalem illegitimum quo cum nequit dispensare Nauar. *Cons. 27. de tempor. ordinat.* Auila *p. 7. d. 3. concl. 2.*

Dvbivm XXXIII.

Potestne Episcopus cum illegitimo dispensare ad Canonicatus, & integras portiones Cathedralis Ecclesiæ?

190 *Nonnulla suppono.* IVre antiquo spectato, poterat dispensare. Quia sub beneficio simplici comprehendebatur Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, cum nec sit dignitas, neque personatus, sed beneficium simplex residentiam requirens. At spectata dispositione Tridentini *sess. 24. c. 12.* annectés omnibus canonicatibus, & integris portionibus Ecclesiæ Cathedralis Ordinem Sacrum, dubito, an possit Episcopus cum illegitimo dispensare ad Canonicatus, & integras portiones Cathedralis Ecclesiæ?

191 *Non potest dispensare.* Non potest dispensare. Quia Episcopis interdicta est ad Sacros Ordines cum irregulari illegitimo dispensatio: ergo consequenter censetur ad beneficium cui Sacri Ordines annectuntur erit interdicta, si quidem absque illorum susceptione nequit beneficium retineri. Sic Henriq. *l. 14. c. 8. n. 10.* Sayr. *l. 6. thes. c. 11. n. 13.* Garcia *de benef. p. 7. c. 2. num. 65. & 68.* Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 45. nu. 24. & 32.* Bonac *to. 3. d. 7. q. 2. punct. 3. fine.* Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 18. n. 86.* & alij apud ipsos.

192 *Dispensare potest.* Dispensare potest. Quia Canonicatus, & portio integrà Cathedralis Ecclesiæ non requirit Sacrum Ordinẽ actualiter, hoc est, cũ recipitur, sed solũ vt intra annũ accipiatur: ergo stare potest, quod Episcopus ad præfatum beneficiũ cũ illegitimis dispenset, quin dispẽsationẽ concedat ad Sacros Ordines accipiẽdos. Vnde illegitimus poterit ex Episcopi dispensatione Canonicatum, & postmodũ adire Pontificẽ, vt ad Ordinẽ Sacrum dispensationem concedat, alias Canonicatui, vel portioni renunciabit. Ita Azor. *p. 2. l. 6. c. 2. q. 15.*

193 *Primæ sententiæ adhæreo.* Primæ sententiæ omnino adhæreo. Satis enim est, Sacrũ Ordinẽ ex obligatione suscipiendũ annecti Canonicatui, aut portioni, vt non possit Episcopus cũ illegitimo dispẽsare, quandoquidem ad Ordinẽ Sacrũ nequit. Nã eo ipso quo Ordo Sacer Canonicatui annectitur, debet Canonicatum suscipiens habilis ad eum Ordinem susciepiendum existere, quod absque Præsulis sũmi dispensatione non potest. Attamen concessa Pontificia ad Sacros Ordines dispensatione, optime poterit illegitimus ex Episcopi dispensatione ad Canonicatum, seu portionem Ecclesiæ Cathedralis, & ad quodlibet aliud beneficiũ simplex Ordinem Sacrum requirens promoueri. Quia cessat obstaculum Lessi. *citatus.* Ad dimidiam verò Ecclesiæ Cathedralis portionem, & ad Ecclesiæ Collegiatę Canonicatum est Episcopis ad dispensandum potestas concessa *c. 1. de filiis Presbyteror.* cum illegitimis. Quia non habent Ordinem Sacrum annexum.

Dvbivm XXXIV.

Cum illegitimo, cuius defectus occultus est, potestne Episcopus dispensare ad Sacros Ordines suscipiendos, &c.

194 *Quæstionis status.* CErtum est, Episcopum non posse ad Sacros Ordines, & ad beneficium Curatũ, dignitatem, & personatum cum illegitimo dispensare. *Cap. fin. de filiis Presbyt.* Dubito autem num id possit Episcopus, si natalium defectus sit occultus?

195 *Potest pro. facto.* Potest profecto. Quia ex *cap. Cum pridem, de renunciat.* & ex Tridentino *sess. 24. capit. 6.* potest Episcopus dispensare in omnibus irregularitatibus, quæ ex delicto occulto proueniunt, neque Concilium distinguit, an delictum debeat esse proprium, an alienum maximè cum hæc facultas latè sit interpretanda, vtpotè beneficium Principis, & iuri communi in fertum. Addo Tridentinũ ideo Episcopis concessisse potestatem dispensandi in irregularitatibus, nè animæ illaqueatæ essent, si obligarentur Sedi Apostolicæ crimina, ad dispensationem obtinendam, detegere: quæ ratio in præsenti locum habet. Sic Auila *p. 7. d. 3. dub. 7.* Inclinat Henr. *l. 14. c. 8. n. 10.* Probabile reputat Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2.* Coninchque *d. 18. dub. vlt. fine.*

196 *Non potest.* Non potest. Quia hæc irregularitas per se non prouenit ex delicto parentum immediate: nam esto parentes matrimonio non coniuncti ex defectu libertatis à culpa excusarentur generatione filij, filius æquè irregularis esset, ac quando genitus est à parentibus culpam perpetrantibus. Quia non ex parentum culpa, hæc irregularitas nascitur, sed ex indecentia, quam contrahit filius, eo quod genitus sit à parentibus matrimonio non coniunctis. Ad irregularitates autem ex indecentia prouenientes, etsi fundamentum habeant in aliquo crimine, non datur in Tridentino facultas Episcopo dispensandi. Ita Nauar. *summ. cap. 27. num. 194.* Vgolin. *tract. de irregul. cap. 14. §. 2. num. 4.* Suar. *disp. 50. sect. 5. numer. 5.* Bonacin. *tom. 1. disput. 7. quæstion. 2. punct. 3. fine.* Coninch, & Layman *locis alleg.* Hurtad. *de irregular. difficultat. 20. numer. 65.*

197 *Veriorem hanc sententiam esse iudico.* Veriorẽ hanc sententiã esse credo, idque in praxi obseruatum esse video. Probabilius autem sustineri posset, Episcopum dispensare posse cum illegitimo bona fide Sacris initiato, vt in susceptis Ordinibus ministret. Quia per ipsam ordinationem bona fide susceptam videtur ius aliquod ad vsum accepisse. Henriquez *lib. 12. cap. 20. num. 2. & lib. 14. capit. 8. num. 10.* Auila *part. 6. disputat. 3. dub. 6.* Laym. *libr. 1. tractat. 15. part. quint. cap. 5. numer. secund.* Fauet *Cap. Lugdunensis. 9. quæstion. 2. & ibi* Glossa.

CAPVT XIX.

Circa Irregularitatem ex defectu animæ, & corporis prouenientem.

DVBIVM XXXV.

An Episcopus possit in Irregularitate orta ex amentia non perpetua, dispensare?

198 *Nonnulla recolo de ignorantia & amentia.*

REcolo ignorantiam, quę ministerium Ordinis exercere non permittit, constituere hominem irregularem. Hæc autem ignorantia non est illius scientiæ, quæ à Tridentino *sess. 23. c. 4.* pro singulis Ordinibus requiritur, sed quæ vsum Ordinis suscepti omninò impedit. Defectus verò scientiæ à Concilio requisitæ impedit sub graui piaculo, ne eo stante Ordo suscipiatur. Certè amentia (quæ est alter animæ defectus) constituit irregularem, non solum quando est perpetua; sed & quando fuit ad tempus, ita vt licet sanitatem quis recuperauerit, adhuc sine dispensatione promoueri non possit. *Cap. Maritum. 33.* Quod intellige de amentia, quæ est per modum habitus, scilicet fundata in naturali cõplexione, & propria organorum læsione: non de illa, quæ profluit ex aliqua febri, aut qualitate transeunte, qua cessante cessat amentia. Quæsierim vero, num in huiusmodi amentiæ non perpetuæ irregularitate possit Episcopus dispensare?

199 *Potest quidem.*

Potest quidem non solum ad vtendũ Ordinibus susceptis, sed etiam ad illos suscipiendos. Quia recuperata iam sanitate aptus sit quisque ad Ordinum exercitium: examen vero huiusce aptitudinis videtur ad Episcopum immediatum Pastorem, quam ad Pontificem pertinere, Sic Maiol. *de irregul. l. 2 c. 14.* Indicat Sayr. *l. 6. thes. c. 13. n. 3.*

200 *Non potest.*

Minimè potest. Quia nullibi inuenitur Episcopo potestas huiusmodi concessa. Ita Suar. *d. 51. sect. 1. n. 5.* Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 2. n. 23.* citans alios.

201 *Hoc probabilius.*

Probabiliorem hanc reor esse sententiam. Nam cum non adsit textus hanc dispensandi potestatem impertiens Episcopo, cogimur asserere solius Pontificis authoritate posse ordinibus initiari, qui semel in amentiam per modum habitus incidit.

DVBIVM XXXVI.

Ignorantia, quæ ministerium Ordinis exercere non permittit, constituitne irregularem?

202 *Non cõstituit irregularem.*

NOn cõstituit irregularẽ. Quia in *c. Illiteratos*, non dicitur, huiusmodi ignorantiã irregularẽ efficere, sed præstare impedimentũ Ordinis suscipiendi. Sic Henr. *l. 10. de Ordine, c. 16. n. 2.* Garcia *de benef. p. 7. c. 7. n. 19.* Irregularem constituit. Quia indicto *c. Illiterato*: eodem modo arcentur à suscipiendis Ordinibus illiterati, ac vitiati corpore. Sed corpore vitiati in omnium sententia irregulares sunt: ergo etiam hi illiterati irregulares erunt. Ita Nauar. *sum. c. 27. n. 205.* Sayr. *l. 6. thes. c. 6. n. 5.* Suar. *d. 51. sect. 1. n. 8.* Auila *p. 7. d. 4. dub. 1.* Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 1. num. 2.* & alij apud ipsos. 203 *Irregulem constituit.*

Si tanta sit ignorantia, vt ministerium Ordinis exercere non permittat, constituere hominem irregularem probabilius existimo. 204 *Hoc probabilius.*

DVBIVM XXXVII.

An Hermaphroditus, in quo sexus virilis, & fœmineus æque inualescit, sit iure diuino capax Ordines suscipiendi?

INter defectus corporis primo potest enumerari possessio vtriusque sexus virilis, ac fœminei: in quo si præualeat sexus fœmineus incapax esse videtur characteris suscipiendi. Quia absolutè fœmina, & non vir est reputandus. Quæsierim autem, an ille, in quo æque sexus virilis & muliebris inualescit, sit iure diuino incapax Ordines suscipiendi? 205 *Status quæstionis.*

Incapax non est: Quia nequit absolute fœmina reputari. Sic nonnulli, quorum sententiam non esse reiiciendam omnino, indicat Palao *de cens. d. 6 pun. 11. n. 1.* 206 *Non est incapax.*

Incapax iure diuino est. Quia nequit absolutè vir reputari. Ita plures Doctores, quos citat Sayr. *l. 6. thes. c. 8. n. 24.* & Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 2. n. 15.* 207 *Incapax est.*

Ego quidem existimo æque id incertũ esse in vtraque sententia: cum neque absolutè vir, neque absolutè fœmina ille sit appellandus. 208 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM XXXVIII.

Hermaphroditus, in quo sexus virilis prænalet, si defectus notus sit: estne irregularis?

SI defectus non sit notus, irregularem non esse, plures censent. Toletus *l. 1. c. 63. nu. 6.* Martin. Fornar. *de Ord. c. 3. n. 1.* Quæstio vero est, an sit irregularis, si defectus sit notus? 209 *Nonnulli putant.*

Irregularis non est, quia non est irregularis eunuchus à natura, & qui in pede habet sex digitos: non enim videtur esse deformitas deformitatem causans. Haud aliter huiusmodi hermaphroditus. Sic Gaspar Hurtad. *de irregular. difficul. 14. numer. 52.* 210 *Non est irregularis.*

Est irregularis. Quia hæc monstruositas indecentiam scientibus non mediocrem exponit. Ita Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2 pun. 2. n. 15.* Suar. *d. 51. sect. 1. n. 1.* Glos. & Archidiac. *ad c. si tellis, v. Hermaproditus, 4. q. 3.* Nauar. *sum. c. 27. num. 203. & cons. 8. de ætate, & qualit. ordinandor.* Sayr. *thes. c. 8. n. 24.* 211 *Irregularis est.*

Negare non potest, eam monstruositatem, si nota sit, magnam indecentiam continere. Vnde probabiliorem longè secundam sententiam 212 *Hoc longè probabilius.*

tentiam esse existimo addens, in hoc defectu nullum alium à Pontifice posse dispensare. Auila *p.7.d.3. dub.5.* alios referens.

Dvbivm XXXIX.

Patiens defectum impedientem Altaris ministerium, potestne alios Ordines, à quorum vsu ex vi talis defectus impeditus non est, suscipere?

213 *Certa sup. puto.* CErtum est, defectum corporis conguentem Ordinis vsum impedientem, vel notabilem horrorem, seu deformitatem causantem irregularem quemquam facere siue ex culpa, siue absque culpa contingat. *Cap.2. de Clerico agrotante.* & *c.2. & vlt. de corpor. vitiatis.* Rogarim verò, an patiens defectum, qui impedit Altaris ministerium, suscipere possit alios Ordines, à quorum vsu ex vi talis defectus impeditus non est?

214 *Potest suscipere.* Potest suscipere. Quia hæc irregularitas cũ proueniat ex impedimento vsus Ordinis, solum comparatione illius Ordinis, cuius vsum impedit, constitui debet. Sic Sayr. *l.6. thesc.7. num.8.*

215 *Suscipere non potest.* Suscipere non potest. Quia impeditus à celebratione ob vitium, seu defectum aliquẽ corporis absolute est irregularis, & consequenter ab omnium Ordinum susceptione excluſus. Ita Nauar. *sum.c.27.n.200.* Vgolin. *de irregul.c.52.§.1.n.4.* Bonac. *to.1.d.7.q.2.pun.2.num.18.*

216 *Hoc eligo.* Hoc probabilius esse iudico. Quia cum omnes Ordines ad Sacerdotium referantur, excluſus à Sacerdotio, ab omnibus Ordinibus excluſus censeri debet.

Dvbivm XL.

Si morbus, seu defectus corporis superueniat alicui Beneficio recepto, priuaturne qui defectum patitur, illo, siue sit siue non sit Curatum?

217 *Nonnulla suppono.* SI vitiũ, seu defectu corporis ordinato superueniat, tantum impedit ministeriũ repugnans huic defectui: v.gr. Sacerdos carens oculis, aut digitis, impeditur à celebratione, sed non à Confessionibus audiendis. *Cap.2. de Cler. agrotan.* ibi: *Ipsum autem cæteris Sacerdotalibus officiis fungi minime prohibemus.* Et hoc siue culpabiliter contingat, siue non. Suar. *d.51. sect.2.n.13.* & 18. Auila *p.7.d.3. dub.1.* Sayr. *l.6. thesc.8.n.7.* Idẽ est dicendũ de beneficio, si antecedat morbus receptionem eius, reddit Clericũ incapacẽ illud recipiendi: nisi sit beneficium simplex, ex quo possit sustentari. Iã requiro, num si defectus superueniat beneficio recepto, eo priuet ægrotum, sit, vel non sit beneficium Curatum?

218 *Priuat equidem.* Priuat equidem. Quia in *c. de Rectoribus* & in *c.vlt. de Clerico agrotante, vel debilitato.* ægrotus huiusmodi ab actuali ministerio priuatur. Ergo consequenter priuatur beneficio acceptato, vt qui deseruiret altari, de altario viueret. Sic Glossa ad præfata *Capita.*

219 *Non priuat.* Minimè priuat. Quia esto ab actuali ministerio in his testibus remoueatur ægrotus, seu defectum patiens, non tamen inibi beneficio priuatur. Ita Suar. *d.51. sect.2.n.18.* & alij.

220 *Hoc dicendum.* Hoc quidquid repugnet, Glossa, puto esse asserendum. Nam si Pontifex vellet ægrotum huiusmodi non solum ab Altaris ministerio, sed à beneficij possessione priuare, proculdubio exprimeret.

Dvbivm XLI.

Potestne Episcopus in Irregularitate ex defectu corporis dispensare cum Religioso, qui huiusmodi afficitur defectu?

221 *Status quæstionis.* CErtum est hac irregularitate suppositâ solius Pontificis esse in illa dispensare. Nauar. *sum.c.27.n.200.* Suar. *d.51. sect.2.n.18.* Auila *p.7.d.3. dub.3.* Couar. *Clement. Si furiosus. p.1. num.7.* Quæsierim vero, an Episcopus possit cum Religioso huiusmodi defectu laborante dispensare?

222 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia ob illius status perfectionem, & decentiam videtur Pontifex conniuere, vt dispensatio ab Episcopo impetrari possit, ne cogatur Religiosus extraordinariis curis implicari, vt à Pontifice dispensatio valeat obtineri. Sic Sylvest. *v. Irregularitas, q.vlt.* Tabie. & Rosella *ibid.* Auila *p.7.d.3. dub.1.* Maiol. *de irregul. l.1. c.14. n.15.* & alij, quos citat Sayr. *l.6. thesc.8. fine.*

223 *Non potest.* Minimè potest. Quia nullibi Episcopis talis facultas dispensandi inuenitur. Ita Laym. *l.1. tr.5. p.5. c.7. n.3.* Palao *de cens. d.6. pun.11. n.6.*

224 *Hoc mihi certum.* Profecto non video, quonam fundamento primæ sententiæ oDctores nitantur. Imo crediderim Pontificis contrariam voluntatẽ exprimi, dum omnibus ferè Religionibus priuilegium impertitus est, vt Prælati Regulares cum suis subditis dispensare in hoc defectu possint, maximè cum Ordinationem subsequitur. Si autem Episcopis hæc esset potestas, haud ita necessarium esset præfatum Religionum indultum.

CAPVT XX.

Circa Irregularitatem profluentem ex proprij corporis mutilatione.

Dvbivm XLII.

Vt quis irregularis sit ob proprij corporis mutilationem, necessariumne est vt tam culpa, quam ipsa partis abscissio nota sit?

225 *Nonnulla suppono.* QVi partem sui corporis etiam vsum corporis non impedientem, sibi per indignationem

gnationem, aut indiscreto zelo abscindit, vel abscindi permittit, irregularis est. *c. Qui partem, dist.* 55. Quia in ea irregularitate indicenda non consideratur tàm effectus ex abscissione relictus, quam voluntas quæ sibi causa est ferrum iniicere. Quęrierim autẽ, an necessario debeat nota esse tam culpa, quam partis abscissio.

226 *Debet esse nota.* Necessario debet esse nota. Quia ex notorietate oritur indecentia contracta ad Ordines suscipiendos. Cum alia sint grauiora admodum crimina, quæ secreta dum sint Ordinum susceptionẽ non impediunt. Sic Valent. *to.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *pun.* 2. Auila *p.* 7. *d.* 3. *de irregul. dub.* 1. Couar. *Clement. si furiosus, nu.* 6. Henriq. *l.* 14. *c.* 8. *n.* 4. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 198. & alij plures à Sayro relati *l.* 6 *thes. c.* 7. *n.* 13.

227 *Necessario non debet esse nota.* Necessario esse nota non debet. Quia hæc irregularitas non tam nititur notorietati culpæ, quã excessui, & sæuitiæ, quam quis secum exercuit. Ita Sayr. *vbi sup. nu.* 12. Garcia *de benef. p.* 7. *c.* 12. *n.* 5. Molina *tr.* 3. *d.* 70. *n.* 16. & *d.* 67. *num* 8.

228 *Hoc probabilius esse reor.* Hanc sententiam spectata Ecclesiæ intentione probabiliorẽ esse defendo. Nam in ipso *c. Qui partem* apertè irregularitatis huius ratio annectitur: nempè sæuitia, quæ Ministrũ tam pacifici Mysterij maximè dedecet.

Dvbivm XLIII.

Ex eo quod quis culpabilem causam dederit, vt sibi virilia, vel aliquod aliud membrum amputetur à Iudice, vel à marito ob commissum adulterium: existitne irregularis?

229 *Irregularis existit.* IRregularis existit. Quia irregularis est qui sibi virilia abscindi facit sed idem est dare causam culpabilem abscissioni: est irregularis. Sic Vgolin. *de irregul. c.* 18. *n.* 4. Suar. *d.* 51. *sect.* 2. *n.* 8. Bonac. *d.* 7. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 33. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *fine.* Bonac. *to.* 1. *d.* 7. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 33. Molina *tr.* 3. *d.* 70. *n.* 18. Auila *p.* 7. *de irreg. d.* 3. *dub.* 1.

230 *Non existit irregularis.* Non existit irregularis. Quia id nullo textu probatur: & irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis. Ita Tolet. *l.* 1. *c.* 82. Garcia *de benef. p.* 7. *c.* 12. *à n.* 7. Coninch. *d.* 18. *dub.* 13. *n.* 108. Hurtad. *de irregul. difficul.* 14. *n.* 52. Et alij apud Garciam.

231 *Hanc sententiã pro. babiliorem mihi eligo.* Valde probabilem primam sententiam tot Doctoribus roboratam esse reor, sed eligo vt probabiliorem secundam. Nam omnes textus hanc irregularitatem indicentes expresse loquuntur de eo, qui sibi ex indignatione, vel zelo indiscreto castitatis membrum amputauerit per se, vel per alium: nullus autem textus loquitur de eo, qui amputationi causam dedit. Ergo non est huiusmodi irregularitas indicenda.

Dvbivm XLIV.

Irregularisne est qui testiculos sibi abscindi facit causa vocis retinendæ?

232 *Irregularis est.* ESt irregularis. Quia si textus irregulares esse indicunt, qui sibi virilia abscindi fecerit: aperte indicant, idem iudicium agendũ esse de eo, qui causa retinendæ vocis facit sibi abscindi testiculos. Sic multi Doctores. Palao *de cens. d.* 6. *pun.* 12. *n.* 4. indicat hanc sententiam probabiliorem communiter esse, dũ ait improbabilem non esse contrariam.

233 *Non est irregularis.* Irregularis non est. Quia id non facit ex indignatione, vel ex iusto, aut iniusto castitatis amittendæ timore, prout requiritur in *c. Maritum. c. Qui partem. c. Si quis abscinderit.* & aliis, quæ referri possunt. Ita Palao *citatus.*

234 *Hoc sentio, & alia adiicio.* Hunc sequor, cum videam, nullum textum hanc irregularitatem præscribentem loqui de eo, qui sibi testiculos attriuit & elisit, aut comprimi fecit: sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diuersum procul dubio est. Illud est certum, imbecillitatem virilis membri, aut eius carentiam absque propria culpa contingentem, vt si natus fuisti absque pudẽdis, aut per vim à parentibus castratus, aut cõsilio Medici vel Chirurgi ad valetudinem, aut ab inimicis in odium fidei: irregularem minime esse. Porro circa dispensationem huius irregularitatis ex mutilatione voluntaria sui, si facta sit abscissio integri membri, & occulta, poterit Episcopus dispensare. Trident. *sess.* 14. *c.* 6. Et idem existimo, si abscissio casu contingeret ex propria culpa, dummodo culpa occulta sit, tametsi abscissio sit notoria. Auila mecum *p.* 7. *d.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2.

CAPVT XXI.

Circa Irregularitatem procedentem ex libertatis defectu.

Dvbivm XLV.

Obligatio reddendi pro seruo alieno ordinato duplicatum pretium, adesne ante Iudicis sententiam?

235 *Certa sponte.* CErtum est carentiam libertatis, dum adest, irregularem constituere. At seruum sciente, & non contradicente domino, ordinatum liberum esse. Porro si domino ignorante, Ordinibus initietur, grauem culpam committit, & manet seruus si solum minoribus initiatus sit. Aſt si maioribus, domino ignorante, & à fortiori sciente, & contradicente, Episcopus ordinans conscius malitiæ, aut illo ignaro qui testimonium perhibent, aut supplicauerint ordinari, obligantur domino satisfacere indu plum hoc est, duplicem seruum loco serui ordinati reddendo, vel duplicatum pretium illius, quod æstimatur. Quæsierim autem, an hæc obligatio adsit ante Iudicis sententiam?

236 *Adest quidem.* Adest quidem. Quia hæc est lex dispositiua, vt obligetur dominus seruum sic Ordinatum dimittere. Sic Suarius *disputat.* 51. *sect.* 3.

237 *Non adest.* Non adest obligatio ante sententiam. Quia opus non erat duplicatam satisfactionem Episco

Episcopo ordinanti, aut ordinationis mediatoribus indicere, vt dominus seruum ordinatum dimitteret. Satis enim erat, si integram satisfactionem iure naturæ debitam præstare obligarentur. Ergo illa duplicatio in pœnam delicti commissi statuitur, ac proinde Iudicis sententiam saltem declaratoriam delicti exigit. Ita Bonacin. *tom.* 1. *d.* 7. *q.* 2. *punct.* 4. *num.* 3.

238 *Hoc rectius excogitãdũ esse iudico.* Hoc rectius excogitatum esse iudico. At si hanc duplicem satisfactionem illi non exhibuerit, non liberatur seruus neque dominus tenetur illum dimittere. *Cap. Si seruus abscente domino. dist.* 54. & *ibi* Glos. Abbas *ad cap.* 2. *de seruis ordinand.* Porro si Episcopus ordinans & alij omnes ignari fuerint seruitutis, tenetur ipse seruus hanc duplicem recompensationem facere, vel saltem reddere vicarium pro se æqualem. *Cap. Ex antiquis, dist.* 54. Quam satisfactionem si præstare nõ possit, & ordinatus sit subdiaconatu tantum, redigitur in seruitutem, vt domino obsequatur in omnibus ministeriis, quæ Ordinem illum non deceant. Argum. *Cap. Ex antiquis.* Verũ si in Presbyterum ordinatus, domino ignorante, vel contradicente fuerit non reducitur in seruitutem, etiamsi domino integra satisfacto fieri non possit: sed peculium amittit, & domino redit. *Cap. Ex antiquis.* Si autem peculio careat, obligatur satisfacere in ministeriis sui Officij. *Cap. Frequent.*

Dvbivm XLVI.

Si quis administrationem, quam habet, deponat tametsi rationem illius non reddiderit: potestne ad Ordines ascendere?

239 *Nonnulla suppono.* Alter defectus libertatis irregularem constituens est obligatio raddendi rationem alicuius administrationis à Republica acceptæ, qualem habent thesaurarij, depositari, procuratores, actores, executores, aduocati, magistratu, Iudices rerum temporalium; dum enim illa omnia exercent ab Ordinibus repelluntur tum in honorem Clericalis status, quem dedecet harum rerum administratio tum ne Ecclesia dolo fauere præsumatur quod committere præsumuntur, qui durante hac administratione Ordines suscipiunt: quippe creduntur, non diuini obsequij affectu, sed fugiendi ratiocinia causa Ordinibus initiari. *Cap. vni. de obligatis ad ratiocinia.* Et *cap.* 1. 2. & 3. *dist.* 51. Porro hæc irregulatitas extenditur ad eos, qui alicuius personæ priuatæ nõ miserabilis administrationi obligati sunt, vt tutores, procuratores pupillorum, &c. Iam requiro, num si hi administrationem deponant, tametsi rationem illius non reddiderint, (quam omnes debent ex vi officij huiusmodi dare) ad Ordines possint ascendere?

240 *Ascendere possunt.* Ascendere possunt. Quia *Cap.* 1. *Ne Clerici, vel Monachi*, & *cap.* 1. 52. & 21. *q.* 1. Supradicti arcentur ab Ordinibus officio finito: nec circa rationem prius reddendam aliquid addicitur. Sic Glos. & Panormit ad *Cap. vnic. de obligatis ad rationacia.* Tolet. *libr.* 1. *cap.* 60.

Non possunt ascendere. Quia in præfato *Cap. vni.* vtrumque est requisitum, & quod ab administratione abstineant, & quod illius rationem reddiderint. Ita Suar. *d.* 51. *sect.* 3. *n.* 11. Sayr. *l.* 6. *c.* 14. *n.* 8. Bonac. *to.* 1. *d.* 7. *q.* 2. *pun.* 4. *numer.* 4. Hurtad. *de irregular. difficultat.* 18. Layman. *lib.* 1. *tractat.* 5. *part. quint. capit.* 8. *num.* 3. 241 *Non possũt ascendere.*

Longè probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Nam præcipuè ob obligationem reddendi administrationis rationem ab Ordinibus repelluntur. Hoc autem est certum, (in quo etiam primæ sententiæ Auctores conueniunt) si finita administratione, tibi lis excitetur de dolo, haud posse finitam litem ad Ordines promoueri. Argum. 1 *Cap. Tantis*, 8i. *dist.* & *ibi* Glos. *v. Obrepsit*, & Archidiac. De hoc vero taxari tempus ran quod quæstio decidatur, & interim si te Episcopus promouerit, ipse tenetur in tui defectũ satisfacere. At elapso tempore designato, & actore nihil probante, ordinibus poteris initiari. Sayr. *l.* 6. *thesau. capit.* 14. *numer.* 8. ex communi. 242 *Hoc probabilius.*

CAPVT XXII.

Circa irregularitatem ortam ex homicidio, vel mutilatione publica authoritate facta.

Dvbivm XLVII.

Vt accusantes in causa propria, adhibita protestatione se pœnam sanguinis non intendere, excusentur ab Irregularitate: debentne necessario, eiusmodi protestationem ex animo facere?

243 *Nonnulla recolo.* Certum est, accusatorem, seu denunciatorem, si ex vi suę accusationis, vel denũciationis quis moriatur, irregularem esse. *c. Sententiam. & cap Clerici, Ne Clerici, vel Monachi.* Debet autem mors seu mutilatio ex accusatione, seu denunciatione consequi: nam si aliunde obueniat, accusanti, vel denuncianti imputanda non est. Verum quia sæpe contingit, tam Clericos, quam laicos iniuriam pati, qui si accusationem instituere irregularitatis timore non possent iniuriatores audaciores fierent: ius prouidit, quonãmodo absque irregularitatis periculo possent cõtra sic delinquentes insurgere, & illos accusare, etiam in casu, quo sibi constet, esse capite damnãdos Quod fit *Cap.* 1. *de homicidio, in 6.* Vbi accusantes, vel denunciantes in causa propria excusantur ab irregularitate, si expresse

expresse protestetur, se pœnam sanguinis nō intendere sed satisfactionem. Iam requiro, num necessarium sit, huiusmodi protestationem ex animo facere?

244 *Non debēt necessario.* Non debēt necessariò hāc protestationē ex volūtate, & animo ne accusatus, occidatur gerere. Quia in textu nō cauetur protestationē debere ex animo fieri: & in exteriori foro eiusdem rationis est protestatio vera. Sic Couar. *ad Clement. Si furiosus, p. 2. §. 5. n. 2.* Laym. *l. 3. sect. 5. tr. 3 p. 3. c. 7. fine.* Bonac. *to. 1 d. 7. q. 4. pun. 2. n. 1.* Auila *p. 7. d. 5. sect. 2. dub. 9. concluſ. 3.* Suar. *d. 47. sect. 1. n. 3* Henriq. *l. 14. c. 11. circa finem.*

245 *Necessario debent.* Necessario debent. Quia alias legi illudere viderentur, quæ quidem internum intendit affectum à vindicta, quæ Sacrum dedecet Ministrum prorsus recedentem. Ita Sylvest. *v. Homicidium 2. q. 8.* Nauar. *sum. c. 27. nu. 216.* Tolet. *l. 5. c. 82. n. 5.*

246 *Primam sententiam defendo.* Pia quidem hæc sententia consulenda, & executioni mandanda. At prima verior admodum, & communiter recepta. Itaque opus non est, vt hæc protestatio ex voluntate, & animo procedat, ne accusati sanguinis profundatur: nam etiamsi illius occisionem intendas, modo exterius intentionem non manifestes, sed potius oppositum protesteris, ab irregularitate liberaris incurrenda. Nec legē illudis, cum ipsa internum hunc minimè præscribat affectum Nec opus præterea est hanc protestationem fieri simul ac formatur accusatio: satis enim est, si ante prolationem sententiæ in ipso iudicio fiat. Quia ex hoc sufficienter deducitur accusatorem mortem accusati non quærere. Suar. *citatus, n. 2.*

Dvbivm XLVIII.

Si quis actionem ciuilem intentet, ad recompensationem damni illati, si accusatus paratus sit damnum compensare independenter à præcepto Iudicis: euitatne Irregularitatem protestatione facta, se pœnam sanguinis non intendere, sed satisfactionem?

247 *Nō euitat.* NOn euitat. Quia eo in casu conuincitur, non satisfactionem, sed punitionem quærere, siquidem satisfactionem ei datam admittere renuit. Sic nonnulli Doctores.

248 *Euitat quidem.* Euitat planè. Quia liberum est ei, reparationem damni velle ex manu Iudicis, & publica authoritate obtinere: quippe sic obtenta, est honorabilior. Ita Bonac. *to. 1. d. 7. q. 4 punct. 2. n. 2.* & alij.

249 *Vtor distinctione.* Ego autem distinguendum existimo. Si nulla alia via, quam punitione illi est damnum reparandum, & illius reparationem procurat, conuincitur manifestè punitionem quærere, atque adeo protestatio in contrarium facta, friuola est, & per accusationem eliditur. Verum si reparatio damni alia via quam punitione, ne præstari potest, crediderim illū posse absque timore irregularitatis accusationem, seu denunciationem, facta protestatione instituere.

Dvbivm XLIX.

Detinet quis latronem, qui eius bona diripuit & ab aliis superuenientibus occiditur. Detentor manetne irregularis, si damnum fuit præuisum?

250 *Nonnulli suppono.* QVod supra dixi de accusatore, seu denūciatore dictum habe de clamante, detinente, & comprehendente damnificatorem. Quia hæ actiones sunt media ad præcauendum damnum, vel iam factum recompensandum. Ergo qua ratione licet accusare, has licitum est præstare actiones. Molina *tract. 3. d. 74. m. 11.* Auila *p. 7. d. 5. dub. 9. concl. 1.* Nauar. *sum. c. 27. num. 220.* Quid vero si detentus, ab aliis confluentibus occidatur? an detinens irregularis manebit?

251 *Manet irregularis.* Manet irregularis, si damnum hoc præuisum fuit à detentore. Quia tunc ex homicidio casuali hanc pœnam incurrit. Sic Abbas, & Innocent. *ad cap. Significasti el 2. de homicidio.* Sylvest. *v. Homicidium 3. q. 7.* Nauar *sum. c. 27. n. 236.* Suar. *d. 47. sect. 2. n. 21.*

252 *Irregularis non manet.* Irregularis non manet. Quia irregularitas esse non potest ex defectu perfectæ lenitatis, cum illud homicidium non fuerit factum publica authoritate. Nec irregularitate proueniente ex homicidio iniusto, cum ipse illi causam culpabilem non dedit, nec homicidium potuit impedire. Ita Couar. *Clement. Si furiosus p. 2. §. 5 n 2.* Auila *p. 7. d. 5. sect. 2. dub. 15.* Laym. *lib. 3. section. 5 tractat. 3. part. 3. cap. 7. post medium* Bonac. *tom. 1. d. 7. q. 4. punct. 1. num. 18.*

253 *Cum his probabilius opinor.* Cum his probabilius opinor. Nam primæ sententiæ ratio ad summum vera esse potest, cum detentor excusare posset homicidium absque propriorum bonorum iactura; alias ei homicidium imputandum non est, cum non sequatur ex eius actione, nec detinendi reum actio fuerit illicita.

Dvbivm L.

An Irregularitate afficiatur, aduocatus partes accusatoris iniustè suscipiens, qui de calumnia conuictus occisus est?

254 *Afficitur quidem.* AFficitur quidem. Quia cessante Aduoti patrocinio, nō auderet accusator, moraliter loquendo, causam prosequi, atque adeo non constitueretur in illo vitæ discrimine. Ergo censetur accusatoris morti cooperari. Sic Suar. *d. 47. sect. 4. n. 6.*

255 *Non afficitur.* Non afficitur. Quia si aduocatus bona fide processit, credens accusationem esse legitimam, sicuti à delicto excusatur, sic ab irregularitate delicto annexa excusari debet. Si vero mala fide processit, etsi iniustus sit aduersus accusatum, nullam tamen aduersus accusatorem iniustitiam committit, ideoque non potest ei mors tanquam cooperatori iniusto imputari. Ita Auila *p. 7. d. 5. sect. 2 dub. 8. concluſ. 2.* Bonacin. *disputat. 7. quæstion. 4. punct. 3. numer. 5.*

Hoc

266 *Hoc probabilius esse reor.*

Hoc Suarij sapientissimi venia, probabilius esse reor. Nam licet accusator accusationem non instituisset, nisi Aduocati patrocinium haberet, inde non sequitur, Aduocatum irregularem esse; ex illo enim patrocinio non euenit accusatori mors authoritate publica, sed calumnia aliunde probata. Aliàs quoties cooperatus esses furto, ob cuius causam fur suspenditur, irregularis esses: quod nō est dicendum; quia non es causa mortis, sed delicti, ratione cuius mors infligitur.

Dvbivm LI.

Laicus ad Clericatum aspirans, potestne cogi, vt testimonium in sanguinis causa ferat?

257 *Aliqua suppono.*

SVppono, Clericum haud posse contra reū in causa sanguinis testem gerere. *cap. Is, à quibus 23. q. 8.* vbi Clericis Iudicium sanguinis prohibetur, cui iudicio multum testis cooperatur: ideoque à nullo Iudice cogi potest ad testificandum in sanguinis causa; quia nequit cogi ad illicitum, & sibi grauiter damnosum. Vti omnes Doctores cum D. Th. 2. 2. *q. 7. a. 1. ad 3.* profitentur. Quæsierim verò, nū sæcularis ad Clericatum aspirans cogi possit, vt testimonium in sanguinis causa ferat?

258 *Cogi potest.*

Cogi potest. Quia in praxi forensi receptū non est, vt quis hoc ex titulo à ferendo testimonio in causa sanguinis sæpe quidem admodum necessario, excusetur. Bern. Diaz *in pract. c. 99.*

259 *Non potest cogi.*

Non potest cogi. Quia cū huiusmodi testificatio irregularitatem inducat, iniuria fit ei, qui intendit statutum Clericalem inire, perfectiorem admodum coniugio, ac cœlibatu, dum cogitur irregularitate contracta impediri. Ita Auila *p. 7. d. 5. sect. 1. dub. 13.* Henr. *l. 14. c. 12. n. 9.*

260 *Hoc verius.*

Hoc verius esse iudico: illud autem certum, si Clericus, aut qui aspirat ad Clericatum pro reo testimonium ferat, inde irregularitatem non incurrere, licet ex accidenti detegatur accusatoris calumnia, & ob id pœna talionis afficiatur. Quia illud testimonium ad probādum rei innocētia dirigitur, cui punitio actoris per accidens contingit, neque testi est imputanda. Requiritur tamen in Clerico, licentia Prælati ad testificationem licite pro reo præstandam: quam Prælatus non temere sed maturo iudicio, ac causæ cognitione debet concedere. Auila *p. 7. d. 5. sect. 2. dub. 13.*

Dvbivm LII.

Si laicus in causa criminali, vel ciuili præcepto Iudicis compellitur testimonium ferat, ex quo reo mors, vel mutilatio sequatur incurretne irregularitatem?

261 *Incurret quidem.*

INcurret quidem. Quia absolute ex eius testimonio mors, vel mutilatio secuta est: neque illi prodest protestatio, quod cōpul-

sus agat: nam protestationis beneficium propriam causam defendenti conceditur, *c. Prælatis de homic.* Sic Doctores communiter ex lenitatis defectu.

262 *Non incurret.*

Minimè incurret. Quia nequit dici in ea testificatione, & mortis cooperatione lenitatis defectum habuisse: cum non voluntarie, sed præcepto compulsus testimonium tulerit. Ita Castro Palao *de cens. d. 6. pun. 14. §. 3. n. 3.* Maiol. *l. 2. de irregul. c. 8.* Coninch *d. 18. dub. 10. n. 96.* Bonac. *to. 1. d. 7. q. 4. pun. 1. n. 8.*

263 *Hoc eligo.*

Existimo satis probabiliter me hanc sentētiam amplecti. Nec enim credam, Ecclesiam voluisse irregularitatem imponere testi ob testificationem iure naturæ debitam: aliàs testes retraherentur à veritate propalanda.

Dvbivm LIII.

Si quis etiam Sacerdos ad occidendum ex hortatur, in bello iusto, aut propria manu pugnat, non tamen ipse per se occidit, aut deformat: incurritne irregularitatem?

264 *Incurrit sane.*

INcurrit profecto. Quia Clericis in bello offensiuo pugna propria manu est interdicta in *c. Clerici, 23. q. 8.* & *c. 1. Ne Clerici, vel Monachi,* & *c. Ex multa de voto.* Et quia in *c. Quod in dubiis, de pœnis.* de Sacerdotibus gubernātibus nauim ad pugnā, seu exercentibus conflictum vel alios ad pugnandum excitātibus, affirmatur, graue peccatum committere, esseque deponendos. Sic nonnulli bonæ notę Doctores.

265 *Non incurrit.*

Non incurrit. Quia in *c. Petitio tua, de homicid.* Sacerdoti pugnanti aduersus inimicos Christianæ Religionis, vbi multi occisi fuēre mandatur, à celebratione abstinere, si de interfectione alicuius in illo conflictu dubium habeat. Ergo à contrario sensu, si ei constet nullum interfeciisse, non obligabitur, à celebratione abstinere. Ita Nauar. *sum. c. 27. n. 215.* Henr. *l. 14. c. 12. n. 4.* Molina *tr. 2. d. 110. concl. 2.* Auila *p. 7. d. 6. sect. 3. dub. 2.* Bonac. *to. 1. d. 7. qu. 4. pun. 3. n. 7.* Hurtad. *de irreg. difficul. 12.* Laym. *l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 8.*

266 *Hanc præfero sententiam.*

Hanc præpono sententiam, quam etiam colligo ex *c. Si quis, dist. 51.* Et existimo, rationem huius priuilegij esse, ne tot irregularitate innodentur, ne ve à præliando in bello iusto se retrahant, irregularitatis timore. Cui quidem resolutioni crediderim non obstare textus in *c. Clerici.* in *c. Ne Clerici,* & in *c. Ex multa.* Quia inde non fit irregularitatem cōtrahi: hæc enim non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis: at in iure solum expressa est irregularitas ob deformationem, vel occisionem in bello iusto contingentem: non autem ob consilium, auxilium, vel fauorem illicitè præstitum; Neque item obest textus in *c. Quod in dubiis.* Nam loquitur de bello iniusto. Præterquam quod ibi non fertur irregularitas, sed suspensio, vel depositio non ipso iure, sed ferenda.

DVBIVM LIV.

Clericus propria manu occidit, vel mutilat in bello iusto: eius irregularitas estne ex homicidio illicito, & iniusto?

267 *Quæstionis status.*

SI miles propria manu occiderit, vel mutilauerit in bello iusto, irregularis est in omnium sententia Argum. *Petitio, de homicidio* Quod à fortiori in Clerico militat: solũ autẽ dubito, de Clerico sic occidente, vel mutilãte, an eius irregularitas ex homicidio illicito, & iniusto dicenda sit, an ex defectu perfectæ lenitatis?

268 *Est irregularitas ex homicidio iniusto.*

Est quidẽ ex homicidio illicito, & iniusto. Quia occidit & non ex authoritate publica, cũ non concedatur ei facultas, occidendi, imo hæc illi sic denegata. Ergo hæc irregularitas oritur ex delicto. Sic nonnulli, quorum sententiam Palao *de cens. d. 6. pun. 14. §. 5. n. 4.* ait esse probabilem.

269 *Non est ex iniusto homicidio, sed ex defectu lenitatis.*

Non est ex homicidio illicito. Quia si bellum iustum est, nulla sit hostibus iniustitia eos vita priuando, si ad victoriam est necessarium. Item Princeps omnibus bellantibus hanc facultatem concedit. Quod ergo Clericus contra sibi factam prohibitionẽ pugnet, non infertur, iniustè, sed religiosè dimicare. Igitur irregularitas hæc non est dicenda ex delicto, sed ex perfectæ lenitatis defectu. Ita Palao *vbi supra.*

270 *Hoc probabilius esse iudico.*

Hanc tanto Doctori amicissimo quidem hærescens, sententiam probabiliorem esse iudico. Nam si Clericus v.gr. votum fecisset non pugnandi extra casum necessitatis, & pugnaret: peccaret quidem aduersus votum, sed non aduersus iustitiam, ac proinde non esset irregularis ex delicto. Igitur alio ex capite, nempe ex perfectæ lenitatis defectu hanc irregularitatem emanare concluditur. Porro irregularitas ex lenitatis perfectæ defectu ab alio quàm à Pontifice dispensari non potest: non enim in iure aliqua circa hoc Episcopo concessio facta inuenitur. Nam in Tridentino solum datur facultas pro irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus: sub qua facultate hæc, quæ non nascitur ex delicto, comprehendi non potest.

CAPVT XXIII.

Circa Irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione iniusta ortam.

DVBIVM LV.

Vt irregularitas ex voluntaria mutilatione incurratur, sufficitne ea ex qua corpus humanum non integrum, sed imperfectum manet?

271 *Plura recolo.*

CErtum est, ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem distinctam ab ea, quæ ortum habet ex homicidio, vel mutilatione casuali. Porro ad voluntarium homicidium requiritur intentio expressa occidendi, seu apponendi causam de se illatiuam horum effectuum, & vt cognitam, vt si præberes alicui venenum mortiferum, aut detineres fugientẽ, vt ab alio interimeretur. Huic irregularitati vicina est altera, quæ ortũ habet ex mutilatione. *cap. In Ar. hiepiscopatu de raptorib.* & *Clement. vni. de homicidio.* Quæ & volũtarie, & casu contingere potest. Voluntarie contingit, cum expressam voluntatẽ habuisti mutilandi, seu apponendi causam, ex qua præuidisti, mutilationem fore euenturam. Secus si solum intendisti vulnerare, & casu mutilasti, sed quæ mutilatio sufficiat ad hanc irregularitatem inducendam, non conueniũt Doctores. Quæsierim ergo, num sufficiat ea, ex quo corpus humanum non integrum, sed imperfectum manet?

Sufficit plane, vnde abscissio digitorum, & cartilaginis auris, & nasi, & testiculorum sufficiens reputatur. Quia si imperfectum manet corpus humanum, perfecta proculdubio mutilatio est. Sic Caiet. *2. 2. q. 65. a. 1.* Sotus *lib. 5. de iust. q. 2. art. 1.* Suar. *d. 44. sect. 2. numer. 7.* Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 11. num. 2.* 272 *Sufficit plane.*

Non sufficit, sed ea mutilatio requiritur, qua aliquod corporis mẽbrum abscindatur. Quia corpus humanũ non est mutilatũ, & truncũ: sed absolutè integrum, ac perfectum; alias si mutilatio cuiuslibet partis corporis, quæ cũ alio membro operatur, sufficiens irregularitati esset, non solum mutilatio digiti, sed & partis illius abscissio irregularitatem induceret. Ita Couar. *Clement. si furiosus, §. 3. n. 8.* Nauar. *Sum. c. 27. n. 206.* Graf. *l. 2. c. 62. nu. 4.* Valent. *to. 4 d. 7. q. 19. pun. 3. §. 4.* Hentiq. *l. 14. c. 8. nu. 1.* Sayr. *l. 6. thes. c. 16. n. 13.* Molina *tr. 3. d. 69. nu. 2.* Hurtad. *de irreg. diffic. 5. n. 18.* & alij. 273 *Non sufficit.*

Existimo, eam mutilationem irregularitatẽ constituere, quæ est membri, sumpto membro pro ea parte corporis, quæ actionem aliquam habet ab alia distinctam, v.gr. auris, nasus, pes, oculus, manus, & similia, vt colligitur ex *l. Idem filius ff. de ædilit. edicto*, vbi ex vnius digiti defectu, non dicitur membrum deficere. 274 *Idem dico.*

DVBIVM LVI.

An irregularis erit qui ita membrum debilitaret, vt omnino arescceret, ac moreretur?

ERit irregularis. Quia huiusmodi debilitatio formaliter mutilatio dici posset, si quidem illud membrum vita priuaretur, & separaretur ab animæ informatione: alias posset quis à duobus mutilari, nullo eorum irregulari manente; nam abscindẽs membrum siccum, ac mortuum, non videtur irregularitati subiici, illa mutilatio est eiusdem rationis ac mutilatio cadaueris: & ex alia parte, membrum siccum reddens, irregu 275 *Irregularis erit.*

irregularitatem non contrahit. Sic Suar. *d.* 47. *sect.* 2. *num.* 10. Coninch *disputation.* 18. *dub.* 8. *concl.* 2.

276 *Non erit irregularis.* Non erit irregularis. Quia id colligitur ex *Cap. Sicut vrgeri.* 1. *quæst.* 1. ibi: *si cuius hominis manus esset arida, verum quidem esset membrũ illius, quamuis sine sanguine, & inefficax, & mortuum.* Ita Abbas *ad c.* 1. *Qui Clerici, ad c. Accusationibus.* Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 217. Couar. *Clement. Si furiosus. p.* 3. *nu. vlt.* Molina *tr.* 3. *d.* 68. Bonac. *to.* 1. *d.* 7. *q.* 4. *pun.* 8. *nn.* 11. Hurtad. *de irreg. diffic.* 5. *nu.* 18. Auila *p.* 7. *d.* 5. *sect.* 1. *dub.* 2. Henriq. *l.* 14. *c.* 8. *n.* 1.

277 *Hic longe mihi probabilius.* Profecto sententiam hanc longe probabiliorem esse non dubito. Quia textus hanc irregularitatem statuentes, nõ de debilitatione, per quem membrum omnino ad humanas actiones reddatur inutile, sed de mutilatione loquuntur. Vnde affirmo cum Auila, & Henriquez, mutilantem membrum aridum, irregularem fieri. Quia proprie est hominis mutilator, ac deformator. Quod intellige, quando iniustè mutilatur, non quãdo ex medicinæ, vel chirurgiæ officio.

Dvbivm LVII.

Eritne irregularis Clericus, qui non potest dimouere coniugatam à consilio dato aborsus?

278 *Plura recolla.* Recolo, occidentem vel mutilantem, modo baptizatus sit, irregulariter esse. Et mãdantem homicidium, vel mutilationem. Et consulentem. At ad vitandam hanc irregularitatem post datum consilium tenetur quis illud reuocare, oppositа persuasione facta. Quod si voluntatem consulti à malo dimouere non valeat: obligatur monere innocentem de damno sibi parato, alias non vitabit irregularitatem homicidio subsecuto, quantumcumque pœniteat. Quod si consultus dicat: Non ex tuo consilio, sed ob alias causas velle homicidium perpetrare: non teneris monere innocentem, vt irregularitatem euites. Quia eo casu non ex tuo consilio, sed ex occidentis malitia homicidium contingit. Suppone autẽ quod Clericus fœminæ nuptæ, vel solutæ cõsilium aborsus impertiat. Eritne irregularis si post monitionem eam non potest ab aborsus consilio dimouere?

279 *Non erit irregularis.* Non erit irregularis. Quia non solum illã monet pertinaciter consilio dato hærentem, sed & innocentem infantẽ monet in matre sua. Sic Henriq. *l.* 14. *c.* 16. *n.* 5.

280 *Irregularis erit.* Irregularis erit. Quia monitio infantis nullius est momenti, vtpotè qui se liberare non potest. Ita Auila *part.* 7. *disputation.* 6. *section.* 2. *dub.* 3.

281 *Auctoris resolutio.* Irregularem esse crediderim. Nam cum consilium dedit aborsus, debuit hanc impossibilitatem præcauere, dato quod fœmina monita incorrigibilis persisteret. Non enim poterat innocentem monere. Attamen non audeo primæ sententiæ probabilitatem impugnare, cum Clericus ille post datum consilium gessit, quod in se erat matrem curans ab homicidio reuocare. Secus est in aliis, qui se possunt ab imminenti periculo liberare. Vnde si occidendum moneas, & consultum à malo proposito dimouere conaris, sufficienter censendus es consilium retractasse, & mortem præcauisse.

Dvbivm LVIII.

Incurritne irregularitatem ex homicidio casuali, qui consulit, vel mandat Antonio vt Ioannem occidat, si non Ioannes sed ipse Antonius occisus est?

282 *Status quæstionis.* Svppono, non incurrere irregularitatem ex homicidio voluntario. Quia nõ habuit expressam voluntatem, vt Antonius in ea occasione constitutus occideretur. Suar. *disp.* 44. *sect.* 3. *n.* 17. Coninch *d.* 18. *dub.* 8. *n.* 66. Quæsierim autem, num irregularitatem ex homicidio casuali incurrat? Et quæstio procedit casu, quo probabiliter consulens aut mandãs suspicaretur, Antonium graui periculo suæ occisionis exponi.

283 *Non incurrit.* Non incurrit. Quia illius consilium, vel mandatum non directum fuit ad Antonij occisionem, sed ad necem Ioannis: nec ille mãdauit Antonio, vt se ipsum occideret, aut à Ioanne occideretur. Ergo irregularitas statuta à iure aduersus consulentem, vel mandantem homicidium, illum illigare non potest. Sic Vasq. i. 2. *d.* 100. *n.* 45. Henriq. *l.* 14. *cap.* 16. Hurtad. *de irregular. disputation.* 2. *difficult.* 6. *num.* 22.

284 *Incurrit sane.* Incurrit quidem. Quia ille causa voluntaria fuit suo mãdato, vel consilio, vt Antonius in eo periculo constitueretur, & occideretur à Ioanne. Ita Nauar. *sum. c.* 27. *nu.* 233. Suar. *d.* 44. *sect.* 3. *n.* 18. Coninch *d.* 18. *dub.* 8. *n.* 47. Auila *part.* 7. *disput.* 6. *section.* 2. *dub.* 5. *conclusion.* 4. & alij.

285 *Hoc verius esse iudico.* Hoc verius esse iudico. Quia negari non potest, illum suo consilio, aut mandato volũtarie Antonium graui mortis periculo exposuisse. Ergo irregularis erit, non quatenus formaliter consuluit, aut mandauit homicidium: sed quatenus homicidij causa suo consilio, vel mandato extitit.

Dvbivm LIX.

Ex sola ratihabitione homicidij tuo nõmine facti, erisne irregularis?

286 *Quæstionis status.* Certum est, consentientem in homicidiũ, si ex eo consensu homicidium sequatur, irregularem esse. *Cap. Sicut dignum, §. illi, de homic.* Quæstio autem est, an quis ex sola ratihabitione homicidij in eius gratiam facti, erit irregularis?

287 *Erit irregularis.* Irregularis erit. Quia ea ratihabitio æquialet mandato. Sic Molina *tr.* 3. *d.* 33. *memb.* 3. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 233.

288 *Non erit.* Non erit irregularis. Quia in iure ob ratihabitio

habitionem irregularitas non imposita. Ergo ratihabitio non sufficit, vt quis irregularis habeatur. Ita Couar. *Clement. si furiosus, p.2.§.1 n.4.* Bonac. *to.1.d.7.q.4.pun.8 nu 42.* Sayr. *lib.7. thes.c.4.nu.17.* Coninch *d.18.dub 8.fine.* Henr. *l.14.c.16.nu.2.* Auila *p.7.d.6.sect.2.dub.6.* Suar. *d.44.sect.3.n.24.*

289 *Hoc verius esse credo.* Hoc verius esse credo. Non enim obstat, ratihabitionem mandato æquiparari. Nam æquialet plerumque quoad culpam, si quidem potest quis ità grauiter peccare compalcēdo in homicidio facto, ac si illud præcepisset. Non tamen æquialet quoad pœnas iuris, nisi vbi expressum fuerit. Quemadmodum in *Cap. Cum quis, de sent. excom. in 6.* cauetur excommunicationem Canonis incurre, re, qui ratam habuerit Clerici percussionem suo nomine factam.

Dvbivm LX.

Ad dispensandum in irregularitate proueniente ex voluntaria mutilatione occulta habet ne Episcopus potestatem?

290 *Quæstionis status.* CErtum est, solum Pontificem dispensare posse in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario : raro tamen, & non nisi ex causa admodum graui eam dispensationem impertire. At circa voluntariam mutilationem occultam, quæsierim, num Episcopus habeat dispensandi in irregularitate potestatem?

291 *Non habet potestatem.* Non habet. Quia hæc irregularitas non est tantum ex delicto, sed ex significatione. At Tridentinum *sess.24. c.6.* solum concedit Episcopo facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto proueniente, non autem in irregularitate ob significationem impositis. Sic Medina *sum.l.1.c.11.§.12.* Henr. *lib.14.cap.9.n.3.* Sanch. *libr.1. Decal. capit.10. num.49.*

292 *Habet quidem.* Habet quidem. Quia Concilium impertit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis, excepta homicidij voluntarij: At irregularitas ex voluntaria mutilatione proueniens, non est irregularitas ex homicidio, sed ab eo distincta, vt de se constat: ergo hæc irregularitas sub ea potestate comprehenditur. Certe hæc facultas latè est interpretanda, vtpotè beneficium Principis, & in iure communi insertum, & non personis, sed dignitati Episcopali concessa. Ita Suar. *d.44.sect.4.n.35.* Laym. *l.3.sect.5. tr.1 p.3.c.12.n.2.* Bonac. *to.1.d.7. q.4.pun.vlt. circa finem.* Auila *p.7.d.6.sect.5 dub.4.* Molina *tr.3.d.70.n.19.* Manuel. *tom.1. qq. Regul.q.24. a.10* Sà *v. Irregularitas, nu.9* Tolet. *l.1.cap.48. num.6.*

293 *Hanc eligo sententiam.* Hanc sententiam, communem quidem eligo. Nam irregularitas ex mutilatione verè procedit ex delicto, tametsi in significationem sit inducta.

Dvbivm LXI.

Sufficitne culpa leuis ad irregularitatem ex homicidio casuali, vel mutilatione incurrendam?

CVm hæc irregularitas homicidij, ac mutilationis imposita sit in pœnam delicti commissi, necessario debet homicidium, aut mutilatio à culpa causari. Requisierim autem, an sufficiat culpa leuis, an necessario grauis prærequiratur? 294 *Status quæstionis.*

Sufficit culpa leuis, ad hanc irregularitatem incurrendam. Quia hæc non solum in pœnā delicti, sed etiam ob defectum significationis indicitur: ideo videtur quælibet culpa sufficere, vt pœnæ rationem habeat. Sic Glos. *ad Cap. Significasti, el 1. de homic.* & Abbas, Caiet. *v. Irregularitas.* Armil. *eodem n.14.* Couar. *Clement. si furiosus, p.2.§.4.n.9.* 295 *Sufficit leuis culpa.*

Non sufficit culpa leuis, sed lethalis requiritur. Quia in *cap. Quæsitum, de pœnit. & re missionib.* pater suffocans filium secum dormientem irregularis iudicatur, si suffocatio ei voluntaria fuerit, vel ex studiosa acciderit negligentia. Et *c. Lator, de homicid.* excusatur ab irregularitate Clericus cum alio ludens, etiamsi casu cultello quo erat præcinctus, alius occubuisset. Quia non præsumit Pontifex fuisse ibi latam, & grauem culpam. Ita Nauar *sum.c.27.n.251.* Nauarra *l.2. de restit.c.1.dub.6.n.69.* Valent. *to.4.d.7.q.19.pun.3.§.5.* Henriq. *l.14.c.15.n.7.* Auila *part.7.d.6.sect.1. dub.11. concl.3.* Sayr. *l.7. thes.c.5.n.5.* Bonac. *to.1.d.7.q.4 pun.7. fine* Suar. *d.45.sect.5.n.8.* 296 *Non sufficit culpa ut missionib.*

Longè probabilior hæc mihi est sententia. Quia irregularitas in pœnam delicti cum grauissima pœna sit, vtpotè quæ maximis priuat bonis, & difficile tollitur, culpam grauē necessario debet præsupponere, vt sic culpæ pœna proportionetur. 297 *Longe hæc probabilior.*

Dvbivm LXII.

Si quis culpam leuem perpetrauit in præcauendo homicidio, quod ex opere illicito subsecutum est: contraxitne irregularitatem?

COntraxit planè. Quia in *cap. Dilectus. Cap. Ex litteris. Cap. Continebatur, & c. Lator, de homicid.* ab irregularitate excusantur qui inibi interficientes memorantur, quod dabant operam rei licitæ, & in culpa nō fuerunt præcauendi homicidium: Ergò à contrario, si darent rei illicitæ operam cessaret ratio eos excusans. Sic Ioan Andre & Innocent. *ad c. Tua nos de homicid.* Gabri. *in 4. dist.15.q.1 a.2 dub.2.* D. Th. *2.2.q.64.a.8.* & *ibi* Caiet. Viuald. *de irreg nu.148.* Laym. *lib.3. sect.5.tr.3.p.3.c.10.n.4.* 298 *Contrahit plane.*

Non contraxit. Quia illud homicidium nō fuit directè voluntarium, vt supponimus: neque indirectè, siquidem causa non est de se homicidij inductiua: neque etiam est voluntarium ratione alicuius grauis negli 299 *Non contraxit.*

negligentiæ in eo præcauendo commissæ: ergo talis actio nullam habet homicidij malitiam & consequenter irregularitas homicidij ei annecti non potest. Ita Couar. *Clement. si furiosus p.2.§.4.n.10.* Sotus *l.5.de iust.q....a.9.* Henr. *l.14.c.15.nu.3.* Nauarra *l.2.de restit.c.1. dub.6.n.69.* Nauar. *sum.c.27.n.221.* Valent. *to.2.d.6.q.3.pun.3.* Sayr. *l.7.c.5.n.12.* Auila *p.7. d.6.sect.1.dub.1.*

300 *Vtor distinctione.*

Ego autem ex horum Doctorum Doctrina hac vtor distinctione. Aut actio peccaminosa, ex qua homicidium sequitur, de se est periculosa, & homicidij causatiua, vel non. Si est de se periculosa, dans operam præfatæ actioni, contrahit irregularitatem: vti contrahit Clericus exercens torneamenta, & alia pugnæ simulacra venationem vrsorum, aprorum. Nam hæ actiones ob periculum homicidij sunt Clericis interdictæ. Secus erit si actio de se periculosa non sit. Quia exercens opus de se periculosum voluntarie, periculum amplectitur, ac proinde effectus inde secutus ei debet adscribi. Quando vero opus de se periculum non habet, & diligentia adhibita est, ad homicidium præcauendum, ei non adscribetur: nam eo casu homicidium non est in se voluntarium, vt constat; neque etiam in causa, cum ex se non sit homicidij illatiua: hæc autem irregularitas ex culpa homicidij contrahitur.

Dvbivm LXIII.

Adulter, ob cuius causam vxor à marito occiditur, estne irregularis, etsi mortis periculum, cui se vel vxorem exponit, prænideat?

301 *Irregularis non est.*

IRregularitas non est. Quia illa non est causa sufficiens, vt maritus propria authoritate vellet vxorem, vel adulterum occidere. Sic Auila *p.7.d.5.sect.3.dub.3.concl.1.& 2.* Henriq. *l.14.c.10.fine.* Mercado *de contr.cap.4. pag.11.* Nauarra *l.2.de restit.c.3.n.363.*

302 *Est irregularis.*

Est irregularis. Quia adulter præuidens vxoris interficiendæ periculum, illius necis indirecta est causa, eam tali periculo exponens. Sicuti censendus quis esset indirecta causa mortis, si aliquem suaderet, vt ea via incederet, qua probabile adesset periculum, esse à latronibus interimendum. Vel si ei iniuriosam aliquam actionem ab alio factam referres, ex qua suspiceris, excitandum esse ad patrandum homicidium. Ita Couar. *Clement. si furiosus, p.2.§.4.nu.10.* Nauar. *sum.c.27.num. 238.* Gutier. *l.2.Canonic.qq.c.6.n.41.* Sayr. *l.7. c.6.n.26.* Suar. *d.45.sect.5.n.7.* Laym. *l.3.sect.5. tr.3.p.3.c.10.n.2.*

303 *Hanc communem opinionem amplector.*

Hanc communem sententiam amplector, quam à Pio V. decisam fuisse testatur Nauarrus, cum in Sacra Pœnitentiaria hic casus controuerteretur. Hinc deduco, te irregularē fore, si maritum aggredientem interficias in tui, vel adulteræ defensionem, si huius interfectionis periculum præuidens diligentiā ad id vitandum non adhibuisti. Quia inique ei interfectionis te exposuisti periculo: vnde illa nex esto indefensionem fuerit facta, in causa tamen fuit voluntaria, & iniqua: atque adeo sufficiens ad irregularitatem inducendam.

Dvbivm LXIV.

An censendus quis sit irregularis, si Antonium haud lethaliter percussit, sed ipse postmodum diligentiam necessariam circa vulnus non adhibens, ex sua intemperantia, vel ex Medici negligentia obiit?

304 *Censendus est irregularis.*

IRregularis est censendus. Quia medio illo vulnere iniustè illato, occasionem præbuit Antonio, vt moreretur neque enim ei mors eueniret, nisi illud vulnus accepisset: ergo vulnus fuit causa saltem partialis suæ mortis. Sic Laym. *l.3.sect.5.tr.3.c.3.nu.10.* Auila *p.7.d.6. sect.1.dub.5.concl.2.* D. Antonin. *p.3.tit.28.c.2. principio.* Nauar. *sum.c.27.n.223.* Henriq. *l.14. cap.14.numer.4.* Gutier. *libr.2.Canonic.qq. cap. 6.numer.93.* Molina *tractat.3. disputation. 32. à num.1.*

305 *Non est censendus irregularis.*

Non censendus irregularis. Quia *cap. Studeat, dist.50.* Presbytero percutiente Diaconū equitantem, & Diacono ex equo excidente, & ceruicibus fractis intereunte: mandatur periculum fieri, an Diaconus fuerit percussus ad mortem, & ex illa percussione mortuus fuerit: nam eo casu deciditur irregularē fore Presbyterum. At si constet, Diaconum non fuisse ad mortem percussum, iniungitur Presbytero pœnitentia ad tempus. Ex qua ratione ex vulnere non lethali, occasionem tamen mortis exhibente irregularitas non contrahitur. Ita Sylues. *v.Homicidium 2.q.22.* Caiet. *2.2. quæst.64.artic 8.& ibi* Aragon. Sotus *lib.5. de iust.quæstion.1.art.9.* Lessius *lib.2. cap.9.numer. 102.* Suarius *disput.45.section.6.num.19.* Coninch *d 18.num.70.& 86.* Hurtad. *de irregul. disse.8.*

306 *Probabilis hæc opinio est.*

Probabilem admodum primā reor esse sēsentiam, sed secundam adhuc probabiliorem. Quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit vtcumque occasionem mortis exhibere, sed oportet, eam occasionem proximam esse, ex qua mors sequatur. At cum vulneratus Antonius non ex vulnere, sed intemperantia, alioue medicamine nociuo interiit, nō est mors vulneranti adscribenda. Secus esset, si eo vulnere febris excitaretur, quæ vulneratum perimeret: vel si simul cum illo vulnere aliud vulnus superuenit ex cuius coniunctione primum vulnus ad mortē concurrit, saltem vt breuiori tempore eueniret: vel si deficiente Medico, aut Chirurgo ex illo vulnere alias non lethali lethale factum est. Quia in his omnibus casibus conuincitur, vulnus primum causam mortis proximam extitisse. Discernere autem, an vulnus lethale sit, vel non, & an ad mortem proximè concurrerit, ad Medicos pertinet.

Dvbivm LXV.

Cum plures associatim concurrunt ad occisionem, si certo constet, quisnam vulnus lethale inflixit, reliqui vulnus lethale non inferentes, eximunturne ab Irregularitate incurrenda?

307 *Eximuntur quidem.* EXimuntur quidem. Quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & nō alius: reliqui verò tenentur de percussione, *Leg. Cum Mela, §. Sed & si seruum, ff. ad leg. Aquiliam.* Et *Leg. Sirixa, ff. de sicariis.* Ergo cum liberi sint ab homicidio, liberi ab irregularitate erunt. Sic Couar. *Clement. si furiosus, p. 2. §. 2. n. 3.* alios citans.

308 *Non eximuntur.* Non eximuntur. Quia sua præsentia auxilium & fauorem occisori tribuére, & impedire occisum, ne se defenderet; vnde omnes iudicandi sunt secundum Canones rei homicidij, & irregularitati subiecti *Cap. Si quatuor homines, 23. quæst. 8.* Ita Glos. *ibi.* Nauar. *summ. c. 27. n. 224.* Maiol. *l. 5. de irregul. c. 48. §. 4. n. 7.* Henriq. *l. 14. c. 14. n. 2. & 3.* Suar. *d. 45. sect. 3. n. 9.* Auila *p. 7. d. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 4.* Coninch *d. 18. dub. 8. n. 70.*

309 *Hoc probabilius esse iudico.* Fateor, iure Ciuili hosce cooperatores non puniri, vti homicidas: bene tamen secundum Canonum statuta quoad irregularitatis pœnam, vt in *Cap. Si quatuor homines* habetur. Vnde licet prima sententia satis sit probabilis, probabiliorem assero esse secundam.

Dvbivm LXVI.

Parochus vulnus lethale cuidam inflixit, ex quo tamen vulneratus mortuus non est, sed ex vulneribus à parochianis acceptis: manetne irregularis?

310 *Irregularis manet.* PArochus quidem irregularis manet. Quia in *Cap. Significasti* solum excusatur Parochus ab irregularitate, quia certo constitit, vulnus lethale non inflixisse. Sic Couar. *Clement. Si furiosus, p. 2. §. 2. n. 4.* asserens communem opinionem esse.

311 *Non manet irregularis.* Non manet irregularis etiamsi vulnus lethale inflixisset, si ex aliorum vulneribus obierit. Quia ad irregularitatem homicidij iniusti contrahendam, opus est illius esse causam proximam, & efficacem: qualis non est in præsenti, vt supponimus. Ita Henriq. *l. 14. c. 14. n. 3.* Auila *p. 7. d. 6. sect. 3. dub. 4.* Molina *tract. 3. d. 33. memb. 6. n. 4.* Layman. *l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. fine.*

312 *Resolutio Authoris.* Ego autem existimo, nihil definitum esse in *Cap. Significasti*, de Parocho, qui etsi lethaliter percusserit, constat percussum non ex illius vulnere, sed ex aliis acceptis interisse. Vnde dicendum puto, percutientem lethaliter, quando diuisim, ac per se concurrit, si vulneratus non ex ipso vulnere, sed ex aliorum vulneribus obierit, neque irregularem esse, neque teneri de homicidio, sed solum de vulnere. Ex Medicorum autem iudicio, & ex circumstantiis constare debet primum vulnus non causasse mortem, etiam quoad accelerationem. Sicuti contingeret, si ex secundo vulnere caput esset confractum, vel pectus trāsfossum, aut cor transuerberatum, ex cuius vulnere statim percussus obierit.

Dvbivm LXVII.

Quis homicidium, dum potuit, non impediuit, sed nullum tamen positiuum influxum ad illud patrandum adhibuit: manetne irregularis?

313 *Irregularis non manet.* IRregularis non manet. Quia requiritur necessario aliquis positiuus influxus in homicidium, vt irregularitati sit locus. Ex solo enim concursu morali nemini alteri à mandante, & consulente irregularitas in iure indicta est. Sic D. Antonin. *p. 3. tit. 28. c. 2. principio.* Armil. *v. Irregularitas*, 2. Tabie, *eodem* 1. §. 2 Hurtadus *de irregular. disput. 2. difficul. 9. num. 34.*

314 *Manet irregularis.* Manet irregularis. Quia dum impedit, cū potest causa moralis est homicidij. *Cap. Non inferenda. & cap. Qui potest 23. quæstione tibi: Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud, quam fuere impietati eorum neque caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Ita Nauar. *sum. c. 27. n. 231. & 233.* Henriq. *l. 14. c. 2. n. 10.* Manuel. *v. Irregularitas c. 178. concl. 4. & 5.* Suarius *disputation. 47. section. 4. numer. 1. & 5.* Auila *p. 7. d. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 1. & 2.* Tolet. *l. 1. c. 83. n. 4.* Bonac. *tom. 1. d. 7. q. 4. punct. 8. num. 37.*

315 *Authoris resolutio.* Duplex potest esse obligatio impediendi homicidium, ex iustitia, vel ex charitate. Si ex charitate solum quis teneatur, communi sententiæ asserenti irregularem non esse, adhæreo. Si vero teneatur ex iustitia, etiam fert communis sententia, fieri irregularem. Vnde etsi prima sententia probabilis videatur, communis secunda debet sustineri. Assero igitur efficientiam moralem sufficientem esse, ad irregularitatem inducendam. Vnum tamen admotandum adiicio, hanc omissionem debere esse directè voluntariam, mortis periculo præuiso: aliàs non impediens homicidium irregularitatem non incurret. Id colligo ex *Cap. Quæsitum, de pœnit. & remiss.* Vbi parentes, ex quorum culpa filij in cunis mortui sunt, irregulares iudicantur, si de facto suffocationem procurauerint, vel studiosè neglexerint eam impedire: non tamen si ex eorum incuria filij mortui fuere.

Dvbivm LXVIII.

Excusaturne quis ab irregularitate, si occidat in sui defensionem, tametsi occasionem aggressori per iniustitiam dederit?

316 *Quæstionis status.*

QVamuis iure antiquo spectato, cõtrouersia fuerit, an defensio ab irregularitate excuset: certum tamen est post Clemen. *Si furiosus, de homicid.* defensionem personæ propriæ ab illa excusare. Quia ad irregularitatem contrahendam ex homicidio priuata authoritate facto, requiritur culpa: at qui hostem interimit seipsum defendendo, nullam cõtrahit culpam. Quæsierim autem, nùm ab irregularitate excusetur qui occidit aliquem in sui defensionem, si tamen aggressori occasionem per iniustitiam dederit?

317 *Excusatur sanè.*

Excusatur quidem, tametsi ei dederit iniustam occasionem irruendi alapa verbi gratiâ, percutiendo eum, vel adulteriũ cum eius vxore perpetrando, vel contumeliis afficiendo. Quia iniuriatus volens etiam in continenti se propria authoritate vindicare, iniustitiam committit; ac proinde alteri licet, eam iniustitiam propulsare: quod si alia via nequeat, nisi illum occidendo, licebit ei illum occidere. Ergo huiusmodi occisio non est peccato obnoxia. Ergo non potest irregularitatem ex homicidio iniusto inducere. Sic Syluester *verb. Homicidium* 8. *qu.* 4. Armil. *verb. Irregularitas, num.* 42. Tabiena *num.* 24. Sotus *l.* 5. *de iust. q.* 1. *a.* 9. Henriquez *l.* 14. *c.* 10. *n.* 3. Nauarra *l.* 2. *de rest. c.* 3. *p.* 3. *dub.* 14. Auila *p.* 7. *d.* 5. *sect.* 3. *dub.* 1. *fine.* Hurtado *de irregularitate, d.* 2. *difficult.* 10. *num.* 36.

318 *Non excusatur.*

Non excusatur si præuidit, (vt debuit præuidere dum iniuriam aggressori intulit) homicidij patrandi periculum, nec præcauit. Quia licet illud homicidium in se, & immediatè licitum sit, est tamen in causa illicitum, & iniustum. Concurrere vero ad homicidium iustum, causam iniustam apponendo, est reum esse homicidij, ac consequenter irregularem fieri. Sic Couarruuias *Clement. Si furiosus*, §. 4. *num.* 10. Nauar. *summ. c.* 27. *n.* 238. Gutierr. *l.* 2. *Canonic. qq. c.* 6. *n.* 41. Sayrus *l.* 7. *thes. c.* 6. *n.* 26. Suarius *d.* 45. *sect.* 5. *n.* 7. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 2.

319 *Hæc assero.*

Probabiliorẽ hanc defendo sententiam, monens, te non contrahere irregularitatem, quando occisio illa ad tui defensionem est necessaria. Nam si te ab aggressore defendere posses illum mutilans, vel tantùm debilitans, & tamen occideres, irregularis esses. Quia ea occisio necessaria non est, ac proinde esset illicita, & iniusta, meritò irregularitatis pœna vindicata. Mecum Henriquez *libro* 14. *capite* 10. *numero* 2. Suarius *disputatione* 46. *sectione* 1. *numero* 8. Et colligo ex Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 7.

Dvbivm LXIX.

Esne irregularis, qui inuasorem occidit, & potest eius inuasionem fugiendo declinare?

320 *Irregularis est.*

IRregularis est. Quia in *Clement. si furiosus*, solummodo ab irregularitate incurrenda excipitur, qui suum inuasorem occidit, non valens aliter inuasionem declinare. Hæc sententia procedit casu quo fuga ei periculosa non sit: nam si probabili sese periculo vitę fugiendo exponat, iam fuga non est medium ad declinandam aggressionem, siquidem fugiẽdo in simile periculum incidit. Sic Gloss. *Clemen. si furiosus, v. Non valens.* Imola *ibi.* Abbas ad *c. Olim, el* 1. *de restitut. spoliator. n.* 18. Nauarra *l.* 5. *Consil. tit. de homicidio, consil.* 7. *n.* 4. *edit.* 2. *& summ. c.* 27. *num.* 211. Mascol. *de irregul. l.* 5. *c.* 48. *num.* 6. Henriquez *l.* 14. *c.* 10. *n.* 3. Auila *p.* 7. *d.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. Layman. *l.* 3. *sect* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *asse t.* 3.

321 *Non est irregularis.*

Non est irregularis occidendo inuasorem, etiam si se indemnem posset seruare fugiendo, si tamen fuga ei sit ignominiosa. Quia non peccat occidendo: siquidem non tenetur fugere cum tanto honoris detrimento. Ita Couarruuias *Clement. si furiosus, p.* 3. §. *vni. n.* 1. *&* 4. Nauar. *de rest. l.* 2. *c.* 4. *n.* 418. Suarius *d.* 46. *sect.* 1. *n.* 6. Coninch. *d.* 18. *dub.* 9. *fine.* Hurtado *de irregul. d.* 2. *disput.* 10, *n.* 37. & alij.

322 *In secundã sententiam inclino.*

Primam sententiam probabilissimam esse ac communi Doctorum consensu receptam ingenuè profiteor. Attamen in secundam inclinor, quam valde probabilem esse reor. Ita, que irregularitatem non incurret occidendo ille, cui fuga sit ignominiosa, vt assolet esse militi, vel nobili sæculari publicè prouocato. Nam si Clericus esset, vel Religiosus, queis nullomodo in decora est fuga: proculdubio irregularis esset occidens, aggressorem, si eius mortem posset fugiendo euitare. Cæterùm esto in Clement. illa non excipiatur occidens inuasorem, qui non potest absque ignominia mortem vitare; excipitur tamen in communi regula, quæ solùm homicidio illicito, & iniusto hanc irregularitatem imponit.

Dvbivm LXX.

Defensio directa bonorum temporalium excusatne irregularitate?

323 *Non excusat.*

DEfensio directa bonorum temporalium, quorum iacturam quis alia via vitare nequit, nisi aggressorem occidendo, ab irregularitate homicidij eum non excusat. Quia in *Clement. si furiosus* solum excipitur ab irregularitate incurrenda occidẽs alium in propriæ vitæ defensionem: non verò in defensionem rerum temporaliam interimens. Et in *c. Suscepimus, de homicid.* imponitur irregularitas ei, qui latrones ad furtum aggredientes occidit, & subditur ratio: *Quoniam expediebat, post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere*

iacturam, quàm pro conseruandis rebus vilibus, & transitoriis, in alios tam acriter exardescere. Sic D. Antonin. *par. 3. tit. 4. cap. 3. §. 2.* Sylvest. *v. Homicidium* 2. Nauart. *summ. c. 15. num. 4. & c. 27. nu. 211.* Henriquez *l. 14. c. 11. n. 3* Gutier. *Canon. qq. l. 2. c. 6. n. 61.* Molina *tr. 3. d. 72. nu. 3.* Salon. *2. 2. q. 64. a. 8. concl. 2.* Auila *p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 4.* Layman. *l. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. c. 9. assert. 3.*

324 *Excusat plane.* Propriorum bonorum directa defensio ab irregularitate hac homicidij, ac mutilationis excusat. Quia *cap. Quia te 50.* quidam Episcopus à Sarracenis captus aliquos ex illis, vt libertatem defenderet interfecit, de quo casu Vrbanus II inquit: sed quoniam non sua sponte id fecisse cognoscens, inde canonicè nullomodo iudicaris. Infertur ergo manifestè, non solum pro vita tutanda, sed & pro defendenda libertate licitam esse interfectionem absque Canonici impedimenti periculo. Ita Castro *l. 2. de leg. pœn. c. 14.* Nauarra *l. 3 de rest. c. 4. num. 418.* Sayrus *l. 6. thes. c. 17. num. 22.* Suarios *d. 46. sect. 2. n. 4.* Lessius *l. 2. c. 9. dub. 11. n. 73.* Coninch. *d. 18. dub 9 n. 80 & 88.* Filliuc. *tract. 20. num. 146. & 149.* Bonac. *de irreg. d. 7. q. 4. punct. 6. num. 10.* Hurtado *de irregular. d. 2. diffic. 10.*

325 *Cum his opinor fusius expendens sententiam.* Veriorem & in praxi tutam admodum hanc sententiam esse crediderim. Quia irregularitas ob defectum significationis tantum posita est occidentibus, & mutilantibus authoritate publica: non autem illis, qui priuata authoritate occidunt, vel mutilant. His enim irregularitas indicitur non præcisè in significationis defectum, sed & in pœnam delicti commissi. At qui proprium honorem, bonaque fortunæ alia via nequit defendere, nisi occidendo inuasorem, nullam in ea occisione perpetrat culpam. Ergo non contrahit irregularitatem, ob culpam, indictam. Fateor autem in *Clement. si furiosus*, solum excipi defendentem propriam vitam, quia id certum & indubitatum est: sed non inde infertur, defendentem propria bona excusari non posse. Aliàs non excusaretur defendens se à mutilatione, vel à vulnere non lethali: siquidem hæc defensio in Clement. illa non excipitur: cum tamen communis sententia hanc defensionem vt legitimam excusationem admittat. Porrò in illo casu ex *cap. Suscepimus* desumpto, Clericus manet irregularis, quia ob vanum timorem mortis latrones occidit (quos iam ligatos habebat,) & in furti iam recuperati vindictam. Vnde merito Pontifex præcepit, ab altaris ministerio abstinere, quia tam grauiter ob furtum factum rerum temporalium, quæ iam erant recuperatæ in latrones exarsit: cum potius expediret,

post tunicam relinquere pallium,
& rerum suarum sustinere
iacturam, quam ita
diriter exar-
descere.

CAPVT XXIV.

Circa Irregularitatem contractam ex Baptismi iteratione.

DVBIVM LXXI.

Rebaptizatio occulta inducitne Irregularitatem Ministro rebaptizantis, & rebaptizanti ipsi?

CERTVM est, ministrantem ex officio ei, qui rebaptizat, fieri irregularem. *c. Ex litterarum 2. de Apostat.* Quæ irregularitas non est absoluta, & totalis, cum non priuet vsu, & exercitio Ordinis habiti; sed solùm ad Superiores Ordines ascensu, vti ex *c. Ex litterarum* constat. Hanc irregularitatem communiter Doctores extendunt ad rebaptizantem, eo quod rebaptizantis ministro irregularitas indicitur. Quia rebaptizationi cooperatur. Tacitè ergo supponitur præstanti rebaptizationem irregularitatem indictam esse Henriq. *l. 2. c. 11. n. i. & l. 14. c. 4. n. 4.* Auila *p. 7. d. 7. dub. 1.* Suar. *tom. 3. in 1 par. d. 31. sect. 6.* Coninch. *d. 18. dub. 5. nu. 34.* & alij. Quæstio verò est, an hæc rebaptizario solemnis, & publica esse debeat, vt minister rebaptizantis, & ipse rebaptizans irregularitatem incurrant? an, si occulta sit, non incurrant? 326 *Certa sup. pono.*

Rebaptizatio occulta sufficit, ad inducendam irregularitatem maximè in rebaptizante. Quia *c. Qui in qualibet 1 q. 7.* & *c. Qui bis*, & *c. Eos quos, de consecr. dist. 4.* nullatenus publicitatem criminis requirunt. Et licet in *c. Ex litterarum, de Apostatis* dixerit Alexander III. de ministro illo rebaptizationis, quod ad Ordines superiores, si publicum est, quod proponitur, promoueri non valeat, nisi ad Religionem transierit: si verò occultum fuerit, permittitur promoueri id intelligendum est de Episcopi dispensatione. Sic Hostiens. ad *c. Ex litterarum.* Scotus *in 4. dist. 6. q. 8.* Auila *p. 7. d. 7. dub. 1* Henriq *l. 14. c. 4. n. 5.* Sayr. *l. 7. thes. c. 8. n. 6* Coninch. *d. 18. dub. 5. n. 36.* Supponit Bonac. *tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 3. n. 9.* 327 *Inducit irregularitatem.*

Non sufficit rebaptizatio occulta, sed debet esse publica, vt huic irregularitati sit locus. Quia *c. Ex litterarũ* absolutè deciditur, si crimen occultum sit, ordinari Acolytum illum posse, neque dispensationis mentionem fecit. Ergo absque fundamẽto dispensatio exigitur. Alij verò textus non de rebaptizante, sed de rebaptizatis loquuntur. Ita Abb. ad *c. Ex litterarum, n.* Sylvest. *v. Irregularitas, q. 4.* Palud. *in 4. dist 6. q. 4. a 1. concl. 2.* Tolet. *l. 1. c. 70. §. 4.* Laym. *l. 1 tr. 5. p. 5. c. 2. n 1.* Hurtado *de irregul. d. 2. diff. 11.* Coninch *d. 18. dub. 5. n. 1.* Inclinat Suarius *tom. 3. in 3. p. d. 31. sect. 6. nu. 36.* 328 *Non sufficit.*

Etsi

329 *Hos seqüor.* Etsi sententia prima in praxi consulenda sit, secundam tamen probabilem satis esse non dubito, & mihi eligendam duxi ob tot Doctorum authoritatem. Moneo autem, non esse huic irregularitati locũ, si rebaptizet quis eum, quem credebat baptizatũ non esse. Quia eius comparatione rebaptizatio non est, si quidem probabiliter existimauit, non esse Sacra Vnia dilutum. Neque enim dici potest iteratum quod factum esse nescitur. *Cap. Solemnitates, de consecrat. distinction. cap. vnic. de Clerico per saltum promoto.* Quapropter ab hac irregularitate quælibet ignorantia, modo non sit crassa ac supina excusat; quia dolus, seu lata culpa requiritur.

Dvbivm LXXII.

Estne irregularis, qui rebaptizat sub conditione, nulla tamen diligentia præmissa, vt cognoscat, an prior Baptismus præcesserit?

330 *Irregularis est.* Irregularis est, qui temerè, & absque vlla præmissa diligentia rebaptizat, tametsi sub hac conditione: *si non es baptizatus.* Quia conditio apposita habetur pro non adiecta. Quod Pius V. docuit in *Catechis. Rom. tr. de baptis. c. de effect. baptis. fine.* Sic Sotus *in* 4. *dist.* 3. *q. vni. a.* 9. Corduba *sum. q.* 47. Vgol. *de irreg. c.* 35. §. 3. Sayr. *l.* 7. *thes. c.* 8. *n.* 23.

331 *Non est irregularis.* Non est irregularis. Quia ex vi illius conditionis appositæ actus suspenditur: ac proinde exterior illa ablutio non est rebaptizatio, & consequenter nec irregularitati subiecta. Ita Nauar. *summ. cap.* 27. *num.* 246. Hurtado *de irregul. d.* 2. *disc.* 1. Coninch. *d.* 18. *dub.* 5. *num.* 38. Laymanus *de irregul. c.* 2. *num.* 1. Bonacina *tom.* 1. *d.* 7. *q.* 5. *punct.* 3. *num.* 4. Auila *par.* 7. *d.* 7. *dub.* 3. Suarius *d.* 31. *sect.* 6. *dub.* 5. Henriq. *l.* 14. *c.* 4. *n.* 4.

332 *Hoc verius mihi.* Veriorem hanc partem existimo. Et idem esse reor, si absque intentione rebaptizandi aliquem quis exterius rebaptizet. Quia ea actio non est absolutè, & perfectè rebaptizatio. Vti Coninch. Layman. Hurtado, ac Bonacina *vbi supra* annotarunt.

Dvbivm LXXIII.

Qui ignorans se baptizatum esse, rebaptizatur contrahitne irregularitatem?

333 *Quæstionis status.* Certum est, eum, qui culpabiliter se rebaptizari permittit, irregularem absolutè, & simpliciter esse: ideoque non solum impediri ab Ordinum susceptione, sed etiam à susceptorum vsu. *cap. Conformandum, dist.* 50. & *c. Si bis, de consecr. dist.* 4. Quæstio autem est, an qui ignorans se baptizatum esse, rebaptizatur, irregularitatem hanc contrahat?

334 *Contrahit quidem.* Contrahit quidem. Quia hæc irregularitas non in pœnam delicti à rebaptizatis cõmissi, sed in rebaptizationis detestationem videtur imposita. Argum. *c. Qui in qualibet* 1. *q.* 7. vbi inquit Pontifex, eos, qui in qualibet ætate alibi, quam in Ecclesia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittuntur accedere. Et *c. Qui bis, de consecr. dist.* 4. ibi: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.* Sic D. Antonin. *par.* 3. *tit.* 14. *c.* 13. §. 2. Palud *in* 4. *dist.* 6. *q.* 4. *a.* 1. *concl.* 2. Sylvest. *v. Baptismus*, 5. *q.* 3. Viuald. *tr. de irregul. n.* 40. Maiol. *de irregul. l.* 3. *c.* 14.

335 *Non contrahit.* Non contrahit. Quia cum ex nullo iure manifestè constet hanc irregularitatem inductam esse ex defectu alicuius significationis, asserendum est, in pœnam delicti commissi esse appositam. Nam id naturę irregularitatis magis congruit. At stante ignorantia nullum delictum committitur: ergo nullus est huic irregularitati locus. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 3. *q. vni. a.* 9. *fine.* Couar. *Clement si furiosus p.* 1. *n.* 8. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 246. Laym. *l.* 2. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *n.* 3. Auila *p.* 7. *d.* 7. *dub.* 2. Sà *v. Irregularitas ex iterat. baptis. n.* 1. Sayr. *l.* 7. *thes. c.* 8. *n.* 8. Valent. *to.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. §. 5. Suarius *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 31. *sect.* 6. *ante fin.* Henriquez *lib.* 14. *c.* 4. *num.* 3. & 4.

336 *Hoc verius esse puto.* Veriorem hanc sententiam reor esse. Cuius veritatem apertè colligo ex *c. Placuit*, & ex *c. Qui apud* 1. *quæst.* 4. Neque vrgent textus pro prima sententia relati. Nam *c. Qui in qualibet* intelligitur de iis, qui in qualibet ætate adulta, & dolo capaci rebaptizantur. *Caput* vero *Qui bis* non est alicuius Pontificis, aut Concilij generalis: sed cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuarensis, ideo vim legis habere non potest, vt aduertit Couar. Suar. Sayr. Laym. & alij *vbi supra.*

Dvbivm LXXIV.

Propter iterationem aliorum Sacramentorum characterem imprimentium incurritne Irregularitas?

337 *Incurritur quidem.* Pro iteratione Confirmationis, & Ordinis irregularitas incurritur. Quia in *cap. Dictum, de consecr. dist.* 5. eodem modo prohibetur Confirmationis iteratio, ac iteratio Baptismi, & sub eadem pœna religiosi obsequij sub habitu Regulari, vel Clericali. Sic Richardus *in* 4. *dist.* 7. *a.* 6. *q.* 1. Maior. *ibi* Hostiens. *sum. l.* 1. *tit. de Sacram. non iterand. §. vlt. num.* 12. Nauar. *summ. c.* 27. *n.* 247. Maiol. *de irregul. l.* 3. *cap.* 15. Graff. *l.* 4. *c.* 27. *n.* 15. Philiarch. *l.* 4. *c.* 14. Viuald. *de irregul. n.* 44.

338 *Non incurritur.* Non incurritur irregularitas. Quia nullo iure hæc irregularitas est expressa. Ergo gratis apponitur. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 5. *q.* 5. Palud. *dist.* 7. *q.* 2. *a.* 1. *concl.* 2. Sotus *dist.* 7. *q. vni. art.* 5. Sylvest. *v. Irregularitas, q.* 4. Valent. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *pun.* 3. §. 5. Sayr. *l.* 7. *thes. c.* 8. *n.* 28. Suarius *de Sacram. d.* 38. *sect.* 1. & 2. Auila *p.* 7. *d.* 7. *du.* 5. Filliuc. *tr.* 19. *c.* 7. *q.* 1. Reginal. *l.* 30. *n.* 178. Bon. *tom.* 1. *d.* 7. *q.* 3. *n.* 3. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *fine.* Hurtado *de irreg. d.* 2. *diff.* 1. *n.* 3. & alij.

Cum

339 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam licet in *cap. Dictum* caueatur, non posse iterari Confirmationem, sicut nec Baptismum: pœna tamen, quæ ibi apposita est, potius probat, sic iterantes ab irregularitate esse immunes; siquidem Clerici famulatus, cui iterantes addicuntur, exercitio Odinis consistit, & maximè in Eucharistiæ consecratione, vti Scotus, & Sayrus annotarunt. Hinc à fortiori constat, pro aliorum Sacramentorum iteratione nullam irregularitatem esse præscriptam.

CAPVT XXV.

Circa Irregularitatem ob illicitam Ordinum susceptionem, & administrationem contractam.

DVBIVM LXXV.

Ob receptionem Sacri Ordinis absque Confirmationis receptione præmissa, contrahiturne Irregularitas?

340 *Contrahitur.* COntrahitur quidem. Quia in Trid. *sess. 23. c. 4.* decernitur, ne Ordines recipiantur, non præmissa Confirmationis receptione. Sic Maiol. *de irregularitate, l. 4. c. 12. num. 9.*

341 *Nō contrahitur.* Non contrahitur. Quia nullibi inuenitur hæc expressa pœna. Ita Vgol. *de irreg. c. 38. §. 1.* Henriq. *l. 14. c. 6. n. 3.* Sayr. *l. 7. thes. cap. 9. n. 42.* Suar. *tom. 3. in 3. p. d. 38. sect. 1.* Fill. *tr. 20. n. 205.* Bonacina *tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 4. n. 8.*

342 *Longe hoc probabilius.* Longe probabiliorem hanc sententiã esse reor. Imò satis probabile, nõ peccare lethaliter suscipientem, neque exercentẽ Ordinem Sacramento Cõfirmationis nõ suscepto. Quia nec in Tridentino *citato*, nec alibi præceptum illius recipiendi ante Ordines continetur. Nauar. *summ. c. 22. n. 9.* & Henriquez *l. 4. c. 6. nu. 3.* mecum opinantur.

DVBIVM LXXVI.

Absolutio Sacramentalis præstita ab eo, qui Ordinatus non est, inducitne Irregularitatem?

343 *Certa suppono.* CErtum est, ministrantem in Ordine non habito, seriò solemniter, & ex officio, irregularem esse. *c. 1. de Clerico non ordin. ministrante*, & exhibẽtem Baptismum solemniter. *cap. Eodem* Quia Baptismus solemniter ministratus Ordinis Sacerdotalis vsus, & exercitiũ est. Et eum, qui attentat Eucharistiam cõficere, illamve ministrare, Ordinem, Confirmationem, aut Extremam Vnctionem cũ Sacerdos non sit. Quia Officium Ordinis, quẽ non habet, exerceret. Secus esset, si Matrimonio assisteret tanquam Parochus, cũ tamen Parochus non esset. Quia Matrimonij assistentia nõ est actus Ordinis, sed iurisdictionis, & ob vsum iurisdictionis non habitæ non est irregularitas imposita. Suar. *d 42. sect. 4. n. 19.* Coninch. *d. 18. dub. 6. n. 48.* Hurtad. *de irreg. d. 2. diff. 2. n. 5.* Requiro autem, nùm absolutio Sacramentalis præstita ab eo, qui ordinatus non est, irregularitatem inducat?

344 *Non inducit.* Non inducit. Quia absque vlla solemnitate exercetur, ac proinde inter Officia Ordinis computanda non est. Sic Sylvest. *v. Confessor, 1. initio.* Ledesm. *p. 2. sum. l. 4. qu. 7. art. 3. dub. 1.* Et valde probabile reputat Auila *p. 7. d. 9. du. 15.*

345 *Inducit quidem.* Inducit quidem. Quia absolutio Sacramentalis quantumcumque secreta sit, actus est, & exercitium Sacerdotalis Ordinis, sicuti est celebratio. Ac proinde sicut celebrationis vsurpatio à non Sacerdote irregularem efficit, sic absolutionis vsurpatio facere debet. Ita Nauar. *sum. c. 27. n. 242.* Laym. *de irreg. c. 3. num. 2.* Coninch. *d. 18. n. 48.* Bonac. *tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 6. n. 4.* Suar. *d. 42. sect. 4. n. 19.* Sayr. *l. 7. thes. c. 10. n. 5.* Henriquez *l. 14 c. 6. n. 1.*

346 *Hoc defendo.* Hanc sententiam communem quidem defendo. Falsum enim omninò est, sub Officio Ordinis Sacramentalem absolutionem non contineri. Et colligitur ex *c. 1. de Cler. non ordin. ministrante.*

DVBIVM LXXVII.

Exercet quis Officium Ordinis, quem non haberse ritne irregularis, si illud præstet absque intentione vsum Ordinis vsurpandi?

347 *Irregularis non erit.* EXercens Officium Ordinis, v. gr. Diaconi, vel Subdiaconi canendo solemniter Euangelium, aut Epistolam, vel ministrando aliud Sacramentum, absque intentione vsurpandi Ordinis vsum; irregularis non erit. Quia in *c. 1. de Cler. non ordinato ministr.* statuitur hæc irregularitas, eo quod non ordinatus, solemniter baptizauerit, vel aliud Officium Ordini annexum exercuerit. Sed qui sine intentione baptizat, verè non baptizat: & qui sine intentione celebrat, vel absoluit, reuera non absoluit, nec celebrat, &c. Ergo non exercet Officium Ordini Sacro annexum; illud enim Officium, seu Officij simulatio non annectitur Ordini, sed ab Ordine excluditur. Sic Nauarr. *sum. c. 27. n. 242.* Tabiena *v. Irregularitas, 4. §. 3.* Auila *p. 7. d. 9. sect. 2. dub. 13.* Bonacina *tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 6. n. 2.* Vgolinus *c. 37. n. 10.* Hurtado *de irreg. d. 2. diff. 2. n. 5.*

348 *Erit irregularis.* Erit irregularis. Quia si hæc pœna non afficit exercentem exterius Ordinis Officium cum illo ritu, ac solemnitate, qua communiter exercetur, neminem comprehendet, qui hæreticus non sit, vel crassissima ignorantia non laboret; alius enim non potest habere voluntatem exercendi Officium Ordinis quasi ex Officio. Cum enim Ordinem non habeat, impossibile est, velle ministrare tanquam ordinatum.

natum,nisi ex eo,quod velit exterius officium exercere,sicuti exercet ordinatus.Quod apertius constat in Sacramentis, quæ non nisi à legitimo ministro confici possunt,in quorum confectione sciens se non esse legitimum ministrum, nullomodo potest habere voluntatē ea Sacramenta conficiendi.Relinquitur ergo vt solum habeat voluntatem,& intentionem exercendi in exteriori foro ea,quæ ordinatus potest exercere. Ergo cùm hæc irregularitas imposita sit , ad comprimendam audaciam eorum , qui diuina Officia Ordinum non ordinati vsurpant:efficitur comprehēdere quoscumque exercentes seriò ea officia , etiamsi vere illa non exerceant.Ita Suarius *d.42.sect.4.à n.18.*Coninch.*d.18.dub.6.n.43.*Layman. *de irreg.l.1.tr.5 p.5.c.3.n.1.*Palao *de Cens.d.6. pun.18. n.8.*

349 *Probabilius hoc esse iudico.* Hanc sententiam probabiliorem esse iudico.Ille enim minister,qui cum ordinatus non sit,Officium Ordinis in exteriori foro solemniter exercet , sine dubio facit, quantum ex parte sua facere potest ad Officium Sacrum exercendum;quia habere aliam intentionem, est ei ferè impossibile.

Dvbivm LXXVIII.

Præfata irregularitas indicta ne est solummodo aduersus Clericos Officium Ordinis,quem non habent , vsurpantes?

350 *Non est solum contra Clericos indicta.* NOn indicta est solummodo contra Clericos, sed æquè afficit laicos Officiū Ordinis vsurpantes. Quia *c.1.de Cler.non ordinat. minist.*generaliter statuitur,ne ordinetur, qui cum ordinatus non sit,baptizauerit,officiumve Sacrum exercuerit:qui textus cum sit antiquior Rubrica,nequit ex Rubrica restringi. Sic Sylvest.*v.Irregularitas,q.13.*Nauar.*summ. c.27.n.*242.Sotus *in 4.dist.18.q.4.a.1.*Valent. *tom.4.d.4.q.2.punct.1.*Suarius *tom.3.in 3.part. d.31.sect.4.fine,& de Cens.d.42.sect.4. num.2.* Auila *p.7.d.9.sect.2. dub.*13. Filliucius *tr.20. n.*208.Hurtado *de irregul.d 2. diffic.2. num.4.* & alij.

351 *Contra Clericos solum indicta est.* Indicta est solummodo contra Clericos, laicos non afficit. Quia licet in *c.1.de Cleric. non ordin. minist.* generaliter textus loqui videatur,& tam laicos,quam Clericos comprehendere:at cum sub titulo , & Rubrica *De Clerico non ordinato ministrante* constitutus sit indicatur manifestè,pro Clericis solummodo latum esse.Ita Angel. *v.Irregularitas 1.n.38.* Armil.*n.65.*Rosel.*n.2.*Tabiena *4.nu.2.*Laym. *l.1.tr.5 p.5.cap.3.n.3.*Bonacina *tom.1.d.7.q.3. pun.6.n.1.*Sayr.*l.7.thes.c.10. n.6.* Henriq. *l.12. c.19 n.5.& l.14.c.6.n.2.*

352 *Verius hoc esse iudico.* Verius hoc esse iudico. Quia textus hanc irregularitatem indicentes,aperte significant, solis Clericis indici.Nam *c.2.* expresse loquitur de ordinato,qui vltra prohibitionem, ne ad superiores Ordines ascendat,suspensio per biennium,vel triennium ab Ordine præcipuo quē habet,indicitur.In *c.*verò 1. si sequamur probabilem intellectum Panormitani *ibi.* Sylvestri,& Sayri *vbi suprà* asserentium, illis verbis:*Abiiciatur ab Ecclesia,*suspensionem, seu depositionem ferendam indici: manifestè constat , de solis Clericis tantùm esse sermonem. Nam laici nec suspendi , nec deponi possunt.Et licet grauius peccet laicus , quàm Clericus Officium Ordinis vsurpans:quia tamen Clerici frequentius , quam laici illud vsurpare solent,ea de causa aduersus Clericos vsurpantes dictum officium statuta est irregularitas,& non aduersus laicos.

CAPVT XXVI.

Circa Irregularitatem ex crimine hæresis proueniente.

Dvbivm LXXIX.

Crimini occulto hæresis annectiturne Irregularitas?

IRregularitas annectitur crimini hæresis etiam occulto.Quia *cap. Si qui Presbyteri,*& *cap.Saluberrimum,*& *cap.Conuenientibus* , 1. *quæstion.7.*& *cap.Nos consuetudine, distinction.*12. Clerici apostatantes à fide prohibentur ad vlteriorem gradum ascendere , licet in susceptis Ordinibus postquam conuersi sunt,ministrare permittantur.Sicuti habetur in *cap. Saluberrimum* , ibi enim redeuntibus ad fidem adimitur spes promotionis,& pro magno beneficio conceditur , in susceptis Ordinibus perseuerare : nisi iterata Vnctione,hoc Baptismi Sacramenti iteratione fuerint maculati. Quod si in *cap. Qui voluerint* , 1.*quæstion.* 7. dicatur de Nouatianis redeuntibus ad Ecclesiam posse ordinari , intelligi debet de dispensatione iuxta *cap.Maximum,*& *cap.Donatum.*Vel saltē intelligendum est de laicis , quibus non est ita certum hanc irregularitatem esse impositam : cum omnes textus,qui hanc irregularitatem indicere videntur,de Clericis loquantur.At cum omnes textus irregularitatem hæretico indicant non distinguentes,an debeat hæresis esse publica,an occulta;indicāt tam occultum, quam publicum hæreticum irregularem esse. Sic Pegna *direct.Inquisit.p.3.comment.*162. *q.* 113.Nauarr.*sum.c.27.n.*105.Tolet.*l.1.cap.*64, Suarius *d.*43.*sect.1. n.2.* Sanchez *l.2.Decal.c.* 25.*n.*2.Farinac.*de hæresi,q.*189.*nu.*43.Fillinc. *tr.*20.*n.*117.Bonac.*d.7.de irregul.q.3.punct.7. principio* Coninch.*d.18 dub.7.n.*50.

353 *Annectitur etiam crimini occulto hæresis.*

354 *Crimini hæresis occulto non annectitur* Crimini hæresis occulto irregularitas non annectitur.Quia textus hanc irregularitatem indicentes notorietatem criminis exigunt,siquidem sermonem dirigunt non ad ipsos hæreticos,sed ad Pastores Ecclesiæ,quibus præcipitur , ne hæreticos ad Ordines admittant.

Ita

Ita Perez *l.8.o din.tit.4.fol.98.* Henr. *l.14.c.4. n.6* Philiarc. *l.4 c. 5.* Sayr. *l.7.thes.c.11.nu.16.* Sà *v. Irregularitas ex defectu animæ,n.2.* Auila *p.7.d. 4.dub.2.* Laym. *de irreg.c.4 n.14.* Hurtad. *de irreg d.2.diff.4.n.14.*& alij relati à Barbosa *in remiss. Concil. sess.24.c.6. v. Hæresis.*

355 *Hanc eligo sententiam.*

Primam sententiam fateor esse communem,sed secunda probabilis admodum magis arridet.Nam *c.Saluberrimum,* quod existimo esse præcipuum ad hanc irregularitatem probandam,loquitur de peccato:siquidem mandatur fieri abiuratio solemnis, quæ fit in scriptis.Præterea in *c.2.de hæret. in 6. §. Hæretici,* apertè supponitur communis notitia;ibi enim prohibetur,ne hæretici,& eorum fautores ad beneficium , vel officium publicum admittantur,quod nisi delictum sit publicum, præstari nequit.

Dvbivm LXXX.

Extenditurne hæc Irregularitas ad eos,qui exterius fidem abnegant , etsi interius illam retineant?

356 *Extenditur quidem.*

EXtenditur quidem. Quia *c. Presbyteros, dist.50.*de Presbytero,qui ex timore fidē abnegauit,subditur,Sacerdotale officium non posse ministrare,neq; offerre,neq; sermonem ad populū habere.Diaconis verò,&aliis Clericis inferioribus impeditur ascēsus ad superiorē gradū,& in susceptо nequeūt ministrare nisi de consensu Episcopi,cui in hac parte cōmittitur potestas,quā vrgēti tantum causa debet exercere.Sponte verò fidē negantibus, etsi sustētatio tribuatur,nō tamē cōceditur ad altiores Ordines ascensus.Sic Farin.*de hæresi, q.192.n.75* Bonac.*tom.1.d.7.q.3.punct.7. n.1.* Maiol.*de irreg.l.5.c.34.n.2.* Viuald. *Candelab. tit.de irreg.n.88.* Suar.*d.43.sect.2.n.2.* Sanch. *l.2.Decal.c.25.n.6.*

357 *Non extenditur.*

Minimè extenditur.Quia in *c.Presbyteros,* nullū est verbū,ex quo colligatur Presbyterū illū fictè apostatasse;poterat enim timore duci,& nihilominus fidem ex animo abnegare. Textus autē alij citātur pro prima sententia scilicet in *c.Non potest,2.q.7.*& *c.Contra Christianos,de hæret.in 6.* in quibus apostata à fide hæresis pœnis subiicitur.At intelligendi sunt de verò apostata,qui fidem ex animo negauit: secus qui solū verbis,vel factis negationē significauit Ita Azor.*tom.1.l.8.c.11.qu.vlt.& c. 21.q 8* Nauar.*Cons.l.5.titul.de hæresi , cons.3. alias 9.* Palao *de Cens.d.6.pun.19.§.1. num. 4.*

358 *Hanc eligo sententiam.*

Primam sententiam communiorem esse non dubito, sector tamen secundam , quam non minus probabilem esse reor. Nam casu, quo textus in *c.Presbyteros* loqueretur de fidē fictè abnegante, solum comprehendit publicè delinquentes.In conclusione enim dicitur eos,quorum crimina manifesta sunt ante,vel post ordinationem à Sacris Ordinibus deiiciendos esse.Quorum tamen peccata secreta sūt,secreta satisfactione secundum Sacerdotis edictum in propriis Ordinibus remanere posse.

Dvbivm LXXXI.

Hæreticorum fautores excusanturne ab irregularitate?

359 *Non excusantur ab irregularitate.*

FAutores hæreticorum,(quatenus hæretici sunt,) receptatores,ac defensores eadem irregularitate afficiuntur,qua afficiuntur hæretici.Quia *cap.2.de hæretic.§ Hæretici,* hæreticorum fautores,& eorum filij vsque ad secundam generationem prohibentur,ne ad Ecclesiasticum beneficium,aut officium publicum admittantur. Nomine autem officij videtur intelligendum Officium Ordinis:ergo ab Ordine excluduntur. Igitur sunt irregulares. Sic Sanchez *lib.2.Decal.cap.25.num.6.* Suar. *disp.43.section.2.numer.2.* Coninch. *disput.18. dub.7.num.50.* Bonacina *tom.1.disp.7. quæst.5. punct.7.*

360 *Excusantur profectò.*

Non afficiuntur irregularitate.Quia neque ex *cap.2.de hæretic.in 6.* neque ex alio id colligitur.Nam esto,in *Cap.* præfato fautores hæreticorum ab officio publico excludantur, nomine Officij publici non Officium Ordinis, sed Officium iurisdictionis vti est Magistratus,Prætoriatus, Notariatus, &c.intelligendum est.Glossa sic intelligente ad *cap.Felicis §.Quod si quis , de pœnis in 6.* Illud enim officium publicum vocitatur,quod ad publicam vtilitatem,& populi regimen ordinatur. Ita Henriquez *l.14.c.4.n.6.* Sà *v.Irregularitas ex defectu animæ,n.2.* Palao *de Cens.d.6.punct. 19.§.1.n.5.*

361 *Mihi sententia probabilior.*

Hæc sententia mihi est probabilior. Nam si nomine Officij publici Officium Ordinis etiam intelligeretur prius Pontifex debebat, hos fautores hæreticorum ab officio publico, quam à beneficio excludere Quia Ordinis collatio beneficij collationi præsupponitur, vti aduertit noster Gasp.Hurt.*de irreg.d.2.diff. 3.n.7.* Cæterùm concesso, irregularitatem ab hisce fautoribus contrahi, debet fautoria publica esse.Quia de ea vt publica textus loquitur:siquidem prohibentur Ordinarij fautores hæreticorum ad officia publica admittere, quod fieri nequit,nisi ipsis Ordinariis fautoria perfecte sit nota.

Dvbivm LXXXII.

Filij eorum,qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur,quique contritionis signa dedere,suntne irregulares?

362 *Quæ sit status.*

CErtum est,filios, ac nepotes hæreticorū irregulares esse;at vt hanc irregularitatem contrahant,debere nasci post parentum delictum,& delictum esse notorium,& in eo decessisse.*cap. Statutum,de hæretic.* Quæritur verò,nūm filij eorum, qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur , quique ab hæresi ante mortem ob exhibita pœnitentiæ signa sunt absoluti,sub hac irregularitate comprehendantur?

Non

363 *Non comprehenduntur.*

Non comprehenduntur. Quia textus in *c. Statutum* hanc irregularitatem filiis hæreticorum indicens, exigit, vt in hæresi decedant parentes à delicto non emendati, nec Ecclesiæ reincorporati, quod de iis parentibus non videtur verificari posse, cum de facto ab hæresi absoluantur, decedantque parati pœnitentiã implere, & Ecclesiæ præceptis obedire. Sic Simancas *de Cathol. institit. tit. 29. n. 17.* Hurtado *de irreg. d. 2. diff. 3. n. 8.* Coninch. *d. 18. dub. 7. n. 51.* Henriquez *l. 14. c. 5. num. 4.* & alij, quos refert Pegna *citandus.*

364 *Comprehẽduntur.*

Comprehẽduntur equidẽ. Quia sic cõuersi præsumũtur in hæresi decedere, ac fictè conuerti timore potius, ne viui cõburantur, quam fidei amore. Ita Suar. *d. 43. section. 3. n. 4.* Rojas *tr. de hæret. p. 2. n. 337.* Pegna *Direct. Inquisit. p. 3. comment. 164.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 27. n. 22.* plures citans. Molina *tr. 3. d. 658. n. 16.* Azor. *tom. 1. l. 8. c. 12. post qu. 8.*

365 *Probabile teneo.*

Communiorem hanc sententiam in praxi obseruatam defendendam esse crediderim. Quia enim præsumuntur ex timore præfato signa contritionis dedisse, & non ex interno affectu, nec iuridicè ad pœnitentiam admittuntur, nec absoluuntur solemniter: quæ solemnis, & iuridica absolutio requisita videtur, vt ab Ecclesia iudicentur reconciliati, & reincorporati iudicentur.

Dvbivm LXXXIII.

Estne Neophytus irregularisque qui infantia baptizatus, etiamsi ex patre Iudæo, vel Sarraceno descendat?

366 *Nonnulla tenent.*

REcolo, Neophytum dici, qui nouus est in baptismo in ætate adulta suscepto. *Cap. Sicut Neophytus.* Hunc autem interim dum Neophytus est, irregularem esse, seu arceri ab Ordinibus suscipiendis constat ex *cap. 1. & 2. distinction.* 48. Determinare autem tempus, pro quo quis censendus Neophytus sit, arbitrio Episcopi relinquitur, qui iuxta personæ qualitatem, & debitam illius institutionem coarctare, vel prolongare tempus poterit, dũmodo decennium non excedat; nam transacto decennio post baptismum, Neophytus non censetur. Quæsierim verò, an sit Neophytus irregularisque, qui in infantia est baptizatus, etiamsi ex patre Iudæo, vel Sarraceno descendat?

367 *Est Neophytus & irregularis.*

Est Neophytus, & ideo irregularis. Quia Paulus IV. constituit, vt descendentes è Iudæis, vel hæreticis vsque ad quartam generationem Sacris Ordinibus prohibeantur initiari. Quam constitutionem Gregorius XIII. extendit ad descendentes ex Sarracenis. Et quia in *cap. Constituit 17. quæstion. 4.* Iudæi, aut ij, qui ex Iudæis sunt, ab officiis publicis excludũtur: ergo quomodocumque descendant censendi sunt inhabiles. Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Ferdinandez de Castro Palao *de Censuris disputatione sexta, puncto decimo nono, Paragrapho tertio, numero sexto.*

368 *Neophytus & irregularis non est.*

Non est Neophytus, nec irregularis. Quia *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. VI. nullibi contrarium cauetur, vt mox ostendam. Et nihil in hac parte fuit à Trident. immutatum *sess. 23. c. 7.* vbi præcipitur Episcopis inquirere ordinandorum genus. Quia in hac inquisitione tantum voluit Concilium, vt ea, quę sunt à iure statuta, exactè obseruentur. Ita Sanchez *libr. 2. Decalog. capit. 28. numer. 11.* Nauarra *summ. c. 27. n. 205.* Suar. *d. 43. sect. 3. n. 8.* Sayrus *l. 6. thes. c. 13. n. 10.* & alij apud ipsos. Palao *vbi suprà.*

369 *Hoc ferè certum censeo.*

Hoc probabilius admodum, imò certum ferè esse crediderim. Quia constitutiones Pauli IV. & Gregorij XIII. vsu receptæ non sunt, vt asserit Hurtado *de irregul. d. 2. diff. 3. n. 9.* & Auila *p. 7. d. 4. dub. 3.* Ad illud autem ex *cap. Constituit* allatum, respondeo cum Suario *n. 9.* & Sanchez *nu. 15.* intelligi de iis, qui sunt ex Iudæis nouiter ad fidem conuersi, non de illis, qui ab infantia fidem susceperunt. Hęc autem doctrina secundum ius commune procedit; nam si particularia statuta à Pontifice confirmata spectemus, certum est, descendentes à Iudęis, Mauris, vel Sarracenis excludi etiam vsque ad millesimam generationem ab aliquibus beneficiis, & Capellaniis, vt in Ecclesia Toletana, & Legionensi: & ab aliquibus publicis officiis, vt in S. Inquisitionis Tribunali.

Dvbivm LXXXIV.

Vt hæretici ad fidem redeuntes in Ordinibus habitis ministrent, indigentne dispensatione?

370 *Status quæstionis.*

IN irregularitate ex hęresi proueniente cũ hęreticis ad fidem redeuntibus solus Pontifex dispensat, vt Ordinibus initientur, vel ad superiores ascendant. Quæstio autem est, an vt in Ordinibus habitis ministrent dispensatione indigeant?

371 *Nõ indigẽt dispensatione.*

Non indigent. Quia in *c. Saluberrimum 1. quæstion. 7.* & *c. Nos consuetudine, distinct. 12.* id videtur esse permissum. Sic Gaspard. Hurtado *de irregul. d. 2. diffic. 2. fine.* & alij, quos presso nomine refert Coninch. *d. 18. dub. 7. num. 52.*

372 *Dispensatione Episcopi indigent.*

Indigent quidem Episcopi dispensatione. Quia ex *cap. Presbyteros, distinction. 50.* manifestè colligitur. Dicitur enim, eos habere debere pro beneficio, vt in susceptis Ordinibus ministrare possint. Si igitur loco beneficij, seu gratię ea ministratio habenda est: non est illis iure debita. Ita Suarius *disp. 43. sect 1. num. 6.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 25. n. 14.* Coninch. *vbi suprà.*

373 *Magis hæc sententia placet.*

Magis hęc mihi sententia placet credenti neque Episcopum dispensare posse quoad Sacerdotij vsum. Satis enim id indicatur *cap. Presbyteros, distinction. 50.* Et fortè ob hanc causam Pius V. anno 1567. prohibuit generali Hispanię Inquisitori, ne habiles redderet Presbyteros hęreticos, vt in altari deseruirent. Refert Pegna *direct. inquisit. p. 3. q. 126. comment. 157.*

Dvbivm LXXXV.

In hac Irregularitate occulta potestne Episcopus virtute Tridentini dispensare?

374 *Non potest dispensare.* Dispensare non potest virtute Tridentin. *sess.24.c.6.* in hac irregularitate occulta, neque ad forum contentiosum deducta. Quia communior sententia affirmat esse reuocatam Episcopo facultatem absoluendi ab hæresi in eo decreto concessam: ergo est etiam illi reuocata potestas dispensandi in irregularitate inde proueniente. Tùm quia hæc irregularitas est hæresi accessoria. Tùm quia præcipuè quia in *c. Cum illorum, de sent. excom.* dicitur, Episcopos non habere potestatem dispensandi in casibus, in quibus eorum absolutio est illis interdicta: cum maiora intelligantur illis esse prohibita, quibus vetita sunt minora. At absolutio minus est, quam dispensatio Glos. *ibi.* Abbas *n.2. not ab.3.* Felin. *n.vni.* Ergo denegata Episcopis potestate absoluendi ab hæresi, consequenter censetur denegata potestas dispensandi in irregularitate ex illa proueniente. Sic Suarius *d.43. sect.3. n.15.* Toletus *l.1.c.46.* Filliucius *tr.20.n.231.* Bonacina *tom.1 d.7. q.3. pun.7. n.12.*

375 *Dispensare potest.* Potest dispensare. Quia hæc dispensatio dici nequit maioris considerationis, quam à crimine hæresis, & illius excommunicatione absolutio. Hæc enim irregularitas non est certa, sed dubia: ac proinde etiamsi intelligamus negatam esse Episcopis potestatem absoluendi ab hæresi, non inde infertur, esse negatam potestatem dispensandi in illius irregularitate, quæ dubia est. Ita Sanchez *l.2. Decal.c.25. n.18.* plures referens. Farinac. *de hæresi, q.194. n.79.* Palao *de Cens. d.6 pun.19. §.4.n.4.*

376 *Hoc defendo.* Hoc rectius excogitatum esse iudico. Nam quando dicitur, potestatem dispensandi maiorem esse potestate absoluendi, intelligitur de potestate dispensandi in impedimento certo, non in dubio quale est hæc irregularitas. Neque huius irregularitatis dispensatio est annexa excommunicationis absolutioni, cum sint potestates omninò distinctæ, ac separatæ.

Dvbivm LXXXVI.

Inquisitores possuntne in foro conscientiæ in hac ex hæresi Irregularitate dispensare?

377 *Possunt dispensare.* Dispensare possunt. Quia in constitutione Clementis VII. ad huiusmodi dispensationem gerendam eis potestas impertitur. Sic Mandos. *de signatura gratiæ, v. Absolutio ab hæresi, initio.* Vmb. Locatus *in iudiciali inquis. v. Irregularitas, n.2.* Lelius Zecho *tr. de fide, c.11. n.16. in pœna 12. haret.* Henriq. *libr.14.c.18. num.2.*

378 *Dispensare non possunt.* Non possunt dispensare. Quia præfata constitutio vsu, & consuetudine abrogata cēsetur. Ita Suarius *d.43. sect.1. n.5.* Pegna *direct. inquisit. p.3. q.126. comment.175.* Sanch *l.2. De cal.c.25. n.16.* Farin. *de hæresi, q.192. n.76.*

Cum his probabilius opinor. Nam constitutio illa, quam refert Pegna, lata videtur pro personis, quæ eo tempore aderant, neque ad alios extendi vti docet Palao *de Censur. d.6. pun.19. §.4. n.5.* Cui quidem in cunctis, quæ ad Inquisitionis Sacræ Tribunal spectant, specialem fidem adhibeo. 379 *Cum his opinor.*

CAPVT XXVII.

Circa Irregularitatem ex infamia prouenientem.

Dvbivm LXXXVII.

Ad incurrendam infamiæ ex proprio delicto Irregularitatem necessariò debet delictum esse notorium?

380 *Nouella indicta.* Vppono ex *sect.1.* infamiam ex delicto proprio duplicem esse, vnam, quæ annectitur ipsi delicto tantum: alteram, quæ præterquirit condemnatoriam delicti sententiam. Porrò infamia iuris annexa delicto tantùm, oritur ex delicto, cui ius Ciuile, vel Canonicum infamiam præscribit: verbi gratiâ, lenocinio, binis sponsalibus etiam invalidis, descensioni in certamen priuatum cū alio homine quæstus gratia, violationi iuramenti promissorij læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ violationi, hostili insectioni Cardinalium, raptui fœminarum, descensioni in duellum, &c. Quæsierim autem, nùm ad incurrendam huius infamiæ ex proprio delicto irregularitatem, debeat necessariò delictum esse notorium?

381 *Non debet necessariò esse notorium.* Non debet. Quia infamia non incurritur ex delicti manifestatione, sed ex proprio delicto. Sic D. Antonin. *p.3. tit.28. c.6. §.7.* Sylues. *verb. Irregularitas, quæst.14.* Suarius *d.48. sect.1. num.7.*

382 *Debet omnino esse notorium.* Debet omninò. Quia infamia est famæ, & bonæ æstimationis diminutio. At dum crimen ignotum est, bonum delinquentis nomen non diminuit. Ergo ex crimine, dum occultum est infamia non potest oriri. Ita Glossa ad *Cap. Inquisitionis, de accusationibus*, Abbas ad *Cap. Ex tenore, de iemporib. ordinat.* Nauarr. *summ. cap.27. n.148.* Couarruuias *lib.3. variarum cap.3. num.2* Henriquez *libr.13. cap.11. & libr.14. capit.5. numer.2.* Sanchez *libr.2. Decalogi capit.26. numer.1.* Coninch. *disputation.18. dub.7. numero quinquagesimo sexto.* Laymanus *de irregularitate, capite quarto, numero octauo.*

383 *Cum his opinor.* Quamuis ex ipso delicto proueniat infamia, attamen illius manifestatio, ac publicatio requiritur, vt infamiam irroget. Cum hoc tamen stat, si timeretur delictum esse publicandum, & conse-

quenter

quenter infamia contrahenda, obligatum esse delinquentem ab omnibus illis actionibus abstinere, à quibus infames abstinent: alias exponitur periculo depositionis, & annullationis à Iudice faciendæ. Suar. *d.* 48. *sect.* 1. *nu.* 16. Laym. *de irregul. c.* 4. *n.* 9. *concl.* 1.

Dvbivm LXXXVIII.

An infames sint filij hæreticorum?

384 *Nonnulla suppono.* SVppono, etiam oriri infamiam ex delicto alieno. Hac enim ratione filij, ac nepotes parentum violentas manus in Cardinalem Romanæ Ecclesiæ iniicientium infames efficiuntur. *c. Felicis, versic. Quod si quis, de pœnis in* 6. Item filij proditorum crimen læsæ Maiestatis committentium iure Ciuili redduntur infames. *Leg. Quisquis, §. Filij, Cod. ad leg. Iuli. maiest.* Quæsierim autem, an infames etiam sint filij hæreticorum?

385 *Infames sunt.* Sunt equidem. Quia hi prohibentur, ne beneficio Ecclesiastico donentur: néve publica exerceant officia. Sic aliqui, quos presso nomine refert Castro Palao *de Cens. d.* 6. *pun.* 20 *num.* 5.

386 *Non sunt infames.* Non sunt infames. Quia si infamia afficerentur, essent ad testimonium ferendum inhabiles *c. Testimonium, & c. Licet, de testibus.* Etsi Clerici essent, priuari deberent beneficiis, & officiis habitis, cum hæc omnia infamibus prohibeantur: quæ tamen filiis hæreticorum non sunt prohibita. Ita Suarius *d.* 48. *sect.* 3. *& de fide d. vlt sect. vlt. nu.* 7. Sanchez *l.* 2. *Decal. c.* 28. *nu.* 5.

387 *Id affirmo.* Existimo etsi hæreticorum filij irregulares sint non tamen esse infames, cum ea, quæ infamibus denegantur, his permittuntur.

Dvbivm LXXXIX.

An illegitimi sint inter infames computati?

388 *Computantur inter infames.* ILlegitimi, ideſt, qui ex legitimo matrimonio nati non sunt, inter infames computantur. Quia in *leg. Regia* 2. *tit.* 6. *p.* 7. hac videntur infamia inuti ob culpam à parentibus perpetratam. Sic plures Doctores, quos tacito nomine memorat Palao *de Censur. d.* 6. *pun.* 2. *n.* 5.

389 *Non computantur.* Non computantur inter infames. Quia in Lege *Generaliter, §. Spurios, & leg. Spurij, ff. de decurionib.* ab obtinendo, & administrando officio Tabellionatus, & Decurionatus munere, & ad testimonium in iudicio ferendo, & ad ius hæreditatis in testamento non repelluntur. Ita Couar. *pract. qq. c.* 19. *nn.* 6. Molina *tr.* 4. *d.* 7. *n.* 5.

390 *Esse irregulares putо, sed non ex infamia.* Fateor, illegitimas iure Canonico esse irregulares, & inhabiles ad ordines suscipiendos, & beneficia Ecclesiastica obtinenda, aliosque effectus existere: sed hoc non ex infamia quam non habent, siquidem ad officia illa sæcularia admittuntur, à quibus infames assolent repelli.

Dvbivm XC.

Officium carnificum, lectorum, macellariorum, & similium est ne infamia notatum irregularitati obnoxia?

391 *Nonnulla suppono.* SVppono, etiam ex officio ortum habere infamiam. Sunt enim aliqua ministeria adeo vilia in Republica, vt ea exercentibus infamia irrogari videatur. Exempli gratiâ officium histrionum, qui olim se pretio conducebant, ad spectacula sui corporis exhibenda, siue qui obscœna publicè repræsentabant. De quibus D. August. *l.* 2. *de Ciuit. c.* 11. *&* 13. Hi igitur ob turpes, ac indignas repræsentationes infamiæ nota afficiebantur. *leg.* 1. *&* 2. *§.* 2 *Ait Prator.* Quæsierim verò, nùm officium carnificum, & similium sit & non sit infamia notatum irregularitate obnoxia?

392 *Est officium infame irregularitati obnoxium.* Est quidem. Quia viles homunciones in Republica habentur, nec ad ministerium sæculare vllius ponderis eliguntur. Quomodo ergo ad sacerrima Ecclesiastica ministeria sunt assumendi? Sic Doctores, qui, presso nomine à Petr. Ferdinando de Castro memorantur *de Censur. disputation. 6. punct.* 20. *numer.* 6.

393 *Non est.* Non est notatum infamia. Quia esto sint officia infimæ conditionis, ac notæ, nullo tamen iure scripto cauetur ea exercentes infamia notari. Ita Castro *vbi supr.*

394 *Hoc assero.* Cui quidem adhæreo. Ea enim officia exercent frequenter qui pauperie premuntur ad victum acquirendum, & possunt sine vllo piaculo exercere, Quomodo ergo Dominus pauperem ex conficta huiusmodi infamia à Sacro munere arceret, quia viles mundi homunciones nuptiarum compelli imperat ad conuiuium.

Dvbivm XCI.

An infames ita excluſi sint à dignitatibus Ecclesiasticis obtinendis, vt earum prouisio sit irrita ipso iure?

395 *Irrita est.* ITa excluduntur, vt prouisio irrita sit. Quia Ecclesia, & Respublica à suis officiis, beneficiis, & muneribus eos excludit, quantum potest, vti indicat dicens: *Infamibus porta non pateant dignitatum, de Regulis iuris in sexto.* Quasi diceret, omnis via ad dignitates illis occlusa sit. Si tamē validè dignitates possent obtinere, iam aliqua via ad dignitates obtinendas illis pateret. Sic Abbas *ad c. Inter dilectos, de excess. Prælator. n.* 8. Selua *p.* 3. *de benefic. quæst.* 5. *num.* 31. Nauarra *summ. c.* 27. *n.* 204. *&* 251. Molina *tract.* 4. *d.* 11. *num.* 3. Auila *p.* 7. *d.* 4. *dub.* 7.

396 *Non est irrita.* Non ita excluduntur, vt prouisio sit irrita in foro conscientiæ, quoúsque à Iudice rescindatur. Quia annullatio actus vtpotè odiosa inducenda non est absque manifesto

textu. At nullus est textus hanc annullationem ipso iure inducens Ita Garcia *parte septima, de benefic. capite octauo, numero quadragesimo septimo*, plures citans.

397 *Hoc satis probabile esse credo.*

Fateor primam sententiam communem esse, & fo rum externum illam in iudicando sequi: at existimo probabilitate non carere, supradictorum prouisionem in foro conscientiæ validam esse, quousque à Iudice rescindatur. Nam esto infamibus nullæ sint dignitatum portæ apertæ, sed omnes occlusæ: inde tamen solum infertur, illarum ingressum illis esse interdictum: non autem si de facto fiat, inualidum esse; sicuti non est inualidus ordo infamibus collatus, tametsi Ordinum portæ infamibus non pateant.

Dvbivm XCII.

Omnia crimina depositione digna inducuntne Irregularitatem, etiam si sint occulta?

398 *Inducunt quidem.*

INducunt profectò. Quia qui dignus est depositione, dignus à fortiori videtur, qui ad ea non admittatur, à quibus ob illud delictum meritò deponendus est. Sic Maiol. *libro quarto, de irregularitate, capite vigesimo tertio, & libro quinto, capite primo secundo, & trigesimo*, & alij Doctores, quos presso nomine affert Palao *de Censur. disputation. 6. punct. 20. numer. 15.*

399 *Non inducunt.*

Non inducunt irregularitatem quæcumque crimina depositione digna præterea, quibus ex iure indicta est. Quia sic decidit in *cap. Ex tenore, de temporib. ordinat.* Dicitur enim ibi, ex nullo crimine depositione digno, si occultum sit, quem à Sacris Ordinibus prohibitum esse. Et in *cap. vltim. eodem titulo*, inquit Pontifex: *Si proposita crimina*, (scilicet, adulterij, periurij, homicidij, vel falsi testimonij) *ordine iudiciario probata, vel alias notoria non fuerint, non debent ij (præter reos homicidij) post pœnitentiam in iam susceptis Ordinibus, vel susc ipiendis impediri.* Ita Suarius *disp. 43. sect. 4. & 5.* Nauarr. *summ. c. 27. n. 248.* Henriq. *l. 13. c. 36. & l. 14. c. 5. n. 1.* Auila *p. 7. d. 4. dub. 7.* Palao *citatus.*

400 *Cum hac tio.*

Cum his opinor longè verius. Imò certam hanc sententiam esse crediderim, vt ex relata illa clausula persuadeor. Quando verò hæc delicta publica, vel notoria sunt, tunc non ratione delicti præcisè, sed ratione infamiæ inde exortæ ab Ordinibus arcentur.

AD DEIPARAM DOMINAM MEAM

EPILOGVS.

ADeò peccatorum exorbitat contumax animus, vt Mater Ecclesia eum Censurarum malleo contundere, necessarium esse iudicet. Quod quidem Maria misericordiæ Mater facilius assolet præstare peccatores duritiei addictos ad pœnitudinem mirâ suauitate reducens. Rex Iosias diuinis comminationibus perterritus incredibiliter, misit olim ad Holdam Prophetidem, quæ de rebus agendis Deum consuleret. *Ierunt itaque* (inquit textus) *ad Holdam Prophetidem, quæ habitabat in Ierusalem. 4. Reg. 22. num. 14.* Quærunt Interpretes, cur non potiùs miserit ad Ieremiam inter Prophetas illius temporis facilè Principem? Lyra respondet. *Quia Iosias quærebat consilium pietatis, & misericordiæ diuinæ, ideò ierunt ad mulierem prophetidem, quia mulieres magis solent esse misericordes, quàm viri.* Sed non apta ad litteram fortasse videbitur interpretatio; nec enim diuina oracula ex prophetantium diuersitate mutantur, præsertim si diuersitas penes sexum spectetur. Si tamen ad Deiparam in sensu allegorico detorqueatur, non inutiliter procedet. Nam Beata Virgo cum à peccatoribus Censurarum comminationibus perterritis ad Deum consulendum subrogatur, illos remouens à duritie, & ad frugem meliorem adducens, Deum iratum mitigat, & tranquillat. *Et sæpe* (ait Idiota) *quos iustitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat, quia Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius.* Illi ergo mihi videntur consultissimi, qui ad te confugiunt, *ô Deipara* diuinam misericordiam imploraturi. Nam si per Holdam felicia Regi oracula nunciata sunt, vt patet *numero decimo*

mo octauo, multò feliciora renunciabuntur peccatoribus per Mariam, cuius misericordia omnium virorum, ac mulierum misericordiam antecedit.

Laus Deo, Deiparæ, Iosepho, Ignatio, Antonio.



INDEX
RERVM ET VERBORVM, Notabilium, quæ in hoc Tomo sexto continentur.

Prior Numerus Paginam, Posterior Numerum marginalem denotat.

A

Abbatissa.

ABBATISSA an sub nomine Ecclesiasticæ personæ veniat comprehendenda? p.271.n.40

Abiurare, Abiuratio.

Abiurare de vehementi debetne confessarius solicitans? p.101.n 751

Abiuratio quid sit? p.101.n.753

Absolutio.

Absolutio ab interdicto quando sit necessaria, & quando non? p.298.n.43

Absolutio Sacramentalis præstita ab eo, qui ordinatus non est indueitne irregularitatem? p.362.n.346

Absolutio, vide verb. *Episcopus, Excommunicatio, Pontifex.*

Acedia.

Acedia quid? p.129.n.84

Acedia quale peccatum. ib.n.85

Adam.

An Adam in statu Innocentiæ habuerit fidem diuinam? p.29.n.210

Adulter.

Adulter ob cuius causam vxor à marito occiditur, an sit irregularis, etsi mortis periculum cui se, vel vxorem exponit, præuideat? p.357. n.305

Amor.

Amor inordinatus in nosmetipsos per excessum quis? p.128.n.82

Amor inordinatus in nos per defectum quis. p.129.n.83

Amor, vide verb. *Charitas, Dilectio, Proximus.*

Angelus.

An Angeli in statu viæ habuerint fidem diuinam, p.29.n.214

Apostata.

Apostata, vide verb. *Hæreticus.*

B

Baptizatus.

BAptizati in infantia facti adulti non possunt gloriam sine fidei actu adipisci. p.5. num. 10

Beatificatio.

Beatificatio quid. pag.26.num.190

An Beatificatio distinguatur à Canonizatione? p.26.nu.193

In Beatificatione Sanctorum potestne errare Pontifex. ibid.n.196

An cum conceditur Religioni cuidam Sanctum Beatificatum ritu in Beatificatione præscripto venerari die, quo è vita discessit, possint Clerici sæculares sacrificium in illius honorem offerre. p.27. n.200

An in Beatis sit actus fidei circa alia obiecta à Deo distincta? p.30.n.218

Beatitudo.

Beatitudo æterna est obiectum materiale primarium spei. pag.103. nu.2.

Beatitudo, vide verb. *Spes.*

Bellum.

Bellum quid. pag. 131. num.99

Bellum quomodo differat à seditione & rixa. ibidem

Bellum iustum licitum est, iniustum graue peccatum. ibid.n.100

Prima conditio ad honestatem Belli offensiui est legitima authoritas. ibidem numero 101

Secunda conditio est causa iusta. ibid. num.102

Quot causæ ad Bellum inferendum admittantur. ib.n.103

Tertia conditio est recta intentio. ibid. num.104

Interdictum est in Sacris constituto gerere Bellum nisi in quatuor casibus. p.132. num.105

Clerici dominio temporali in republica perfecta fruentes possunt ex iusta causa Bellum indicere? ib.n.106
Bellum priusquam indicatur, Princeps debet tentare omnia media ad suum ius obtinendum? p.132.n.107
Bellum quomodo possit esse ex vtraque parte iustum? ibid. n.108
Milites parati Bellum iustum, vel iniustum sequi in malo sunt statu. ibid. num.109.
Quæ liceant in Bello? ib.n.110
Quid circa innocentes in Bello iusto liceat? ibid.n.111.
Quid circa mobilia in bello capta, & circa immobilia. p.133.n.112
Quid quando raptus liber militibus conceditur. ib.n.113
Quandonam possint dari vrbes militibus in prædam in Bello iusto. ib.n.114
Quid in Bello iniusto. ibid nu.115
Quandonam possit captus in Bello fugere. p.134.n.120
Bellandi iustus titulus potestne dari secluſa ignorantia ex vtraque parte? p.166. num.374
Tenerisne à Bello desistere quocumque tempore detur satisfactio. pag. 167. num.377
Vt Bellum possit indici an requiratur moralis victoriæ certitudo. pag.168. num.384
An capti Bello iusto possint aufugere, & eos quilibet ad fugam iuuare. p. 169. num.392

Beneficentia.

Beneficientiæ diuisio. p.147.n.240
Beneficientia corporalis quod nomen sibi arroget. ibid.
Beneficientia spiritualis quo nomine appellitetur. ibid.

Beneficium.

Ad Beneficia inhabilitas est quarta hæreticorum spiritualis pœna. p.13.n.89
Beneficiorum Ecclesiæ,ac dignitatum priuatio, est quinta hæreticorum pœna spiritualis. ib.n.90
Beneficiarij suntne domini reddituum,qui sibi applicantur. p.151.n.166
Beneficiij collatio facta suspenso estne irrita ipso iure. pagina 273.numer.64. & 65.
Sub nomine fructus Beneficij,quo suspensus à Beneficio priuatur, comprehenditurne collatio, & electio ad beneficium titulo Beneficij competens. pagina 276. numero 89
Valetne Beneficij collatio irregulari absolute facta. p.337.n.106
An Beneficiis rite acquisitis ipso iure pariet irregularitas. pagina 338.numero 109
Si Beneficio simplici annexum sit beneficium iuratum,impediturne dispensatio. p.347. num.189

Bigamia.

Bigamiæ interpretatiuæ irregularitatem contrahitne,qui ignorans coniugis adulterium eam cognouit,vel à principio putans virginem ducere,corruptam duxit. p.343. num.152
AnBigamiam contrahat interpretatiuam qui viuente propria vxore scienter aliam ducit. ibid.n.156
Bigamia similitudinaria quæ. pag.344. num.163

Bonum.

Bonorum confiscatio est prima ciuilis pœnam hæreticorum. p.13.nu.92
Circa Bonorum publicationem ob hæresis crimen quid. p.69.n.494
An Bona castrensia, vel quasi castrensia publicentur ob hæresim filij. p.72. num.511
An reseruanda sint Bona filiis perpetrantis crimen læsæ maiestatis diuinæ,vel humanæ. ibid.n.514
Filiis parentum,quorum Bona publicata sunt ob hæresis crimen,possuntne in foro conscientiæ abscondere ad sui sustentationem alimenta, si illis non reseruentur, & graui necessitate sint afficiendi. ibid. num.517
An quando delictum confiscationem habet annexum delinquens ipso facto priuetur suorum Bonorum dominio. pag.75. num.532
An confiscatio obliget delinquentem cuiscona sunt ipso iure confiscaa, ea fisco antet sententiam tradere. ibidem numero 535
Confiscatio ipso iure ob delictum hæresis imposita impeditne, vt delinquens valide possit sua Bona alienare. ibidem numero 538
Bonorum confiscatio delinquenti in contumaciam ob causam fidei, quo tempore sit facienda. pagina 77. numero 553
An de Bonis acquisitis post abiurationem possit testari hæreticus pœnitens,& Ecclesiæ reconciliatus. p.78.n.557
De Bonis propriis danda est eleemosyna. p.125.n.61
Quid de Bonis communibus quę particulariter possidentur. ib.n.61
Quid item de Bonis communibus quæ possidentur collegialiter. ibidem numero 63
Quomodo de Bonis turpiter acquisitis fieri possit eleemosyna. ib.n.65
Quomodo ex Bonis fisco ob aliquod crimen addictis. pagina 126. numero 66
Bonorum temporalium directa defensio excusatne ab irregularitate. pag.360. numero 325

C

Censura

CEnsura, vide verb. *Excommunicatio.*

Cessatio à Diuinis.

Cessatio à Diuinis quid? pag. 300. num. 53
Cessatio à Diuinis quotuplex? ibidem
Cessationem à diuinis inter & interdictum quid discriminis intercedat? ibidem numero 54
Cessationem quinam possint imponere? p. 301, n. 55
A quibus debeat abstineri Cessationis tempore. ibid. n. 56
Cessationis tempore quænam possint ministrari Sacramenta. ibid. n. 67
Cessatio à Diuinis priuat etiam laicos Sacra sepultura. ibid. nu. 58
Cessationis à Diuinis effectus estne annexus cuilibet cessationi. pagina 322. numero 271
An ad cessationem extendatur priuilegium concessum in *cap. Alma.* ib n. 275
Cessationis tempore licitumne est in particulari binos, vel ternos recitare Canonicum officium. p. 323. n. 283
Ad validitatem Cessationis quæ conditiones seruari debeant. p. 324. n. 287
Cessationem generalem violans Clericus contrahit irregularitatem. p. 325. num. 296
Nùm Cessatio possit per appellationem suspendi, si executioni mandata non sit. ibid. num. 302

Charitas.

Charitas quid? p. 118. n. 1
Charitas est quædam naturalis amicitia inter Deum & hominem. ibid. n. 2
Charitas est omnium virtutum excellentissima. pag. 119 n. 3
Charitas quotuplex admittatur. ibid. num. 4
Duplex Charitatis obiectum. pag. 119. num. 5. & 6
Obiectum formale Charitatis est ipse Deus sub ratione boni propter se amabilis. ib. n. 6
De fide est dari Charitatis erga Deum præceptum. ibid. n. 7
Charitatis quotuplex præceptum. ibid. num. 8
Charitatis præceptum affirmatiuum quandonam obliget per se. ibid. nu. 9.
Quandonam obliget per accidens. ib. num. 10
Ordo in Charitate asseruandus quis. p. 121. pag. 27. & pag. 122. à n. 28. ad 39. & p. 123. à n. 40. ad 43
Quæ peccata directè Charitati in proximum opponantur. p. 128. n. 81
An sit speciale præceptum de aliquo actu interno Charitatis, quo Deum quis aliquando amet. p. 139. nu. 157
An hoc Charitatis speciale præceptũ sit partim de dilectione naturali, partim de supernaturale. ibid. num. 160
Charitatis præceptum obligatne actum dilectionis elicere, cum quis adultus Baptismum recipit. p. 141. n. 175
Charitatis præceptnm instatne quoties quis ad Eucharistiam sumendam accedit. ibid. num. 178
Charitatis præceptum obligatne cum quis aliquod egregium opus difficile quidem est aggressurus. ibid. nu. 181
An Charitatis præceptum obliget, quoties quis aliquem blasphemantem audit. p. 142. num. 187
Ex præcepto Charitatis teneturne quilibet adultus annis singulis actum dilectionis elicere. ib. n. 196
Obligamurne ad aliquem amorem internum erga proximum ex Charitate procedentem. p. 143. n. 200
An peccet quis contra Charitatem, si constitutus in æquali necessitate bonorum, quæ ex obligatione conseruare debet, vt vitæ & corporis cedat sui conseruationi, vt vita & corpus proximi conseruetur. pag. 144. num. 208
Charitatis effectus quot. pag. 147. num. 240
Interni Charitatis effectus qui. ibidem
Charitatis externi effectus qui. ibidem
Charitas, vide verb. *Correptio fraterna, Eleemosyna.*

Clericus.

Clericus teneturne ex iustitia, quę ex sua suęque familiæ congrua sustentatione superfunt pauperibus elargiri. p. 152. num. 269
Clerici in minoribus ordinibus constitutis, an sit vetitum propriâ dimicare manu. p. 169. n. 400
Clerici nomine quid veniat intelligendum. p. 198. n. 80
Clerici criminosi amittuntne ipso iure fori priuilegium, si sint in Sacris constituti. p. 242. n. 466
Omnia requisita, vt Clericus fori priuilegio gaudeat requirunturne, vt priuilegio Canonis potiatur. ib. n. 469
Clericus seipsum vulnerans qua censura afficiatur. pagina 243. numero 470. & 471
An Clericos discipulos possint magistri punire per laicos. p. 245. n. 491
Contra Clericos quot inueniantur in iure suspensiones. p. 269. nu. 26
An Clericus debeat necessario esse ferens suspensionem. p. 271. nu. 43
Clericus Beneficiarius Ecclesiam alienis debitis grauans qua suspensione feriatur. pagina 284. numero 170. 171. vbi numero 172. resoluit Author. ibidem
Clericus concubinarias suspenditurne in cap. quæsitum vlt. de cohab. Cler. & mul. p. 288. n. 205
Clericus Sodomiæ crimine infectus siue publicè, siue occultè, estne suspensus ex bulla Pij V. ib. n. 208

Si Clericus incorrigibilis videatur, an sufficiat vt depositus valeat & Curiæ sæculari trandi? p.289.n.219
Clericus an mortaliter delinquat officia diuina in loco interdicto celebrando. p.317. num.221
Clerici in Sacris constituti matrimonium contrahentis, suntne irregulares ob bigamiam similitudinariam? pag. 344. num.166
Clericus propria manu occidit vel mutilat in bello iusto, eius irregularitas estne ex homicidio illicito & iniusto? p.354. num.270

Comœdia.

Comœdiis an sit licitum interesse. p.182. num.499
Circa permissionis Comœdiarum damna quædam adducuntur. ibidem numero 500

Concilium.

Concilium generale sumptum pro omnibus Patribus Concilij in rebus fidei definiendis. ante Pontificis confirmationem an sit infallibilis veritatis. pagina 28. numero 207

Confessarius Confessio.

Confessarij quos fidei articulos debeant rusticos edocere. p.4.nu.24
Confessarius approbatus absoluit ab hæresi interna tantum, vel externa tantum. p.12 n.77
Confessarius electus virtute Bullæ aut Iubilæi, quid possit circa absolutionem ab hæresi. ibid.n.82
Confessarius solicitans in fide suspectus. p.14.n.98
De Confessario ad venerem solicitante plura. ibidem & seqq. à numero 98. ad 117
Teneturne quis Confessarium solicitantem denunciare, si credat iam esse emendatum. p.88.n.625
Confessarius estne denunciandus. solicitans in confessione ad turpia, seu ad alia peccata. ibid.n.629.& 630
An sit denunciandus qui in vsu aliorum Sacramentorum fœminam ad venerea solicitat. p.89.n.634
An sit denunciandus Confessarius ad actus solum venialiter inhonestos solicitans. ibid.n.637
Denunciandusne est qui in actu Confessionis fœminam à pulchritudine laudat. p.90. num.640
Confessarius in actu confessionis tradit fœminæ chartam qua eam ad turpia solicitat, postea legendam, estne denunciandus. ibid. num. 643
In Confessione quis fœminam incitat, vt alium ad venereos actus admittat, estne solicitatio denuncianda. ibid.n.644. & 645
Confessarius solicitat pœnitentem, vt mediet cum alia fœmina, vt se ad actus impudicos admittat, an delictum sit in Bullis Pij IV.& Clementis VIII. comprehensum. p.91. num.650
Estne denunciationi locus cum Confessarius solicitatus in confessione à fœmina, solicitationi consentit. ib.n.653
Confessarius à fœmina solicitatus ad cõgressum renuit, volens solummodo tactibus inhonestis frui ad eos illam prouocans, estne denunciandus? p.91. n.656
Denunciarine debet Confessarius, qui post auditam fœminę confessionem ad illius mox domum accedit, vel in itinere eam solicitat. p.91.n.664.& 665.vbi.nu.666. Authores soluit. ibid.
Fœmina ad confessionale accedit bono animo alia negotia tractanda, denunciandusne est Confessarius eam ibi solicitans sine simulatione confessionis. ib.n.669
Debetne denunciari Sacerdos qui in Confessionario sedens, eam solicitat stantem aut sedentem? p.94.n.671
An ante Gregorij XV. constitutionem debebat denunciari Confessor, qui adolescentem in confessione, adtur pia solicitauit. p.95.numer.679.
An fœmina in confessionis actu Confessarium solicitans, sit ab ipso, vel ab aliis, qui id nouerint denuncianda. pag.96. num.693
Pœnitens aliquod damnum timet probabiliter, si Confessarium denunciet solicitantem, an excusetur à denunciatione facienda? p.97.nu.701
Confessarius potestne pœnitentem absoluere, quin prius Sacerdotem solicitantem pergat? p.98.n.713
An Confessarius ad turpia in confessione solicitans sit dehæresi vehementer suspectus? p.101.n.749
An Confessarius solicitans debeat de vehementi abiurare? ib.n.751. & seq.
Confessio, vid.verb. *Fides.*

Confiscatio.

Confiscatio, vide verb. *Bonum.*

Coniunctio.

Coniunctio spiritualis an sit naturali præferenda in spiritualibus? pagina 145. numero 216

Consilium.

Consilij opera quæ. p.181. nu.495

Contentio.

Contentio quid? p.130.nu.90
Contentio qualenam peccatum? ibidem

Correptio fraterna.

Correptio fraterna debetne præmitti ante denunciationem. p.87.n.621
Correptio fraterna quid? p.126.n.68. & p.155.n.295
Correptio fraterna est in præcepto ad lethale obligante. ib.n.69
Qui teneantur ad Correptionis gerendæ præceptum. ib.n.70
Non licet subditis inquirere fratrum peccata, vt eos fraternè Corripiant. ibidem numero 71
Materia præcepti Correptionis fraternæ est omne, & solum peccatum graue. ibidem numero 71

Potest veniale aliquando esse materia. p. 127. num. 73
Correptio fraterna se ad omnes extendit. ibid. n. 74
Correptionis fraternæ præceptum non semper & pro semper obligat. ibidem numero 75
Correptio fraterna non statim facienda, sed opportunum tempus expectandum. ibid num. 76
Non obligat vt corripias ex ignorantia invincibili delinquentem. ib. n. 77
Quo ordine facienda correptio. p. 128. num. 78
Delinquit qui omittens ordinem à Domino præscriptum, proximum grauiter lædit. ibid. n. 79
Correptio, & beneficentia spiritualis idem sunt. p. 147. n. 240
Correptionis fraternæ præceptum oriturne ex charitate Dei, vel proximi. pag. 156. num. 298
Correptionis Diuisio. p. 155. n. 295
Correptio fraterna quæ? remissiue.
Correptio iuridica quæ? ibid.
An sub veniali teneatur quis proximum in occasione peccandi venialiter constitutum corripere. pagina 157. numero 304
Cognitio certa de proximi peccato requiriturne, vt quis eum corrigere teneatur. ib. num. 307
Estne Corrigendus necessario proximus peccans ex ignorantia inuincibili. p. 158 num. 311
Ad præcepti Correptionis obligationem sufficitne spes probabilis fructus. ibid. num. 315
An peccator in crimine existens teneatur proximum delinquentem fraternè corrigere. ibid. nu. 319
Delinquuntne mortaliter Concionatores delicta proximi in peccato Corrigentes. p. 159. n. 326
An Correptionis ordo à Christo domino assignatus sit in præcepto. p. 160. n. 330
Constitutionis Societatis IESV circa fraternam Correptionem exponitur authoritas. ibid. n. 333
Quando creditur Prælatus melius delinquentem correcturus, an quodlibet peccatum quantumuis secretum possit omissa secreta correctione manifestari. p. 161. n. 337
An mortaliter peccet Collegij Rector, qui Prouinciali subditi delictum, quem absque tali manifestatione corrigere, & emendare potest, manifestat. p. 162. n. 341

Credens.

Credentium nomine qui intelliguntur. p. 10. n. 65

D

Debitor.

DEbitor extreme indigens non tenetur restituere reum acceptum, creditori simili necessitate laboranti modo debita iniustè non acceperit, dum verus dominus eadem necessitate laborabat. p. 124. n. 53

Degradatio.

Degradatio quotuplex admittatur p. 176. num. 30
Degradatio verbalis quæ. ibidem
Degradatio actualis quænam sit. ibidem
Degradatio quo alio nomine vocitetur. ibidem
Degradationem verbalem inter & actualem quotuplex discrimen adducatur. ibid. n. 31. 32. 33. & 34
Degradatus retinet characterem, & ordinum onera subit. ibid. nu. 35
Quænam crimina vtraque Degradatione puniantur. ibid. nu. 36
Degradationis verbalis ferre sententiam ad quem spectet. p. 289. n. 222
An Degradationem actualem necessario debeat proprius gerere Episcopus. p. 290. num. 226
Num ob alia crimina ab iis quæ à Iure annumerantur possit Clericus maxime si Sacerdos aut Religiosus sit Degradari. ibidem numero 230

Denunciatio.

An ante Denunciationem præmitti debeat fraterna correctio, si Sacerdos solicitator emendandus credatur. pag. 87. num. 622
Potestne omitti Denunciatio si Sacerdos aliquo modo delicto infamatus non est. p. 87. num. 618
Denunciationis probatio in priuatione communicationis forensis, an sufficiat pro exceptione peremptoria. pagin. 215. numero 212
Denunciatio, vide verb. *Confessarius*, *Hæresis.*

Desperatio.

Desperatio quid. p. 105. n. 14
Desperationis grauitas. ibid. nu. 15
Desperatio grauius peccatum. ibidem numero 16
Desperationis peccatum vnde oriatur. ibid. num. 17
Per id habitus spei corrumpitur. ibidem numero 18
An Desperatio consistat aut in nolitione beatitudinis, aut intellectus, quo quis iudicat se non esse saluandum. p. 115. num. 93
Posito quod Deus alicui suam damnationem absolutam reuelasset, peccaretne is Desperando. pag. 116. n. 100
An ille cui Deus suam damnationem reuelasset, posset licitè Desperare: sequereturne eum non posse ad beatitudinem conari; & non peccare tentationibus consentiendo. p. 117. n. 103

Deus.

An Deus secundum se vt Deus sit fidei subiectum. p. 17. n. 125
An Deus sub ratione Deitatis, & non vt reuelans sit obiectum seu motiuum fidei diuinæ. ibid. n. 129

Dilectio.

De Diligendo inimico de fide est dari præceptum

præceptum. p.120.n.16
Nunquam potest offensus inimicum à generali proximorum dilectione excludere. ibid. num 17
Tenemur inimico signa communia Dilectionis exhibere. ibid.n.18
Non tenemur communiter. ibid. num.19
In aliquibus casibus potest esse obligatio. p.121.n.20
Magis est Diligendus conferens beneficium, quàm accipiens. p.123.n.42
Dilectionis præceptum affirmatiuum obligatne,cum primum quis rationis vsum assequitur. pag.140.n.163
An præceptum Dilectionis obliget pro fine vitæ solum. ibid. n.166
Qui semel in vita huic Dilectionis præcepto satisfecit,teneturne alium actum elicere. p.140.n.169
An obligetur quisque quolibet die festo Dilectionis actum elicere. ibidem numero 172
Dilectionis Dei super omnia actum debeasne gerere,cum à Deo magnum accipis beneficium. pag.141.nu.184
An Dilectio vnius proximi,alterius dilectioni prævaleat. p.145.n.211
An Diligenda potius mater quam pater. p.146.n.227
In Dilectione an sit præferenda vxor parentibus. ibid.n.230
Et an filij sint magis diligendi parentibus. p.147.n.233

Discordia.

Discordia quid? p.129.n.88
Discordia qualenam sit peccatum. ibid. num.89

Distributio.

Distributiones quotidianæ an comprehendantur sub suspensione à Beneficio. p.275. num.86

Dogmatista.

Dogmatistæ quinam sint. p. 81 n.581
An Dogmatistæ sint tradendi sine vlla misericordia brachio sæculari, cum signa conuersionis exhibent? pagina 82. numero 583

Duellum.

Duellum quid. pag.134.n.121
Ad Duellum quid requiratur. ibidem numero 122
Duellum ob manifestationem veritatis non est licitum. ibid. nu.123
Nec ob virium ostentationem. ibid. numer. 124
Nec ad determinandam litem. ibidem numero 125
Quarta causa est euitatio ignominiæ. ibid. num.126
Duellum duobus solum in casibus licitum est. ib.n.127
Duellum prohibitum est iure Canonico,sub excommunicatione,& pœnis aliis. ibid. num.128
In quibus casibus non habeant locum eiusmodi pœnæ. p.135.n.129
Quando Duellum non est euidenter notum non potest defunctum Parochus Ecclesiastica priuare sepultura. ibid.n.149
Duellum licitene potest acceptare, qui est ad mortem condemnatus, vt eam viter. p.170.n.484

E

Ecclesia.

Ecclesia quid. p.24.nu.183. & p.25. eodem num.183
In Ecclesia regula infallibilis veritatis datur. p.25. n.184
Ecclesiæ effringendæ nomine quid veniat intelligendum. p.248.nu.510

Eleemosyna.

Eleemosyna quid. p.124.nu.47
De Eleemosyna facienda est præceptum. ibid.n.48
Tempore necessitatis extremæ, vel quasi, Eleemosyna proximo est impertienda. ibid.n.50
Debet restituere qui non dat Eleemosynam, cùm ex officio tenetur. pag.125. num.55
Quinam possint Eleemosynam facere. ibid. n.56.57.58.59.60
Eleemosyna danda de bonis propriis. ibid num.61
Quid de bonis communibus, quæ particulariter possidentur. ibid.n.62
Quid de bonis communibus,quæ collegialiter possidentur. ib.n.63
Eleemosyna quomodo possit de bonis turpiter acquisitis fieri. ib.n.65
Quomodo ex bonis fisco ob aliquod crimen addictis. pag.116. n.66
Ordo in Eleemosyna gerenda exponitur. ibid.n.67
Eleemosyna,& beneficentia corporalis idem sunt. p.127.n.240
An quis Eleemosynam facere sub graui piaculo extra necessitatem extremam possit. p.148.num.247
In casibus in quibus quis obligatus Eleemosynam facere teneatur ex iustitia. p.149. num.250
In his casibus in quibus quis debet Eleemosynam mutui potestne lucrum cessans in pactum deducere. p.150. n.259
Ecclesiasticorum obligatio peculiaris ad Eleemosynam gerendam quæ. ibid. num.260
Eleemosyna erogata simulato inopi,trãsfertne in illum dominium. p.154. n.287
Qui pauperiem simulans Eleemosynam accepit,an debeat illam ipsi, qui eam erogauit restituere. p.155.n.290
Regulares mendicantes possuntne ab Ordinario impediri, ne pro suis conuentibus petant Eleemosynas. p.155. n.294

Episcopus.

Episcopi quid possint circa absolutionem ab hæresi. p.11. nu.79
An nomine Episcopi, qui possit in foro conscientiæ de occulto crimine hæresis absoluere, intelligendum sit sede vacante Capitulum. p.61 nu.452
Qui nomine Episcopi veniant intelligendi. p.61.n.45
An Prælati Regulares etiam conuentuales exemptionem

exemptorum ordinum intelligantur Episcopi nomine ad potestatem absoluendi ab hæresi occulta ex decreto Tridentini. ibidem n.458.
An Episcopus, si in hæresim labatur possit Tridentini indulto absolui.ibid.n.461.
Num verba illa Concilij *in Diœcesi sua*, sint restrictiua facultatis Episcopo concessæ ad absoluendos ab hæresi occulta subditos. p. 64. n.464.
Delictum hæresis occultum ad cuius absolutionem Episcopus habet potestatem estne illud quod verè probari non possit. ibid. n.467.
Si delictum ad forum contentiosum deductum sit,& ibi punitum poteritne Episcopus tunc absoldere, vel impedimento inde proueniente dispensare. p.65.n.470.
An absolutio hæresis possit ab Episcopo alteri committi. ibid.n.473.
Potestas absoluendi ab hæresi concessa Episcopis à Trid.est per clausulam bullæ cœnæ reuocata.p.66.n.477.
An Episcopus solicitans sit inquisitoribus denunciandus.p.98.n.716.
Episcopus Religiosus habetne dominium redditum beneficij eodem modo, quo Episcopi sæculares.p.153.n.276.
Episcopi electi & confirmati, sed nondum consecrati, an sub generalis suspensionis decreto comprehendantur.272.n.51.
Episcopus suspensus à collatione ordinis inferioris, an censeatur à superioris collatione suspensus.p.275.n.80.
Episcopus potestne suspensionem tollere in puram pœnam delicti commissi à iure latam sine vlla temporis determinatione.pag.278. n.115.
Suscipiens ordinem ab Episcopo excommunicato, an suspendatur ab ordinis sic suscepti executione.p.279.n.117.& 118.
Episcopus sub se Capitulum habens potestne sine eius consensu interdicti sententiam ferre.p.305.n.99.
Episcopus comprehenditurne sub generali lege irregularitatem inducente.p.334.n.83.
Episcopus potestne irregularitatem relaxare.p. 339.n.134.
Episcopus conscius irregularitatis, in qua dispensare potest si admittat irregularem ad ordines,vel ad beneficium, censetur cum illo dispensare.p.241. n. 142.
An Episcopus possit in irregularitate orta ex amentia non perpetua dispensare. pag.348. n.198.

Excommunicatio, Excommunicatus.

Excõmunicatio est prima spiritualis pœna hæreticorum.p.13.n.86.
Excommunicatio quot nominibus in iure appellitetur.p.185.n.1.
Excommunicatio quid?ibid.n.2.
Triplex admittitur communio à qua Excommunicatio priuat.p.186.n.3.
Excommunicationis diuisio.ibid.n.4.
Excommunicatio maiorquæ.ibid.
Excommunicatio minor quænam sit ibid.& p. 191.n.47.
Excommunicatio à iure quæ. ibid.n.5.
Excommunicatio ab homine quæ dicatur.ibid.
Excommunicationum harumce differentia.ibidem.n.6.
Excommunicationis maioris causa efficiens quæ.ibid.n.7
Excommunicationis causa materialis quæ & quotuplex. ibid.n.8.
Ad Excommunicationem contrahendam debet adesse contumacia.ibid.n.9.
Et effectus completus,& consummatus.p.187. n.10.
Excommunicationis causa materialis remota quæ.ibid.n.11.
Excommunicationis causa formalis quæ.ibid. n.12.
In Excommunicatione quæ circunstantiæ obseruandæ.ibid.n.13.14.& 15.
Excommunicationis causa finalis quænam sit. ibidem.n.16.
Excommunicationis maioris quot admittantur effectus.ibid.n.17.& p.188.n.19.25.& 189. n.30.37.& p.190.n.40.& 43.& p. 191.numero 46.
Sacrificium oblatum pro excommunicato in gratia existenti quomodo ei prosit,vel non. p.188.n.18.
Excommunicatus excusatur aliquando à peccato Sacramenta recipiens.ibid.n.20.
Nulla generalis pœna ab excommunicato incurritur ob Sacramenti receptionẽ.ibid.n.21.
Peccat contra ius diuinum qui excommunicato Sacramenta ministrat.ibid.n.22.
Pœnæ contra ministrantem Sacramenta excommunicato vitando quæ.ibid.n.24.
Sacramenta administrata ab excommunicato vitando valida sunt excepta pœnitentia. ibidem n.26.
Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato tolerato ministratum, validum est.ibidem numero 27.
Grauiter peccat qui extra necessitatem possit vel accipit Sacramenta ab excommunicato vitando.ibid.n.28.
Excommunicatus illicitè Sacramenta ministrãs incurrit irregularitatem.p.189.n.29.
Excommunicato multis modis est prohibitum missæ officium.ibid.n.31.& seq.
Excommunicatus vitandus quis.ibid.n.36.
Gesta per excommunicatum vitandum sunt inualida.p.190.n.41.
Gesta per non vitandum valida sunt.ibid.n.43.
Quot in casibus vitandus sit excommunicatus.ibid.n.44.
In quot peccet qui cum excommunicato vitando communicat.ibid.n.45.
Excommunicationis minoris definitio. p. 191. num.47.
Excommunicationem minorem inter & maiorem quid intercedat discriminis,ibid.
Excommunicationis minoris effectus qui.ibid.
Excommunicatio minor priuat passiua ad beneficium electione.ibid.n.48.
Excommunicatio minor tollitur per absolutionem Sacerdotis priuati.ibid.n.49.
Excommunicatio maior iure ordinario per solam absolutionem tolli potest. ibidem numero 50.
Quinam possiut absoluere ab excommunicane lata ab homine.ibid.n.51.

Index Rerum,

Quinam absoluat à reseruata iure. ibid.n.52.

Quid virtute Tridentini. pagina 192.n.53.

Excommunicationes in Bulla Cœnæ summo Pontifici reseruatæ recensendæ veniunt.ibid. n.57.58.& 59. & p.193. & seqq. a n.60. ad 77..

Excommunicationes summo Præsuli reseruatæ extra Bullam Cœnæ,& caput *si quis suadente Diabolo*,recensentur.p.199.n.86.& seqq.

Excommunicationes non reseruatæ in Decreto,& Decretalibus, & in sexto Decretalium libro,& in Clementinis enumerantur. pag. 201.n.90.91.& 92.

Excommunicationes octo non reseruatæ in Tridentino referuntur.p.202.n.93.

Excommunicatio absolutè prolata an semper de maiore intelligatur.ibid.n.96.

Cum excommunicatio fertur ob leuia multorum furta,obligatne, vt singuli pro minutis furtis satisfaciant.p.203.n.100.

An omnis excommunicatus iure diuino sit vitandus.ibid.n.103.

An sit standum constitutioni Concilij Basiliensis, & non Constantiensis circa excommunicatos vitandos.p.204.n.107.

Teneturne quis excommunicatum denunciatum ; vel manifestum Clerici percussorem vbilibet vitare.p.204.n.111.

Num sit graue piaculum , necessitate secluſa, excommunicatum inducere vt tibi Sacramenta ministret,vel tecum recitet.p.205.n.115

An pro excommunicatis liceat in genere & in communi orationes publicas,& missæ Sacrificium offerre.ibid.n.119.

Sacrificium potestne offerri pro excommunicatis contritis.p.206.n.122.

Possumusne publicas orationes, & sacrificium pro tolerato excommunicato offerre. ibid. n. 125.

An excommunicationem contra sepelientes cadauer excommunicati in sacro loco solum subeant,qui propriis manibus sepeliunt, sed & mandantes sepeliri.p.207. n.129.

Excommunicatus potestne licitè ægroto qui Sacramentum pœnitentiæ susceperit,licitè Eucharistiam ministrare p.208.n. 137.

Administratio Pœnitentiæ ab excommunicato vitando facta an constituat eum irregularem,ibid.n.141.

Ex vi præcepti audiendi sacrum teneturne excommunicatus absolutionem procurare , vt valeat implere illud præceptum. ibid.n.145.

Excommunicatus priuatim recitans, si Dominus vobiscum dicat , an peccet venialiter. p. 209.n.151.

Si excommunicatus in priuata recitatione secum adhibeat socium,lethaliterne delinquit. ibid.n.154.

An excommunicato sit interdictus aquæ benedictæ , & illorum Sacramentalium,quæ ex Ecclesiæ orationibus valorem habent, vsus. p.210.n.161.

An sic irrita collata ad iurisdictionis sæcularis officia facta excommunicato.p.211.nu.168.

Beneficium alicui collatum tempore excommunicationis,an valide ab excommunicatione liber postmodum accepet.ibid.n.171.

Num Excommunicatus priuetur ipso iure beneficij fructibus,& prouentibus.p.212.n.178.

Si alicui Excommunicato iustè differatur absolutio,an possit beneficij fructus obtinere,si pœnitens existat.p.213.n.186.

An excommunicatus toleratus exerceat validè iurisdictionem non requisitus à fidelibus.ibidem.n.190.

Validum num sit iurisdictionis coactæ exercitium ab excommunicato tolerato factum. ibid.n.193.

Laica præsentatio ad beneficium irritane est si Excommunicato fiat vitando. p.214.n.201.

An ab excommunicato tolerato impetratum rescriptum Pontificium , sit validum.p.215. n.205.

Num Imperatoris , vel Regis rescripta nulla sint, si ab excommunicato impetrentur.ibid. n.208.

Si Iudex sæcularis excommunicatus sit vitandus , an humanè acta valeant , si à partibus minime excipiatur.p.216.n.216.

Excommunicati procuratoris valeine institutio , ac mandati acceptatio.ibid.n.220.

Excommunicatus testis validene fert testimonium , à parte nullo modo exceptus. ibid. n.223.

An validas conficiat scripturas Tabellio excommunicatus vitandus.ibid.n.227.

An reus excommunicatus possit per se in iudicio comparere,si sit vitandus. p.217.num. 231.

Excommunicatus exercetne licitè , & validè tutoris:curatoris,& similium officium.p.217. n.234.

An Parochi excommunicati non tolerati valeat assistentia matrimonium contrahentibus ibid.n.237.

Licentia à parocho excommunicato alterius sacerdoti ad assistendum matrimonio,an valeat p.218.n.241.

An communicatio in officio diuino priuatim dicto sit lethalis .p.220.n. 258.

Potestne maritus cum vxore excommunicata communicare.ibid.n.262.

Vasalli excommunicanturne à communicatione cum suis dominis excommunicatis.pag. 221.n.272.

Pœnitentia ab excommunicato minore excommunicatione valetne.p.222.n.276.

An electio ipso iure sit irrita ad beneficium, si electus excommunicatione minore innodatus sit.p.223.n.287.

Excommunicationes Bullæ Cœnæ à iure non ab homine suntne vocitadæ. p.224.n.296.

Quam excommunicationem incurrant appellantes ad Concilium generale præsens,vel ad Prouinciale futurum.p.225.n.306.

Excommunicationem quamnam incurrant infidelium nauim à Christianis allecuratam spoliantes .ibid.n.313.

Quam excommunicat onem indicat quælibet litterarum mutatio.p.227.n.326.

Cui excommunicationi subsit,qui in terris Principi Christiano subiectis , arma vendit infidelibus.p.228.n.340.

De excommunicatione ac censuris fusè à pag. 228.ad 242.

Si Iudex incendiarius Excommunicatum publicet, an eius absolutio sit summo reseruata Pontifici.p.246.n.506.

An omnis incendiarius sit iure ipso excommunicatus.p.247.n.509.

Num

Num excommunicati sint effractores & spoliatores Ecclesiarum,ex *Cap.Conquesti.*pag. 248.n.517.
Excommunicationem ab Vrbano VIII. latam contra extrahentes frumentum ex statu Ecclesiastico, contrahuntne farinam extrahentes.p.256.n.586.
Excommunicatio Cap.hanc consuetudinem.10. q.1. aduersus vsurpantes obligationes intra Ecclesiam factas estne ipso iure lata. p. 257. num.596.

F

Fides.

Fides quæ?p.1 n.1.
Fides nostræ iustificationis initium.ibid.
Fides reliquarum virtutum radix.ibid.
Fidei vulgarior definitio proponitur.p.2.n2.
Fidei obiectum formale quod.ibid.n.3.
Fidei obiectum materiale.ibid.n.4.
Quamuis Fides obscura sit, certior est quauis naturali scientia.ibid.n.5.
Actus fidei & scientiæ simul non possunt consistere.ibid.n.6.
Soli viatores habent fidē, & quinā hi.ibid.7.
Fidei dimsio.ibid.n.8.
Fides explicita,quæ.ibid.
Quænam item implicita.ibid.
Fides quocumque tempore ad gratiam,& glorā fuit necessaria necessitate medij.p.3.n.9.
Baptizati in infantia facti adulti non possunt gloriam sine fidei actu adipisci.ibid.n.10.
Fides implicita Christi post Adami lapsum necessaria fuit necessitate medij.ibid.n.11.
Quæ sint post Christi aduentum ad gratiam & gloriam necessitate medij credenda,recensentur.ibid.n.12.
Fides actualis necessaria est necessitate præcepti.ibid.n.13.
Tenemur scire ac credere mysteria in symbolo Apostolorum expressa.ibid.n.14.
Necessitate præcepti tenemur scire,quot sint Sacramenta,quot præcepta Decalogi,& Ecclesiæ,&c.ibid.n.15.
Quos articulos debeant scire rudes secundum substantiam.p.4.n.16.
Præceptum credendi res Fidei quotuplex. ibid. num.17.
Obligatio hæc est sub lethali culpa.ibid.n.18.
Inter Fideles non datur inuincibilis ignorantia eorum,quæ explicitè credere tenentur. ibid. num.19.
Quot annumerētur tempora,in quibus ex præcepto tenemur fidei actus elicere.ibid.n.20. 21.22.& 23.
Quos Fidei articulos debeant confessarij rusticos edocere.ibid.n.24.
Fidei præceptum affirmatiuum in duplici casu obligat.p.5.n.25.
Interrogatus de sua Fide ab eo,qui publica authoritate fungitur,tenetur respondere etiam cum vitæ periculo.ibid.n.26.
Non est contra Fidei professionem abnegare te esse clericum,&c.ibid.n.27.
Tenemur confiteri Fidem,si videamus eam aliquo modo contemni.ibid.n.28.
Quando & quinam ad professionem Fidei ex Tridentini decreto teneantur.ibid.n.29.
Tenemur abstinere à dictis,vel factis quibus fides negatur.p.6.n.30.
Externa Fidei professio ex præcepto negatiua quæ.ibid.a n.30.ad n.37.
Quotuplici ex capite possit de Fidei rebus esse illicita disputatio.p.7.n.38.39.40. & 41.
Fidei quæ vitia sint contraria.ibid.n.42.
An stante cognitione euidenti de aliquo obiecto possimus de illo fidem habere. p. 16. n.122.
Deus secundum se, vt Deus estne fidei obiectum p.17.n.127.
An Deus vt Deus,& non vt reuelans sit obiectum seu motiuum fidei diuinæ.ibid.n.129.
An reuelatio qua res aliqua priuatim reuelatur sufficiat quantum est ex parte reuelationis,ad Fidem diuinam rei sic reuelatæ, sicut sufficit reuelatio publica.p.18.n.133.
An ad formale Fidei obiectum sufficiat reuelatio falso diuina existimata,quantum est ex parte reuelationis.p.19.n.139.
Vt sit formale fidei obiectum,requiriturne reuelationem esse in se obscuram.ibid.n.145.
Idem obiectum materiale fidei potestne simul ab eodem intuitiuè videri & credi. pag. 20. n.148.
Reuelatio potestne esse obiectum formale fidei circa obiectum abstractiuè sciū.ibid.n.151.
Fidei humanæ nomine quid intelligatur. ibid. num.152.
An ad assensum fidei diuinæ prærequiratur assensus aliquis fidei humanæ reuelationis illius veritatis.p.21.n.155.
An actus fidei diuinæ generetur per discursum. p.22.n.162.
Estne de fide esse habitum fidei à solo Deo infusum.ibid.n.166.
Num actus fidei possit de potentia Dei absoluta absque concursu habitus Fidei infuso elici p.23.n.170.
An habitus fidei infusus sit virtus intellectualis.p.23.n.173.
Num habitus infusus Fidei amittatur vno, vel altero peccato infidelitatis,si quis in aliis positiuè credat.p.24.n.176.
An possit quis certo euidenter cognoscere, se habere fidei diuinæ actum habere.ibid.n.179.
Fidelis cognoscitne certò, actu fidei diuinæ se actum fidei habere.ibid.n.182.
An Concilium generale sumptum pro omnibus Concilij Patribus in rebus Fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem sit infallibilis veritatis.p.28.207.
An Fidem diuinam in statu innocentiæ primus parens habuerit.p.29.n.210.
Angeli in statu viæ an habuerint Fidem diuinam.ibid.n.214.
An circa alia obiecta à Deo distincta sit in Beatis Fidei actus.p.30.n.218.
Damnati tam dœmones quā homines habentne fidem.p.30.num.221.
Fidei actum an possit habere hæreticus. p. 31. num.224.
An actus Fidei sit medium ad iustificationem necessarium.ibid.n 226.& 227.
Ad iustificationem actus Fidei Dei existentis generaliter estne omnibus medium necessarium.p.32.n.232.
Actus Fidei explicitus Dei remuneratoris remuneratione supernaturali estne necessarius ad Iustificationem.ibid.n.236.

An ante aduentum Christi Domini Fides explicita ipsius fuerit necessaria, vt medium ad iustificationem.p.33.num. 237.& 238.
Vbi Authoris resolutio.ibid.n.239.
In lege Euangelica Fides explicita Christi Domini an sit medium ad iustificationem necessarium.ibid.n.242.
Fides explicita Christi Domini in lege Euangelica an sit medium necessarium ad ingressum gloriæ.p.34.n.245.
An in lege Euangelica Fides explicita Mysterij Trinitatis sit medium ad iustificationem necessarium.ibid.n.249.
An ex necessitate præcepti debeat omnis Christicola scire explicitè, & credere, quæ in apostolico symbolo continentur.p.35.n.253
Mysteria quæ necessario quisque scire ac credere debet ad fidei satisfactionem exponuntur.ibid.n.254.
An necessarium sit ex præcepto fidelibus scire explicitè, ac credere articulum de Christi Domini ad inferos descensione. pag.36.nu. 261.
Sciendumne est explicitè,ac credendum Christum Dominum ad dexteram Patris sedere. ibid.n.262.& 263.
An mysteria plura extra symbolum contenta scienda, & credenda sint explicitè à fidelibus.p.37.n.270.
Cum primum quis rationis vsum inierit,teneturne mysteria fidei edíscere, quæ sunt necessaria.p.38.n.284.
Si fidei mysteria proponantur infideli,vt magis credibilia, tametsi non credibilia euidenter, tenecturne eis ante articulum mortis assentiri.p.39.n.287.
Infans fidelis inter infideles educatus, rationis vsu aduentante si adoret Idola, peccatne contra fidem.ibid.n.291.
An teneatur quisque fidelis fidem manifestare, quoties à potestate publica de fide rogatur, etiamsi secreto rogetur.p.40.n.295.
Licetne celare fidem verbis vel signis per se contrariam Religionem significantibus,casu quo non instet præceptum positiuum fidem manifestandi.ibid.n.298.
Licetne fideli aliquibus signis vti ad fidem occultandam.p.41.n.302.
An liceat omittere signum ex præscripto Regis impositum, ad significandum eum esse fidelem.p.42.n.309.
Obligatio de professione fidei facienda grauis est.ibid.n.310.
Quænam sit & quos obliget.ibid.n.311.& p. 43.n.312.313.& 314.
An teneatur quis si aliquo titulo fidei professionem fecit illam rursus agere,alium titulum distinctum obtineus.p.43.n.316.
Si quis intra bimestre ad faciendam fidei professionem assignatum obtineat cum Canonicatu dignitatem satisfacitne obligationi vnica fidei professione.p.43.n.319.
Modus professionem fidei gerendi venit explicandus.p.44.n.320.
An possit quis per procuratorem fidei professionem agere,cum absens est, vel impeditus.ibid n.323.
An omittens fidei professionem nulla expectata sententia saltem declaratoria criminis, teneatur fructus perceptos restituere.p.45.nu. 327.
Fructus quos restituit, qui fidei professionem emisit,quibus sint applicandi. ibidem num. 330.
Dubium habens voluntariè de fidei mysteriis an sit censendus hæreticus.p.54.n.392.

Filius.

Filij afficiuntne pœnis à iure impositis ob solam contumaciam parentum.p.86.numer. 612.
Filij suntne præferendi parentibus in dilectione.p.147.n.233.
An filij sint præponendi vxori.ibid.n. 236.
Filius illegitimus dispensationem obtinens an possit aliud beneficium obtinere proximo relicto.p.346.n.186.

G

Gratia.

GRatia est obiectum materiale secundarium spei.p.103.n.2.

Gregorius XV.

Gregorij XV. Bulla estne in Hispania recepta. p.87.n.619.

H

Hæresis, Hæreticus,

HÆreticorum concionibus licet interesse, animo confutandi errores. p.6.n.33.
Hæresis inter infidelitatis species annumeratur.p.7.n.47.
Hæreticorum ritus quandonam tolerandi, & quando non p.8.n.50.
Hæresis quæ p.9.n.55.
Tria sunt necessaria,vt quis hæreticus dicatur. ibid.n.56.
Vnde paruuli hæreticorum excusentur.ibidem num.57.
Et qui in ebrietate hæreses profert, licet se inebriarit ea intentione.ibid.n.58.
Hæreticus non est inuoluntarie dubitans de fide.ibid.n.59.
Secus qui dubitat voluntariè.ibid.
Hæreticus est qui ex ignorantia crassa, vel affectata aliquem contra fidem errorem profert.ibid.n.61.
Hæreticus alius internus, externus alius.ibid. n.62.
Hæresis externa alia occulta, alia manifestata ibid.
Quandonam hæreticus Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrat.p.10.n.63.
Hæresis manifesta quandonam ad excommunicatione excusetur.ibid.n.64.
Hæreticorum librorum lectio quæ.ibid. n.66. 67.68.& 69.& p.11.à n.70.ad 76.

& Verborum.

Ab hæresi interna tantum vel externa tantum quilibet confessarius approbatus absoluit. p.12.n.77.

Ab interna, & extesna simul, Papa solus.ibidem.

Vt hæresis dicatur externa quæ requirantur. ibid.n.78.

Quid circa absolutionem ab hæresi possint Episcopi.ibid.n.79.

Quid Domini Inquisitores.ibid.n.80.

Quid Confessarius electus virtute bullæ aut Iubilæi.ibid.n.81.

Quid Prælati Regulares.ibid.n.82.

Quid Religiosi mendicantes.ibid.n.83.

Quid item simplex sacerdos in mortis articulo. p.13.n.84.

Hæreticorum pœna quotuplex admittatur.ibidem.n.85.

Hæreticorum pœnæ ciuiles enumerantur.ibid. à n.92.ad 95.

Hæretici relapsi pœna quæ.ibid.n.96.

Per absolutionem à censura, & à peccatis hæreticus non liberatur ab aliis pœnis.ibid.

An hæreticus possit actum fidei habere. p.31. n.224.

Decreta prohibitionis librorum hæreticorum reculuntur.p.50.n.363.

Vt propositio sit hæretica, quid requiratur.p. 53.n.381.

An cum ignorantia vincibili,crassa,vel affectata, stet hæresis peccatum. ibidem numero 385.

An sit verè hæreticus errans ex ignorantia affectata.p.54.n.388.

Vtrò dubitans de fidei mysteriis, censenduſne est hæreticus.ibid.n. 392.

Dissentiens speciali reuelationi ei sufficienter ad credendum propositæ, an sit hæreticus. ibid.393.& 394.

Hæreticus hic incidit ne in excommunicationem,& alias hæreticorum pœnas. p. 55.numer.398.

An negans fidem verbo,vel facto tantum,interius retinens assensum committat hæresim ab Ecclesia punibilem.ibid.n.401.

Abnegans propositionem theologicam estne hæreticus.ibid.n.404.

Teneturne quis denunciare hæreticum cum solus delictum nouit. p.56.n.408.

An possit quis danunciationem iudicialem de hæretico facere,si delictum est occultum,& speret correctione secreta emendandum. p. 56.n.411.

Si delinquens hæreticus iam est emendatus, debetne quis eum Inquisitoribus denunciare p.57.n.414.

An ratione damni emergentis quis excusetur à denunciatione de hæresi facienda.pag.57. 417.

Potest filius,& an teneatur patrem hæreticum denunciare.p.58.n.421.

Qui semel,aut bis ad audiendas conciones hæretici adest, estne vt credens illi reputandus. P.59.n.429.

Estne fautor hæresis,quando solum ex speciali Inquisitorum mandato,& non ratione officij,tenetur fauorem fidei causæ præstare.p. 59.n.433.

Vt quis fautor hæreticorum verè dicatur,quid sufficiat.ibid.n.436.

Hæreticorum fautores incurruntne pœnas à iure præscriptas antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint.p.60.n.440.

An sufficiat declarari aliquem esse hæreticum, quin declaretur esse excommunicatum, vt vitandus sit.p.61 n.444.

Qui citatus ad respondendum de fide, integro anno in excommunicatione insorduerit, an possit mox post elapsum annum declarari esse hæreticum.p.62.n.448.

Domini Inquisitores possuntne in foro conscientiæ absoluere ab hæresi. p.67.n.481.

An infamia afficiat perfectè hæreticum ipso iure,sed postquam eius delictum sit notorium.p.68 n.489.

Hæreticus ipso iure priuaturne Beneficiis ritè possessis,sed per sententiam.pag.69.numero 493.

Circa bonorum publicationem ob hæresis crimen recoluntur nonnulla.ibidem numero 494.

Quæ acquirit hæreticus tempore medio inter delictum,& sententiam publicantur. ibidem n.497.

An cadat sub confiscationem maioratus & fideicommissum ob crimen hæresis, & sodomiæ p.70.n.501.

An peculium aduentitium filij hæresis rei veniat in confiscationem bonorum factam,reseruato patri vsufructu.pagina.71. numero 508.

Si mulier scienter hæretico nupsit debetne non solum in priuatione dotis condemn r sed etiam in priuatione aliorum bonorum, quæ vxoris sunt propria,& quæ ob mariti hæresim non sunt obnoxia publicationi. p.73 n. 521.

Et è contra.ibid.n.524.

Hæreticus pœnitens, & Ecclesiæ reconciliatus potestne testari de bonis acquisitis post abiurationem.p.78.n.557.

An hæreticus tempore hæresis priuetur successione ex testamento,vt incapax illius, aut vt indignus solum.ibid.n.561.

An attento iuris rigore, hæreticus incapax sit donationis,sicut incapax est hæreditatis,& legati.p.79.n.564.

Hæreticus priuatur dominio in seruos.p.79.n. 565.

An requiratur sententia declaratoria criminis, vt debitores excusentur à solutione debiti hæreticis præstanda.p.80.n.572.

Hæretico pœna imponi solita.ibid.n.573.

An requiratur quem labi in hæresim prius abiuratam, vt relapsorum pœna afficiatur,casu quo abiurans hæresim,in quã incidit, omnes simul hæreses generatim non abiurauit. p.81.n.580.

Hæresiarchę quinam sint.ibidem n.581.

An hæresiarchę sine vlla misericordia tradendi sint sęculari brachio cum signa conuersionis exhibent.p.82.n.583.

Hæretici pœnitentes tardè tamen conuersi, dependne ad reconciliationem admitt. ibidem n.586.

De hæresi quotuplex admittatur suspicio. p. 83.n.594.

An filij & nepotes hæreticorum inhabiles sint ad bęnefic acquisita, antequam pater de-

claratus fuerit hæreticus.p.85.n.606.
An pœna infamię afficiat hæreticorum filios. ibidem.n.609.
Crimini occulto hæresis an annectatur irregularitas.p.364.n.355.
Hæreticorum fautores incurruntne irregularitatem.ibid.n.361.
Vt hæretici ad fidem redeuntes in ordinibus habitis ministrent an indigeant dispensatione.p.365.n.373.
Hæreticorũ filij an sint infames.p.367.n.387.
Hæresis Vide verb. *Episcopus.*

I

Ignorantia.

Ignorantia invincibilis non datur inter fideles eorum, quæ explicitè credere tenentur.p.4.n.19.
An Ignorantia invincibilis dari possit eorum, quæ quis scire tenetur ad salutem. pag. 38. num.281.

Infamia.

Infamia est tertia pœna ciuilis hæreticorum.p.13.num.94.
Infamia afficitne perfectè hæreticum ipso iure,sed postquam eius delictum sit notorium.p.68.n.489.
An Infamiæ pœna afficiat hæreticorum filios.p.85.n.609.
An Infamia ac reliquæ pœnæ filiorum hæretici propriæ afficiant filios natos ante parentum crimen.p.86.n.616.

Infidelis, Infidelitas.

Infidelitas triplex admittitur.p.7.n.43.
Infidelitas negatiua peccatum non est. ibidem num.44.
Infidelitas priuatiua semper est peccatum.ibid. num.45.
Infidelitas positiua semper est lethalis. ibidem num.46.
Infidelitatis quot sint species. ibidem numero 47.
Infideles baptizati possunt ab Ecclesia cogi, vt fidem retineant.p.8.n.48.
Infideles non baptizati nequeunt ad fidem suscipiendam compelli, at illi non possunt fidei prædicationem impedire. ibidem numero 49.
Quandonam liceat cum infideli non baptizato communicare.ibid.n.53.
Infidelitatis diuisio in Paganismum, Iudaismum,& hæresim estne generis in species, Et an Paganismus, Iudaismus & hæresis sint essentialiter vitia distincta.pag 45 num. 353.
An diuisio Infidelitatis in Paganismum,Iudaismum, & hæresim comprehendat omnes infidelitatis species.p.46.n.336.
Infidelis subditus potestne a principe Christiano ad audiendam fidem compelli. ibidem n.340.
Potestne Ecclesia, vi,& armis compellere infidelem principem, vt permittat apud ditionem suam Euangelij prędicatores fidem publicare, si aliqui sint qui velint audire, cum Princeps prędicationi irrisione non resistit,sed solum non permittendo fidem prędicari.p.47.n.344.
An quilibet infidelis postquam ei fides sufficienter est proposita possit ad eam recipiendam compelli.p.48.n.348.
An possit Princeps Christianus sua vel Ecclesię authoritate Infidelibus sibi non subditis prohibere idololatriam,& peccata contra naturam quę specialiter Religioni Christianę aut innocentibus contraria non sunt.pag.49. num.352.
Infidelis Princeps potestne priuari dominio circa seruos fideles ob bonum & honorem fidei,etiam cum nullum adest peruersionis periculum.ibid.n.355.
Cum Infidelibus fidelium communicatio recolitur.p.50.n.356.
An prohibitiones circa Christianorum cum Infidelibus communicationem, intelligendę sint de solis Iudęis.p.50.n.362.
An breuis scriptura contineatur sub prohibitione Bullę circa Infidelium libros pagina 51. n.366.

Inimicus.

Inimicum nos salutantem tenemur resalutare. p.121.n.21.
Inimicum non resalutare,quale peccatum.ibid. n.22.
Quid agendum,si Inimicus veniam petat,ibid. n.23.
Non tenemur damnum illatum in fama,vel temporalibus bonis Inimico remittere,iure seruato.ibid.n.24.
Quonam modo possis Inimicum à bonis conferendis excludere.ibid.n.25.
E contra.ibid.

Inquisitor.

Domini Inquisitores quid possint circa absolutionem ab hęresi.p.12.n.80:
Domini Inquisitores num possint in foro conscientię ab hęresi absoluere.pagina 67.num. 481.
Inquisitor solicitans estne generali Inquisitori denunciandus.p.99.n.719.

Interdictum

Interdictum quid.p.292.n.1.
Interdictum quotuplex admittatur.ibidem numero 2.
Interdictum locale quodnam sit.ibid.
Interdictum mixtum quid.ibid.
Interdicti subdiuisio quæ. ibid.
Interdicto loco non censetur populus interdictus.ibid.n 3,& è contra.ibid.
Interdictum locale generale quid sit. pag 295. num.4.
Interdictum personale generale quod dicatur. ibid.n.5.
Interdicto, subiacent communitatis interdictæ ciues absentes, non exteri etiamsi adsint. ibid.n.6.
interdicta ciuitate suburbia censentur interdicta.

cta.ibidem num. 8.
Interdicti effectus ad quot capita reducantur. ibid.n.12.
Priuatio actiua & passiua Sacramentorum est primus interdicti effectus.p.294.num.13.& sequent.
Secundus interdicti effectus est priuatio diuinorum officiorum.pagina 295.num.21.& sequent.
Interdicti localis tempore prohibentur missa, & horarum recitatio ibid.
Interdidictum locale generale inter & locale speciale quid discriminis intercedat. ibid.numero.24.
In quibusdam festiuitatibus licitum est interdicti generalis localis tempore diuinis interesse.ibid.n.25.
Quæ personæ tempore interdicti localis generalis possint ad diuina admitti.p.296. numero 26.
Interdicti tertius effectus est Ecclesiasticæ sepulturæ, & ingressus Ecclesiæ priuatio. ibid. n.27.& seq.
Laicus violans interdictum peccat lethaliter.p. 297.n.34.
Clericorum sæcularium aut regularium interdictum violantium pœnæ proponuntur. ibid n.35.
Interdictum quotupliciter possit à Clericis violari.ibid.n.36.
Quãdo Clericus interdicti violator peccet,sed irregularitatem non incurrat.ibidem numero 37.
Interdicti causæ quot, pagina 298. numero 40.41.& 42.
Interdictum locale non cessat ædificiorum destructione.p.299.n.45.
Interdicta generalia loci quæ. ibidem numero 48.
Interdictum speciale loci quod.pagina 300. num.49.
Interdicta personalia generalia quandonam ferantur.ibid.n.50.
Interdicta personalia particularia quæ. ibidem num.51.
Interdicta ab Ecclesiæ ingressu quæ. ibidem num.52.
Interdictum inter & cessationem à Diuinis quæ discrepantia.ibid.n.54.
Interdictum latum in familiam estne speciale. p.302.n.64.
Interdicta diœcesi, ciuitas censeturne interdicta.ibid.n.70.
Interdum hac forma latum, interdicimus terras omnes quas dominus habet, vel possidet,comprehenditne has, quarum solum vsumfructum habet. p.303.n.78.
Exteri etiamsi diu in populo habitent, eximunturne ab interdicto personali generali ibid.n.84.
Interdicto Clero,censenturne interdicti Religiosi.p.304.n.90.
Interdictis alicuius vniuersitatis Doctoribus, an afficiantur Doctores Clericali statu insigniti.ibid.n.91.& 92.inde resultat Authoris placitum.ibid.n.93.
Interdicto populo interdictane censentur eius loca.ibid.n.96.
Vt interdictum generale locale aut personale ferri possit,vltra culpam capitis vel communitatis,quid requiratur.pagina 305. n.105.& 106.
Interdictum locale speciale potestne licitè, & valide pro debito pecuniario imponi p.306. n.111.
Nùm possit imponi personale generale interdictum propter æris alieni retentionem à capite communitatis factam. ibidem numer.114.
An interdictum personale speciale propter culpam alienam possit ferri. ibidem numero 117.
Vtrum interdictum speciale personale possit ferri ob culpam venialem,propriam. ibid.n. 120.
Interdicti tempore potestne secluſa necessitate solemniter ministrari Baptismus.pag.307.numero 124.
Interdicti tempore potestne confici Chrisma, si opus sit,non seruata *C. alma mater* moderatione,ad ministrandum confirmationis sacramentum.ibid.n.128.
Sabbatho sancto possuntne Ordines conferri in loco interdicto.p.310.n.151.
Num in casu necessitatis alicuius Prouinciæ possint Ordines in loco interdicto conferri. ibid.n.154.
Matrimonij Sacramentum nùm possit in loco interdicto,& à personis interdictis recipi ac ministrari.ibid.n.157.
An possint recipi,ac ministrari in loco interdicto nuptiales benedictiones.pagina 311.numer.160.
Interdicti tempore possuntne in priuatis oratoriis diuina celebrari seruatis quatuor *Cap. Alma* conditionibus.p.312.n.174.
Interdicti tempore an possint pulsari campanæ ad denotandum horarum tempus. p.313.numer.178.
An interdictum in tota Hispania suspendatur in festo immaculatæ Conceptionis Deiparæ. ibid.n.182.
Priuilegium Clericis concessum circa Ecclesiasticam sepulturam interdicti tempore, nùm extendatur ad interdictum locale speciale si Clericus illius sit loci.pagina 315.numero 201.
Si Clericus illius loci specialiter interdicti non sit,sed alienus,potestne in eo sepeliri. ibid. n.204.
An interdictus possit in cœmeterio diuina celebrare & audire.p.316.n.208.
Interdictus ab Ecclesiæ ingressu, potestne Ecclesiam ingredi tempore quo diuina non celebrantur.ibid.n.212.& n.313.
Interdicti localis violatores incurruntne suspensionem.p.318.n.232.
Circa interdicti relaxationem.p.319.& p.320. à n.337.ad n.352.

Inuidia.

Inuidia quid?p.129.n.86.
Inuidia quodnam sit peccatum. ibidem numero 87.
An inuidia duntaxat sit mortale, cum ex ipsa quis moneatur ad remouendum proximi bonum.p.164.n.359.

Irregularitas.

Index Rerum

Irregularitas.

Irregularitas est secunda spiritualis pœna hæreticorum.p.13.n.87.
Irregularitas quid?p.326.n.1.
Irregularitas quotuplex, veniat admittenda ? ibid.
Irregularitatem quinam' minimè contrahant. ibid.n.2.
Illicitè agit irregularis requirentia vsum ordinis, reliqua licite.ibid.n.3.
Irregularis non est privatus beneficio,sæpè tamen privandus.p.327.n.4.
Irregularitas cõtrahitur quæ quidem,vel totalis,vel partialis est.ibid.n.5.
Irregularitas non incurritur ob actum interternum.ibid n.6.
Nec ob veniale peccatum.ibid.n.7.
Imo nec potest ob veniale incurri, ibidem num.8.
Irregularitas potest incurri ex crimine omnino occulto.ibid.n.9.
Quid gerere debeat dubitans an irregularitatem contraxerit.ibid.n.10.
Irregularitas nunquam incurritur, nisi in casibus à iure expressis.ibid.n.11.
Ab irregularitatis liberant incursione, quæ operantem à lethali excusant. pagina 328. n.15.
Irregularitatem incurrit rebaptizatus, aut rebaptizans.ibid.n.17.
Irregularis fit baptizatus ab hæretico. p.329. n.21.
Irregularitas ob prauum ordinum vsum.ibid.n 25.& seqq.
Irregulares sunt hæretici.ibid.n.28.
Et eorum fautores,& filij ibid.n.29.
Et qui iure sunt infames.ibid.n.30.
Non omnis infamia irregularitatem, inducit p.330.n.31.
Irregularis non est,qui conatur' occidere ,aut mutilare.ibid.n.32.
Voluntariè alquem' occidens irregularis est. ibid.n.33.
Irregularitas ex homicidio aut mutilatione voluntaria quæ.ibid.n.32.& seqq.
Irregularitas ex homicidio casuali,aut ob suam suorum defensionem. p.331. à num. 43. ad 48.
Irregularitas ob defectum lenitatis. ibid. n.49. & seqq.
Irregularitas ex bigamia proueniens quæ.pag. 332.à n.54.ad 58.
Irregularitas ex natalium defectu. ibid.à n.59. ad 64.
Irregularitas ob corporis, vel animi defectum quæ.p.333.à n.65.ad 68.
Quomodo irregularitas tollatur. ibid.num.69. & seqq.
An solus Pontifex irregularitatem possit indicere.p.334.n.79.
Irregulari pro hibitane est primæ tonsuræ receptio.p.337.n.102.
Caulæ excusantes ab irregularitate incurrenda, eiusque relaxatio.p.338. & seqq.
Irregularis dispensatus ad ordines minores, censeturne ad beneficium simplex dispensatus.p.342.n.145.
An in irregularitate ex bigamia interpretatiua orta, possit Episcopus dispensare. pag. 344. n.165.
Si defectus natalium occultus sit an qui excusetur ab irregularitate.p.345.n.179.
Vt quis irregularis sit ob proprij corporis mutilationem, quid requiratur. pag. 350. numer.228.
Nùm sit irregularis qui inuasorem occidit, & potest eius inuasionem fugiendo declinare. p.359.n.322.
An irregularitas incurratur propter sactamentorum characterem imprimentium iterationem.p.162.n.339.

Iudaismus.

Iudaismus inter infidelitatis species annumerandus venit.p.7.n.47.
Quot in casibus cum iudæis specialim prohibeatur communicatio.p.8.n.54.

Iurisdictio.

Iurisdictionis Ecclesiasticæ priuatio est tertia spiritualis hæreticorum pœna, p.13. numer. 88.

Iustificatio.

An ad iustificationem sit medium necessarium actus fidei.p.32.n.228.
Ad iustificationem actus fidei existentis generaliter estne omnibus medium necessarium. ibid.n.232.
An ad iustificationem sit necessarius actus fidei explicitus Dei remuneratoris remuneratione supernaturali.ibid.n.236.

L

Laicus.

Laicus ad Clericatum aspirans,potestne cogi vt testimonium in sanguinis causa ferat, p.353.n.260.

Librorum Lectio.

Qui Libros vetitos prohibetur legere sub censuram si ipse non legat, sed alium legentem audiat,quem non induxit.p.51.n.369.
Excusaturne quis à censura ac delicti lethali ex lectione libri prohibiti ob materiæ parvitatem,si intensione legendi plura incepit.p. 52.n.372.
An excusetur à censura qui ad confutandos errores, sine periculo pervertionis Libros hæreticorum retinet.ibid.n.375.
Excusaturne à peccato ac censura, qui potest mox librum hæreticum inquisitori tradere,tamen illum breui tempore retinet sibi, ibidem num.378.

M

Malum.

MAlum minus parato maius perpetrare licetne persuadere. p. 174. n. 431.

Manus violenta.

Quid per Manus violentas veniat significandum. p. 198. n. 79.

Matrimonium.

Matrimonij contractus ab excommunicato vitando intus an sit validus. pagina 219. num. 248.

Matrimonium potestne in loco interdicto, & à personis interdictis recipi ac ministrari. pag. 310. n. 157.

Matrimonium duplex contrahens estne irregularis, si vtrumque sit inualidum. p. 344. n. 262.

Miles.

Militum peccata quæ? p. 133. n. 116.

Misericordia.

Misericordia quid? p. 123. n. 44.

Misericordia quænam sit virtus. ibid.

Misericordiæ opera quot admittantur. ibidem n. 45.

Misericordiæ opera spiritualia quæ & quot. ibidem.

Misericordiæ opera corporalia quæ & quot. ibidem.

Misericordiæ opera quænam in præcepto non sint, nisi in grauissima necessitate. pag. 124. num 46.

Monachus.

Monachi laici in minoribus ordinibus constituti suntne prohibiti propriâ dimicare manu. p. 169. n. 400.

Monachi appellatione quid, veniat intelligendum. p. 198. n. 81.

N

Necessitas.

NEcessitas extrema, grauis ac communis quænam dicatur. p. 124. n. 49.

Necessitatis extremæ vel quasi tempore eleemosyna proximo est impertienda. ibidem num. 50.

Necessitatibus inopum tenentur subuenire Episcopi. ibidem n. 51.

Qui in necessitate extrema constitutus aliquid accepit & consumpsit, restituere non tenetur. ibid. n. 54.

Num in extrema necessitate amico sit præferendus frater. p. 146. n. 223.

An possit quis peccatorem extrema necessitate laborantem, iusto eadem affecto præferre. p. 147. n. 239.

An in extrema necessitate ex necessariis status & superfluis naturæ teneatur quis proximo subuenire. p. 148. n. 244.

Quis afficitur graui, vel communi necessitate, an sufficiat ei ex mutuo succurrere. p. 150. numero 256.

Qui grani necessitate premitur, an possit domino inuito surripere aliena. pagina 153. n. 280.

O

Odium.

ODium quid? p. 130. n. 94.

Odium quotuplex admittatur. ibid.

Odium repugnat charitati. ibid n. 95.

Odium omnium pecatorum grauissimum. ibidem.

Odium in Deum intrinsecè malum est lethale. ibid n. 96.

Odium in proximum potest esse veniale, aut nullum peccatum. ibid. n. 97.

Odium non potest in Deum veniale esse ob parnitatem materiæ. bid. n. 98.

An in Odio proximi sint plures actus specie actus distincti. p. 163. n. 352.

Oratio Dominica.

Orationem Dominicam debetne quis scire sub graui culpa. p. 37. n. n. 278.

Ordo.

Ordo. vide verb. *Interdictum, Irregularitas, Suspensio.*

P

Paganismus.

PAganismus inter infidelitatis species venit annumerandus. p. 7. n. 47.

Peccatum.

Peccatum ex malitia quod. pagina 181. numero 493.

Peculium.

An Peculium aduentitium filij hæresis rei veniat in confiscationem bonorum factam reseruato patri vsufructu. p. 71. n. 508.

Pensio.

Pensionarius teneturne, vt & Beneficiarius, quæ ex congrua sustentatione de Ecclesiasticæ pensionis fructibus supersunt, egenis erogare. p. 152. n. 272.

Pensionis quotuplex admittatur genus. pag. 120. n. 162.

An Pensionis irrita sit collatio, quæ simul temporalis & spiritualis est, facta excommunicato. p. 211. n. 165.

Percussio.

Percussionem enormem inter & lenem, & mediocrem quid discriminis intercedat. pag. 199. n. 85.

Pontifex.

Pontifex errare nequit in rebus fidei proponendis. p. 25. n. 185.
An sit de fide Pontificem errare non posse in sanctorum Canonizatione. p. 26. numero 189.
An Pontifex secundum leges prudentiæ possit in Religionum approbatione errare. p. 27. n. 201. & p. 28. n. 204.
Ante Pontificis confirmationem, an Concilium generale sumptum pro omnibus Patribus Concilij in rebus fidei definiendis, sit infallibilis veritatis. p. 28. n. 207.
Sub facultate generali, quam per bullam, vel jubilæum pontifex concedit absolvendi ab omnibus reservatis etiam in bulla cœnæ, veniunt intelligendum crimen hæresis in illa contentum. p. 67. n. 483. & 484.

Prælatus.

Prælati Regulares quid possint circa absolutionem ab hæresi. p. 12. n. 82.
Prælatus non potest punire subditum ob notitiam fraternæ denunciationis. pagina 128. num. 80.
Prælati Regulares jurisdictionem in Religiosos solùm habentes, num possint eos absoluto interdicto illigare. p. 305. n. 103.

Præscriptio.

Ad Præscriptionem quod tempus sufficiat. pag. 76. n. 542.

Præsumptio.

Præsumptio quid. p. 106. n. 19.
Præsumptionis peccati gravitas. ibid. n. 20.
Præsumptio est contra Spiritum Sanctum. ibidem n. 21.
Præsumptionis peccatum corrumpit ne spem. p. 117. n. 105. & 106. vbi n. 107. Author retollit. ibid.

Professio Fidei.

Professio fidei, Vide verb. *Fides.*

Proximus.

Proximi dilectionis datur naturale præceptum. p. 119. n. 11.
De Proximo diligendo est præceptum divinum supernaturale. p. 120. n. 12.
Distinctum est à præcepto Deum diligendi. ibid. n. 5.
Quatenus est negativum obligat semper & pro semper. ibid. n. 14.
Obligat, quatenus est affirmativum. ibid. n. 15.
Proximo licetne optare mortem, vel de illa gaudere ob hæreditatem acquirendam. pag. 164. n. 356.
Proximus, Vide verb. *Correctio fraterna.*

R

Religiosus.

Religiosi mendicantes quid possint circa absolutionem ab hæresi. p. 12. n. 83.
Religiosi excommunicanturne Sacramentum Extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ absque Parochi licentia ministrantes. pag. 249. numer. 527.
An sub Religiosi nomine comprehendantur novitij. ibid.
An nomine Religiosi intelligantur soli Religiosi exempti. ibid. n. 530.
Vt Religiosi hac censura innodentur debeant necessariò esse Sacerdotes. ibidem numero 533.
Religiosus asserenti, se habere licentiam, vt sibi Eucharistiam vel Extremam vnctionem ministret, an possit fidem adhibere. ibidem n. 536.
An Religiosi comprehendantur sub suspensione generaliter contra Clericos lata. p. 272. num. 54.

Revelatio.

Revelatio qua res aliqua privatim revelatur, sufficitne quantum est ex parte revelationis, ad fidem divinam rei sic revelatæ, sicut sufficit revelatio publica. p. 18. n. 133.
Revelatio falsò divina existimata, quantum est ex parte revelationis, sufficitne ad obiectum formale fidei. p. 19. n. 139.
An possit esse evidentia Revelationis Dei, non viso Deo ipso revelante. ibidem numero 142.
An necessarium sit Revelationem esse in se obscuram, vt sit formale fidei obiectum. ibid. n. 145.
Revelatio poestne esse obiectum formale fidei circa obiectum abstractiuè sumpt. p. 20. num. 151.
Iis, quibus Revelatio non est immediatè facta à Deo, estne necessarium, vt assensus fidei humanæ revelationis divinæ prerequisitus ad fidei divinæ assensum, habeatur ob Ecclesiæ testimonium. p. 211. n. 159.
Possibilisne est casus de eo cui Deus vult damnandum Revelaret. p. 115. n. 96.
Revelatio, Vide verb. *Desperatio.*

Rixa.

Rixa quid. p. 130. n. 92.
Rixa qualenam peccatum. ibid.
Rixam inter & bellum quid discriminis intercedat. p. 131. n. 99.

S

Sacerdos.

SAcerdos simplex quid possit circa absolutionem ab hæresi in mortis articulo. p. 13.n.84.
Sacerdos excommunicatione minori innodatus delinquitne lethaliter, ministrans Sacramenta p.222.n.280.& seqq.
Sacerdos simplex an possit ab excommunicatione minori absoluere. pagina 223. num.293

Sacrificium.

Sacrificium potestne offeri pro Excommunicatis contritis.p.206.n.122.
Sacrificium pro excommunicato tolerato possumusne offerre. ibid.n.125.

Scandalum.

Scandalum quid? p.135.n.131.
Scandali diuisio & subdiuisio. ibidem numer. 132.
Scandalum actiuum vnde nomen sum desumat. ibid.
Scandalum passiuum quod.ibid.
Scandalum actiuum duplici modo venit admittendum.ibid.
Scandalum passiuum duplex item admittitur. ibidem.
Scandalum datum quod ibid.
Scandalum acceptum quod. pagina 135.num. 132.
Scandalum datum vocitari solet scandalum pusillorum.ibid.
Scandalum acceptum, Pharisæorum Scandalum venit appellitandum. ibid.
Scandalum speciale quomodo definiatur. ibidem.
Scandalum generale vnde definitionem suam sortiatur.ibid.
Scandalum actiuum suo ex genere est mortale. ibid.n.134. veniale esse potest solùm p.136. n.135.
Quid quando Scandalum est generale. ibid. n.136.
Peccantes publicè tenentur Scandali circumstantiam in confessione exprimere. p. 138. n.150.
Nullum peccatum est patrandum ad vitandum proximi Scandalum. ibidem numero 151.
Ad Scandalum infirmorum vitandum quid requiritur.ibid.n.153.
An vitandum Pharisæorum Scandalum quid. ibid. numer.154.
An ad rationem Scandali, necessum sit esse proximo ruinæ spiritualis, seu peccati occasionem.p.171.n.407.
Essne speciale Scandali peccatum virtuti charitatis & misericordiæ contrarium indirecta ad crimen inductio.p.173.n.420.
Ex peccato publicè patrato an oriatur malitia Scandali in confessione manifestanda. pag. 173.n.423.
An Scandali perpetret piaculum mulier se ornans,& se virorum offerens aspectui.p.175. num.440.
Committitne Scandali peccatum fœmina è domo egrediens sciens se ab adolescente turpiter amandam.ibid.n.443.
Indifferentia ministrans an excusetur à graui Scandali peccato.p.176.n.451.
Cum quis rem indifferentem petit, excusaturne a peccato Scandali, si proximus omninò sit paratus peccare, tamen ad id petendum causa rationabilis non adest. p.177.num 458.
Cogitut quis scribere aut deferre amatorias litteras turpia continentes, an liberetur à Scandali peccato. pagina 178. num. 465.
Remigantes in Turcarum triremibus ob mortis timorem possuntne à peccato Scandali excusari.ibid.n.468.
An sit peccati Scandali reus imaginem concubinæ amasio pingens. pagina 179.num. 479.
Præcepta affirmatiua positiua possuntne ob Scandalum fratris omitti. pagina 181. numer.492.

Schisma.

Schisma quid.p.164.n.360.
Schisma pro quo sumatur.ibid.
Schisma pro sectione vel diuisione ab Ecclesia venit sumendum.ibid.
Quotupliciter quis possit se separare ab Ecclesia.ibid.
Deferens fidem estne schismaticus.ibid.
Deferens Ecclesiæ vnitatem Schismaticus nominatur.ibid.
Quotupliciter quis possit se ab Ecclesiæ vnitate & Pontificis subiectione diuidere. pag. 165.n.360.
Schismaticus dicitur non recognoscens Pontificem vt superiorem.ibid.
Schismaticis pœnæ ab Ecclesia præscriptæ veniunt annumerandæ.ibid.
Schismatis à seditione discrimen deducitur. p. 150.n.93.
Schisma dicitur vnitati Ecclesiæ spirituali contrarium.ibid.
An non solùm qui Schismaticus est propriè, verum etiam qui quomodolibet Pontifici est inobediens, pœnam excommunicationis contrahat.p.165.n.363.
Schismatici non denunciati, an potestate iurisdictionis priuentur.ibid.n.367.
Schismaticis pœnitentibus & Ecclesiæ reconciliatis quę tollatur inhabilitas. pag.166. n.371.

Seditio.

Seditio difinitur dissensio ciuium cum vna pars ciuitatis contra aliam ad pugnam insurgit. p.230.n.93.
Seditio quale peccatum.ibid.
Seditionis à discordia quæ. differentia. ibidem.

Seditio in quo posita sit.ibid.
Seditionem inter & Rixam quid discriminis intersit.ibidem.
Et vnde discrepantia oriatur. ibidem.
Seditionis à Bello differentia ibidem.
Schismatis à seditionne discrimen. ibidem.
Seditio politicæ Reipublicæ vnitati aduersatur.ibid.
Seditio dicitur peccatum contra pacem charitatis.ibid.

Sepultura.

Sepulturæ Ecclesiæ priuatio est sexta hæreticorum pœna spiritualis.pagina 13.numero 91.

Sequestrum.

Sequestrum multis in casibus est à Iure permissum.p.196.n.73.

Siquis.

Siquis particula quas personas comprehendat. p.198.n.82.

Solicitatio.

Solicitationis crimen probaturne sufficienter duarum fœminarum delatione. pag. 99. n.722.
Solicitatio Vide verb. *Confessarius.*

Spes.

Spes quid sit.p.103.nu. 1.
Spes dicitur virtus Theologica. ibidem.
Spes respicit immediatè Deum,vt nobis bonum.ibid.
Spes est habitus ab ipso Deo infusus. ibidem,
Spes dicitur principalior omnibus virtutibus moralibus, quæ non immediatè,sed immediatè Deum respiciunt.ibid.
Spes inter omnes virtutes quem teneat locum.ibid.
Spei præcipuum obiectum quod. ibidem.
Spei minus principale obiectum quodnam veniat admittendum.ibid.
Fundamentum in quò spes innitatur quodnam sit.ibid.
Spes est de dono arduo difficili, & supernaturali ex D.Thoma.ibid.
Spei obiectum materiale primarium & secundarium quod. ibid. n.2.
Spei obiectum formale quod. ibidem numero 3.
Spes est virtus à fide & charitate, distincta. p.104.n 4.
Spei subiectum quod. ibidem numero 5.
Spes in quo suum resideat. ibidem numero 6.
Spei datur præceptum affirmatiuum.ibidem numero 7.
Negatiuum semper obligat. ibidem numero 8.
Quandonam obliget affirmatiuum.ibidem numero 9.
Quandonam per accidens. ibidem numero 10.
Quinam sperare non possit. pagina 105. num. 12.
Peccata contra spem quæ. ibidem num. 13.
An sperare sit actus voluntatis. pagina 106. num.25.
Sperandi actus additne aliquid supra id quod sufficit ad boni futuri desiderij rationem.p. 107.n.29.
An bonitas obiecti quod spei sit obiectum formale. ibidem numero 31. 32. vbi numero 33.
Triplex esse obiectum spei formale ostenditur. ibidem.
An obiectum materiale & immediatum spei Theologicæ sit nostra beatitudo formalis p.108.n.36.
An sperare nos aliis ea bona,vt bona ipsorum ex ipsorum complacentia, sit ex eadem spe ex qua nobis illa speramus ex complacentia nostri.ibid.n.40.
An actus spei Theologicæ sit sua substantia supernaturalis.p.109.n.44.
An actus spei in esse moris,sit actus fidei perfectior.ibid.n.48.
Actus spei pendetne ex sui generatione ab actu charitatis.p.110.n.52.
In beatis an sit actus spei circa corporis beatitudinem.ibid.n.56.
An in beatis maneat habitus spei infusus.pag. 111.n.59.
In Christo Domino in hac vita existenti fuerit spes quoad habitum. ibidem numero 62.
Animæ in purgatorio existentes habentne propriissimum spei actum. ibidem numero 65.
An sit directa eliciendi actum spei obligatio, cum primum rationis vsum quis assequitur.p.113.n.79.
Obligaturne quis actum spei elicere quoties graui desperationis tentatione vexatur, nisi animum actu spei contrariò obfirmet. ibid. n.81.
Teneriſne actum spei habere quoties obligaris aut vis aliquid à Deo petere.pag. 114.n.86.

Suspensio.

Suspensio quid.p.265.n.1.
Suspensio censura vocitantur. ibidem.
Et quidem Ecclesiastica. ibidem.
Vnde suspensio dicatur censura Ecclesiastica. ibidem.
Suspensionis quæ sit causa efficiens. ibidem.
Suspensionis subiectum quodnam sit. ibidem.

Suſpenſio quotuplex. ibidem numero 2.
Suſpenſio quot in caſibus differat ab aliis cenſuris.ibid.n.3.
Suſpenſionis cauſa efficiens quæ.pag.266.numero 4.
Suſpenſionis cauſa materialis remota quæ ibid. num.5.
Suſpenſionis cauſa materialis proxima.ibid.numero 6.
Cauſa formalis.ibid.n.7.
Cauſa finalis.ibid.n.8.
Suſpenſionis effectus quot veniant annumerandi. ibidem num. 9. & 10. pag. 267. n. 11. 12. & 13.
Suſpenſio ab ordine quæ. ibidem numero 14.
Suſpenſus ab officio quis dicatur. ibidem num.15.
Suſpenſus ab Eccleſiæ ingreſſu quis. ibidem num.16.
Suſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ quæ. ibid.n.17.
Suſpenſio à diuinis officiis quænam ſit.p.268. num.18.
Suſpenſus à beneficio quis intelligatur.ibidem num 19.
Suſpenſio abſolutè prolata durat, donec per abſolutionem auferatur, ſecus ſi tempus determinetur.ibid.n.20.
Suſpenſio ab officio ant beneficio ſimpliciter lata; ligat vbique adſit Clericus. ibidem num.21.
Suſpenſio ſi feratur in puram pœnam quot modis poſſit auferri? ibidem numero 22.
Quis à ſuſpenſione abſolnat ex poteſtate ordinaria, & à priuilegio. ibidem numero 23.
Suſpenſionis abſolutio ob contumaciam quę. p.269 n.24.
Ad ſuſpenſionis abſolutionem non ſunt verba determinata? ibidem numero 25.
Quot ſuſpenſiones in iure generatim inueniantur contra Clericos. ibidem numero 26.
Quot contra Epiſcopos? ibidem numero 27.
Contra Capitula quot? pagina 270. numero 28.
Quot item contra Religioſos. ibidem numero 29.
Qui ſuſpenſionem fert debetne neceſſariò eſſe Clericus? pagina 271. numero 43.
Perſona, in quam ſuſpenſio ferenda eſt, nùm debeat neceſſario eſſe Clericus. pag. 272. num.46.
An ſuſpenſio poſſit ferri aduerſum te ob alienam culpam? pagina 373. numero 57.
An ob culpam poſſit iniungi ſuſpenſio. ibid. num.60.
Suſpenſus abſolutè ab officio poteſtne ad beneficium eligi licitè? ibidem numero 63.
Suſpenſus ab officio eſtne eo ipſo ab officio ſuſpenſus.p.274.n.68.
An ſuſpenſo ab officio debeantur beneficij fructus Sacramenta ordinis miniſtranti, aliaque diuina officia exercenti. ibidem numero 71.
Suſpenſus abſolutè ab officio habetne vocem in capitulo.ibid.n.74.
Suſpenſio a beneficio an inhabilem reddat ad beneficium ſuſcipiendum.pagina 275.numero 83.
Si ſuſpenſio alternatiua ab officio vel beneficio feratur, producitne effectum ipſo iure.p.276. num.93.
An irregularitas incurratur pro violatione ſuſpenſionis ab ordine ſacro pro determinato tempore appoſitæ.p.277.n.97.
Suſpenſio ab officio, vel ab ingreſſu Eccleſię quæ non eſt cenſura, & pura pœna, an ſuſpendatur per appellationem. ibidem numero 104.
Manente ſuſpenſione, alij à Pontifice illam ferentes, an poſſint eius effectum, & obligationem tollere, ac ſi de facto illa ſublata eſſet.p.278.n.108.
Suſpenſio a iure lata abſolutè ad comprimendam alicuius contumaciam, an indigeat abſolutione, recedente contumacia.ibidem numer 112.
An ſuſpenſionem latam in Cap. illorum de ſententia excomm.incurrat qui Eccleſiaſticos ordines recipit.p.279.n.123.
Ordines Eccleſiaſticos ſuſcipiens ſuſpenſione ant interdicto innodatus, cui ſuſpenſioni ſubiiciatur.p.280.n.127.
Suſcipiens ordines ab alieno Epiſcopo ſine proprij ordinarij licentia, quam incurrat ſuſpenſionem.p.280.n.133.
Suſpenſio ferturne ipſo iure aduerſus eum, qui ſaltum promouetur.p.281.n.140.& 141.& p.282.n.142.
Quæ pœna ſit excommunicatio, non ſuſpenſio. p.283.n.157.
An ſuſpenſio ſit lata ipſo iure contra eos qui ordine vtuntur in loco interdicto, in Cap. tanta de exceſſ.Præl.ibid.n.164.
An ſuſpenſionem incurrant interdicti localis violatores.p.318.n.232.

Suſcipio.

Suſpicio de hæreſi quotuplex admittatur.p.83. n.594.
Suſcipio leuis quæ.ibid.
Suſcipio vehemens quænam.p.84. n.595.
Quænam item ſuſpicio violenta.ibid. numero 596.
An ſuſpicio leuis ſufficiat ad reum condemnandum.ibid.n.599.
An leuis ſuſpicio ſufficiat ad inquirendum ſpecialiter contra aliquem, ipſumque interrogandum.p.85.n.602.

Index Rerum,& Verborum.

T

Tempus.

TEmpora quot sint , in quibus ex præcepto tenemur fidei actus elicere. p.14. n.20.21.22.& 23.

Testamentum.

Testamentum ab excommunicato vitando confectum an valeat. pagina 219.numero 249. & 250.

Timor.

Timor initialis estne timor filialis incipiens habens secum vel potens habere seruilem timorem.pagina 112.num.69.

An Timor seruilis eliciatur ab habitu spei.ibidem n.72.

Timor ortus è virtute spei estne in beatis secundum proprium actum. ibidem numero 75.

An sit præceptum de actibus Timoris filialis , & seruilis formaliter exercendis. p.14. n.89.

V

Viator.

VIatores soli habent fidem , & quinam hi sint.p.2.n.7.

Voluntas.

Voluntas spei subiectum dicitur. pagina 104. num.5.

FINIS.

ESCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
F. IV
6

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
E. IV
6



ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. V. VI. VII.

Th
862a

UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
PADERBORN


J. SCOBAR
Theol: Mor.
Tom: V. VI. VII.
E. IV
6